UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

Visual Library

Th. 883a.

K
VI
l

Synopsis

Evangelii
D.
Josephi

Synopsis

Imaginabit
D.
Josephi
R

# SYNOPSIS
# MAGNALIUM
# DIVI IOSEPHI
## IN TRES PARTES.

Synopsis
Magnalium
D.
Iosephi

SYNOPSIS

# MAGNALIUM

DIVI IOSEPHI

IN TRES PARTES

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# SYNOPSIS MAGNALIUM
# DIVI JOSEPHI
## IN TRES PARTES,
IN QUARUM PRIMA
CONSIDERATUR ET PROPONITUR D. JOSEPHUS
## VT FILIVS DAVIDIS REGIS,
IN SECUNDA
## UT PATER JESU FILII DEI PATRIS,
IN TERTIA
UT OMNIUM IN VITA ET MORTE
## PROTO-PATRONVS.

EX SACRÆ SCRIPTURÆ ORACULIS, SS. PATRUM SCRIPTIS, Theologorum Placitis, Sacrorum Interpretum Expositionibus, aliorumq; Doctorum Orthodoxorum effatis, & Historiographorum notis excerpta & collecta, ad formandos Fidelium mores, eorum erga D. JOSEPHUM devotionem excitandam & augendam, sicq; tanti Patroni benevolentiam & opem certò promerendam perquàm idonea & utilis.

*Authore R. P. IGNATIO A S. FRANCISCO, aliàs BRABANT, Leodiensi Carmelitâ, S.T.L. nunc S. Germani Hui Pastore, & Sanctimonialium Carmelitissarum, vulgò Albarum Dominarum ibidem Patre Directore.*

Qui servat ficum comedet fructus ejus, & qui Custos est Domini sui glorificabitur. *Proverb. cap 27. vers. 18.*

LEODII,
Apud GUILIELMUM HENRICUM STREEL,
Suæ Serenissimæ Celsitudinis Typographum.

M. DC. LXXXIV.

Collegii Soctis Jesu Paderborno 1697

dono p. Kloppenburg SJ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# IESV-CHRISTO
DEI PATRIS ET D. JOSEPHI
FILIO VERO,

# MARIÆ DEIPARÆ
SPIRITUS SANCTI ET D. JOSEPHI
SPONSÆ INTEMERATÆ,

# DIVO IOSEPHO
HUJUS CONJUGI, ILLIUS PATRI,
UTRIUSQUE IN TERRIS TUTORI
ET IN COELIS ASSESSORI,

# TRIADI CREATÆ,
TRIADIS INCREATÆ
SPECULO PERFECTISSIMO.

CUI potiùs hoc levidenſe meæ exiguitatis Opus, & munus offerrem quàm Tibi, ô Trias Perfectiſsima! ô Trias Beatiſſima! ô Trias Potentiſsima! Cui enim ego quantùm

Tibi debitor sum? aut à quo ea ego, quæ à Te sperare possum? Valeant ergò alii è terrâ Mœcenates, à quibus nihil opto. Tu sola es spes mea, Tu sola divitiæ meæ, Tu sola totum desiderium & Bonum meum; eris ergò nunc Scopus horum conatuum meorum, ô! sis & votorum Bravium. Hoc Opus Tu adspirando prævenisti, & adjuvando prosecuta es, à Te ergò in me cœptum, & per tuam gratiam à me tandem perfectum, Tibi debetur ut suo vero Authori, & ideò Tibi etiam ex justitiâ per me prono in terram corpore, mente proniori devotissimè redditur. Imago est, Pictura est hęc Synopsis Patris tui amantissimi ô CHRISTE! tui Castissimi Sponsi ô MARIA! tua ipsius est, ô JOSEPH! Repræsentatio ipsissima: an ulli gratior erit, aut rectius cuiquam offerri possit, Imago aut Pictura Patris, quam Filio? Sponsi, quàm Conjugi? Suiipsius, quàm illi cujus est imago? quî ergò alteri quàm Tibi eam offerre potuissem? Illa Synopsis, quam hîc rudi Minervâ elaboravi, illius est ô CHRISTE! quem Tu Tibi ipse expressè condidisti, quem in Patrem, dum voluisti Homo fieri, elegisti, quem Matri tuæ combinasti: illa Synopsis,

quam

# DEDICATORIA.

quam hîc pro tenuitate meâ elucubravi, illius eſt ô MARIA! quem Tu tantopere amaſti, cui Te, & Virginitatem tuam, quam tanti faciebas, committere non dubitaſti: illa Synopſis laudum tuarum ô JOSEPH! quas hîc congeſsi, Repræſentatio eſt illarum Gratiarum, quas à Filio tuo earum fonte immenſo accepiſti, virtutum quas ex ejus ore didiciſti, & cum eo ac Sponsâ tuâ per triginta annos exercuiſti, necnon Gloriæ ad quam per illas aſcendiſti: Illam ergo licet pro omnibus ſcriptam ad Vos tamen JESUS, MARIA, JOSEPH, affero, Vobis eam offero, & in ſacratiſsimis manibus veſtris repono, à quibus fœlicius & utilius, quam à cujuſvis alterius Mœcenatis manu ad iſtos perventuram confido. Ita facite, & eum benedicite qui eſt cum profundiſsimâ demiſsione

*SVMMÆ MAGNITVDINIS VESTRÆ,*

Humillimus Subditus & Supplex,
FR. IGNATIUS A S. FRANCISCO
Carmelita.

Synopſis
Laudum
D.
Joſephi

# FACVLTAS

## REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS TOTIUS ORDINIS CARMELITARUM.

*FR. ANGELVS MONSIGNANVS, Sacræ Theologiæ Magister, & Fratrum Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis semperq; Virginis Mariæ de Monte Carmelo humilis Prior Generalis.*

Dilecto Nobis in Christo Fratri, Reverendo Patri IGNATIO à S. FRANCISCO Ordinis nostri Sacerdoti Professo, & Sanctimonialium Conventus nostri Huiensis Confessario Salutem. Quia Nobis innotuit te elucubrasse, & ad prælum paratã habere *Synopsim Magnalium Divi Iosephi in tres Partes: in quarum primâ consideratur & proponitur D. Iosephus ut Filius Davidis Regis: In secundâ, ut Pater JESV Filii Dei Patris: In tertiâ, ut omnium in in vitâ & morte Proto-patronus, &c.* Quam tum exteri, tum Domestici dignam arbitrantur ut lucem videat: Nosque percupimus ut istius Sancti (cujus Devotio in Ordine nostro ab antiquo crevit & in dies coalescit) Magnalia ubique publicentur. Tibi cum obedientiæ merito permittimus, ut istam Synopsim mediantibus typis lucem videre facias, si etiam aliorum consensus ad quos de jure spectat accedat. Datum Romæ in Conventu S. Mariæ Transpontinæ die 26. Decembris 1682.

*FR. ANGELVS MONSIGNANVS*
*Generalis Carmelitarum.*

Locus (†) Sigilli.

*FR. ANTONIUS MARIA TUSCHI Provincialis Scotiæ, Secretarius Ordinis.*

APPRO-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# APPROBATIONES ORDINIS.

*FR. ALBERTVS A S. GERMANO humilis Prior Provincialis Ordinis Fratrum Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte-Carmelo Provinciæ Franciæ.*

Magnalium Divi Josephi Synopsim à R. P. IGNATIO A S. FRANCISCO Sacræ Theologiæ Lectore, Carmelitâ Leodiensi &c. pulcherrimo ordine concinnatam non tantùm commisimus ut nonnulli Theologi nostri, uti de more legerent antequam prælo daretur, ut suam super sententiam referrent, sed etiam nos ipsi illius quam in legendo se percepisse retulerunt satisfactionis participes fieri voluimus, & eam pari, aut forte majori cum satisfactione perlegentes, perspeximus, vidimus oculis nostris, & probavimus uti Regina Saba 3. Reg. 10. in Salomone, quod media pars mihi nuntiata non fuerit, majoremq; in eo opere inclusam esse sapientiam, quam rumor quem audivimus. Nil minus ab Authore ad augendum erga Sanctissimum illum æquè ac potentissimum Patriarcham non tantùm Carmelitarum, sed etiam omnium fidelium cultum, devotionem, & existimationem expectandum erat, quem ut ætate & religione coævum semper vidimus & notavimus erga eundem devotissimum & addictissimum. Igitur uti Theologus censemus prælo dignissimam, & uti Provincialis authoritate Officii nostri tenore præsentium non tantùm Authori permittimus ut eam prælo committat servatis servandis, sed etiam ut id faciat quàm primùm poterit exhortamur, & eo fine eidem sanctæ Obedientiæ meritum impertimur. In quorum fidem, &c. Datum in Carmelo nostro Leodiensi 7. Septembris 1682.

*FR. ALBERTVS A S. GERMANO Provincialis.*

Locus (†) Sigilli. FR. PETRUS THOMAS A S. MICHAELE Assistens.

*Synopsim Magnalium Divi Josephi, &c.* à Reverendo Patre IGNATIO A S. FRANCISCO Sacræ Theologiæ Professore, Carmeli Leodiensis semel & iterùm Priore, Provinciæ nostræ Franciæ Definitore, & S. Germani in Oppido Huensi Pastore dignissimo, compositam maturâ cum attentione, diligenti discussione, & animi voluptate non parvâ perlegi ex commissione Reverendi adm. Patris nostri Provincialis: Opus est profundissimâ eruditione plenum, veræ fidei, Christianisque moribus haud dissonum: Stylo Historico, Theologico, Oratorio, Morali, Mystico, eoque tam claro, subtili, & novo tanti Patriarchæ Prælogativas omnes, maximè Prædestinationem ipsius æternam, Genealogiam Regalem, Paternitatem Divinam, Virginea Sponsalia, Patrocinium potentissimum attingit & explicat, ut nihil solidius ad fidelium devotionem erga tam Supremum Patronum excitandam, conservandam, & augendam, nihil locupletius ad materiem Panegyris in infinitum Concionatoribus submistrandam desiderari posse videatur. Quare luce & prælo prædignum censeo. Datum in Carmelo nostro Leodiensi in Insulâ 10. Julii 1682.

*Fr. LAVRENTIVS A S. ROCHO Sac. Theologiæ Professor, Carmeli Leodiensis in Insulâ Prior, & Provinciæ Franciæ Definitor.*

AMantissimi Patris Jesu, atque intemeratæ Virginis Sponsi castissimi Magnalia in hâc Synopsi ea animi voluptate ex commissione R. adm. Patris nostri Provincialis perlegi, absolutissimum sanè Opus, tantâ suavitate refertum, tantâ ubertate plenum, ut nonnisi Spiritus Sancti dictamine videatur elaboratum, in illo namque Beatissimi Viri mirabilis Sanctitas novam in lucem prodit, Angelica præfulget Castitas, castissimæ Sponsæ digna connubio, profundissima lucet humilitas, qualis humiliati Verbi decet *Patrem*, amor in Sponsam & Prolem tenerrimus mentes sacris adurit ignibus, atque omnium virtutum suavissimi flores *Justum* adornant: Gratiæ denique dona, privilegia nulli Sanctorum concessa, ad summum gloriæ & potestatis post Virginem apud Deum apicem meritò extollunt: quare cùm omnia Pietatem & Sanctitatem maximè redoleant, nihilq; sit orthodoxæ fidei dissonum, prælo dignissimum judico Datum Hui hâc 29. Julii 1683.

*Fr. LAMBERTVS A S. THEODORO Carmelita Leod. Pastor S. Martini Hui.*

# APPROBATIONES
## THEOLOGORUM EXTERNORUM.

HÆc *Synopsis Magnalium Divi Josephi, &c.* à R.^do adm. P. IGNATIO à S. FRANCISCO, aliàs BRABANT Carmelitâ Leodiensi, S. Theologiæ Professore, necnon S. Germani in Oppido Huensi Pastore composita, non solùm Catholicæ Fidei, bonisque moribus est consentanea, sed etiam omnibus scientiæ & sapientiæ Cultoribus, præsertim Divini Verbi Præconibus est utilissima, ut quæ genuino & perspicuo stylo D. Josephi Prærogativas in ordine Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ ex authoritatibus Sac. Scripturæ, SS. Patrum, & Orthodoxis Interpretibus fœliciter ostendat & probet. Addo quod sicut de D. Thomâ Doctore Angelico traditur audivisse Christum Dominum sibi dicentem, *Bene scripsisti de me Thoma, &c.* Ita piè credendum sit Divum Josephum de hoc doctissimo Viro præfatæ Synopsis Authore existimare, & velut dicere, Benè scripsisti de me Ignati, tu Prædestinationem meam æternam, Genealogiam Regalem, Paternitatem divinam, Sponsalia Virginea, Patrociniumque erga Cultores meos præsentissimum & potentissimum benè, solidè, ac doctissimè comprobasti, quam ergo mercedem accipies nisi ipsum Filium meum Deum ac Dominum nostrum JESUM-Christum? Quod faxit Deus. Cæterùm ut hoc opus ad majorem JESU-Christi, & Beatissimæ Matris ejus Mariæ, atque Divi Josephi Sponsi ejus gloriam typis mandetur, & ita in publicum prodeat, dignissimum puto. Datum Hui in Conventu S. Georgii hâc 10. Aprilis 1683.

*FR. ATHANASIVS MAIGRETIVS Sac. Theolog. Lovanii Doctor & olim Professor, Ord. Erem. S. Augustini.*

MAgnus planè Magnus S. Josephus amantissimæ Virginis Matris Dei Mariæ Sponsus ter amabilis, & *Magna est gloria ejus in salutari tuo Domine*, Ps. 20. v. 6. Applaudo tibi, & congratulor Patria mea, & Mater mea Ecclesia Leodiensis, quod hunc tibi laceratis hisce rerum tuarum temporibus, ex Per-Illustris Capituli sui consensu & consilio Patronum potentissimum adlegerit Serenissimus Princeps ac Episcopus noster MAXIMILIANUS HENRICUS, priùs sub fortissimâ Virginis MARIÆ Protectione, & validissimo Sancti Martyris tui atque Pontificis LAMBERTI Patrocinio vixisti, sed affusâ superabundanti Dei benedictione tertius concessus est Patronus, ut triplici funiculo in suavissimo Dei servitio constricta servareris: illum publicè devotionis patentissimo sinu complexa es, & sanctis quibus potuisti Votis, Concionibus, & Officiis prosecuta es, neque tamen in se major evadit Magnus iste & Maximus S JOSEPHUS, sed quoad nos videtur in dies secundùm Nomen suum crescere, & fallor si uspiam gentium cujusvis Scriptoris manu ad Augustiorem gloriosæ notitiæ Majestatem pervenerit quàm per hanc Magnalium ejus Synopsim, ab uno ex Filiis tuis *R. P. Ignatio à S. Francisco* aliàs *Brabant* Carmeli Leodiensis, bis Priore, eximio planè Viro fœliciter elaboratam & conscriptam: in hâc S. JOSEPHUS electionis æternæ splendoribus circumfulget, Prophetiarum umbris expeditus, Figurarum integumentis evolutus mirâ venustate corridet, Regio cretus sanguine, & justus in Regnum Successor, modestissimus tamen conditione Faber exhibetur, virginali connubio Virgo conjunctus Virgini, hanc fœcundante Spiritu sancto verus indè natæ prolis JESU Pater ostenditur. Hinc adaptata donorum, virtutum, gratiarum circumfluentiâ plenus Joseph declaratur, Patrocinii potestate benevolentissimâ clarissimus prodit, & miraculorum cujusvis generis gloriâ sublimis super admirationem ascendit: Tantùm abest ut hîc aliquid contra bonos mores aut fidem militet, quinimò multa passim dispersa morum monita, & documenta sanctissima, multa illustrandæ fidei collata lumina: tam piis ergò devotionis studiis, & multigenæ lectionis laboribus præli gratiâ, si R.^mo Dño Vicario Gñali placeat, fruantur omnes. Hoc equidem, post totum à capite ad calcem abs me perlectum Opus, utile non modò censeo, sed & acuendis Doctorum studiis, formandis Concionatorum ideis, illustrandis Nobilium gestis, poliendis rudiorum moribus, sanctificandis Virginum amoribus, honestandis conjugatorum pactis & actis, imprimendis demùm ad omne bone bonum stimulis convenientissimum judico. Dabam in Ædibus Ministerii mei postridie Calendas Junii 1683.

*JOAN. LE BEAV Examinator Synodal. Ecclesiæ S. Adalberti Curatus ind.*

---

## LICENTIA ORDINARII.

SYnopsis hæc Magnalium Divi Josephi, &c. à *R. P Ignatio à S. Francisco* aliàs *Brabant* Leodiensi Carmelitâ, &c. cùm nihil contineat Fidei & Christianis moribus contrarium, imprimi poterit. Datum Leodii hac 6. Junii 1683.

*JO. ERNESTVS BARO DE SVRLET, Vicarius Generalis Leodiensis.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# LECTORI BENEVOLO.

TE Lectorem Amicum, antequam in hanc Synopsim illam lustraturus, ingrediaris, amicè sisto, non Zoilum: non quod talem timeam; nam primò vix credo talem invenien-dum contra scribentem de Laudibus amabilissimi illius Sancti, qui & Pater Jesu, & Deiparæ Sponsus & Conjux dici & esse meruit, & ob id est hodie objectum Amoris & Devo-tionis omnium: Secundò quia etsi fortè aliquis ejusmodi reperiretur (sunt enim semper & in omni re Critici) præterquam quod ipsi magis quàm mihi timendum esset, cùm tot ille habitutus esset Adversarios, & ego aut Defensores, aut saltem Excusatores, quot Divus Josephus habet Amatores, idest omnes aut ferè omnes; ejus utique censuram timere non debeo cujus laudem non quæ-sivi. Te igitur Lectorem benevolum hîc amicè sisto, ut gratius ingrediaris, introgressus progrediaris, & adytis lustratis ad exitum pervenias, ibique non ante de toto judicium tuum feras.

Moneo ergò te imprimis me in Primo Primæ Partis Tractatu, qui est de Proludiis ad totam Synopsim, posuisse in ipso vestibulo seu limine ejus, duo Proludia priora, unum de Idæa totius Operis, alterum de ejusdem Consi-lio, Motivo, & Fine contra morem ordinarium aliorum Scriptorum, apud quos illa duo solent poni in præliminaribus. Ratio mei facti est, quod adver-terim illa ab avidis & impatientibus sæpissimè præteriri, ac sic viam ignotam sine duce, sine chartâ, sine regulâ ab illis carpi: quare satius fore existimavi illa duo non extra corpus Synopsis, sed in ipso ejus introitu collocare, ut illis ibi prælectis ab introeunte, sciat quò & quà tendat, sicque deinceps jucundius viam suam percurrat. Accedit quod in duobus illis Proludiis, maximè verò in secundo sint nonnulla quæ ad rem ipsius Synopsis, seu materiam in ea dis-ceptatam pertinent, quæ alibi locum aptè non invenissent. Tandem quod per horum duorum Proludiorum ad primum Tractatum additionem, fiet ut iste Tractatus sit minùs cum aliis improportionatus.

Moneo secundò, quod quamvis ea quæ in hâc nostrâ Synopsi de Divi Josephi summis Magnalibus dabimus, ex eodem quo ab aliis fonte, Sacro scilicet Evangelio deprompta sint, non omnia tamen quæ ex ipso hîc tibi pro-pino, planè eadem sunt cum illis quæ alii, ut tu ipse legendo deprehendes:

quod admirabili sacræ Scripturæ fœcunditati quæ inexhaustibilis est, non tenuitati nostræ, cujus conscii sumus, omninò adscribendum: ut enim elegantissimè D. Gregorius Magnus scribit Proëmio in Libr. Reg. *Scriptura Sacra tam mirabiliter ab Omnipotente condita est, ut etsi multipliciter videatur exposita, non desint tamen ei secreta, quibus servet occulta: quia ferè nunquam sic exponitur, ut ei plura non remaneant, quæ quotidie exponantur: quâ profectò ejus incomprehensibilitate, Omnipotens Deus, humanæ mutabilitati magnâ dispensatione consuluit: nam ut vilescere nota non possit, sic mirè dispositа est, ut cognita nesciatur, & eò legatur gratius, quò quotidie discitur, ac dum semper recentia intimat, suavius oblectet.*

Moneo tertiò, quod cùm in tam ampla disputatione fieri nequeat ut omnia sint ejusdem saporis, sicut nec gustus omnes erunt ejusdem dispositionis, non potest etiam fieri quod omnibus omnia æquè placeant: quare si de fastidiosis es, quibus facilè nauseat stomachus, quæ tibi minùs grata videbuntur vel percurrendo lege, vel etiam si velis transili, hæsurus in iis quæ magis erunt ad palatum tuum: Si verò de sanis, qualem te cupio, cave ne illos imiteris, qui vinum explorantes, degustatâ vini modicâ parte, de toto judicant: magnum enim præjudicium foret, nisi tantisper judicium tuum suspenderes; priùs totum lege ut intelligas, & invenies procul dubio hîc vitam tam admirandis omnigenarum virtutum ornamentis, tam clarè & firmiter assertis, refertam, ut nulla in totâ Historiâ Ecclesiasticâ huic similis tibi apparitura sit, exceptâ Mariæ vitâ.

Moneo quartò me in aliquibus prolixiorem fuisse, v. c. in explicandâ Regali ejus Genealogiâ ex Patriarchis, Regibus, & Ducibus contextâ; in referendâ magnâ circa illam sententiarum diversitate, & refutandâ objectionum contra illam multitudine: in asserendo illius ad Sceptrum & Regnum Davidicum jure directo & immediato, ac per eum ad Christum Filium suum transmisso: in explicando ejus vero virgineo tamen cum Virgine Deiparâ Conjugio: in stabiliendâ firmiterque fulciendâ ejus verâ ac stricti juris ad Christum Paternitate: sed præterquam quod nimis prolixum dici nequit id à quo nihil adimi potest quin mancum remaneret: illa omnia sunt fundamenta totius Synopsis & Magnalium Divi Josephi quæ in eâ prosequimur, & ideò maximè curanda fuerunt ut bases & fulcra, quibus cætera innituntur, & à quibus suam accipiunt firmitatem; quod certè præstari non potuit sine aliquâ prolixitate, illa tamen nonnullis curiosis aut studiosis adspersi ad tollendum vel leniendum fastidium.

Moneo quintò, cùm sæpius occasione Paternitatis Divi Iosephi dicam in hoc Opere, quod Spiritus Sanctus hujus Virginei Sponsi vices suppleverit quadrare S. Leonis Papæ serm. 7. de Nativit. Domini monitum sanctissimum. *Cùm ad intelligendum Sacramentum Nativitatis Christi, quâ de Matre Virgine est ortus, accedimus; abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminatæ fidei oculo mundanæ sapientiæ fumus abscedat.* Ne scilicet quod intentione

tione ſanctâ dictum eſt, ad indignum tanto Myſterio ſenſum iniquè detorqueatur. Quare hoc dictum non aliter intellige quàm juxta mentem & doctrinam Doctorum Solis Divi Auguſtini ex ſerm. 63. de diverſ. cap. 20. in Synopſi Part. 2. Tract. 2. cap. 11. num. 2. & cap. 16. Sect. 3. num. 16. 18. & 19. & cap. 17. num. 3. traditam, & paucis his ejus verbis miro veritatis lumine reſperſam: *Quod Spiritus Sanctus operatus eſt, utriſque* (ideſt Mariæ & Joſepho) *operatus eſt ſed in eo ſexu quem parere decebat operatus eſt hoc quod etiam Marito naſceretur..... Juſtus Vir, Juſta Fœmina, Spiritus Sanctus in amborum juſtitiâ requieſcens ambobus filium dedit.*

De cætero hunc meæ exiguitatis conatum æqui bonique conſule, cujus poſt Dei, qui in Sanctis ſuis glorioſus eſt, gloriam; hunc unicum mihi finem & ſcopum propoſui majorem, ſcilicet Sanctiſſimi Patris JEsu honorem & cultum, & ex eo tuam & omnium utilitatem: in hoc me Deus adjuvet cujus voluit eſſe Filius, & Beatiſſima Virgo Deipara, cujus ipſa ex Dei voluntate Conjux & Sponſa. Amen.

o



Synopſis
Magnalia
D.
Joſephi

# P. BAPTISTÆ MANTUANI CARMELITÆ

THEOLOGI PRÆSTANTISSIMI ET VIRGILII CHRISTIANI

# CARMEN ENCOMIASTICUM DE S. JOSEPHO,

*Ex lib. 3. Fastor. ad 19. Martii.*

SAncte Faber veniens ab Hebræi sanguine Regis,
Qui fuerat Pastor, tua sunt natalia nostris
Addita (sic statuit Patrum prudentia) Fastis.
Te Deus in terris, ex tot mortalibus unum.
Repperit, arcani fieres qui conscius alti:
Cui benè Virginitas Magnæ Sanctissimæ Matris,
Cui benè committi Divinæ infantia Prolis
Posset, & alterius sæcli surgentis origo.
Hinc tua quanta foret nobis cognoscere fas est
Integritas: tua perspicuis Deus intima corda
Inspiciens oculis, culpæ vestigia vidit
Nulla, nec indicium scabræ rubiginis ullum.
Fœlix officio tali, fœlicior illo
Sinceri candore animi, quem Rector Olympi
Intuitus, subitò ad tantos te assumpsit honores.
Te tamen Omnipotens talem formavit, ut esses
Bajulus & Custos, ad munera idoneus illa.
Ista tibi ut Divis, qui scire pericula possunt
Communis tutela fuit, facienda monebant,
Ipse capessebas animo jussa omnia forti.
Ipsi aderant quando Nilotica Rura petebas,
Quando post cædem infantium, lamentaque matrum
Quæ penetrasse polos, & olimpica tecta feruntur.
Inde revertebas in avernum Herodibus actis.
Post decimam lux nona tua est, tua templa Sacerdos
Velat, & ad numerum tibi tinnula verbera æra,
Verrit humum, legit areolis nova germina tonsis,
Et postes vernare facit, frondêre columnas,
Albentes splendêre Aras, redolêre Sacellum.
Thura cremat, lentoque super myrrham infriat igni.
Græcia jam sileat veteris Corybantes Alumnos
Custodesque Jovis, finxerunt talia Graii.
At tibi (quæ loquimur non sunt insomnia, non sunt
Vana) fuit data Divinæ Custodia Prolis.
Nos quoque sub tanto nunc glorificatus Alumno
Respice, & optatam memor impertire salutem
Italiæ toti, nostrisque Penatibus esto.

OBSER-

## *OBSERVATIONES AD PRÆCEDENTES VERSVS Notatu Dignæ.*

PRima, quod in 12. Faſtorum libris, ex quibus hi Verſus excerpti, nullibi mentionem faciat Mantuanus Sancti Joachimi Deiparæ Genitoris, de quo tamen ex dicendis Part. 3. Tract. 2. cap. 3. num. 26. in Capitulo noſtro Generali Nemauſi in Provinciâ Natbonenſi anno 1498. celebrato, ordinatum fuit fieri Officium ſub titu duplici per totum Ordinem: Ex quo colligitur evidenter hos libros Faſtorum ante annum iſtius Capituli, ideſt ante 1498. fuiſſe abſolutos, ac etiam impreſſos, non enim eum in illis omiſiſſet Mantuanus, ſi tantùm poſt illam ordinationem, illi libri vel abſoluti, vel impreſsi fuiſsent.

Secunda, quod ante iſtum annum 1498. ac etiam longè ante ipſum Mantuanum (obiit autem ferè ſeptuagenarius anno 1516.) celebrabatur Feſtum Sancti Joſephi in Ordine Mariano, ideſt noſtro. Hæc enim duo innuunt in illis Verſibus verba iſta,

*—— tua ſunt Natalia noſtris*
*Addita (ſic ſtatuit Patrum prudentia) Faſtis.*

Quod rectè intelligens non aliter accipiet, quàm de Faſtis, ſeu Kalendariis Carmelitarum, & de Mantuani hoc in Ordine Patrum, ideſt Prædeceſſorum prudentiâ, & eorum quidem non propinquiſſimorum.

Tertia, quod hoc Feſtum in eodem Ordine, tunc, ideſt etiam à Patrum ſeu Prædeceſſorum Mantuani in Ordine temporibus celebrabatur 19. Martii, quem diem rejectis aliis amplexata eſt Eccleſia: ſubjungit enim ibi, ideſt in Faſtis menſis Martii.

*Poſt decimam lux nona tua eſt, tibi &c.*

Quarta, quod Feſtum iſtud ex tunc erat unum ex ſolemnioribus in Ordine: hoc quoque indicat quod ſequitur in iſtis Verſibus.

*—— Tibi Templa Sacerdos*
*Velat, & ad numerum tibi tinnula verberat Æra,*
*Verrit humum, legit areolis nova germina tonſis,*
*Et poſtes vernare facit, frondêre columnas,*
*Albentes ſplendêre Aras, redolêre Sacellum,*
*Thura cremat, lentoque ſuper myrrham infriat igni.*

Quæ omnia, ut evidenter patet, denotant pompam Feſti, & ſolemnitatem minimè communem: Ex quibus ſequitur

Quinta, quod cum talis eſſet tunc in Ordine Devotio ad Sanctum Ioſephum, nec nupera, ſed firmiſſimè radicata, & aliundè Sancta ac Seraphica Mater Thereſia mortua anno 1582. ætatis ſuæ anno 67. ingreſſa ſit Ordinem annum agens vigeſimum juxta Lectiones ſecundi Nocturni pro ejus Feſto à Sacrâ Congregatione approbatas, ideſt anno 1534. aut circiter, & conſequenter annis ſeptemdecim circum circa poſt obitum Patris Mantuani, manifeſtum evadit Beatam illam Matrem ex Ordine devotionem ad Sanctum Ioſephum ſuxiſſe in eo ita florentem, quam poſtea pro poſſe in aliis per ſe & per ſuos propagare juſſa eſt à Deo, & de facto propagavit. Quæ omnia cùm aſſerturi ſimus in Synopſi Part. 1. Tract. 2. hîc obſervare volui, ut habeat Lector in his eorum omnium anticipativè probationem, & aliorum præjudicium, ut cum ſingula occurrerint, non ſit opus toties eoſdem verſus cum tædio repetere.

Porrò

Porrò quanti sit roboris hujus Viri, Mantuani inquam nostri, testimonium, quantiqúe faciendum, supervacaneum arbitror edicere, cùm ejus merita, virtus inquam, & sapientia ac doctrina luce clariora sint: Virtutem enim ejus non vulgarem probat vita tam fœliciter & sanctè consummata, ut corpus ejus post multos annos à morte effossum, inter alia multa cum quibus fuerat primùm humatum, in cineres reversa, repertum sit integrum & sine ullâ corruptione, nectareum spirans odorem, in quâ incorruptione perseverat, & mihi testatus est se vidisse & palpasse, non ita pridem Reverendus adm. Pater Albertus à Sancto Germano, aliàs Hovius, nostræ Provinciæ Provincialis dignissimus, & nostri Conventus Leodiensis professus, dum ab Urbe rediens, per Mantuam transivit, ut & alii multi Romipetæ. Sapientiam verò & doctrinam singularem testantur tot ab eo metro prosâqúe conscripta grandia Volumina, toties recusa, inter quæ, ejus Poëmata tantâ suavitate fluunt & elegantiâ, ut passim ab omnibus Doctis Virgilius Christianus vocatus sit & habitus, eiqúe propterea à Friderico Mantuæ Principe anno 1516. idest anno mortis ejus, statua ex marmore, viridi lauro caput cincta, super fornicem triumphalem è regione Seraphici Cœnobii Mantuæ collocata sit, Virgilio dextrum, Mantuano verò nostro sinistrum Francisci IV. Mantuæ Principis clarissimi latus claudente cum hâc Epigraphe

*Argumentum utrique ingens si sæcla coïrent.*

Tantùmqúe extollat Erasmus Roterodamus famosissimus ille Grammaticus, Orator & Poëta in Epistolâ ad Iacobum Wimphelingium libris Fastorum Mantuani impressionis Argentoratensis anni 1520. præposita, ut dicat: *Malim Hemistichium Mantuani, quàm treis Marullicas Myriadas.* Ut planè mirum sit in Scholis Christianorum hodie Iuventuti Virgilium, Horatium, Ovidium, Marullum, Martialem, & horum similes, à quibus præter phrasim Poëticam nil nisi vana, inutilia, & sæpè nocitura haurire possunt, prælegi & commendari, hujus verò tanti Viri Poëmata in omni genere tanti olim æstimata, ex quibus non minùs suavitatem, eloquentiam & stylum, quam ex omnibus illis simul sugere possent, & præterea, quod non in illis, sanctos mores, pietatem veram, mysteria, & historiam Christianam, nihil fieri. Meminerint illi (nullum nomino, sed omnes ex charitate moneo) ne ipsis contingat quod D. Hieronymo, qui Deo, licet in somnis, realiter tamen & atrociter pœnas dedit, quia in studiis suis plus Ciceronianus erat quàm Christianus. Ita ipse D. Hieronymus apud Ribadeneiram *in Floribus Sanctorum ad* 30. *Septembris*.



INDEX

# INDEX
## PARTIVM, TRACTATVVM, CAPITVM, ET SECTIONVM TOTIUS OPERIS,

In quâ brevi Compendio ſubjiciuntur oculis ea omnia quæ in hac Synopſi pertractantur.

---

# PRIMA PARS.
## Divus Joſephus Filius Davidis Regis.

### TRACTATUS PRIMUS.
De Proludiis ad totam Synopſim.


Prolud 1. IDea totius Operis. pag. 1
Prolud. 2. Conſilium ſeu Motivum & Finis Operis. 3
Prolud. 3. Fons omnium laudum & encomiorum D. Ioſephi ſacrum Evangelium. 6
Prolud. 4. Fons magnalium D. Ioſephi Prædeſtinatio ejus. 9
Prolud. 5. Ex hâc Prædeſtinatione D. Ioſephus in ordine gratiæ opus excelſi capitale. 12
Prolud. 6. Prædeſtinatio D. Ioſephi in prædeſtinatione Chriſti, uti prædeſtinatio Mariæ incluſa. 13
Prolud. 7. Tota ratio eſſendi D. Ioſepho fuit Chriſtus, ut ſcilicet eſſet illius Pater. 14
Prolud. 8. Fuit D. Ioſephus prophetizatus & præfiguratus. 17
Sect. 1. D. Ioſephus fuit præviſus & prænuntiatus ſeu prophetizatus. ibid.
Sect. 2. D. Ioſephus fuit præfiguratus. 19
Prolud. 9. Racematio nonnullarum figurarum & delineationum D. Ioſephi ex veteri teſtamento. 20


### TRACTATUS SECUNDUS.
Divus Joſephus Filius Davidis Regis in Eſſe Natutali.


Cap. 1. QVomodo D. Ioſephus Filius Davidis Regis. 26
Cap. 2. De Progenitoribus & Genealogiâ D. Ioſephi. 30
Cap. 3. Satisfit primo argumento contra hanc Genealogiam ducto ab impertinentiâ Evangeliſtarum Matthæi & Lucæ in eâ ſubducendâ. 36

Cap. 4. *Proponitur secundum argumentum contra hanc Genealogiam ductum à dissonantiâ Evangelistarum.* 42
Sect. 1. *Referuntur aliquot ad hoc argumentum responsiones & refutantur* 43
Sect. 2. *Proponuntur aliæ responsiones & rejiciuntur. In fine proponuntur duæ aliæ celebriores responsiones.* 48
Cap. 5. *Examinatur prima ex his duabus opinionibus, an scilicet D. Matthæus referat D. Iosephi Patrem & Progenitores generatione, & Lucas Patrem B. Virginis.* 52
Cap. 6. *Quod unus Evangelistarum carnalem D. Iosephi Genealogiam, alter legalem prosequatur.* 54
Sect. 1. *Proponitur prima sententia asserens D. Matthæum legalem, Lucam verò carnalem D. Iosephi prosequi Genealogiam.* ibid.
Sect. 2. *Præfertur secunda sententia asserens è contra D. Matthæum carnalem, Lucam verò legalem D. Iosephi, & consequenter Christi genealogiam attexere.* 57
Cap. 7. *Hæc nostra sententia omninò retinenda est, nec nisi temerè ab eâ discedi potest.* 64
Cap. 8. *Solvuntur objectiones contra hoc nostrum assertum.* 67
Cap. 9. *Satisfit aliis argumentis adversariorum à dissonantiâ Evangelistarum petitis.* 69
Cap. 10. *Solvuntur reliqua argumenta contra genealogiam.* 72
Cap. 11. *Cur D. Matthæus & Lucas non per Mariam sed per D. Iosephum Christi Domini genealogiam subduxerint.* 82
Cap. 12. *An D. Iosephus fuerit Regni Hæres Davidici & Christus per ipsum.* 86
Sect. 1. *An Christus Dominus fuerit Rex temporalis Iudæorum.* ibid.
Sect. 2. *An per Mariam Matrem, an verò per D. Iosephum hoc jus successionis ad Regnum Iudaicum ad Christum delatum sit* 96
Sect. 3. *Quomodo per D. Iosephum hoc Regnum Davidis ad Christum pervenerit.* 98
Cap. 13. *Fuit tamen D. Iosephus conditione Faber.* 102
Sect. 1. *De Arte D. Iosephi seu cujus artis fuerit?* 103
Sect. 2. *Cur Patrem Fabrum Salvator noster habere voluerit?* 106
Cap. 14. *De Patriâ & Parentelâ D. Iosephi.* 109
Sect. 1. *De Patriâ Divi Iosephi* ibid.
Sect. 2. *De Parentelâ Divi Iosephi.* 115
Cap. 15. *De Nomine Sanctissimi Patriarchæ quod est Iosephus.* 119
Cap. 16. *De formâ & pulchritudine externâ D. Iosephi.* 126

## TRACTATUS TERTIUS.

### Divus Josephus Filius Davidis Regis in esse supernaturali.

Cap. 1. *AN Divus Iosephus fuerit in utero sanctificatus.* 130
Sect. 1. *Sensus hujus disputationis.* ibid.
Sect. 2. *Quid sentiendum de illis qui aliquos Sanctos asserunt in utero sanctificatos.* 132
Sect. 3. *An qui à nonnullis dicuntur in utero sanctificati, sint tales.* 133
Sect. 4. *An ergo nullus omninò in utero sanctificatus.* 135

Sect. 5.

Sect. 5. *Sanctus Ioſephus fuit in utero ſanctificatus.* 137
Cap. 2. *Probatur hoc noſtrum Aſſertum rationibus.* 139
Cap. 3. *Alia hujus Aſſerti noſtri munimenta ab Authoritate.* 141
Cap. 4. *Diluuntur argumenta contraria ex Sacrâ Scripturâ petita.* 143
Cap. 5. *Diluuntur argumenta ab authoritate SS. Patrum.* 147
Cap. 6. *Diluuntur argumenta à ratione.* 149
Cap. 7. *De Qualitate hujus noſtræ ſententiæ.* 152
Cap. 8. *Quandonam fuerit in utero ſanctificatus D. Ioſephus.* 153
Cap. 9. *An D. Ioſephus fuerit confirmatus in illâ gratiâ quam in utero accepit?* 155
Sect. 1. *An Confirmatio in gratiâ differat à perſeverantiâ in illâ.* ibid.
Sect. 2. *Vera utriuſque doni Confirmationis in gratiâ & Perſeverantiæ in illâ differentia.* 157
Sect. 3. *D. Ioſephus fuit in illâ gratiâ quam in utero accepit, & quam ex utero attulit confirmatus.* 159
Cap. 10. *Per eandẽ gratiam fuit D. Ioſephus etiam contra venialia confirmatus.* 160
Cap. 11. *An in D. Ioſepho fuerit peccati fomes extinctus vel ligatus?* 162
Cap. 12. *An D. Ioſephus ut in utero ſanctificationem, ita ibi rationis uſum per acceleratione acceperit?* 165
Cap. ult. *Affertur aliud argumentum probans ſimul ſanctificationem D. Ioſephi in utero & rationis acceleratione.* 167

---

SYNOPSIS MAGNALIUM D. JOSEPHI

# PARS SECVNDA.

## Joſeph Pater JESU.

Proëmium pag. 171

## TRACTATUS PRIMUS.

### Divus Joſephus Virginis Deiparæ Sponſus.

Cap. 1. *CVr Deus inſtituit Matrimonium?* 172
Sect. 1. *Sequuntur rationes aliquæ cur Deus matrimonium inſtituit, & per illud propagationem hominum fieri voluerit.* 173
Sect. 2. *Vltima hujuſce rei ratio ad propoſitum noſtrum.* 176
Cap. 2. *De variis Beatiſſimæ Virginis Sponſis.* ibid.
Cap. 3. *An D. Joſephus ante Beatam Virginem alias duxerat uxores? an verò Virgo fuerit quando ei nupſit?* 180
Sect. 1. *Innuptum eò uſque fuiſſe probatur.* ibid.
Sect. 2. *Non innuptum tantùm, ſed etiam virginem fuiſſe D. Ioſephum probatur.* 184
Cap. 4 *An D. Ioſephus ſemper Virgo permanſerit.* 186
Sect. 1. *Referuntur & confutantur illi qui D. Ioſephum negant caſtè cum Virgine vixiſſe ante Chriſti Conceptionem.* 187
Sect. 2. *Referuntur illi & confutantur qui dicunt D. Ioſephum poſt Chriſtum natum Virginem carnaliter cognoviſſe.* 193

Cap. 5. *An illam quam in conjugio semper servarunt continentiam D. Ioseph & Beata Virgo servarint ex voto?* 199
Cap. 6. *Quando ab illis votum illud de servandâ Virginitate emissum?* 203
Cap. 7. *Gloria S. Iosephi & ejus casti Conjugii ex illius prædictionibus & figuris.* 207
Cap. 8. *Gloria S. Iosephi ex ipsius in hâc Sacrâ Continentiâ sequacibus.* 212
Sect. 1. *Principes, Reges, Imperatores qui in conjugio cum uxoribus continentiam servarunt.* 215
Sect. 2. *Nobiles qui eodem modo in conjugio castè vixerunt.* 219
Sect. 3. *Ex Plebeis etiam nonnulli.* 221
Sect. 4. *Illis eos succenturiamus qui post aliquem Matrimonii usum, reliquum vitæ pudicitiæ destinarunt.* ibid.
Cap. 9. *Quomodò universitas conjugatorum aliquò etiam modo D. Iosephi & Deiparæ Virginis continentiam imitari poterit?* 224
Cap. 10. *An omnium primi Maria & Ioseph in castitate vovendâ.* 227
Cap. 11. *An inter D. Iosephum & D. Deiparam verum interceßerit matrimonium.* 232
Sect. 1. *B. Virgo & D. Josephus exterius contraxerunt eodem modo & cum eisdem solemnitatibus, cum quibus alii istius temporis contrahebant.* ibid.
Sect. 2. *An illud matrimonium quod exterius contraxerunt fuerit omni ex parte verum?* 233
Sect. 3. *Idem probatur ex Sanctis Patribus.* 236
Sect. 4. *Id ipsum probatur rationibus.* 238
Sect. 5. *Solvuntur argumenta in contrarium adducta Sectione secundâ.* 242
Cap. 12. *An hoc D. Iosephi & Deiparæ matrimonium possit etiam dici omninò perfectum.* 244
Cap. 13. *Quomodo D. Iosephus ad has nuptias pervenerit?* 247
Cap. 14. *Quâ ætate matrimonium contraxerint Maria & Iosephus.* 252
Sect. 1. *Quot annorum erat B. Virgo quando nupsit D. Iosepho?* ibid.
Sect. 2. *De ætate D. Iosephi quando B. Virginem duxit.* 256
Sect. 3. *Vera ætas D. Iosephi quando Virginem duxit.* 260
Cap. 15. *Quonam tempore hoc matrimonium inierint an ante an post Christi conceptionem?* 262
Sect. 1. *Variæ de hac quæstione sententiæ.* ibid.
Sect. 2. *Vera sententia de tempore hujus matrimonii:* 264
Sect. 3 *Satisfit oppositarum sententiarum argumentis.* 266
Sect. 4. *Quo mense, quove die hoc matrimonium celebratum fuerit.* 269
Cap. 16. *Cur Deus hoc ab illis Matrimonium iniri voluerit?* 270
Sect. 1. *Causæ seu convenientiæ hujus matrimonii ex parte Christi Domini.* ibid.
Sect. 2. *Causæ seu convenientiæ ejusdem matrimonii ex parte Deiparæ.* 372
Sect. 3. *Causæ seu convenientiæ hujus conjugii ex parte nostrâ.* 276
Sect. 4. *Causæ seu convenientiæ hujus matrimonii ex parte Divi Josephi.* 278
Cap. 17. *Cur ipsi hoc matrimonium inierint?* 280
Cap. 18. *Quàm fœlix hoc matrimonium Divi Josephi & unde?* 281
Cap. 19. *Alia ex quibus D. Iosephi fœlix matrimonium.* 284

Sect. 1.

Sect. 1. *De perfectâ eorum proportione & similitudine.* ibid.
Sect. 2. *De eorum Amore.* 287
Sect. 3. *De eorum concordiâ, consensione & unanimitate.* 293
Sect. 4. *Quâ ratione fœlix erit & Christianorum matrimonium?* 296
Cap. 20. *Quæ bona D. Iosepho ex eo quod Virginis fuerit Sponsus provenerint?* 300
Sect. 1. *Dona D. Iosepho collata ut dignus fieret esse Sponsus Beatiss. Virginis.* ibid.
Sect. 2. *Dona quæ hunc titulum Sponsi comitantur.* 302
Sect. 3. *Dona quæ ei adjecta sunt ad ornamentum.* 306
Sect. 4. *Vltima laus D. Iosephi ex hac conjunctione quod ea quoque profuerit Divæ Virgini.* 309

## TRACTATUS SECUNDUS.

### Divus Josephus Pater Jesu.

Proëmium. 312
Cap. 1. *Divo Iosepho nomen Patris respectu Christi Domini rectè tribuitur.* ibid.
Cap. 2. *De variis acceptionibus nominis Patris.* 314
Cap. 3. *Non est D. Iosephus Pater Christi Domini generatione.* 316
Cap. 4. *An D. Iosephus tantùm putativè Christi Pater.* 318
Cap. 5. *Nostrum contra præcedentem assertum probatur ex SS. Patribus.* 320
Cap. 6. *An D. Iosephus Pater Christi dictus ob Adoptionem.* 323
Cap. 7. *An ideò D. Iosephus Pater Christi quia ipsum nutrivit ac si Filius suus fuisset?* 325
Cap. 8. *An possit D. Iosephi Paternitas dici esse substitutionis legalis, vel ad illam reduci?* 326
Cap. 9. *Communissima sententia de D. Iosephi Paternitate respectu Christi Domini.* 329
Cap. 10. *Quomodo D. Iosephus electus sit ad Christi Paternitatem?* 330
Cap. 11. *Vera de veritate Paternitatis D. Iosephi ad Christum sententia.* 333
Cap. 12. *Roboratur assertum nostrum de veritate Paternitatis D. Iosephi absque generatione per considerationem modi quo Patres generatione sunt & dicuntur verè Patres.* 337
Cap. 13. *Roboratur iterùm assertum nostrum de veritate Paternitatis D. Iosephi absque generatione à Scripturâ in verbis Christi Præcursoris ex quibus ostenditur posse fieri quod quis sit Pater verè sine generatione.* 342
Sect. 1. *Refertur prima explicatio verborum D. Præcursoris & refutatur.* ibid.
Sect. 2. *Refertur secunda explicatio eorundem verborum & refutatur.* 344
Sect. 3. *Proponitur alia horum verborum explicatio & iterùm refutatur.* 346
Sect. 4. *Verus horum Divi Ioannis verborum sensus.* 347
Sect. 5. *Probatur hic sensus authoritate SS. Patrum.* 349
Sect. 6. *Probatur idem sensus authoritate aliorum Doctorum & Interpretum.* 351
Cap. 14. *Roboratur iterùm nostra sententia de hâc D. Iosephi Paternitate exemplo à rebus naturalibus petito.* 352
Cap. 15. *Amplius veritas hujus singularis Paternitatis examinatur & illustratur per illius ad alias Paternitates stricti juris comparationem.* 354

Sect. 1. *Comparatur cum Paternitate legali.* ibid.
Sect. 2. *Comparatur cum Paternitate carnali, mediatâ proximiori, Parentum scilicet Beatæ Virginis.* 355
Sect. 3. *Comparatur cum Paternitate naturali & carnali immediatâ.* 358
Cap. 16. *Sensus S. Augustini de hâc Divi Iosephi singulari Paternitate.* ibid.
Sect. 1. *Divus Iosephus verè Pater Iesu ex S. Augustino loco citato.* 359
Sect. 2. *Quàm verè Divus Ioseph Pater Christi ex eodem S. Augustino.* 360
Sect. 3. *Quantum Divus Iosephus Christi Pater ex S. Augustino citato?* 362
Cap. 17. *Pro sensu S. Augustini in locis præcitatis dimicatio.* 364
Cap. 18. *Recollectio huc usque dictorum de hâc Paternitate cum aliquâ novâ ratione pro mantissâ.* 368
Cap. 19. *Ex hoc totam habuit in Christum Patris authoritatem.* 371
Cap. 20. *Ex illâ authoritate sublimi Christum circumcidit eique nomen imposuit.* 376
Sect. 1. *A quo circumcisus Christus Dominus.* 377
Sect. 2. *A quo nomen Christo Domino impositum?* 383
Cap. 21. *Habuit Divus Iosephus pro Christo amorem paternum.* 389
Cap. 22. *Cura Divi Iosephi pro Christo Domino.* 392
Cap. 23. *Metus Divi Iosephi pro Christo Domino.* 399
Cap. 24. *Dolor Divi Iosephi pro Christo Domino.* 403
Cap. 25. *Fontes hujus amoris Paterni in Divo Iosepho.* 406

## TRACTATUS TERTIUS.

### Divi Josephi Sanctitas ex nonnullis ejus virtutibus.

Proëmium. 409
Cap. 1. *De profundissimâ Divi Iosephi Humilitate.* 410
Cap. 2. *De Divi Iosephi perfectissimâ Obedientiâ.* 416
Sect. 1. *Obedivit Divus Iosephus ut Homo Deo ut Authori naturæ.* 418
Sect. 2. *Obedivit Divus Iosephus ut Fidelis Deo ut Authori gratiæ.* 419
Sect. 3. *Summum hujus Obedientiæ Divi Iosephi argumentum.* 421
Sect. 4. *Obedivit Divus Iosephus hominibus in omnibus.* 425
Cap. 3. *De Paupertate D. Iosephi, rerumque terrenarum contemptu.* 427
Cap. 4. *De Castitate Divi Iosephi.* 435
Cap. 5. *Divi Iosephi summa mansuetudo, animi moderatio, Iustitia ac iterùm Castitas in resolutione ab eo captâ deferendi potiùs quàm traducendi uxorem inventam gravidam.* 451
Cap. 6. *Divi Iosephi ex hoc iterùm aliisq; Patientia, Animi fortitudo, & Æquanimitas.* 451
Cap. 7. *De Fide & Fiduciâ Divi Iosephi.* 457
Cap. 8. *De Divi Iosephi Silentio in quo consistit Iustitiæ cultus.* 462
Cap. 9. *De Divi Iosephi Contemplatione & Amore seu totali animæ ejus in Deum absorptione.* 465
Cap. 10. *Prosequitur materiam præcedentis capitis de Divi Iosephi Contemplatione & summo Amore.*

SYNOPSIS

## SYNOPSIS MAGNALIUM D. JOSEPHI

# PARS TERTIA.

## D. Josephus in Gloriâ omnium in vitâ & morte Proto-Patronus.

Proëmium. 477

### TRACTATUS PRIMUS.

De Gloriâ D. Josephi internâ & inhærente.

Proëmium. 478
Cap. 1. DE tempore Mortis D. Iosephi. ibid.
Sect. 1. Quando nam mortuus Divus Iosephus? an ante, an post Christum Filium suum? 479
Sect. 2. Quâ Ætate mortuus Divus Iosephus? 483
Cap. 2. Quomodò mortuus Divus Iosephus? 485
Cap. 3. De Sepulturâ Divi Iosephi. 487
Cap. 4. De Reliquiis Divi Iosephi. 490
Cap. 5. De Divi Iosephi Incorruptione, Resurrectione & Assumptione in Cœlum. 495
Cap. 6. De Divi Iosephi Gloriâ secundùm utrumque, ideſt secundùm corpus & animam. 500
Cap. 7. An Aureolæ Divo Iosepho tribuendæ. 506

### TRACTATUS SECUNDUS.

De Cultu seu Invocatione Divi Josephi.

Proëmium. 509
Cap. 1. QVid causæ eſt quod cùm Divus Iosephus ſit tantus, tamdiu tamen latuit, eique debitus ex meritorum culmine honos tam tardè delatus. ibid.
Cap. 2. Figuris etiam hic D. Iosephi præpoſterus cultus repræſentatus eſt. 512
Cap. 3. De Ortu Devotionis ſeu Cultus Divi Iosephi. 514
Sect. 1. Initium cultus privati Divi Iosephi. ibid.
Sect. 2. Initium cultus publici Divi Iosephi. 516
Cap. 4. Corollaria ex dictis. 520
Cap. 5. De progreſſu Devotionis Divi Iosephi. 522
Cap. 6. Incrementa hujus Devotionis potiora à Sanctiſsimâ & Seraphicâ Thereſiâ Carmeli Filiâ & Carmelitarum Sorore & Matre ampliſſimâ. 526
Cap. 7. De ſtatu Devotionis ſeu Cultus Divi Iosephi. 534
Sect. 1. De ſtatu præſenti Cultus Divi Iosephi ut eſt publicus. ibid.
Sect. 2. De ſtatu præſenti Cultus D. Iosephi ut eſt privatus & particularis. 539
Cap. 8. De modo illum colendi. 543

Sect. 1.

Sect. 1. *Quomodo D. Iosephus corde colendus?* 544
Sect. 2. *Quomodo D. Iosephus ore colendus?* 545
Sect. 3. *Quomodo D. Iosephus opere colendus.* 547
Sect. 4. *Sequuntur aliquot modi speciales quibus D. Iosephus poterit coli & honorari à suis clientibus.* 348
Cap. 9. *Motiva D. Iosephum præcipuo honore & devotione prosequendi.* 552
Sect. 1. *Motiva hoc modo honorandi D. Iosephum quæ se tenent ex parte Dei.* ibid.
Sect. 2. *Motiva hoc modo honorandi D. Iosephũ sumpta ex parte ipsius D. Iosephi.* 557
Sect. 3. *Motiva hoc modo D. Iosephum colendi sumpta ex parte nostri.* 558

## TRACTATUS TERTIUS TERTIÆ PARTIS ET ULTIMUS TOTIUS OPERIS.

### De Patrocinio Divi Josephi.

Cap. 1. *PAtrocinium D. Josephi omnium omnium potentissimum.* 363
Cap. 2. *Idem aliis fulcitur rationibus.* 566
Cap. 3. *Patrocinium D. Josephi omnium certissimum.* 569
Cap. 4. *Patrocinium D. Josephi omnium universalissimum.* 571
Cap. 5. *Patrocinium D Josephi in spiritualibus & signanter in conversione eorum qui erant in statu peccati.* 572
Sect. 1. *Patrocinium D. Josephi in conversione eorum qui erant in peccato mortali.* ibid.
Sect. 2. *Patrocinium D. Josephi in morte.* 576
Sect. 3. *Patrocinium D. Josephi contra morbos, seu infirmitates spirituales & tentationes.* 577
Cap. 6. *Patrocinium D. Josephi in conversione Infidelium & perfectione omnium.* 579
Sect. 1. *Patrocinium D Josephi in conversione Infidelium.* 580
Sect. 2. *Patrocinium D. Josephi pro virtutibus & perfectione omnium:* 581
Cap. 7. *Patrocinium D. Josephi contra corporales dæmonum infestationes.* 584
Cap. 8. *Patrocinium D. Josephi in sanatione Pleuritidis quæ fuit fons perennis aliarum.* 586
Cap. 9. *Patrocinium D. Josephi pro doloribus capitis.* 588
Cap. 10. *Divi Josephi interventu à præsentissimâ morte liberati.* 589
Cap. 11. *Divus Josephus salus naufragantium & iter agentium.* 590
Sect. 1. *D Josephus salus naufragantium.* ibid.
Sect. 2. *Divus Josephus salus iter agentium.* 592
Cap. 12. *Patrocinium D. Josephi in doloribus calculi.* 593
Cap. 13. *Patrocinium Divi Josephi contra pestem singularissimum.* 494
Cap. ultim. *Analecta seu Micæ aliorum ex omni genere Divi Iosephi miraculorum.* 596



# SYNOPSIS MAGNALIUM DIVI IOSEPHI

## PARS PRIMA.

## JOSEPH FILIUS DAVIDIS REGIS.

## TRACTATUS PRIMUS.

### DE PROLUDIIS AD TOTAM SYNOPSIM.

### PROLUDIUM I.

*Idæa totius Operis.*

I. HOC Opus de ſummis caſtiſsimi magnæ & incorruptiſſimæ Dei Matris Sponſi & Conjugis D. Joſephi Magnalibus & Prærogativis, citò cœptum, tardè abſolvo: tùm quia vires corporis, quod aggravat animum, non tantæ, ut non frequentiſſimè ſtudium & lectionem impedierint, tùm quia occupationes ex obedientiâ impoſitæ, tam aſſiduæ, ut non niſi horulas ſucciſivas, easque ſatis raras reliquerint, quas aliis adhuc occurrentibus & mihi ipſi ſuffuratus ſum, ut huic lucubrationi impenderem: tùm denique quia diu mecum ipſe deliberavi an illam publici juris facere deberem, an privato domeſticorum commodo reſervare & reſerare: nec credo me unquam ad illam evulgandam reſolviſſem, niſi ab amicis quàm plurimis de litteris optimè meritis, qui illius aliquot Tractatus perlegerant, rogatus; quorum inſtantiis aliquamdiu reluctatus, tandem acquieſcendum eſſe cenſui, & cenſuerunt domeſtici ipſi quibus illam reſervare conſtitueram.

II. Synopſim conficio, non Encyclopediam ſummorum D. Joſephi magnalium; non enim omnia hîc profero quæ de tanto Viro dicta ſunt, aut dici poſſunt: Invenientur multa ab aliis viris doctis dicta, eruntque me fortiores, & fœliciores alii, qui alia & meliora dicere poterunt, quod opto. In hoc tamen incubui, ut ex plurimis quæ apud Sanctos Patres & Sacræ Scripturæ Interpretes, aliosque Scriptores reperi, ſelectiora decerperem, quæ unà

cum illis quæ ego ipse ex eodem quo illi fonte, Sacro, inquam, Evangelio, depromere potui, coacervavi in commodum & utilitatem Concionatorum, & spiritualem devotorum hujus Sancti Clientum consolationem, quos enixissimè rogo, ut non ad eum per quem hæc eis traduntur attendant, sed ad datum ipsum, & ad fontes ipsos, ex quibus hausta sunt quæ hîc ipsis benevolentissimè propinantur.

III. Hanc materiam amplissimam in tres Partes distribuo: Partes singulas in tres quoque Tractatus subdivido; Tractatus denique in Capita, Capita quandoque in Sectiones ad distinctionem & clatitatem: non enim mihi fuit visum satis, si materiam multiplicem undequâque ex variis Scriptoribus collectam quasi in unum acervum & congeriem conjicerem, in quâ omnia confusa & sine ullo ordine permixta, ut labori meo cum lectorum meorum dispendio parcerem: sed omnia volui ut in ædificio suis locis collocata, omnia convenienti ordine disposita, & vinculo apto colligata, sibique invicem cohærentia, quia quod est forma in compositis naturalibus, hoc est ordo in libris & aliis arte factis, & ut illa istis, sic hic his confert venustatem, elegantiam & pulchritudinem.

IV. Primâ igitur Parte agemus de D. Josepho, ut est Filius Davidis Regis: ita vocatur ab Angelo Matthæi c. 1. v. 20. In Secundâ Parte de eo ut est Pater Jesu, ita vocatur tùm à Prophetis, tùm ab Evangelistis, tùm à Beatissimâ Deiparâ. In tertiâ Parte de eo ut est Proto-Patronus & Protector omnium: Talis hodie habetur ab omnibus Fidelibus. Prima Pars complectetur ea quæ de Sanctissimo Viro dici possunt, incipiendo ab ipsius æternâ prædestinatione, & prosequendo usque ad ejus nuptias cum eâdem Beatissimâ Deiparâ: & hæc ferè sunt illi communia cum aliis Sanctis. Dixi ferè, quia in plerisque, maximè verò quæ spectant gratias quas accepit isto intuitu quod futurus erat Pater Jesu-Christi Domini nostri, ut ad illam dignè disponeretur, ab illis differt quàm maximè.

V. Secunda Pars ea complectetur quæ de eodem Sanctissimo Viro ab ipsius cum Deiparente Virgine nuptiis usque ad mortem: Atque hic præcipuè elucescent, ac manifesta faciemus ipsius specialissima, maximè incomparabilem ipsius ad Christum Paternitatem, in quâ stat summa omnium Magnalium & Privilegiorum ejus, & cujus ratione ei Deus adjecit gratiarum & virtutum ornamenta, quæ tam præcelsæ conveniebant dignitati; idest talia ut illam dignè sicut par erat sustinere posset.

VI. Tertia & ultima Pars exhibebit nobis mortem ipsius in conspectu Domini pretiosissimam, Gloriam ejus supereminentem duplicem: Primam apud Deum quam essentialem vocamus, cum adjunctis: Secundam externam apud homines, quæ accidentalis est, necnon singulare ejus Patrocinium ejusque efficaciam.

VII. Primę Partis Tractatus primus, quem nunc desudamus, continet paucula quasi Proludia ad totam materiam, seu prodromos ad Synopsim totam: Secundus aget de illo ut est Filius David in esse naturali: Tertius de eodem secundùm esse supernaturale considerato, in quibus ea videbimus quibus dispositus est remotè, ac deinde quibus aptatus est proximè ad qualitates Sponsi Beatæ Deiparæ & Patris Jesu, de quibus Parte Secundâ duobus Tractatibus Prioribus.

VIII. In Secundâ Parte quæ omnium principalis est, & tres similiter continet Tractatus, considerabimus eum Tractatu primo ut Sponsum & Conjugem verum Virginis Dei-Parentis. In Secundo explicabimus Paternitatem ejus singularem & incomparabilem respectu Christi Domini. In Tertio agemus de gratiis quas accepit, & virtutibus quibus ad miraculum ornatus fuit ratione istorum duorum summorum Titulorum.

IX. Tertiæ Partis tribus quoque constantis Tractatibus, ut duæ præcedentes; Tractatus primus erit de Glorià ejus quâ in animâ & in corpore fruitur in cœlis apud Deum Filium suum: Secundus de ejus Glorià apud homines, honore, veneratione, cultu & invocatione. Tertius de ejus Intercessione seu Patrocinio ejusque incomparabili efficaciâ.

Porrò

X. Porrò in hoc Opere verbis utor obviis, & phrasi quantùm fieri potuit planâ ad captum omnium; ne apud me mei inveniant Lectores quod ego apud multos alios Scriptores reperi, duplicem laborem: unum ut verba intelligant, & propositiones construant: alterum ut rem seu materiam ipsam: *Melius enim* judicavi cum D. Augustino in Psal. 138. ad illa verba, Non est occultatum os meum à te, *ut nos reprehendant Grammatici, quàm non intelligant populi.*

XI. Nec aliter etiam si vellem potuissem, postquàm legi verba D. Prosperi Aquitanici lib. 3. de Vitâ Contempl. (si tamen est illius Author,) dicentis. *Prudentibus viris non placent phalerata, sed fortia:* Et certè nonne is qui phaleras quærit in dictione, videtur de merito causæ, quam tractat diffidere? ut proindè huic optimè aptari possit illud quo D. Ambrosius lib. 1. de Virgin. Mulierem fucos quærentem perstringit *Quæ*, inquit, *cupiens mutare quod nata est dum aliis studet placere, priùs sibi ipsi displicet.* Tùm deinde subdit. *Quem judicem veriorem ô Mulier! requiremus deformitatis tuæ, quam te ipsam, quæ videri times quod es? si pulchra es quid absconderis? nec tuæ, nec alienæ conscientiæ gratiam habitura.*

XII. His addo quod in phaleratis & elegantiâ plus est ostentationis & propriæ complacentiæ, quàm solliditatis, fructus, & ædificationis.

XIII. Tandem vitam hîc & virtutes illius describo cui simplicitas maximè placuit; ergò stylus & verba quibus illa explicantur, aut simplicitatem redoleant, aut saltem ab eâ non multùm recedant.

## PROLUDIUM II.

### *Consilium seu Motivum & Finis Operis.*

I. MOTIVUM seu ratio cur in hoc potiùs Opus quàm in aliud tantillum otii mei, & tam modicum facultatis meæ contulerim, duplex fuit: primum quia constat per matrimonii vinculum, quod est divinum, non animos tantùm & corpora conjugum uniri, seu quasi unum fieri, sed etiam mediante istâ unione inter ipsos fieri omnium rerum & bonorum communicationem tantam, ut quod est mariti fiat uxoris, & è converso: Quare cùm Carmelus, ut omnibus notum est, totus sit Mariæ, sit, inquam, speciale ejus peculium, & ut ita loquar primum ejus feudum: *Datus est enim ei Decor Carmeli.* Isaïæ cap. 35. Hincque illa sit Ordinis istius singularissima Patrona, ut etiam pronunciavit Romæ 29. Junii 1670. Sacra Rituum Congregatio in Concessione factâ eidem Ordini recitandi Officium Beatæ Virginis quâlibet hebdomadâ omni tempore, etiam in Quadragesimâ, non tantùm in die Sabbathi, sed etiam quando Sabbathum erit impeditum, in feriâ illi proximiori: sequitur omninò quod eodem modo idem Ordo Marianus pertineat ad D. Josephum; consequenter quod ipse sit etiam illius singularissimus Patronus, etiam seclusâ electione illâ quam fecit de illo idem Ordo; quandoquidem certum sit, nullo jam abnuente, ipsum fuisse verè Mariæ Sponsum, seu Maritum: Quare & dictus Ordo, & singulæ illius personæ ipsius sunt, ipsiusque ut & Sponsæ ejus honorem præ omnibus zelare debent, & Deo dante facient.

Secundum Motivum de hâc potiùs materiâ scribendi quàm de aliâ; sumpsi à beneficiis quæ à Deo per ipsum tùm in corpore tùm in animâ accepi, ut ea etiam exteriori aliquâ professione recognoscam pro modulo meo: quo etiam motivo Sancta ac Seraphica nostra Theresia magna illa Heroïna novæ Congregationis in Ordine nostro (à quo nunquam dum vixit separari voluit) Mater & Primipyla, ejus cultum, quem in eodem antiquo suo Ordine vigentem suxerat, propagandum suscepit, suæque Congregationis alumnis maximoperè commendavit; quod illi adeò fœliciter successit, ut ad hoc à Deo fuisse electam evidenter appareat, nec ullus nisi invidus inficias ibit. II.

Finis ob quem de hoc Sanctissimo Patriarchâ scribere statui, fuit etiam duplex. Primus ut velificarer devotioni populorum erga eum ubique gentium in dies crescenti, ac præcipuè III.

in hâc ampliſſimâ ac religioſiſſimâ Diœcœſi noſtrâ Leodienſi in quâ Sereniſſimus Epiſcopus & Princeps noſter Maximilianus Henricus Bavarus ipſum de Per-Illuſtris Capituli ſui Cathedralis Conſilio pariter & aſſenſu, dictæ Diœceſis & Patriæ Patronum apud Deum elegit, aſſumpſit, & declaravit: idque exemplo Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi, qui idem de nutu Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis Papæ X. priùs pro toto Imperio fecerat: Cujus electionis per Edictum ſpeciale ac publicum tenor ſequitur & talis eſt.

IV. *MAXIMILIANVS HENRICVS Dei gratiâ Archiepiſcopus Colonienſis, Sacri Romani Imperii Princeps Elector, per Italiam Archicancellarius, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus natus, Epiſcopus ac Princeps Leodienſis & Hildeſienſis, Adminiſtrator Bergteſgadenſis, utriuſq; Bavariæ, Superioris Palatinatus, Weſtphaliæ, Angariæ, & Bullonii Dux, Comes Palatinus Rheni, Landtgravius Leuchtenbergenſis, Marchio Franchimontenſis, Comes Loſſenſis, & Hornenſis, &c.* Univerſis & ſingulis noſtras litteras viſuris, lecturis, ſeu legi audituris, Salutem in Domino ſempiternam. Cùm dudum pro toto Romano Imperio apud Divinam Majeſtatem adoptatam habeamus Patronam immaculatè conceptam B. V. Matrem Dei Mariam, quid ni pro majore Divinæ gratiæ ſubſidio ipſum jam etiam in Patronum advocamus Beatiſſimum Patriarcham Joſephum Conjugem Sanctiſſimæ Matris, & Filii ſui Patrem? Cùm illum iſto prorſus nomine B. V. Maria coram Filio appellet, *Fili quid feciſti nobis ſic? ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*: ac ut ait D. Auguſtinus, *Omne bonum nuptiale impletum ſit in illis Parentibus; Proles, Fides, Sacramentum: Prolem agnovimus Dominum IESVM-Chriſtum: Fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium: Gaude ergò Joſeph*, inquit D. Auguſtinus, *quia per meritum Virgnis ita ſeparatus es à concubitu uxoris ut Pater dicaris Salvatoris.* Quæ omninò conſideratio permovit Sacram Cæſaream Majeſtatem Auguſtiſſimum Imperatorem noſtrum Leopoldum, ut anno proximè ſuperiore à Sanctiſſimo Domino noſtro Papa Clemente X. peteret, impetraretque pro hæreditariis ſuis Regnis & Provinciis ſpecialem in cœlis Advocatum ac Patronum Sanctiſſimum hunc Patriarcham Joſephum. Quod pientiſſimum votum cùm Sacra Sua Cæſarea Majeſtas non ita dudum nobis clementiſſimè aperuerit, cum intimo deſiderio, ut pro univerſali Sacri Romani Imperii fœlicitate, ſpiritualique ſimul ac temporali incremento in nobis à Deo commiſsis Archi & Diœceſibus, Eccleſiisq; idem fieret, tam noſtrâ propriâ ſponte & devotione, quâ eundem Patriarcham in Patronum Reſidentiæ noſtræ Bonnenſis jam dudum elegimus; quàm ex officii noſtri debito tanto Auguſtiſſimi Imperatoris incitamento deeſſe, neque potuimus, neque debuimus. Itaq; de Per-Illuſtris Capituli noſtri Cathedralis cõſilio pariter & aſſenſu, Sanctiſſimum Patriarcham Joſephum per Civitatem & Diœceſim hanc noſtram Leodienſem in ſingularem Patronum aſſumendum, & colendum eſſe decrevimus, prout aſſumimus & coli præcipimus, ac demandamus per præſentes, eâ prorſus in Domino fiduciâ futurum, ut dum illi nos devotiſsimos profitemur, ſentiamus impoſterùm præſidio ac patrocinio illius in animi ac corporis temporalibus æterniſque bonis, publicisque ac privatis negotiis talem directionem, qualem ſperare oportet à tanto Cœli Cive, Dei-paræ Viro, ac Dei Patre: ea propter omnes & ſingulos Prælatos, Decanos, ac utriuſque ſexus Superiores requirimus; Decanis verò Ruralibus, Paſtoribus, Verbi Divini Preconibus, aliiſque curam animarum quomodolibet gerentibus mandamus, ut enixam hanc noſtræ devotionis declarationem, publicè & ex Ambone fideli populo publicent, & in concione Sanctiſſimi hujus Patroni cultum ac venerationem quam poterunt ferventiſsimè commendent, quas in fidem manu noſtrâ ſignatas ſigilli noſtri ſub-impreſſione communiri juſsimus. Datas in Civitate noſtrâ Coloniæ 27. Februarii 1676.

V. Quæ aſſumptio & electio in Patronum, ut eſſet celebrior, Feſtum ejuſdem Sanctiſsimi Patroni, poſt viginti dies à datâ præallatarum litterarum futurum, præcipuo ac ſolemniſsimo ritu

in

in Ecclesiâ nostrâ dictæ Civitatis Leodiensis, totius Patriæ ac Diœcesis Metropolis, me ibi tunc Priorem agente, fieri ac celebrari demandavit idem Serenissimus Princeps: quod & fideliter ac reverenter executum, ut patet ex litteris amplissimis ejusdem Serenissimi Principis datis 31. Julii anni 1676. Quarum quoque tenorem hîc de verbo ad verbum referre non erit extra propositum nostrum, cùm exinde possint exstimulari alii Principes & Episcopi ad simile præstandum in suis Ditionibus & Diœcesibus, quod Imperator & Episcopus noster fecerunt respectivè in suis. Tenor ergò harum secundarum litterarum est.

VI. *MAXIMILIANVS HENRICVS Dei gratiâ Archiepiscopus Coloniensis, Episcopus & Princeps Leodiensis, &c.* Universis & singulis nostras litteras visuris, lecturis, seu legi audituris; Salutem in Domino. Commissa quæ nobis incumbit gregis Dominici pascendi cura exigit, ut ad ea quæ per nos aut Prædecessores nostros ad divini cultus augmentum, Sanctorum in cœlis regnantium honorem, & animarum salutem, sanctè & piè stabilita sunt, quo firmius subsistant, ordinariæ authoritatis nostræ robur denuò adjiciamus, aliaque desuper statuamus, quæ ex æquo & bono conducere in Domino arbitramur. Aliàs quidem per speciale Edictum nostrum, accedente etiam Venerabilis Capituli nostri consensu Sanctissimum Patriarcham Josephum Jesu-Christi Domini nostri Tutorem ac Nutritium, necnon Deiparæ Virginis Mariæ Sponsum, Civitatis ac totius Patriæ & Diœcesis Leodiensis Patronum assumpsimus, & Protectorem declaravimus, atque ut ejusmodi electionis nostræ ratio ad omnium notitiam perveniret, ejusdem electionis & assumptionis festum præcipuo ac solemnissimo quo fieri potuisset ritu in Ecclesiâ dilectorum nobis in Christo Filiorum Patrum Carmelitarum Reformatorum in Insulâ dictæ Civitatis nostræ Leodiensis fieri ac celebrari demandavimus, ubi & unam piam & devotam Confraternitatem sub invocatione dicti Sanctissimi Patriarchæ per speciales litteras sub datâ 10. Octobris anni 1675. canonicè in perpetuum erexim & instituimus. Cujus quidem erectio (sicut accepimus) singulari fidelium devotione & applausu die Festo S. Josephi proximè præterito & per octavam celebrata fuit. Nunc verò exposito nobis pro parte tam Venerabilis sincerè & devotè nobis dilecti Godefridi Udalrici Baronis de Lamergelle Cathedralis Ecclesiæ nostræ Leodiensis Canonici, & Jacobi de Hodeige S. Pauli Canonici & Cantoris, necnon Petri Aloysii de Sluze Toparchæ in Bihain, & Godefridi de Walschart J. U. Licentiati, dictæ Confraternitatis Præfectorum, quàm Prioris & Conventus Patrum Carmelitarum, quod juxta facultatem per Breve S.mi Dñi N. Clementis PP. X. nobis commissam, & à nobis per litteras nostras dictis exponentibus deputatam pro die solemni perpetuo dictæ Confraternitatis (ultra Festum Generale S. Josephi) determinarint Dominicam primâ Septembris, ejusmodi verò determinationem ab ipsis sic de nutu nostro factam à nobis approbari desiderent, ideòque nobis humiliter supplicari fecerunt quatenùs eam authoritatis nostræ robore firmare, & aliàs ut infra benignè indulgere dignaremur. Nos ad augendam Fidelium erga Sanctum Patronum & Protectorem devotionem, & dictæ Confraternitatis incrementum, ejusmodi supplicationibus benignè inclinati, dictam Confraternitatem à nobis sic (ut præfertur) erectam & institutam, ejusque Regulas & Instituta denuò approbamus, dictam determinationem Festi Confraternitatis ad Dominicam primam Septembris ratam habemus, & in quantùm opus est, de novo determinamus, eamque sic determinatam, unà cum Indulgentiis à Sede Apostolicâ concessis, publicari, ac tam dictâ Dominicâ primâ Septembris, quàm etiam die Festo generali S. Josephi solemnem & publicam per Civitatem Processionem cum delatione Venerabilis Sacramenti & Imaginis dicti Sancti (eisdem ritu & formâ quibus ab antiquo dicti Patres in Festo Commemorationis Solemnis B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo de nostris licentiâ & authoritate facere solent) instituti, & futuris temporibus

quot annis repeti posse permittimus & indulgemus : Atque semel quot annis repeti posse permittimus & indulgemus? Atque ut semel quotannis Orationem quadraginta Horarum solemniter instituere, ac celebrare (tempore magis commodo à dictâ Confraternitane eligendo) possint, concedimus. Præterea dictam Confraternitatem specialibus favoribus & privilegiis prosequi volentes; eam, omnesque & singulos ejus Confratres ac Consorores tam hactenus descriptos, quàm in posterùm describendos, in specialem protectionem nostram suscipimus, & in Domino amplectimur : ac intentionis nostræ esse ac posthac semper fore declaramus, quod nulla alia similis Confraternitas sub Invocatione S. Josephi imposterùm in Civitate nostrâ Leodiensi erigatur, vel ullo modo instituatur, nisi de speciali nostrâ & expressâ facultate, sublatâ ad id quacumque aliter cuilibet cujuscumque dignitatis & officii concessâ, delegatâ seu demandatâ potestate. Demùm ad augendam Fidelium religionem omnibus Christi-fidelibus verè pœnitentibus, ac Sacrâ Communione refectis, qui Ecclesiam seu Capellam, vel Altare dictæ Confraternitatis in ejusdem Festis, & per eorum octavas, & generaliter quâcumque Feriâ quartâ cujuslibet hebdomadæ per annum visitaverint, & ibidem pro ordinariis Ecclesiæ necessitatibus pias ad Deum preces effuderint, singulis vicibus Quadraginta dierum Indulgentias in formâ Ecclesiæ consuetâ impertimur & in Domino concedimus per præsentes. Quas in fidem manu nostrâ signatas sigillo nostro jussimus communiri. Datum in Civitate nostrâ Coloniæ 31. Julii 1676.

VII. Hâc ergò devotione ita in dies, & quidem apud nos, nova semper incrementa capiente, sensi me animari, ut hâc Scriptione meâ parùm olei in istiusmodi ignem injicerem, ut magis accendatur, magisque semper ardeat: ita faxit Deus.

VIII. Secundus finis de hoc Sanctissimo Patriarchâ scribendi est, ut eundem ignem in illorum cordibus, qui necdum ei ita affecti sunt (si tamen sint adhuc aliqui tales) excitem, ut scilicet perspicientes ex dicendis in decursu hujus Operis hujus Sanctissimi Viri præclaram dignitatem, Titulos summos, Gratiam illis commensuratam, Virtutes plusquam Angelicas, Sanctitatem supereminentem, Gloriam singularissimam, Authoritatem quâ apud Deum pollet incomparabilem, Amorem & Affectum in suos Clientes & Devotos tenerrimum & promptissimum, Intercessionum ejus apud Deum energiam potentissimam & efficacissimam, Devotionem omnium gentium erga ipsum, illorum maximè quos sequi non pigeat, ideò à sanctitate & doctrinâ insignium incensissimam, exstimulentur, ut illius cultui cum aliis se devoveant & addicant, simul cum illis ejus Patrocinium, Tutelam & Protectionem ambiant, & exquirant, certissimèque & ipsi idem quod omnes alii experiantur, ipsius Adjutorium & Intercessionem in omni necessitate quæcumque illa sit, nulli cujusvis Sancti (si solam ejus Sponsam exceperis) cedere, immò in multis excedere : ut sicut Jesus, Maria, Joseph fuerunt in terris, suntque in cœlis individui, ita sint in devotione, corde & amoribus nostris.

## PROLUDIUM III.

### *Fons omnium Laudum & Encomiorum D. Josephi, Sacrum Evangelium.*

MAgnorum laudes Virorum vel dicendo, vel scribendo ad placitum audientium vel legentium effetre non parva res est; quare Oratores Panegyrim semper ut nautæ syrtes, vel scopulos timuerunt, utpote ad quam etiam insignes Viri, qui in omni alio dicendi genere famam sibi aliquam comparasse potuerant sæpissimè naufragium fecerint. I.

Hujus ratio difficultatis est invidia, quæ in hunc mundum unà cum miseria ingressa nos excœcat : quo fit ut quemadmodum oculos aliorum meritis clausos, ita aures eorum laudibus habeamus obstructas, & cùm simus infirmi, miseri, gloriæ tamen non minùs quàm pecuniæ avidi & avari, in aliis II.

dolemus

dolemus inveniri, quod in nobis ſcimus deſiderari, arbitramurque illorum laudibus noſtræ gloriæ umbram fieri, vel etiam detrahi.

III. Sed hæc ratio non habet locum quando agitur de Sanctis cum Deo in Cœlo regnantibus: cùm enim illorum apud nos magna ſit opinio & æſtimatio; Pietas & Religio approbat pro his eloquentiam, ratione ſuadente Heroes illos qui cum Deo regnant in cœlis eſſe omnibus humanis laudibus majores.

IV. Non ideò tamen horum cœli Procerum minùs quàm illorum laus difficilis: immò ex aliis capitibus longè difficilior: nam cùm nemo nō ſciat Sanctos ſuperaſſe vitia, domuiſſe paſſiones, voluptates fugiſſe, viciſſe dæmones, & propterea ex hoc mundo in cœlum tranſlatos cum Deo regnare; laudes ſi quas pro illis expectant, non expectant niſi extraordinarias: Cumque in illis omne quod humanum eſt & fragile per divinam eorum Apotheoſim ſit abſumptum, arbitrantur meritò illos à nobis debere tractari potiùs ut Deos, quàm ut homines, cùm etiam *Divi* vocitentur, quaſi parvi Dii.

V. Accedit quod pars maxima Sanctorum ſæculis vixerint à noſtro diſſitis, ut proindè memoria per illos geſtorum interierit: quod ipſi ſollicitudine permaximâ oculos fugerint humanos, ſoliſque Deo, qui videt in abſcondito placere ſtuduerint: quod gratia, quę eorum facit merita, in cordibus eorum per Spiritum Sanctum, qui datus eſt eis diffuſa, ibi etiam ut plurimùm operata ſit, nec ſemper foras eruperit: *Omnis enim gloria filiæ Regis ab intus.* Pſalm. 44. v. 15. & Sancti, ut Deus *parte ſui meliore latent.* Sunt denique Stellæ myſticæ de quibus Propheta Baruch c. 3. v. 35. *Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt, vocatæ ſunt, & dixerunt adſumus, & luxerunt ei cum jucunditate qui fecit illas.*

VI. Tandem ſi de æternâ illâ gloriâ quâ perfruuntur in cœlis dicendum, *Cùm nec oculus unquam viderit, nec auris audierit, nec in cor hominis aſcenderit quæ præparavit Deus iis qui diligunt Dominum.* 1. Corinth. c. 2. Quis illorum gloriam ut par eſt, quis gradus & differentias illius explicare poterit? Ergò laus Sanctorum difficilis: Atqui Opus quod hîc aggredior, de hoc genere eſt. Eſt, inquam, Panegyris unius è Sanctis, Divi ſcilicet Joſephi, in quo omnia illa ſimul concurrunt à quibus diximus Panegyrim Sanctorum evadere difficilē. Nam & vixit ſæculo multis à noſtro diſſito, & pauca de illo tunc ſcripta ad manus noſtras pervenerunt: De ni ueſivè in gratiâ, ſivè in gloriâ conſideretur, ſemper *parte ſui meliore latuit*, abſcondi ſemper ambivit; res ergò difficilis & ardua.

VII. Sed hic totu labor ab aliis ſtrenuè deſudatus eſt. His quippè temporibus poſtremis ſcripſerunt de miris & ſummis Magnalibus ejus innumeri à doctrinâ, à dignitate, à ſanctitate cōſpicui: ſcripſerunt ſacri Interpretes, ſcripſerunt Theologi, ſcripſerūt Eccleſiaſtes, ſcripſerunt ante eos SS. Patres, quàm ergò certa laus quæ à tot tantorumque proficiſcitur ore virorum? Si verè dixit Romanæ Princeps Eloquentiæ Marcus Tullius Cicero, ut verè dixiſſe nullus inficiabit, quod *ea profectò præclara laus ſit, quæ ab ipſis proficiſcitur, qui ſemper ipſi cum laude vixerunt.* Certè tot ac tantis *Principibus placuiſſe viris non infima laus eſt* Divi Joſephi.

VIII. Verùm ſi tanta ejus laus quod tot tantorumque virorum ore & calamo celebratus ſit: nonne ea prima erit ac palmaris quod tantus inventus ſit, ut à Deo ipſo, in quem nec deceptio, nec fraus, nec adulatio, nec ulla animi perturbatio, ſeu paſſio cadere poteſt, laudari, ut ipſius Magnalia ipſo Dei digito deſcribi & meruerint & debuerint?

IX. Hic eſt fons verus & primarius omnium laudum D. Joſephi: Nam licet ex mox aſſertis illius Encomiaſtibus qui de illo ſcripſerunt alii ex aliis, hi & illi ex Patribus Sanctis quæcumque ferè de illo tam magnificè protulerunt, omnia decerpſerint; Patres tamen Sancti ex Evangelio, tanquam ex fonte primario illa quæ alii ab aliis & hi ab illis, hauſiſſe dignoſcuntur. Quid purius ergò, quid certius, quid ſolidius illis laudibus quæ ex tam puro & certo fonte, ex tam pretioſâ venâ ſunt depromptæ.

X. Sed mirantur multi nec ſine aliquâ cauſâ apparenti quod cùm tanta ſint D. Joſephi ut & lectiſſimæ ac ſacratiſſimæ ejus Sponſæ ac Conjugis Mariæ Deiparæ

Deiparæ decora, qualia nullorum aliorum Sanctorum, tam pauca tamen de utroque; illo & ipsâ divinum dixerit Evangelium. Verum vetus est ex Senecâ Philosopho Parœmia. *Magni artificis esse totum clausisse in exiguo.* Et teste Plinio in proëmio lib. 37. Natural. Histor. *Ipsa etiam naturæ majestas in arctum coacta rerum, nulla sui parte mirabilior.*

XI. *Deus ipse*, inquit Augustissimus Augustinus epist. 3. quæ est ad Volusianum, *non mole magnus est, sed virtute: qui providentiâ suâ meliorem sensum magis formiculis dedit & apiculis, quàm asinis & camelis! qui è grano minutissimo ficulneæ arboris magnitudinem creat, cùm ex multò majoribus seminibus longè minora multa nascantur. Qui pupillam tam parvam ditavit acie, quâ per oculos emicante, in ictu temporis cœlum propè dimidium lustraret: qui ex puncto & quasi centro cerebri sensus omnes quinariâ distributione diffudit: Qui corde membro tam exiguo vitalem motum per corporis cuncta dispensat, his atque hujusmodi rebus insinuans magna de minimis, qui non est parvus in parvis.*

XII. Mirari itaque desinet quod tam pauca de D. Josepho divinum dicat Evangelium, qui pauca illa penitiùs inspexerit, profundiusque perscrutabitur; quia in illis paucis maxima inveniet comprehendi ac eximia, prorsusque talia, quæ nec multis explicari possint: homo enim ut laudet multis eget verbis, Deus verbo absolvit.

XIII. Sanctorum revolve scripta Evangelistarum quid de D. Josepho in illis reperies? Quod fuerit Vir Mariæ de quâ natus est Jesus qui vocatur Christus, Matth. c. 1. v. 16. Quod cùm Maria illi desponsata inventa esset habens in utero, antequam convenirent, & ipse esset Justus, noluerit eam traducere, sed cogitaverit occultè dimittere eam. Matth. c. 1. v. 18. & 19. Quod hæc eo cogitante apparuit ei Angelus in somnis dicens Joseph Fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, &c. simulque ei idem Angelus demandarit ut Filium quem ejus Uxor paritura erat vocaret Jesum, quia ipse salvum facturus erat populum suum à peccatis eorum. Ibidem v. 20. & 21. Quod exurgens à somno fecerit sicut præceperat ei Angelus. Ibidē v. 24. Quod ascenderit in Bethleem ut ibi profiteretur cum Maria sibi desponsatâ uxorè pregnante. Luc. cap. 2. v. 4. & 5. Quod induxerit puerum Jesum in templum impletis purificationis diebus ut faceret secundùm consuetudinem legis pro eo, obtuleritque non agnum, sed par turturum aut duos pullas columbarum. Luc. cap. 2. vers. 22. 23. 24. Quod mirabatur cum Maria de his quæ dicebantur de puero. Luc. c. 2. v. 33. Quod illi & Mariæ benedixerit Simeon Senex, ibidem. Quod monitus ab Angelo in somnis, ut acciperet Puerum & Matrem ejus & fugeret in Ægyptum, quia futurum erat, ut Herodes quæreret Puerum ad perdendum eum, & postea defuncto Herode ut indè rediret in terram Israël, utraque vice consurgens fecerit sicut præceperat ei Angelus, Matth. cap. 2. v. 13. 14. 19. 20. & 21. Quod audito quod Archilaus regnaret in Judæâ pro Herode patre timuerit eò ire: Quodque monitus in somnis fecesserit in partes Galileæ, ibid. vers. 22. Quod ibat per singulos annos cum Mariâ uxore suâ in Jerusalem in die solemni Paschæ. Et cùm factus esset Jesus annorum duodecim ascendentibus illis Jerosolymam secundùm consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cùm redirent, ibi remanserit Puer Jesus, perditumque cum dolore requisierit & invenerit sedentem in medio Doctorum interrogantem eos, Luc. cap. 2. vers. 41. 42. 43. & 46. Quod descendens cum eo Christus in Nazareth, erat subditus illi, ibidem vers. 51. Præter hæc vix quidquam aliud de eo habent nostri Evangelistæ.

XIV. Quàm pauca ista? quàm modica in specie? sed in illis paucis quanta, quàm magna magnarum gratiarum, virtutum & prerogativarum ejus deprehendimus vestigia? Certè talia qualia de Sanctis aliis nec in magnis reperiuntur voluminibus & fastis. Et hoc evidenter patet in tot & tantis quæ ex illis SS. Patres, Interpretes, Doctores congesserunt, Concionatores etiam ex Ambone ad ejus gloriam & commendationem protulerunt, patebitque ex illis quæ per totum hoc Opus dicturi sumus: quibus tamē longè plura non dubito ab aliis nobis fortioribus adjicienda, cùm immensa sint illa quæ sub horum cortice reconduntur.

Quod

XV. Quod ergò de Claudiani ſtylo graviſſimus dixit Sidonius Apollinaris lib. 4. epiſt. 3. Potiori ego jure de noſtrorum dictione Evangeliſtarum, & maximè in propoſito noſtro uſurpare poſſum. *Tota illa dictio ſic ſuccincta quod profluens: rebus ampla, ſtricta ſententiis; quæ plus docet quàm dicit, quæ paucis verbis multa cohibet: cui curæ fuit cauſam potiùs implere quàm paginam.*

XVI. Quare ſi mirata ſunt tempora noſtra (antiqua taceo) Helvetum illum qui Lugduni Ludovico XIII. Galliarum & Navarræ Regi Chriſtianiſſimo Rhedam obtulit quatuor equis accuratiſſimè inſtructam tantâ exilitate, ut totum opus unius unguis non excederet magnitudinem. Si Capocium Senenſem Pictorem qui totam Chriſti patientis hiſtoriam, res, actus, perſonas in ſuis unguibus eſt diſtinctiſſimè emenſus, apud Majol. Canic. Memoral. collat. 25. Si Franciſcum Alumnum Scriptorem qui Symbolum Apoſtolorum & Divi Joannis Evangelium in unius orbiculo denarioli elegantiſſimè deſcripſit; quantò magis mirari debemus Sacros Evangeliſtas qui tam multa D. Joſephi decora verbis & lineis cõplexi ſunt tam paucis.

XVII. Cùm itaque tot & tanta Sacri Interpretes, Theologi præſtantiſſimi, Encomiaſtes Primarii, & Patres Sancti, de D. Joſephi magnalibus, & tam magnificè protulerint. Apiculas imitabor quæ ex optimis quibuſque floribus ſuccum meliorem colligunt, ex quibus operâ ſua conficiunt, quæ in alvearibus diſponunt in ordinem: ita ego ex iis quæ ab iſtis prolata fuerunt, potiora ſeligam in hoc Opus, ſuis quoque locis reponenda.

XVIII. Sed cùm hæc quæ à dictis Scriptoribus prolata fuerunt omnia ex Scripturâ, maximè verò ex ſacro Evangelio inveniantur eruta: ſitque idem ipſum Evangelium licet verbis tam arctum, ſenſu tamen tam fœcundum, ut plura ſemper & plura ex eo depromi poſſint, & de facto in dies depromantur ad ejus laudem: Effoſſores etiam imitabor & Aurifabros, primos quidem qui in fodinas ipſas deſcendunt, indeque metalla educunt, in quibus poſtea Aurifabri laborant & ex illis ſtatuas ſuas conficiunt: ita ego quoq; conabor ex ipſis ſacræ Scripturæ fodinis, maximè verò ex Evangeliis, nonnulla ipſe effodere, quæ in Opus meum proferam cum illis quæ ab aliis effoſſa, eaque elaborabo pro poſſe meo, nec verebor exiguitatem meam, hâc cogitatione animatus, quod ſcilicet hujus Beatiſſimi Viri merita ſint auro vel adamantibus, lapidibusque pretioſis ſimilia, quæ cùm ſeipſis ſatis ſplendeant, manu rudioris & impoliti artificis pertractata & in opus adducta, non amittunt ſuum ſplendorem, pretium aut juſtum valorem. Cedat utinam hic meus conatus ex voto meo ad gloriam Dei omnipotentis qui in Sanctis ſuis glorioſus eſt majorem, & hujus Beatiſſimi Patris JESU cultum ampliorem.

## PROLUDIUM IV.

### *Fons Magnalium omnium Divi Joſephi, Prædeſtinatio ejus.*

I. AFonte laudum & encomiorum D. Joſephi Patriarchæ glorioſiſſimi, qui eſt ipſum Dei verbum, ut vidimus Cap te præcedenti, recto ordine ac immediatè progredimur ad fontem magnorum ejus magnalium, quem nullus dubitat fuiſſe æternam ejus ac ſingulariſimam Prędeſtinationem, de quâ hîc.

II. Nomen porrò Prędeſtinationis communiter acceptum, ſignificat actum illum divinæ voluntatis, quo Deus abſolutè & efficaciter ſtatuit homini æternam conferre beatitudinem, ſive illa voluntas ſit ante, ſive poſt prævisa illius merita: quâ de re Theologi Antiqui in lib. 1. Sentent. & Recentiores in 1. part. D. Thomæ, in quibus vide ex noſtris Gregorium Sebenicum in novâ Concord. Prędeſtinat. cum libertate.

III. Sed licet hanc Deus habuerit voluntatem circa D. Joſephum, hæc tamen voluntas non eſt propriè Prædeſtinatio ipſius: nam cùm hæc in D. Joſepho ſingulariſima fuerit, & accedat ad prædeſtinationem Mariæ lectiſimæ Conjugis ſuæ, & Chriſti Filii ſui dilectiſimi, habet procul dubio aliquid aliud rarius & præſtantius, propeque

accedens ad prædestinationem utriusque Conjugis inquam & Filii sui.

IV. Quare ut Christus dicitur prædestinatus, & Caput prædestinatorum, ex hoc præcisè quod ipsius humanitas sacra inter omnes electa fuit ab æterno, ut uniretur Verbo Divino in unitatem suppositi; quia ex vi istius singularis electionis, debita fuit ei gratia & gloria istiunioni commensurata: & quemadmodum Beata Deipara dicitur prædestinata ex hoc quod ab æterno electa sit ut esset Mater ejusdem Verbi Incarnati, quia similiter ex vi istius electionis specialis accepit gratiam & gloriam isti electioni & Maternitati debitam ac proportionatam: ita dico electionem illam quâ Deus ab æterno ita specialiter Divum elegit Josephum ut esset Pater ejusdem Verbi Incarnati, & consequenter Deiparæ Sponsus & Conjux; esse ipsius prædestinationem, & consequenter ex vi istius electionis specialis accepisse gratiam & gloriam tantæ dignitati congruentem.

V. Hanc porrò prædestinationem sic explicatam eruo ex illis pauculis verbis quæ habentur Matth. cap. 1. vers. 16. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ de quâ natus est* Jesus, *qui vocatur Christus.* Quæ inter pauca illa quæ de ipso Sacrum protulit Evangelium, potiora semper ab omnibus existimata fuerunt, & sola sufficere ad cumulum laudum D. Josephi ut & lectissimæ ejus Sponsæ: & meritò quidē in illis quippe qui hactenus à quibuscumque ejus Encomiastibus ad ipsius laudem cōgesta sunt, velut in compendio continentur: Nec quæcunque de illo unquam dici vel excogitari poterunt, quantacunque illa fuerint, talia esse poterunt, ut quod verbis illis, *Ioseph vir Mariæ de qua natus est* Jesus, significatur & importatur, ullatenus adæquare valeant. Cujus proinde prædestinationis ut & omnium gratiarum, privilegiorum ac prærogativarum ei à Deo collatarum, quæ ex illâ eâdem prædestinatione tanquam ex copioso fonte in ipsum uberrimè profluxerunt, non alia mensura est, quàm ipse Jesus, cujus hoc loco insinuatur Pater, & Maria, cujus asseritur Vir. Nucleum igitur istum frangamus.

Albertus Magnus ex celeberrimo Ordine Prædicatorum Angelici Doctoris D. Thomæ Præceptor, & ex illo noster Sylveira tom. 1. in Apocal. c. 11. v. 3. quæst. 11. n. 8. de Beatæ Virginis Deiparæ excelsâ differens magnitudine, graviter ponderat quod Deus antequam omnes viros magnos, quorum fit mentio in Sacrâ Scripturâ, ad magnas eveheret dignitates, magna prius ac præclara in illis referat merita, ut inde omnibus fieret evidens, quàm aptè & convenienter erant ab eo in istâ dignitate, officio & munere cōstituti. Hoc modo antequam Noë constituatur veluti secundus proto-parens, & novum extincti penè generis humani seminarium, dicitur de illo Genes. cap. 6. vers. 8. *Noë vir justus atque perfectus erat in generationibus suis.* Sic etiam Abraham antequam electus dicatur, ut in semine ejus benedicerentur omnes gentes, Genes. cap. 22. vers. 18. priùs tentatur à Deo, Vers. 1. 2. & 3. ei præcipiente ut tolleret filium suum unigenitum quem diligebat Isaac, & iret in terram visionis, atque ibi offerret illum in holocaustum super unum montium, quem monstraturus erat ei: in quo nihil cunctatus obedivit Deo: & ante adhuc Genes. c. 12. v. 1. probaverat eum præcipiens ei ut exiret de terrâ suâ & de cognatione suâ. VI.

Ita quoque Joseph ex duodecim Patriarchis unus antequam ad Principatum sublimaretur Ægypti, Genes. cap. 2. v. 41. invidiam patitur propriorum fratrum, ab iis nudatur, in cisternam dejicitur, venditur, exulat, captivatur, castitas ejus probatur, & propter eam in vincula conjicitur; verbo uno vita ejus tota, nonnisi continua tragœdia. Moyses Israëlitici priusquam fiat Dux populi, à Deo quid non passus asseritur? quasve non deglutitus difficultates cum Pharaone Rege illo obduratissimo? Tandem ne nimium excurramus, David Rex antequam ad thronum ascenderet, quomodò tentatus, probatus, examinatus dicitur, quænam patientiæ animi, constantiæ, virtutum omnium argumenta exhibuisse dicitur. VII.

At inquit loco citato P. Sylveira in Beatâ Virgine Mariâ, in quâ illustriora VIII.

&

& alia extra omnem comparationem merita super omnes creaturas, non ita procedit Scriptura; sed primùm quod de ea Sancti Evangelistæ protulerunt est sublimis & præcelsa ejus dignitas, scilicet Matris Dei, *de qua natus est* JESUS, *qui vocatur Christus*. Cur in ipsâ, inquit Sylveira, stylum mutat Scriptura? cur non priùs illius, ut aliorum, merita recensentur, ac deinde dignitas? Respondet graviter & solidè ex Alberto magno noster Doctor & Interpres. *In ea, dignitate probatur meritum.* Merita Noë, Abrahæ, Joseph, Moysis, Davidis, & cæterorum, possunt verbis explicari. Ast B. Virginis Mariæ merita tanta sunt, ut nulla inveniantur verba quibus explicari possint: sed solâ ipsius dignitate metienda sunt. Suprema dignitas Matris Dei ad quam sublimata est, quâ major nulli puræ conferri poterat creaturæ, ostendit & probat manifestissimè merita ipsius esse super merita omnium purarum creaturarum.

IX. Atqui Scriptura dum loquitur de Sanctissimo Patriarcha Josepho ejus Sponso castissimo, eodem planè modo procedit, eodem ergò modo de illo ac de ipsâ argumentandum, atque adeò dicendum *Dignitate Ioſephi comprobatur meritum*; ideſt, hoc illi planè commensuratur. Congesserat in eum Deus sine dubio ut aptè Virgini desponsaretur, fieretque Pater illius divinæ Prolis, quam hæc ei desponsata divinitus conceptura erat & paritura; ingentem gratiarum & cœlestium divitiarum cumulum; cumulaverat ille illis benè usus virtutes & merita supra modum. In fide sine dubio superabat Abrahamum, in justitiâ Noëmum, in castitate Josephum, in sanctitate Moysen, in mansuetudine Davidem, in zelo Eliam, &c. Scriptura tamen dum de eo primùm loqui aggreditur, non ab his incipit, sed ejus encomium exorditurab his verbis, *Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ de quâ natus eſt* JESUS, Matth. c. 1. v. 16. Prosequitur deinde cum istis vers. 18. *Cùm eſſet deſponſata Mater* JESU *Maria Ioſeph antequam convenirent inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto*, quæ singularem ac summam ejus continent dignitatem: exorditur, inquam, ipsius Magnalia ab ejus incomparabili dignitate, quare hoc? quia nimirùm nequeunt ejus merita ut aliorum Sanctorum verbis explicari, sed illa ut Sponsæ suæ, ex ejus præcelsâ, cui adæquatur, dignitate debent metiri & colligi.

Quare cùm ejus dignitas utpote patris Dei, eo modo quo est, & quo illum fuisse ostendemus part. 2. tract. 2. post dignitatem Virginis Deiparæ Sponsæ suæ omnium summa sit, ut constat, quænam enim amabo illi vel etiam comparari possit? Neque hoc solùm sed etiam tanta ut ejus comparatione cæteræ valdè parvæ sint, ideò ejus merita per respectum ad alios sunt etiam extra omnem comparationem: atque adeò quantacumque de illo dixerimus, quantumvis magna fuerint, semper erunt meritis ejus minora, quia merita Patris Christi solâ ejus dignitate metienda, cogitationes nostræ, verba nostra nunquam adæquare possunt. X.

Hinc D. Bernardus homil. 2. in *Missus eſt*, sic infert ex eodem quoque principio. *Quis & qualis homo fuerit Beatus Ioſeph conjice ex hac appellatione, quâ (licet diſpenſatoria) meruit honorari à Deo ut Pater Dei, & dictus & creditus ſit.* Quid quæso dixisset D. Bernardus, si ex appellatione illâ, non tantùm dispensatoriâ sed propriâ, verâ & stricti juris, quàm infra part. 2. tract. 2. probaturi sumus, argumentatus fuisset? XI.

Divi Bernardi vestigia, Divus premit Bernardinus Senensis tom. 3, serm. de S. Josepho. *Quando*, inquit, *divina Providentia aliquem ad ſingulare gradum, ſeu aliquem ſublimem ſtatum elegit, omnia Chariſmata donat, quæ illi perſonæ ſic electæ, & ejus officio neceſſaria ſunt, atque illam copioſè decorant, ut patet in Moyſe, Ioſue, Abraham, Iſaac & Iacob, David, & ſic de aliis Prophetis: patet etiam in novo Teſtamento in Virgine benedictâ, in Apoſtolis, Evangeliſtis, Doctoribus, & in Religionum Inſtitutoribus. Quod maximè verificatum eſt in S. Ioſepho, qui ab æterno Patre electus eſt ut eſſet, &c.* Eodemque modo innumeri alii horum vestigiis inhærentes argumentantur. XII.

Et certè posito semel hoc fundamento quod fuerit modo aliquo vero ac jure stricto Pater Christi Domini, & Conjux Virginis Deiparæ, ut probaturi XIII.

sumus part. 2. duobus tract. prioribus; quid magnum excogitari poterit in privilegiis? quid exquisitum in gratiis? quid pretiosum in cœlestibus thesauris, quod non ei debitum fuerit & quod non in eum Deus, qui dat omnibus affluenter, cornu plenissimo effuderit?

XIV. Quàm grave, quàm invincibile hoc argumentum quod Apostolicæ nititur regulæ 1. Corinth. cap. 3. v. 6. ubi sic Apostolus. *Qui idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Quam explicans Doctor Angelicus & Scholæ Phœnix D. Thomas Aquinas in c. 8. ad Rom. dicit: *Deus unicuique Sanctorum confert sanctitatem & gratiam ei muneri accommodatam in quo illum constituit.* Huic nihil habeo superaddendum, cùm & quidquid superaddi posset hoc semper minus foret & omninò supervacaneum.

## PROLUDIUM V.

### *Ex hâc Prædestinatione Divus Josephus in ordine gratiæ opus Excelsi Capitale.*

I. NON tantùm electus est Divus Josephus ab æterno ut esset Pater JESU & Sponsus Beatissimæ Virginis Deiparæ, sed superaddendo dico directè ac primariò electum ut esset Pater JESU, consequenter verò & secundariò tantùm ut esset Vir Mariæ. Hæc propositio singulariter faciens ad magnitudinem D. Josephi & ad veritatem Paternitatis ejus, invenietur probata à nobis infrà Part. 2. Tractat. 2. cap. 10. ex quâ manifestè sequitur quod posuimus in proposito sistemate.

II. Itaque arbitror Deo accommodari aliquo modo posse quod in Artificibus summis observatur. Hi cùm multa conficiant artis suę opera magnâ diligentiâ elaborata, in quibus eorum industria & peritia ita semper elucet, ut in illis supra inferiores omnes artifices semper excellant: in suæ tamen probationem habilitatis & scientiæ perpetuam, unum aliquod moliri solent summum, quod artis specimen vocant, quod ideò per Antonomasiam dicitur eorum opus, quasi alia in hujus excellentissimi comparatione operis aut nihil sint, aut nullius considerationis: ita Deus in consideratione gratiæ multa licet suæ vasa gloriæ produxerit excellentia, imò miracula, qualia sunt tot Sancti, qui nobis ab Ecclesia proponuntur colendi, ad majorem tamen suæ sanctitatis & supremæ providentiæ ac potestatis ostensionem ejusdem gratiæ specimina & opera (ut aiunt) capitalia elaborare voluit; idque in utroque sexu, ut utrique deferret honorem: Atque adeò in sexu fœmineo specimen illud primum & summum fuit Beatissima Virgo: & jure merito, quia nimirùm ab æterno præordinata est ut esset Dei nostri Mater purissima. Sed in virili sexu quis? nisi ille quem eodem modo ab æterno elegit ut esset ejusdem Dei nostri Pater verus?

III. Neque mihi dixeris Christum esse specimen illud & opus gratiæ capitale in sexu virili; licet enim per unionem hypostaticam Deus sexum hunc utique potiorem & nobiliorem extulerit non tantùm supra sexum fœmineum, sed etiam supra omnem Angelicam naturam. Attamen non propterea Christus specimen illud gratiæ, de quo hic. Primò quia quidquid dicant nonnulli dubito & meritò dubitandum an Christus aliâ sanctitate & gratiâ eguerit quàm divinâ, quâ fruebatur per unionem hypostaticam: quid enim illa accidentaria, quâ cœteri Justi efficiuntur Sancti, fecisset in illo in quo erat ipsa Sanctitas divina per essentiam? Enimverò gratia illa accidentaria quid est nisi participatio aliquantula divinitatis? Ubi autem est ipsa Divinitas per identitatem, ut erat in Christo per unionem hypostaticam, ut quid illa modica participatio?

IV. Sed quidquid sit eâ de re, respondeo de augustissimo locuturus Mysterio, præaugustâ utor D. Augustini phrasi, & dico cum eodem Sancto Doctore lib. de Corrept. & Grat. cap. 11. quod *Deus naturam nostram, idest, animam rationalem, carnemq. hominis Christus suscepit, susceptione singulariter mirabili vel mirabiliter singulari.* Undè de eodem epist. 3. quæ est ad Volusianum idem Sanctus Pater. *Hic si ratio quæritur non erit*

*erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare: demus Deum aliquid posse; quod nos fateamur investigare non posse.* His ergò libenter dum annuo, investigabiles intellectus tanti Mysterii divitias dum relinquo suspiciens & admirans, dico in puris creaturis & in sexu virili splendidissimum operationis gratiæ Dei specimen, seu illustrissimum, eminentissimum & capitale opus esse Sanctum Josephum, qui ab æterno electus est directè & primariò ut esset Christi Pater; quemadmodum Beatissima ejus conjux Maria selectissimum & capitale est opus gratiæ Dei in sexu muliebri, quia electa ut esset ejusdem Christi Domini & Dei nostri Mater ter-gloriosa.

## PROLUDIUM VI.

### *Prædestinatio Divi Josephi in prædestinatione Christi, uti prædestinatio Mariæ inclusa.*

I. PRÆDESTINATUS est D. Josephus ut esset Pater Christi, ut diximus Prolud. 4. nec tantùm directè & primariò propter quæ cum diximus Proludio præcedenti Opus Capitale in ordine gratiæ, sed etiam ipsius prædestinatio ut & Sponsæ suæ fuit intimè unita & inclusa in ipsâ Christi prædestinatione. Tanta est illius cum JESU & Maria connexio, ut nec in tempore, nec in æternitate separati inveniantur.

II. Probatur hoc nostrum assertum, quia certum est ex Scriptura, Patribus & Theologis Deum nihil ad extra operari nisi juxta cõsilium voluntatis suæ, seu ut aiunt, conformiter ideis quas de illis in suo intellectu præformavit ab æterno: Cùm ergò Deus in tempore Mysterium Incarnationis non aliter operatus sit, quàm mediante muliere, Virgine quidem, sed tamen viro scilicet D. Josepho nuptâ, sequitur omninò quod D. Josephus fuerit comprehensus in conceptu illo & decreto quod de isto Mysterio ab initio & ante sœcula Deus præformavit.

III. Confirmatur, quia ex dictis hîc Prolud. 4. n. 4. ex hoc dicitur Christus prædestinatus, quod ipsius sacra Humanitas electa sit ab æterno & destinata ut uniretur hypostaticè Verbo Divino, & D. Josephus ex hoc quod electus est præ omnibus ut esset Pater Christi; ergò cùm Christus destinatus sit nasci ex Muliere, Virgine quidem, sed Viro scilicet D. Josepho nuptâ, prædestinatio D. Josephi, ut & Beatæ Virginis Sponsæ suæ inclusa in decreto Incarnationis, consequenter est inclusa in prædestinatione Christi.

IV. Confirmatur secundò ex Matthæi cap. 1. ubi aggrediens Sacer Evangelista explicationem executionis Mysterii Incarnationis seu Generationis JESU-Christi secundùm carnem, statim ut recensuit seriem Progenitorum ejus secundùm carnem, subdit modum quo generatus est his verbis, *Christi autem generatio sic erat, cùm esset desponsata Mater* JESU *Maria Ioseph antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Ubi quamprimùm Evangelista profert executionem hujus summi mysterii, simul etiam facit mentionẽ desponsationis Mariæ & Josephi, per quod manifestè datur intelligi, Incarnationem nonnisi dependenter ab illâ desponsatione factam & executam: ergò nec decretam: ergò ulteriùs quando Verbum Divinum prædestinatum est incarnandum, etiam D. Josephus prædestinatus est Pater ejus futurus.

V. Confirmatur tertiò ex hoc quod non prius Archangelus Gabriel missus sit & venerit ad Beatam Virginem, quàm esset desponsata D. Josepho & facta Uxor D. Josephi, Divus Josephus Maritus ejus, ut videbimus suo loco: Cujus rei Sancti Patres plures assignant rationes: alii ut per Joseph origo Mariæ demonstrari posset; alii ne Maria pro fornicariâ, Christus pro illegitimo haberetur; alii ut partus ejus celaretur diabolo, sed hæ rationes saltem duæ priores probant tantùm desponsationem debuisse præcedere nativitatem Christi non conceptionem, ut patet: hæc enim duo haberi potuissent, si post Annuntiationem, maximè verò si non diu post desponsati fuissent.

VI. Quare respondeo id ideo factum, quia noluit Christus Dominus Beatis-

simam Virgininem, quamvis magis dilectam, vel momento uno priùs esse Matrem suam quàm D. Josephus esset Pater suus; noluit, inquam, Maternitatem Beatæ Virginis vel unico instanti præcedere Paternitatem D. Josephi, ut exinde ulterius colligeremus & concluderemus, quod sicut simul & semel eodemq; momento in tempore Divus Josephus fuit Pater Jesu, quo Beata Virgo Maria fuit ejus Mater: ita etiam eodem puncto Æternitatis in suâ prædestinatione electus fuit Pater, quo Beata Virgo electa fuit ejus Mater.

VII. Nec prætermittendum hîc à Sacro Evangelistâ statim ac de executione Mysterii Incarnationis agit tres illas personas Jesum, Mariam & Josephum ita conjungi, ut unaquæque sit in suo ordine, Jesus primo, Maria secundo, Joseph tertio. *Cùm esset desponsata Mater* Jesu *Maria Ioseph*. Unde concipio ex hoc quod Incarnatio dependenter ab D. Josephi cum Beatâ Virgine desponsatione facta sit & decreta, consequenter esse inter illas tres Personas sanctissimas eundem prorsus ordinem, simul & connectionem, quam inter illas ibi divinum ponit Evangelium. Quocirca optimè illi Doctores meo videri censuerunt, qui dixerunt illas tres Personas sacratissimas inter se componere hierarchiam unam seu ordinem particularem, in quo sunt solæ, omnibus modis ab omnibus aliis Beatis qui sunt ad alios ordines redacti distinctæ, quorum proindè nulla cum his potest esse comparatio; quam Hierarchiam seu ordinem vocant ordinem unionis hypostaticæ, quia nimirùm unio hypostatica est illius fundamentum & causa: in quo quidem ordine Christus Dominus primum tenet locum, quia in ipso est formaliter ipsa unio: Beata Virgo secundum, quia ab ipsâ & ex ejus carne Christus: Tertium D. Josephus, quia ad illudendum diabolo sub ejus umbrâ & integumento, ideſt, in ejus cum Deiparâ Conjugio conceptus, consequenter ipsi productus, & ipse tantæ prolis curæ, tutelæ, educationi omninò ex naturâ rei adstrictus; quapropter statim initio Evangelii ubi de generatione Verbi secundùm carnem agitur, ita Jesus, Maria, Joseph ab Evangelistâ conjunguntur & ordinantur, ut quam inter illos ponit unionem & ordinem in hujus summi executione mysterii, eandem unionem, eundemque ordinem fuisse intelligamus etiam in ipso quod de eodem formatum est æterno decreto.

## PROLUDIUM VII.

### *Tota ratio essendi D. Josepho fuit Christus, ut scilicet esset illius Pater.*

NOn tantùm fuit ista intima unio ac strictissima D. Josephi cum Verbo Incarnato connexio in esse supernaturali, in quo cum assero cum Christo ipso prædestinatum, nimirùm ad esse Patris ejusdem Christi & ad gratiam ac gloriam tantæ proportionatam dignitati, sed insuper tanta fuit inter ipsum & Christum connexio etiam in esse naturali, ut & decretum de futurâ aliquando ipsius existentiâ in rerum naturâ non fuerit nisi propter Christum, adeoque tota ratio essendi D. Josepho fuit præcisè ut esset Pater Christi Domini; quâ ratione cessante omninò verum est quod nunquam fuisset natus homo ille in mundo; ut proindè quomodo D. Bernardus homil. 1. super *Missus est*, de Divâ Deiparâ argumentatus est, ita de D. Josepho ejusdem Dei & Domini nostri optimo Patre propter non parvam similitudinem rationis. I.

Sic ergò D. Bernardus ibi de Beatâ Deiparente: *Talem sibi Deus de omnibus debuit eligere, imò condere Matrem, qualem & se decere sciebat & sibi noverat placituram.* Ubi mellifluus Doctor postquam dixit quod Deus in hominem pro homine effingendum debuit inter omnes mulieres illam eligere in matrem qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placituram, seipsum corrigit addendo, *imò condere Matrem.* Non enim satis esse putavit, ut exprimeret mentem suam super tantæ magnitudine Matris, dixisse quod illam elegerit ex omnibus mulieribus, sed existimavit addendum quod illam expresè condiderit talem II.

qualem

qualem & se decere sciebat & sibi noverat placituram.

III. Idem dico ergò de ejus Patre dignissimo D. Josepho, non sufficit dicere quod Deus talem ex omnibus viris elegerit Patrem, qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placiturum, sed omninò dicendum, quod eum expressè talem condiderit; hoc amplius est & altius sonat pro gloriâ D. Josephi quàm illud, quia electio non potuit fieri nisi de illis qui erant futuri quando fiebat electio, ex quo non sequeretur fuisse omnibus omninò præstantiorem (quamvis fieri potuerit) sed tantùm illis qui tunc futuri erant quando fiebat electio ex illis. Cùm verò dicitur illum propter se expressè condidisse non alium. Ullus nisi absurdissimus intelliget rationabiliter quàm qualis non solùm isto tempore nullus, sed etiam omni alio tempore. Hanc mihi cogitationem ingessit noster Baptista Mantuanus in Versibus ex lib. 3. Fastorum de S. Josepho, ante hanc Synopsim præfixis, ubi sic ille.

*Te Deus in terris ex tot mortalibus unũ*
*Repperit arcani fieres qui conscius alti,*
*Cui benè virginitas magnæ sanctissima Matris*
*Cui benè cõmitti divinæ infantia Prolis*
*Posset, & alterius secli surgentis origo.*
*Hinc tua quanta foret nobis cognoscere fas est (corda*
*Integritas, tua perspicuis Deus intima*
*Inspiciens oculis culpæ vestigia vidit*
*Nulla, nec indicium scabræ rubiginis ullum.*
*Fœlix officio tali, fœlicior illo*
*Sinceri candore animi, quem Rector Olympi (honores.*
*Intuitus subitò ad tantos te assumpsit*

Tùm deinde subdit.

*Te tamen Omnipotens talem formavit ut esses*
*Bajulus & custos ad munera idoneus illa.*

IV. Probatur verò præsens nostra Thesis ex hoc quod nativitatem habuerit Sanctissimus ille Patriarcha, ad tam alta & singularia tam singulariter electus, singularem, & præter communem legem: Natus est enim ex Jacob filio Nathan in uxore Heli fratris sui sine liberis defuncti juxta legem Deuteron. cap. 25. quæ est de suscitando semine, fratri sine prole defuncto, in ejus uxore per fratrem superstitem: quæ omnia omnibus patebunt ad oculum, ut speramus, ex infra dicendis.

V. Et verò nunquid poterat Deus suâ providentiâ res ita disponere ut Jacob filius Nathan præveniret Heli, sibique prius illo desponsaret ejus uxorem Matrem Josephi? quo pacto natus fuisset D. Josephus, ut omnes alii, nec habuisset nisi Patrem communem, ut communiter alii, non verò legalem, ut ex Dei dispensatione pauci. Sed aliter disposuit hac de re expressè (ut quidem arbitror) Deus voluit omninò & istam Deuteronomii legem condere, & ut Mater D. Josephi primò desponderetur Heli ex quo non erat susceptura prolem, ac deinde Jacob: quodque ex illâ legali conjunctione nasceretur D. Josephus: quippe extraordinarius iste Vir nativitatem habere debuit extra communem legem, evidenterque Deus nobis constare voluit, quod sine istâ lege nunquam fuisset nasciturus.

VI. Et quamvis ut D. Josephi nativitas esset extraordinaria, idque nobis constaret, potuerit Deus aliam viam inire, v. c. efficiendo ut ex parentibus nasceretur sterilibus aut senibus, quemadmodum Isaac, Samuel, Joannes Baptista & alii: hanc tamen viam eligere noluit pro D. Josepho, sed istam legalem: primò quia ista hâc purior; non enim hic parentes ac præcipuè Pater ille legalis & adscititius ad generandum se applicabant impellente concupiscentiâ, sed obedientiâ & virtute, ut scilicet Dei legi & ordinationi obtemperarent. Secundò, quia per hanc viam constat D. Josephi nativitatem fuisse extraordinariam, & nunquam aliàs futuram, quod Deus intendebat, & insuper per hanc disponebamur ad credendum eundem D. Josephum esse Christi Patrem, licet Christum non genuerit, quemadmodum ipse filius Heli ex istâ Dei lege, à quo nec ipse genitus: *Ut enim*, inquit D. Justinus Martyr quæst. ad Ortodox. ox *Iosephus ipse vocatus est Heli filius, nec tamen ex eo genitus: quoniam divinæ legi sic visum est ex uxore Heli dare filium Heli: sic visum est Deo ex uxore Iosephi dare filium Iosepho, non genitum secundùm carnem ex ipso: quod enim*

*enim ex fœminâ aliquâ sine stupro nascitur, id necessariò filius est viri & fœminæ, quo pacto vult Deus dare filium viro, aut per conjunctionem, aut citra conjunctionem.*

VII. Quin immò dico hanc Deuteronomii legem expressè ac principalissimè propter D. Josephum fuisse conditam, ut nimirùm secundùm illam nasceretur, & secundùm illam nascens magis nobis esset certum ipsi à Deo decretam fuisse extraordinariam nativitatem, quia Pater Christi futurus erat. Nam etsi ipse Textus dicat legem illam ideò latam ut non deleretur nomen defuncti sine liberis ex Israël, hic tamen est tantùm finis proximus istius legis, sed ultimatus & primariò ac principaliter à Deo intentus, non alius fuit quàm S. Josephus Pater suus, ut scilicet ipse beneficio istius legis nasceretur aliàs non nasciturus.

VIII. Hoc porrò vel ex eo patet quod lex & Prophetæ propter Christum: ergò hæc lex tam particularis & extraordinaria, ob id enim ista cum aliis post Christum omninò abolita. Mirè autem conducit & quadrat hæc ratio, scilicet ut dicamus illam ideò latam fuisse ut Christus haberet Patrem suum immediatum secundùm illam natum: indeque agnosceretur illum cui adeò evidenter extraordinaria & præter communem legem decreta & præparata nativitas, non ut hominem ordinarium suspiciendum, sed ut hominem prorsus divinum.

IX. Non itaque D. Josephus aspiciendus in principio sui esse ut cæteri homines, & credendum quod primò existentiam habuerit in mente & decretis divinis ut homo, ac deinde quod electus fuerit ad dignitatem Patris Dei hominis, sed è converso, primò & ante omnia concipienda magna illa & incomparabilis dignitas Patris Dei, qua Deus incarnandus carere noluit, etsi potuit: ac deinde homo unus scilicet D. Josephus expressè decretus & conditus à Deo ut istam acciperet excelsam dignitatem, quippe qui nonnisi propter istam dignitatem esse à Deo accepit nunquam aliàs acceptarus.

X. Igitur ô divinissime Pater! tibi libentissimè adapto quod noster Divus Joannes Damascenus Virgini Sponsæ tuæ Orat. 1. de Nativ. Beatæ Mariæ, & dico vitam te habuisse sed naturâ præstantiorem: Nam non tibi ipsi (neque enim tui ipsius causâ progenitus es) sed Deo habuisti, ob quem in vitam prodiisti, ut orbis universi administrum te præberes, atque antiquum Dei consilium, hoc est Incarnationis Verbi, ac nostræ Deificationis decretum, quod in Sponsâ tuâ impletum est, te contribuente impleretur.

XI. Quare quidnî hic illud quod aliàs Christus Apostolo suo Philippo à se petenti Joann. c. 4. ut ostenderet ei Patrem respondit, usurpare possim, *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum.* Ex tali quippe Filio nonne facilè concludi potest (si tamen hic benè cognoscatur) qualis esse debuerit, fuerit & sit talis Filii Pater, & propter talem Filium expressè conditus?

XII. Ecce in hâc D. Josephi prædestinatione quam hoc & tribus Proludiis præcedentibus prosequuti sumus, omnium ipsius Privilegiorum, Gratiarum, & Prærogativarum fontem, ex quo omnia illa copiosissimè profluunt: Ecce, inquam, fundamentum cui totam Encomiorum ac Magnalium ejus molem superstruere pergo. Sed qualis fons? quàm copiosus? quàm dives? quàm fœcundus? Quale fundamentum? quàm firmum? quàm solidum? Ex hoc fonte tam uberi, quæ non gratiarum fluenta profluere debent? quid adversus illa quæ huic fundamento superædificata fuerint prævalere poterit?

XIII. Enimverò si hanc semel veritatem (in quâ nihil cõtra rationem) admiserimus, quod scilicet D. Josephus talem habuerit prædestinationem, quid quæso durum? quid difficile nobis videri debebit ex iis omnibus quæ ad ejus laudem dixerunt Doctores quantumcumque extraordinaria, immò etiam multis videantur improbabilia? qualia sunt, quod fuerit in utero sanctificatus, quod in gratiâ confirmatus, quod caruerit fomite, quod fuerit expers omnis libidinis, omnis peccati etiam venialis quantumvis minimi, quod in gratiâ & meritis ita excelluerit, ut in gloriâ Conjugi suæ Mariæ Deiparæ suppar, super

omnes

omnes alios sit: quod illi Scriptores qui ei negarunt non difficilè credidissent si hanc ejus prædestinationem benè agnovissent. Quid enim tam magnum humana ratio excogitare potest, quod non ei debitum sit quem Deus ita prædestinavit, quem ob id precisè creavit, & creare voluit, ut esset Pater Filii sui Incarnati nunquam aliàs creandus.

XIV. Quare non timeo Censorum etiam rigidiorum, si tamen aliqui futuri sint (quod non credo) contradictiones, confido verò illa quæ hîc à me ex tali promptuario educenda, omnium sapientum & piorum approbationem & suffragium inventura; quandoquidem ex tali antecedente non possint nisi magnæ sequi conclusiones: censeoque per hæc quæ in prefatis proludiis præcedentibus, maximè verò in præsenti diximus, & illa quæ in sequentibus addemus, omnium animos sufficienter iti præparatos, ut singularia illa Divi Josephi privilegia quæ hîc producturi sumus, deinceps sine ulla ambiguitate credant, imò cum gaudio & consolatione recipiant.

## PROLUDIUM VIII.

### *Fuit Divus Josephus prophetizatus & præfiguratus.*

I. PROLUDIIS quatuor præcedentibus vidimus Divi Josephi prædestinationem, eamque ostendimus adeò unitam cum prædestinatione Christi Domini, ut nec ipsum esse naturale quod in tempore accepit, aliter acceperit nisi dependenter ab eâdem Christi prædestinatione: propter quod eam Divi Josephi prædestinationem meritò singularissimam pronunciamus. Deinceps ad explicandam ejusdem prædestinationis executionem procedemus, in quâ illud primum observo quod in argumento Proludii propositum, quod scilicet Deus vi istius prædestinationis ut singularissimæ, antequam ad illius executionem per Josephi productionem manus admoveret, eum præostenderit, præviderique ac pronunciari seu prophetizari voluerit, nec non multis ipsum adumbrarit & præfigurarit: quæ duo & singularissima sunt privilegia & singularis magnitudinis futuræ notissima argumenta, de quibus sigillatim per duas Sectiones sequentes.

## SECTIO PRIMA.

### *Divus Josephus prævisus & prænunciatus seu prophetizatus.*

PRæostendi, prævideri & prænunciari seu prophetizari argumentum magnum esse magnitudinis futuræ, res videtur manifesta: Cùm enim teste gravissimo & antiquissimo Tertulliano in Apologetico c. 20. *Testimonium Divinitatis sit veritas Divinationis*, & Scriptura ei adstipulante soli Deo competat futura prævidere & prænunciare. *Annunciate quæ ventura sunt in futuro, & sciemus quia Dii estis vos*, Isaiæ c. 4. vers. 23. Profectò nimis sublimis est & excelsa prophetia ut aliis rebus applicetur & inserviat quàm magnis, quod maximè verum est quando de personis agitur: Namque paucis videmus contigisse prænunciari seu prophetizari, iisque nonnisi magnis; vixque ulli alii post Christum ejusque Matrem Sanctissimam, nisi Divo Josepho Patri illius & hujus sponso. II.

Probatur secundò ex lib. Apocalyp. c. 19. v. 9. ubi dilectus Christi Apostolus dicit, *Testimonium IESV est Spiritus Prophetiæ.* Ac si diceret maximum ac primum testimonium magnitudinis Jesu Christi supra cæteros homines est quod Deus illum per tot sæcula priusquam esset præostenderit, & mundo prænunciari voluerit: Hinc Magnus Lactantius lib. 4. Instit. *Non idcircò à nobis Deus creditur Christus, quia mirabilia fecit, sed quia in eo videmus facta esse omnia quæ nobis annunciata sunt vaticinio Prophetarum.* Et Sanctus Martyr Ignatius in Epist. ad Philadelph. *Evangelio non crederem, nisi id prædictum viderem.* Magni ergo omninò censendi illi quos Deus antequam existant voluerit præostendere, prævideri & prænunciari. III.

IV. Probatur denique ex modo argumentandi quo Christus Dominus Præcursoris sui Divi Joannis Baptistæ magnitudinem probatam fecit Matthæi c. 11. v. 10. ubi ita Sacer Evangelista. *Cæpit IESVS dicere ad turbas de Ioanne quid existis in desertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis & plusquam Prophetam*: hoc est illis omnibus majorem. Hoc autem sic probat, *Hic est enim de quo scriptum est*, (idest prophetatum est,) *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Atqui Divus Josephus fuit prævisus & prænuntiatus.

V. H[illegible]ligo primò ex comparatione qua[illegible]it Isaias Propheta c. 11. Virginis cum virgâ, & Christi ex eâ nascentis cum flore, dicens *Egredietur virga de radice Iesse & flos de radice ejus ascendet.* Cujus prophetiæ comparationis rationem reddit D. Hieronymus in suis Cõmentariis ad illum locum dicens. *Maria virga est, flos Christus. At nunquam flos ascendit de virgâ foliis nudâ, prius virga foliis adumbratur & honestatur quàm flos ascendat. Priùs ergo Maria virgo erat honestanda, quàm Christus ex eâ nasceretur.* Hæc Sanctus Doctor explicans mentem Prophetæ.

VI. Alii colligunt ex his verbis Ecclesiastici cap. 24. v. 18. *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Quæ verba si ad litteram intelligantur de Beatâ Virgine apta est probatio, quæ scilicet proferens sicut palma fructum benedictum ventris sui JESUM Christum Dominum nostrum, exaltata est super omnes mulieres sicut palma super omnes arbores: Ut ergò palma cui comparatur, non profert fructum suum nisi in præsentia & sub umbra alterius palmæ masculæ, ita Beata Virgo non protulit Christum nisi D. Josepho conjuncta, & quasi sub ejus umbrâ.

VII. Sed licet hæ probationes plausibiles sint, non tamen solæ me convincerent, credo quod nec alios: Quare alias proferamus clariores & firmiores ex aliis Scripturæ locis: ac primò quidem ex illo Isaiæ cap. 62. v. 5. *Habitabit juvenis cum virgine.* Quod Glossa, quam sequuntur Doctores penè innumeri sic interpretatur ad litteram; habitabit jucundissimè & castissimè juvenis Joseph cum Conjuge suâ Virgine Mariâ.

VIII. In hanc etiam interpretationem sine ullâ violentiâ trahi potest Dionysius Carthusianus in istum Prophetæ locum, quem sic exponit. *Habitabit juvenis cum virgine sine corruptione peccati vivente.* Quænam enim illa virgo sine corruptione peccati vivens nisi Beata Deipara? Colligitur amplius ex conjunctione sequentium ad præcedentia. *Multi quoque sanctissimi Iuvenes cum inviolatis virginibus cum omni castitate habitarunt & habitant in Ecclesia Dei.* Præterea si inter hos sic continentes omnium primi fuerunt & præcipui Joseph & Maria, & ad eorum exemplum alii multi in Ecclesiâ Dei postmodum se efformantes ita vixerunt castè simul, quis dubitare poterit hos præ cæteris prævidisse & innuere voluisse sanctum Prophetam?

IX. Secundò probatur ex illo ejusdem Isaiæ 8. *Accessi ad Prophetissam & concepit & peperit filium: & dixit Dominus ad me, voca nomen ejus accelera, spolia detrahere, festina prædari, quia antequam puer sciat vocare Patrem suum & Matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ.* Quæ Prophetia ad litteram non alium sonat quàm Christum Dominum, ita D. Augustinus lib. 17. de Civit. Dei, c. ult. D. Ambrosius c. 1. in Luc. ad vers. 41. & 44. D. Hieronymus, Sanctus Cyrillus, S. Basil. & Chaldeus hîc Procopius, Rupertus, Dionysius Carthus. D. Epiphanius Hæres. 78. Eusebius lib. 7. demonstrat. c. 2. Rabby Hacados apud Galatin. lib. 7. c. 18. & communiter omnes tam veteres quàm recẽtiores contra Nicolaum de Lyra & Rabbinos aliquos, dicentes per Prophetissam illam & puerum quem concepit debere intelligi uxorem ipsiusmet Isaiæ hæc pronuntiantis & ipsius fœtum. Sed nostra sententia & Interpretatio adeo clara est & certa, ut contrariam Lyrani alii inter quos Cornelius à Lapide in istum Isaiæ locum dicant esse errorem Judaicum, immò ut spurcum & obscœnum ac etiam Calvinianum rejiciunt, vide Cornelium à Lapide loco citato.

X. Cùm ergo tam certum sit istum Isaiæ Prophetæ locum ad litteram de Chri-

Christo Domino intelligi, attende ultimam periodum istius Prophetiæ *Antequam puer* (ideſt Christus Dominus) *ſciat vocare Patrem ſuum & Matrem ſuam auferetur, &c.* Igitur puer iſte licet de Virgine naſciturus ut dixerat capite præcedenti his verbis: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*, erat habiturus Patrem, nempe D. Ioſephum: hocque præoſtendit Propheræ Deus, hoc ipſe Propheta prægnovit, hoc denique prædixit & prophetavit.

XI. Ex quo loco roboratur probatio præcedens n. 7. & 8. Si enim prævidit Iſaias Chriſtum ex Matre Virgine naſciturum, ut prædixit c. 7. in his verbis: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, &c.* Et tamen ipſum habiturum Patrem, ut patet ex hoc loco quem hic verſamus, proculdubiò in his verbis cap. 62. ubi idem Propheta dicit quod temporibus Chriſti *Habitabit juvenis cùm Virgine*, hos Sanctiſſimos Conjuges, Patrem, inquam, & Matrem Chriſti IESU, Ioſephum & Mariam, qui hoc 8. cap. Iſaiæ oſtenſi ſunt, voluit præcipuè & præ cæteris innuere.

XII. Cùm ergo D. Ioſephus tam manifeſtè præoſtenſus fuerit prævisus & prophetizatus, profectò dicendum eſt & credendum ipſum inter omnes Beatos & Cœlites eſſe Magnum.

## SECTIO II.

### *Divus Ioſephus fuit præfiguratus.*

XIII. QUod etiam ſingulariſſima futuræ magnitudinis alicujus ſancti nota ſit illum antequam exiſtat præfigurari, adumbrari & delineari, patet, primò ex eo quod dicit Eccleſia de Sanctis Evangeliſtis quos ipſa cenſet per quatuor illa animalia famoſa de quibus Ezechiel Propheta c. 1. adumbratos: ita enim de his magnificè pronuntiat Eccleſia, *Tua ſunt hæc Chriſte opera qui ſanctos tuos ita glorificas, ut etiam dignitatis gloriam in eis futuræ præire miraculis facias: tu inſignes Evangelii prædicatores*, (ideſt Evangeliſtas de quibus hic eſt quæſtio, & qui inter Evangelii precones meritò ſupra omnes cenſendi ſunt inſignes,) *Animalium Cœleſtium admirabili figurâ præſignaſti: his namque cœleſte munus collatum glorioſis indiciis, es dignatus oſtendere, hinc laus, hinc gloria tibi reſonet in ſæcula.*

Patet ſecundò ex iis quæ ſolent ſummi artifices omnes qui habent magnum aliquod ac ſingulare ſuæ artis opus exequendum: Hi enim priuſquam ad illius procedant efficientiam, primò illud apud ſe maturè ſolent deliberare, illud prius in mente ſua moliri, & ſeriò animum applicare ad efformandam prius illius Ideam quàm poſſunt perfectiſſimam, ſecundùm quam illud opus ſuum dirigant, & perducant ad ſuam perfectionem. Secundò, non illicò & quamprimùm in ipsâ materiâ ex quâ opus conficiendum eſt laborare, & illum ſuum de eo præformatum conceptum ſeu ideam exercere, ſed prius in aliâ minoris momenti & pretii prolu dere, & illius tentamentum in parvâ formâ & vili materiâ facere, ut quæ minus in hoc quadraverint lineamenta in illo ſuo opere eradere, quæ conventiora addere, quæ congrua apprimè imitari. XIV.

Ad eundem modum Spiritus Sanctus, qui per ſacrarum oracula Scripturarum majores nobis pandit veritates, accommodans ſe modulo noſtro, quo de rebus magnis judicare ſolemus & loqui, ſciens nos res ſic præmeditatas, ac ſeriò ante delineatas & adumbratas magni pendere, illa quorum vult apud nos magnam eſſe æſtimationem proponit ut objecta ſingularia ſuæ præſcientiæ, ut ſic oſtendat illa eſſe tanti meriti, tantâque prædita excellentiâ, ut digna viſa ſint quod Deus de illis ab æterno particulariter cogitaret, & in quibus ad perfectionem ſummam adducendis, ſummam ac extraordinariam adhiberet induſtriam. XV.

Hoc modo Chriſtus Dominus & Sanctiſſima Mater ejus in Scripturâ divinâ præfigurati deſcribuntur & adumbrati, utpote in quorum productione & perfectione oculatiſſima Dei ars & ſapientia, ejuſque omnipotentia infinita ſingulariter ac ſummè enituit. Hoc etiam modo hujus Sponſum caſtiſſimum, & illius Patrem amantiſsimum D. Joſephum antequam eſſet, præmeditatum, XVI.

præfiguratum & adumbratum fuisse pronuncio in eâdem Scripturâ, utpote cujus prædestinatio illorum prædestinationi affinissima sit, imò implexa; cujus magnitudo illorũ magnitudini maximè participet, cujus gloria & excellentia illorum gloriæ suppar & excellentiæ.

XVII. Dices, Sancti Apostoli & Evangelistæ fuerunt etiam præfigurati & adumbrati: Apostoli quidem in duodecim Patriarchis & Tribuum Principibus Genes. cap. 17. & alibi sæpè. In duodecim fontibus Exodi cap. 15. in duodecim bobus sustentantibus mare fusile, quorum tres respiciebant ad Aquilonem, tres ad Meridiem, tres ad Orientem, & tres ad Occidentem, 3. Reg. cap 7. in duodecim leonculis stantibus hinc & hinc super sex gradus throni Regis Salomonis 3. Reg. cap. 10. in duodecim portis per quas datur ingressus in Civitatem cui nomen *Dominus ibidem*: quorum tres ad Septentrionem, tres ad plagam Orientalem, tres ad plagam Meridianam, & tres ad plagam Occidentalem, Ezechielis cap. ultimo in fine. Evangelistæ verò in quatuor illis mysticis ac prodigiosis animalibus, quæ tam accuratè depingit idem Ezechiel cap. 1. per totum.

XVIII. Respondeo primò, præter hos post Jesum, Mariam & Josepum, nescio an vel unicus alius reperiri posset qui hoc modo præfiguratus fuerit. Hujus rei causa quæ alia nisi quia hi primitias Spiritus post Jesum, Mariam & Josephum habuerunt? Cùm ergo ideò præfigurati fuerint inter cæteros, ut per hoc eorum supra omnes excellentia appareret, sequitur quod intendimus, quod scilicet cùm D. Josephus præfiguratus fuerit & adumbratus, quod similiter ex hoc illius magnitudo & excellentia colligenda sit.

XIX. Respondeo secundò magnum esse discrimen inter hujus & istorum præfigurationem seu adumbrationem; nam illi omnes, idest, omnes Apostoli numero duodecim, & omnes Evangelistæ qui sunt in numero quaternario, collectivè tantùm fuerant præfigurati locis citatis. Nullus illorum seorsim: hoc soli post Christum & Matrem ejus Mariam contigit D. Josepho uti his suppari, & præterea quia hic tam multis, tam accuratè, tam distinctè, tam particulariter adumbratus est, ut certum sit nullum alium simili modo adumbratum reperiri posse. Quod ex sequentibus patebit.

## PROLUDIUM IX.

### *Racematio nonnullarum figurarum et delineationum Divi Iosephi ex veteri Testamento.*

RACEMATIONEM facio figurarum & delineationum D. Josephi in veteri Testamento contentarum, non vindemiam, spicilegium, non messem: Ergo ex multis hujusmodi figuris, umbris & delineationibus paucas profero hîc, sed selectiores, quibus argumento in proludio proposito affatim satisfactum sit, quòd è re nostrâ est hîc. Cæteras nec paucas observare poterit Lector in decursu Operis quibus impleri potuissent paginæ non paucæ, sed nonnisi cum tædio & repetitione. I.

Ac primò quidem ut aliquem ordinem servem, ab ipsius nativitate exordior, quę fuit in gratiâ & cum usu rationis, ut dicemus infra hac part. tract. 3. In quo figura ejus fuit antiquus Joseph è duodecim Patriarchis unus, Filius Jacob & Rachelis, de quo dicit Scriptura Ecclesiastici cap. 49. v. 17. *Nemo natus est in terrâ ut Ioseph, qui natus est homo, Princeps fratrum, firmamentum gentis.* Cujus explicationem vide infra hâc part. tract. 3. cap. ultimo. II.

Fuit secundò D. Josephi nativitas, ut dicemus infrà tract. 2. secundùm legem Deuteronomii cap. 25. de suscitando fratri sine liberis defuncto semine, per fratrem in defuncti uxore. Atque adeo fuit primò per istam legem præmeditata & prædelineata ista D. Josephi nativitas, quandoquidem per legem quæ pro illa lata est, fuerit primò ac principaliter intenta, ut dicebamus Prolud. 7. num. 7. & 8. Secundò fuit adumbrata per principaliores ex illis, qui ex vi illius legis nati sunt, maximè verò per Obed quem genuit Booz ex Ruth secun- III.

secundùm istam legem, Ruth. c. 5.

IV. De nativitate namque istius Obed differens noster Joannes Sylvanus Patriarcha Hierosolymitanus XLIV. Opere illo suo nobili, cui nomẽ usque ad nostra tempora Imperfectus in Mathæum divo Chrysostomo ascriptus, & suo vero Authori per eximium P. nostrum Petrum Wastelium Belgicæ Provinciæ nostræ Provincialem, Doctorem Duacensem assertus. Petrum, inquam, verè Petram contra quam omnes qui arietaverunt contra Antiquitatem humilis Mariæ Ordinis, nunc arietant, arietabuntq; in posterùm, parvulos suos allident suâ imprudentiâ (ne plus dicam) quia prefati Petri nostri & tot aliorũ domesticorum illis non inferiorum, quorũ propriè est, ut in aliis omnibus de familiæ suæ ortu, progressu, & statu scire & alios informare, vindicias aliaque eximia opera ex professo eâ de re elucubrata, vel aperire dignati fuissent, quod non feciſſe nimis manifestum est (quo animo Deus judicabit) quos proinde, ut merentur, contemnimus; faciant alii quod voluerint, facturi absque dubio idem si sua res ageretur, iisdem rationibus suffulti & levitate contradictionum consideratâ.

V. De Nativitate itaque istius Obed differens noster qui supra imperfectus in Matthæum versans illa verba, *Booz autem genuit Obed ex Ruth*, Matthæi c. 1. Primò laudat Booz *qui secundum imperium Dei accepit uxorem Ruth à Deo provisam: accepit, inquam, uxorem non sibi sed Deo, non propter passionem corporis sui, sed propter justitiam legis, ut suscitaret semen proximo suo, non magis amore quam Religione ferventior, qui non attigit Ruth quasi lascivus puellam, nec abhorruit quasi castus lascivam, sed mox ut verbum ejus de lege proximitatis audivit, nihil horum omnium lasciviæ imputavit, sed universa Religioni adscripsit: Nec despexit eam quasi dives pauperem, nec veritus est quasi maturus adolescentulam, sed paratior fide quam corpore, mane processit ad portam, & provocavit quemdam ex genere, quem jure proximitatis existimabat propinquiorem obtinuit, prævaluit non tantum jure proximitatis, quàm Dei eligentis favore.*

VI. Secundò observat in Ruth Moabitide & Gentili dilectionem generis Israëlitici, simplicitatem, obedientiam, fidem, quæ in eâ commendabiles fuerunt. *Dilectio quidem Generis Israël*, inquit, *quia sic desiderabat filios suscipere ex semine Israël, & una fieri ex populo Dei: Si enim communicationem viri desideraſſet quasi puella lasciva, aliquem juvenem potius appetisset: Quoniam autem non lasciviæ suæ sed Religioni satisfacere cupiens fuit, familiam potius sanctam elegit quàm juvenilem ætatem.* Deinde pro simplicitate, obedientiâ & fide subnectit. *Simplicitas autem quia ultranea sub pallium ejus ingressa est, nec cogitavit ne fortè sperneret eam quasi justus lascivam puellam, aut ne deluderet eam, & quod gravius erat contemneret delusam sicut faciunt multi, sed obaudiens facta, Socrûs suæ consiliis confidenter credidit, quia prosperaturus erat Deus actum ipsius, sciens conscientiam suam, quia non libido ad hoc eam compulerat, sed Religio erat adhortata.*

Tertiò, ex his sic demùm infert hic VII. eximius Patriarcha. *Talis ergò Booz ex tali conjuge Ruth qualem filium genuit? Obed qui interpretatur subditus*, ac deinde subjungit. *Nunc autem qui divitias eligunt & non mores, pulchritudinem & non fidem, & quod in meretricibus solet quæri, hoc in conjugibus optant; propterea non generant filios subditos vel sibi vel Deo, sed contumaces contra se & contra Deum, ut filii eorum non sint fructus justæ conjunctionis eorum, sed pœna condigna irreligiositatis ipsorum.* Utinam hæc benè perpendant Conjugati, iis Concionatores benè inculcent.

Quartò, tandem absolvit noster Do- VIII. ctor his verbis: *Iste Obed qui subditus dicebatur, quid genuit? Iesse id est refrigerium: Iesse latino sermone refrigerium appellatur: Nam verè quicumq; subditus est Deo & parentibus suis, tales filios generat, Deo præstante, à quibus refrigeretur, quoniam qui honorat Patrem, honorabitur à filiis suis: qui autem contumaces existunt aut in Deum, aut in Parentes; generantes non refrigeria sibi generant, sed dolores ut à filiis suis recipiant, quod fecerunt in parentibus.* Hæc ille Sanctus Patriarcha ex antiquis Patribus unus, quæ utinam benè ponderent Filii.

Jam ad rem nostram veniamus, vi- IX. deamusque in hoc D. Josephi delinea-

tionem. Quàm benè hæc quadrat figura in illum! Quàm hæc Obedis nativitas genuina est nativitatis hujus Sanctissimi Viri delineatio! Nonne enim ut Obed ex Booz, ita noster Josephus ex Jacob genitus, non concupiscentiâ Jacob ad generationem compellente, sed legis amore? ut scilicet juxta legem Dei semen suscitaret fratri, seu proximo sine liberis defuncto. Nonne verè *Obed*, quia *subditus* genuit *Iesse*, ideſt, refrigerium? qui sic dictus est quia tempore ipsius Filii Israël corporaliter refrigerati sunt, in eo quod Allophylis liberati sunt, ut censet idem Imperfectus. Quantò verius, quantò excellentius Jesus, cujus verè Pater fuit D. Josephus; esto eum non genuerit, *refrigerium* dici debet, qui totum genus humanum perditum ab æternâ damnatione eripuit? Atque in hoc D. Josephus & hunc Obed & alios qui secundùm legem Deuteronom. cap. 2. nati sunt excessit, ut figuratum solet excedere figuram quod ipsius nativitas fuit per ipsam legem præparata, & ab ipsâ directissimè & primariò intenta, ut mox dicebamus.

X. Secundò, ipsius Castitas & Continentia, illa tamen imprimis quæ in eo primaria fuit & principalis, ideſt, continentia in ipso conjugio præfigurata fuit primò in commercio casto Davidis cum Abisag Sunamitide uxore, de quo 3. Reg. cap. 1. in initio. Secundò in Rubo Moysis, qui in medio flammarum positus ab iis minimè læsus fuit, sed incombustus perseveravit, Exodi cap. 3. v. 2. Pro his ne idem repetamus cum damno temporis, jacturâ laboris & tædio Lectoris videantur infrà dicenda Part. 2. Tract. 1. cap. 7. per totum, ubi pulchra de his figuris reperientur.

XI. Tertiò, ipsius Paternitas ad Christum, Jacobus de Valentiâ in Psalmos & Cantica, explicans illud Cantic. Magnificat. *Quia fecit mihi magna qui potens est & sanctum, &c.* Ad sextam B. Virginis dignitatem censet adumbratam & præfiguratam per duorum Thamar Maritorum Paternitatem, quibus sine liberis successivè demortuis, Judas in dictâ Thamar eorum Conjuge suscitavit, cuique suam prolem scilicet Pharez & Zaram. Hi enim fuerunt filii dictorum duorum Maritorum Thamaris defunctorum, (non tamen ab ipsis geniti) lege Dei de suscitando defuncto improli semine ita disponente; videantur à nobis dicenda infrà part. 2. tract. 2. cap. 8. num. 6. 7. 8. 9. 10. ubi hanc figuram latius invenies explicatam ac etiam à nobis refutatam. Quare melius dicetur hæc D. Josephi Paternitas præfigurata in Mahallone qui fuit Pater Obed, quem tamen non genuit, sed Booz ex divinę legis dispositione in Ruth Moabitide uxore Mahallonis defuncti. Vel etiam in Paternitate Heli qui Luc. cap. 3. dicitur Pater Divi nostri Josephi, cùm tamen hic non ab eo genitus, sed à Jacob Matth. cap. 1. in uxore Heli defuncti sine liberis.

Quartò, figura quoque fuit Fidei, Spei & Obedientiæ D. Iosephi ac Peregrinationis ejus, magnus credentium Pater Abraham, ut suis dicemus locis. Sed quod maximè observandum figura fuit illius in eo in quo ipse maximè nobis apparet mirabilis: scilicet in eo quod præsto fuerit immolare & mactare propriâ manu filium suum Isaac, qui fuit, ut omnes fatentur, una ex figuris Christi expressioribus. Pro quo vide à nobis dicenda inferius Part. 2. Tract. 2. cap. 20. sect. 2. à num. 64. usque ad finem. XII.

Quintò, quidnî etiam dixerimus magnificè olim præfiguratum in Josuë nobili illo populi Israëlitici Duce post Moysen primo? ita censet inter alios plurimos Doctor Matthias Naveus in Encomio Sancti Iosephi orat. 5. paulò ante finem, ubi sic ille. Notum est populi Ductorem Iosuë Angelicis apparitionibus honoratum, ornatumque fuisse, Angelum compellatum. Notum est nullam vel conjugii, vel uxoris aut liberorum in ejus historia fieri mentionem, ut proindè eum perpetuò virginem permansisse, D. Hieronymus lib. 1. contra Iovinianum asserere non dubitet, nec dubitari velit, uti & Sanctus Martyr Ignatius epist. ad Philadelphios, & D. Chrysostomus serm. de Martyribus. Notum quoque est quàm amanter fortiterque ac efficaciter terræ promissæ fructuum allatione & ostensione timidum populum animaverit XIII.

ad

ad eandem terram conquirendã in eamque tandem fœliciter adduxerit. Ac ut alia prętermittam notiſſimum eſt in Sole ipſo ejus intuitu maximum maximèque ſtupendum exhibitum miraculum, quando ad vocem ejus Sol in medio curſu ſuo immotus ſtetit *obediente Domino voci hominis*, ut ait Scriptura Ioſue c. 10. verſ. 14.

XIV. Quid iſtorum in B. Ioſepho Filii Dei ac Matris ejus Cuſtode ac Protectore excellenter completum non cernitur? Cum ad eam ipſam Sanctiſſimam maximisque undique plenam anguſtiis provinciam, non modò perpetuò virgineam ſed & Angelis familiarem vitam duxerit, virorumque fortiſſimum eum fuiſſe oportuerit: Quam efficaciter ipſe provideque ad Cœleſtem Patriam, fœlicitatis gloriæque ejus oculari exhibitione mundum languidum incitavit atque inflammavit, dum Verbum Dei incarnatum, uteri virginei fructum benedictum, inter brachia ſua colligens, per Iudæam Ægyptumque deportans, timido & eo uſque languenti mundo ob oculos ipſos corporeos ſtudioſiſſimè amantiſſimeque oſtentavit, atque Patris æterni filium unigenitum in ejus ſinu ab æterno inviſibilem & inacceſſibilem, in ſinu ſuo viſibilem tractabilemq; B. Ioſephus nobis protulit, Regnique Cœleſtis omnem in eo gloriam ac beatitudinem commonſtravit, adeò ut exinde obviantibus quibuſcumque ſpretis difficultatibus, ſub ipſius ductu & favore ab infinitis Regnum Cœlorum vi rapiatur.

XV. Neque verò unius diei ſpatio duntaxat, neque uſurpatâ tantum ſermonis improprietate ut ducis Ioſue vocem ejus exaudiit, ſed continuò juxtaq; vocis proprietatem ei Dominus ac filius ejus obedivit ſive ſubditus fuit, Lucæ c. 2. ſtetit ita movitque ſe ad vocem ejus, ad nutum ejus naturæ noſtræ velamine obductus Sol juſtitiæ, ſimulque Luna pulchrior Cœli Regina Virgo Deipara, cum hæc ut ſponſum caput Dominumque ſuum, ille ut Patrem ſemper venerati, ut miraculum profectò miraculorum hoc ſit, ac unũ inſtar omnium, tantumque veteri illo majus quantum Sole iſto qui ad vocem Ioſue in medio cœli cum Luna ſtetit, major is qui illa cœteraque omnia uno verbo creavit.

Sextò, Noë fuit ipſius figura, Noë XVI.
fuit vir juſtus, & ideò Arcæ cuſtos & Gubernator, ſic D. Ioſephus Sanctioris Arcę Virginis Marię, Noë commiſſa eſt Arcæ cura in quâ animalia & paucæ animæ ſalvarentur, at Ioſepho virgo committitur non præſentis modo ſed & ſemper terræ ſalutis arca, in qua non pauci homines ſed omnes ſalvari debent. Quare Iſidorus Iſolanus part. 1. c. 16. ita de illo juſtus Dei teſtimonio Sanctus Joſeph comprobatur: Juſtitia Sancti Joſephi in Noë præfigurata fuit. Hic ut habetur Geneſis c. 6. quoniam juſtus atque perfectus cum Deo ambulavit, Arcam divino gubernavit præcepto, in quâ genus humanum ſalvum factum. Hic eſt Noë qui columbam virentis Olivæ ramum deferentem, ſignum Clementiæ Dei manibus accepit. Hic ſignum fœderis inter Deum & hominem vidit: verùm Myſteria quæ Noë geſta ſignificabant ſub umbrâ Sancto Ioſepho ſub vero Sole contigerunt: ipſe enim ſuâ promeruit juſtitiâ ut Virgini Beatæ in arcâ Noë præfiguratæ ſponſus & caput eſſe meruerit: ipſe idem gremio geſtantem Verbum Dei Incarnatum humanæ ſignum reconciliationis cum Deo, obſequio Sancto manuum ſuarum proſecutus eſt, ipſe ſignum fœderis inter Deum & hominem, ideſt Chriſtum oculis vidit & exultavit, diluvium natutæ humanæ non ampliùs pertimeſcens. De Noë item dicitur Geneſ. cap. 6. verſu 9. *Iſtæ ſunt generationes Noë, Noë Vir Iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis cum Deo ambulavit.* Nomine generationis audito quiſpiam Avorum & Proavorum ſeriem, aut ſaltem filiorum & nepotum expectaſſet, nihil tamen ſubjicitur niſi Noë Vir Juſtus, atque perfectus fuit, & cum Deo ambulavit. Scitè Sanctus Chryſoſtomus homil. in Geneſ. *Rarus*, inquit, *& alienus genealogiæ modus hic eſt, nam ut Scriptura dixit iſtæ ſunt generationes Noë. & aures noſtras ſpe quadam implevit quaſi generationem illius narratura, & quis pater fuerit & undè genus duxerit, & quomodò in hanc vitam genitus fuerit: reli-*

*Eſia*

*Etis tamen, illis omnibus etiam superiori consuetudine inquit Noë homo visus est perfectus in generatione suâ placuit Deo. Hic optimæ genealogiæ mos est, quæ enim utilitas ex claris & probis parentibus originem ducere, si tu bonæ vitæ atque virtutum sis expers.*

XVII. Eodem modo D. Ambrosius de Arcâ & Noë cap. 4. *Noë non generationis nobilitate, sed justitiæ & perfectionis merito laudatur, probati enim viri genus virtutis prosapia est.* Semper enim novo profectui nascitur & vivit Justus, semper proficit, ut novus semper nasci videatur; arescit sanctitas nisi germinet, & nisi quotidie nascatur tandem perit. Hinc Abbas Guarricus serm. 5. de Adventu, hæc verba Psalm. 138. vers. ult. *Deduc me in viâ æternâ*, ita tractat. *Ideò*, inquit, *forsitan via æterna dicta est, quia licet providentia semitam cujusque investigaverit, terminumq; constituerit quousque proficiat, terminum tamen non habet illius in quam proficit bonitatis natura. Itaque Sapiens impiger viator cum consummatus fuerit tunc incipiet, ita scilicet obliviscens quæ retrò sunt ut quotidie dicat sibi nunc cœpi.*

XVIII. Sexta figura quoque D. Josephi & Sponsæ ejus Mariæ fuerunt duo illi Cherubini Exodi c. 25. qui utrumque latus Propitiatorii tegebant, & expandentes alas operientesque illis oraculum respiciebant se mutuò versis vultibus in Propitiatorium: Fuerunt, inquam, figura Mariæ & Josephi. Nam ut observavit Arias Montanus in suo Apparatu, unus illorum Cherubinorum erat formæ repræsentantis mulierem, & alter repræsentantis virum. Propitiatorium verò fuit omnibus annuentibus figura Christi Domini. Cætera sunt applicatu nimis facilia, ut illis immoremur.

XIX. Sed ut his quæ nullum haberent finem, finem imponamus; prima semper ac potissima omniumque accuratissima hujus Beatissimi Viri figura à Sanctis Patribus & Doctoribus existimatus fuit Antiquus Joseph Filius Jacob, ex duodecim Patriarchis & Tribuum Principibus unus, ut hic propter magnam quam cum nostro habet Josepho, cujus tam genuina figura fuit, convenientiam, eodem quoque quo ipse nomine compellatus sit. Joseph ille Antiquus, sterilitatis profugium & adversitatis solatium, dum mentis perspicaciâ antevertit præsagus tempora; frustratur providus infortunia: panem servat, & qui Ægyptum captivus intrarat, Ægypti salvator effectus est, thronum conscendit virtutum suffragiis, non auri aut favoris votis. In manipulos redactæ segetes congregatæ sunt ipso Authore in horrea Ægypti, quæ inediæ tempore ab eâ famem depellerent. Huic Josepho longa post tempora successit alter, sed ejusdem nomine & asservandi tritici providentiâ non inferior, & tritici asservati conditione prior. In Bethleem hoc est panis domo nascitur Verbum Dei, sed furenti invidiæ subtrahitur, & ad Ægypti horrea Josephi hujus secundi curâ defertur servandum. *Ecce*, inquit Matthæus, *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens, Surge & accipe Puerum & Matrem ejus, & vade in terram Ægypti, &c.* Fecit ut oraculum imperavit. Aliquantulo temporis fluxo, *Ecce* iterùm *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto dicens, Surge & accipe puerum & Matrem ejus & vade in terram Israël.*

Comparat D. Bernardus homil. 2. XX.
super *Missus est*, Josephum Christi Patrem cum Josepho illo Ægypti Prorege, ex Antecessoribus suis uno, rogatque quis illorum duorum clarior ac celebrior? Et quidem primus ille Joseph Ægypto asservavit panem, Israëlis tamen regionibus, aliisque mundi plagis non attulit: Josephus verò noster & Cœlestem Panem in Ægyptum deportavit, & in Israëlis terram revexit. Audiendus ipse D. Bernardus suis propriis verbis loquens.

*Quis*, inquit, *& qualis homo fuerit B.* XXI.
*Joseph conjice ex appellatione, quâ licet dispensatoriâ meruit honorari, adeò ut Pater Dei dictus sit & creditus: conjice & ex proprio vocabulo quod augmentum non dubites interpretari: & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & scito ipsius istum non solùm vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam fuisse adeptum, innocentiam assecutum & gratiam. Siquidem ille Joseph fraternâ ex invidiâ venditus & ductus in Ægyptum*

*Christi*

*Christi venditionem præfiguravit : iste Ioseph Herodianam invidiam fugiens Christum in Ægyptum portavit. Ille Domino suo fidem servans Dominæ noluit commisceri : iste Dominam suam Domini sui Matrem Virginem agnoscens & ipse fideliter custodivit. Illi data est intelligentia in mysterio somniorum : isti datum est conscium fieri atque participem Cœlestium Sacramentorum. Ille frumenta servavit non sibi sed omni populo : iste panem vivum è cælo servandum accepit tam sibi quàm toti mundo.* Hæc D. Bernardus.

XXII. Illustrior D. Josephi laus est, alteri Josepho adeò illustri successisse & longè superasse: ille primus materialem terrestremque panem horreis, quibus Ægyptiorum levet famem asservat, iste nobiliorem panem Ægyptiis defert quo corporis & animæ depellat inædiam. Ille asservatum panem Israelitis omnibus non attulit, iste Israëlitis & toti mundo panem advexit cœlestem de antecessoris gloriâ exultans, de propriis augmẽtis triumphans. Glorioſum enim est decessores conspicuos sequi, glorioſissimum operũ gloriâ deviciſſe.

XXIII. Alii alia multa congerunt, nos plura non addimus, sed ad ea solùm remittimus quæ melius & aptius aliis in locis iisque plurimis observanda venerunt : Vide inter alia ea quæ Parte 3. tract. 2. de adumbrata quoq; per ipsum summa in regno Cœlorum gloria, & tamen præpostero in terris cultu, &c.

XXIV. Ex quibus omnibus patet quàm in multis & quàm accuratè adumbratus sit & prædelineatus Magnus D. Josephus antequam existeret. Quod si Ecclesia de Sanctis Evangelistis, eo quod præfigurati fuerunt in ministerio prædicationis dumtaxat, quasi admirabunda, ita in eorum officio ad *Magnificat*, cecinit. *Tua sunt hæc Christe opera, qui sanctos tuos ita glorificas, ut etiam dignitatis gloriam in eis futuræ præire miraculis facias: Tu insignes Evãgelii Prædicatores animalium Cœlestium admirabili figurâ præsignasti : His namq; cæleste munus collatũ gloriosis indiciis es dignatus ostẽdere: hinc laus, hinc gloria tibi resonet in sæcula.* Si inquam in illis hoc privilegium ita extollit & elevat Ecclesia, quid de hoc Beatissimo viro D. Josepho dicemus? quid sentiemus de illo cujus totus vitæ & historiæ cõtextus, ádeò accuratè, adeò distinctè, adeò particulariter fuit adumbratus & præfiguratus? Si talis est, & tantus in creta, ut aiunt, seu levi densâ delineatione, qualis erit & quantus totâ Dei arte & manu elaboratus.

Magnus fuit Abraham, magnus XXV.
Josuë, magnus David, magnus Joseph Pro-rex Ægypti, magni alii in quibus præfiguratus est D. Josephus, & eos mirata sunt & mirabuntur omnia sæcula in eo quod ipsi illa habuere in quibus tantùm fuerunt figura eorum quæ Deus perfectè complevit in hoc Beatissimo Viro, quantus ergò ipse in quo eorum perfectio & complementum, quorum in illis umbra sola, sola figura, sola proludia, tentamenta sola? Si eximius aliquis Pictor aliquod suæ specimen artis aggressurus, incipiens ab illius primâ delineatione, quam vocant umbram, illam faceret adeò excellentem, ut digna esset quæ in publicum exponeretur, & ut exposita de facto omnes in admirationem sui raperet, quale quæso futurum esset opus ipsum, istius umbræ & tentamenti omnibus suis numeris absolutum? Quis artifex, qualis Deus? Vide quantum ipse excelluerit in prodromis seu proludiis S. Josephi & tentamentis à nobis jam propositis, & conjice quale quàmque divinum opus, ipse evaserit?

Dicamus ergo quod quamvis Deus XXVI.
actus sit purissimus & simplicissimus, seu ut aiunt actualissimus, id est omnis expers compositionis, tam quoad operationes suas, quàm quoad substantiam & attributa sua; ita ut in Deo non sit aliud bonitas quàm sapientia, sapientia quàm potentia, potentia quàm essentia, intellectio quàm ipse intellectus; quamvis etiam certum sit Deum agere ex ratione seu cognitione infinitâ, quæ inconceptibili suâ subtilitate omnia imitus usque ad fundum in instanti pervadit, penetrat & comprehendit, nihilque sit in illâ prius, nihil posteriùs, sed omnia sint in illa simul & semel, sine ulla successione; attamen quia propter intellectus nostri imbecillitatem & limitatam potestatẽ, illum cognoscendi modum Dei nostri attingere non possumus, ideoque concipimus cum per intellectum & ratio-

nem agentem non procedere in illis quæ facit ad extra, nisi ad modum nostrum, dicimus consequenter productionem D. Josephi opus esse adeò excellens & sublime, ut Deus in mente sua illius idæam præformaverit atque ut undequaque perfectum eum redderet, eo ferè modo se gessisse quo sapientissimus artifex qui non solet ad summi alicujus & excellentissimi operis executionem priùs manum admovere quàm animum, atque adeò nonnisi prius maturè consideratis & perpensis illis omnibus in quibus est actus, idest quę cõducere possunt ad operis suscepti perfectionem, selectis ex variis quæ occurrunt illis quæ aptiora sunt, ut illud omnibus numeris evadat absolutum: Deniq; tentatâ, priùs quàm ad materiã ex qua illud prenobile opus conficiendum est, arte suâ in aliâ minoris pretii & valoris materiâ: Et hoc de Proludiis.

# TRACTATUS SECUNDUS.

## Divus Josephus Filius Davidis Regis in Esse Naturali.

### CAPUT I.

### *Quomodò D. Josephus Filius Davidis Regis.*

I. HIC incipimus descendere in materiam in fronte hujus Partis præfixam post præmissã ex necessitate illa quæ in præcedentibus prolusimus: Ordo enim rationis exigebat, ut priùs agnosceremus quàm insigniter hoc præcelsum & prænobile gratiæ opus, à Supremo artifice Deo fuerit decretum & præordinatum. Deinde quàm accuratè delineatum, adumbratum & præfiguratum, in illis Sanctis qui illum præcesserunt: ac tum demum consideraremus materiam ex qua illud idem opus compactum est, petram ex qua vir ille Sanctissimus excisus est, sanguinem ex quo concretus est, quod hîc & sequentibus capitibus factum imus.

II. Dico ergo fuit D. Josephus verè & propriè Filius Davidis Regis, quemadmodum in argumento hujus capitis propositum, non immediatus sed mediatus, & remotus: Est de fide & manifesta res est ex Scriptura sacra, primò ex Lucæ c. 1. vers. 26. & 27. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilææ cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph de domo David.* Secundò, ex Lucæ c. 2. in initio, ubi cùm exisset Edictum à Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis, & omnes irent ut profiterentur singuli in Civitatem suam, idest ubi erat caput familiæ, dicitur & Joseph ascendisse à Galilea de Civitate Nazareth in Civitatem David quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de domo & familia David.

III. Unde D. Justinus martyr cognomento Philosophus orat. ad Antoninum Pium Imperatorem dixit audacter, *Christum natũ in Bethleem ex descriptionibus census quæ sub Cyrino primo vestro in Iudæa Procuratore confectæ sunt intelligere potestis*: & Tertullianus lib. 4. contrà Marcion. c. 7. *Censum, inquit Augusti; testem fidelissimum Dominicæ Nativitatis Romana Archivia custodiunt*: ut credibile sit hanc ob causam Deum voluisse hanc fieri descriptionem à Romanis, ut exinde fideles infidelibus efficaciter probare possent & Christum promissum in lege venisse, & in Bethleem natum conformiter prophetiis de illo, & Filium esse Davidis & Abrahæ.

IV. Quod verò Justinus & Tertullianus dicunt de Christi Domini Nativitate, quod scilicet Tabulæ Romanæ illi attestentur, hoc quoque dicendum de D. Josephi & Christi Domini familia, quod scilicet uterque sit de familia David.

Pro-

V. Probatur tertiò, ex Matthæi c. 1. vers. 20. *Ecce Angelus Domini apparuit ei in somnis dicens Ioseph Filii David noli timere accipere Mariam conjugem tuam*: in quæ verba potest inquiri quare in hac occasione D. Josephum Angelus appellet Filium David, ad quod respondeo ex mente nostri Imperfecti in Matth. c. 1. circa finem & D. Paschasii lib. 2. in Matth. Cùm tunc impleretur promissio facta Davidi quod de ejus semine Christus erat nasciturus, vocans tunc eum Angelus Filium David in memoriam ei reducebat istam promissionem ut eum relevaret: quasi dicens, Joseph quid turbaris? memento te esse Filium David: Memento Davidi promissum de ejus semine Messiam aliquando nasciturum. Cùm ergo in conjuge tua pro qua turbaris hoc quod natum est illud ipsum sit quod fuit Davidi promissum, vide quàm tu sis fœlix inter filios Davidis, utpotè cui ista tanta benedictio reservata est.

VI. Probatur quartò, hac evidenti ratione, quia oportuit omninò ad tempus aliquod mysterium Christi & Divinæ Incarnationis ejus diabolum latere & homines: diabolum quidem quia si illud agnovisset utique scivisset Christum Dominum esse promissum humani generis Redemptorem, ac propterea tantùm abest ut mortem ejus (ex qua futura nostra salus) procurasset, quin potiùs è contra omnibus modis impedire studuisset: homines verò, quia si apertè etiam id cognovissent, nec fortè illos quantumcumque sui immemores, & cujusvis attentati capaces tota malitia diaboli ad istud faciendus unquam impellere potuisset.

VII. Quare consequenter necessarium fuit ut Christus ad tempus non appareret saltem evidenter nisi homo: quod non benè successisset, nisi ita venisset, ut ex apparentiis putaretur filius viri & mulieris ut cæteri homines: & propterea licet conceptus sit & natus ex Virgine quia Deus, nonnisi tamen de desponsatâ priùs Viro D. Iosepho, (quo demon detentus est & illusus) undè factum ut non sit existimatus nisi homo, qui non natus nisi de muliere cõjugatâ.

VIII. Cùm ergò necesse fuerit, & ita voluerit Deus ut Christus, ad tempus appareret & reputaretur filius viri & mulieris ut cæteri homines, necesse quoque fuit omninò ut D. Josephus ex quo genitus esse putatus est, Lucæ cap. 3. vers. 23. ex eodem genere esset, ex quo Christus esse debebat, si enim ex alio & alio genere hic & ille descendisset, fuisset data Judæis occasio offensionis & petra scandali, fuissentque excusabiles, si Christo dicenti se Christum esse, vel aliis attestantibus ut Joanni Baptistæ, contradicente ejus nativitate ex alio genere quàm quo procedere debebat secundùm Scripturas, non credidissent, eumque propterea repudiassent: immò secùs faciendo imprudenter fecissent, quandoquidem eis constitisset illum qui ab omnibus existimabatur ejus Pater (& cujus contrarium, tunc credere non poterant) non ex eo genere descendisse, ex quo Christus in Scripturis Sanctis prædictus erat descensurus.

IX. Ne verò quidquam ad certitudinem tantæ veritatis tantique momenti desiderari posset, Sacri nostri Evangelistæ Matthæus & Lucas, eam etiam probatam nobis reliquerant, eodem prorsus modo, quo solet omnium descensus hominum probari, scilicet per genealogiam seu deductionem & seriem Progenitorum D. Josephi, non solùm naturalium sed etiam legalium, ut res esset clarior & manifestior.

X. Dices cum Laurentio Valla & Ambrosio Calepino in Dictionario quod hodie ab Authore suo nomen obtinuit Calepini, verbo *Pater*, sub hoc *Patris nomine* ad summum cõtinentur Progenitores proximiores, Pater, Avus, Abavus, Proavus, & Atavus, non autẽ Tritavus multò minùs remotiores, quia inquiunt cùm dicimus patrum nostrorũ memoria aliquid esse factum, non aliter ab omnibus intelligitur quàm de progenitoribus proxima ætate ante nostram, qualis non est illa Tritavi aut alia remotior: unde cõsequenter nec propriè loquendo aut David erit Pater D. Josephi, aut D. Josepus erit Filius Davidis.

XI. Sed Respondeo nimis infirma est Laurentii Vallæ & Ambrosii Calepini ratio, ut deseramus authoritatem sacrę Scripturæ, quæ Christum Dominum & D. Josephum disertè vocãt filios David,

quæ Judæos ab Abrahamo descendentes licet in gradu remotissimo appellat Abrahæ filios, quod quidem adeò firmum est & indubitatum, ut ex istis scripturis tanquam verissimâ ac certissimâ Regulâ, Theologi Scotus in 4. Sent. distinct. 50. quæst. unic. art. 2. noster Bacchonius in 4. distinct. 38. quæst. unic. art. 2. ad fin. Noster idem Urbanus ab Ascensione Theolog. suæ Moralis tract. 3. tit. 15. c. 5. & alii sine numero Theologi docuerint esse perpetuum impedimentum contrahendi matrimonii inter ascendentes & descendentes tam de jure gentium quàm de jure divino & honestatis naturalis. Ita ut etiam antiquissimi Jurisconsulti negarint in ea lineâ rectâ ascendentium & descendentium ullum consistere posse matrimonium. Ita Caius ff. de ritu nuptiarum 53. ubi sic ait: *Nuptiæ consistere non possunt inter eas personas quæ in numero parentum liberorumve sive proximi sive ulterioris gradus sint usque ad infinitum*, & Instit. §. ergo de Nuptiis. *Nuptiæ cum quâcumque personâ in infinitum in lineâ rectâ*, cõtrariæ appellantur nefariæ & incestæ.

XII. Et licet contrarium hujus ultimi id est quoad nuptias contrahendas doceat noster Corneio tomo 2. in 3. part. D. Thomæ tract. 6. de impedim. matrim. disp. 7. dub. 12. conclus. 2. & alii ab eo ibi citati, ratio tamen pro oppositâ sententiâ, quod nimirum inter illos perpetuum sit impedimentum est efficax & manifesta, ne scilicet fiat subditus per matrimonium, qui est superior per naturam vel è contra.

XIII. Sed quidquid sit tandem de hoc impedimento, non tamen negant Corneio vel alii ab eo citati intercedere inter illos ascendentes & descendentes, rationem Principii & Principiati quod hic intendimus. Quare rectè & verè etiam in opinione nostri Corneio & cum eo opinantium, D. Josephus descẽdens ex Davide rege per lineam rectam, rectè dicitur filius ejusdem Davidis.

XIV. Deinde cur quæso consanguinitas lineæ rectæ potiùs clauderetur in sexto gradu quàm vel in septimo suprà, vel in quinto infrà? Secundò, quomodò potest hoc esse verùm quod putant Calepinus & Laurentius Valla, cùm etiam in linea collaterali olim impedimentum matrimonii extenderetur usque ad septimum gradum? Tertiò, tandem ad rationem Vallæ & Calepini respondeo, cùm dicitur aliquid actum esse de Patrum nostrorum memoriâ id non posse extendi ad omnes ascendentes seu positos in lineâ rectâ in infinitum, quia tunc sermo intelligitur de Patribus illis à quibus res illa à nobis ultimò accipi potuit, & à quibus hi ultimò accipere potuerunt, itaut non ulteriùs progredi permittatur: hac autem ratione quæ dicuntur acta de Patrum nostrorum memoriâ non extenditur ultra quintum aut sextum gradum ascendentium in lineâ rectâ: sed aliud est longè rem aliquam memoriam Patrum non excedere, aliud eorum non excedere consanguinitatem: primum probat ratio Vallæ & Calepini; contra secundum stat Scriptura & ratio.

Non tantùm fuit D. Josephus verè XV.
Filius David origine & sanguine, sed fuit etiam fide & virtute, ut patebit ex dicendis per totum hoc Opus, quod quidem est excellentius & principalius, ut enim præclarè noster Imperfectus in Matthæum cap. 3. ad illa verba D. Joannis Baptistæ ad Judæos, *Nolite dicere intra vos Patrem habemus Abraham*, idest, ut dicunt Judæi, Joann. cap. 8. vers. 32. *Semen Abrahæ sumus.* Et vers. 39. *Pater noster Abraham est*, cui scilicet à Deo promissio facta est in filiis & posteris suis complenda. *Nolite*, inquit Imperfectus, verba Baptistæ interpretans, *gloriari dicentes, quia Patrem habemus Abraham, sed magis erubescite, quia filii ejus estis, & sanctitatis ejus non estis hæredes: ipse enim suo testimonio se convincit quia de adulterio natus est, qui non similatur Patri.*

Quare D. Josephus verè undequa- XVI.
que Filius David, cùm & ab eo carne descendat, & ab ejus moribus non discedat. Ex quo iterùm respondetur ad quæstionem cur ab Angelo semper nuncupatus sit filius David D. Josephus, non verò filius Jacob, à quo tamè immediatè genitus, aut filius Heli, qui ex lege Deuteronomii genitus, quia nimirùm David excelluit in virtute & sanctitate supra omnes ejus Progenitores, & ipse ut verus ejus filius & ab eo verè progeni-

tus

tus omnem Davidis parentis virtutem referebat.

XVII. Hinc D. Antoninus part. 4. Theol. tit. 5 cap. 8. *Dicitur*, inquit, *Ioseph de domo David non tantùm propter successionem in genere, sed principalius propter virtutum imitationem, quia tales propriè dicuntur esse de unâ domo*, juxta illud Psalmi 67. vers. 7. *Qui habitare facit unius moris in domo.* Et D. Bernardus homil. 2. super *Missus est*: *Verè ergò de domo David*, inquit, *verè ex regiâ stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior, planè filius David, non degenerans à Patre suo David. Prorsus, inquam filius David non tantùm carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione.*

XVIII. Sed pressius adhuc Rupertus lib. 1. in Matth. c. 1. ubi quærit cur Deus Iosephum permiserit cadere in anxietatem ex viso utero suæ uxoris, & quæstioni satisfacit. *Hic*, inquit Rupertus, *perunctari libet, quare timorem ejusmodi Deus illi evenire permiserit? quare non prævenit? quare hunc ipsum Angelum, quem tandem missurus erat, non misit antea? tunc scilicet quando misit ad Virginem quæ ei desponsata erat: videlicet ut tentaretur, & manifestum fieret tam sanctis Angelis quàm nobis hominibus de ipso quod esset Iustus, & talis qui dignè sic deberet appellari* Joseph fili David. *Hic etenim idem Pater ejus David maluit exulare quàm uti permisso legis dicentis, Diliges amicum tuum & odio habebis inimicum tuum. Tradiderat in manu ejus Saül odientem & persequentem, & nunc (ait ei Abisai) perfodiam eum lanceâ in terra semel, & secundò opus non erit. Ait ille, vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut in prælium descendens perierit: propitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam in Christum Domini: Et post hæc surrexit David & abiit ad Achis Regem Geth, & habitavit cum Achis in Geth: quomodo iste Iustus Ioseph occultè dimittere eam voluit dimittere eam voluit quam habebat desponsatam, nisi proficisceretur in regionem longinquam sicut fecit ille David? Amplius autem ex eo filius David tam insigniter tali in re, tali in tempore dignus fuit appellari dicente Angelo,* Joseph fili David. *Quia fidem habuit eandem quam habuit Pater ejus fidelis David: quippe qui priùs inaudita credidit, videlicet quod ipsa quæ conceperat Virgo esset secundùm verba hæc ejusdem Angeli*, Quod enim in eâ natum est de Spiritu Sancto est, &c. *Nam promissionis sive repromissionis, in quâ credendo Pater Abraham justificatus & amicus Dei appellatus est consummatio est hic sermo Angeli quem in somnis accepit, & statim obedivit Deo credulus puellæ benevolus, eatenus Vir Iustus, exinde justissimus.*

Neque aliter ferè fieri potuit quippè XIX.
qui non tantùm ex nobilissimo illo sanguine Davidico progenitus est, sed etiam ex defœcatissimo: Quomodo verò hoc? in eo scilicet quod Pater qui genuit eum Jacob scilicet filius Nathan Matthæi cap. 1. eum genuit, non concupiscentiâ sanguinem & carnem ad id inflammante, sed virtute hanc & illam coërcente & refrigerante: processit enim ad ejus generationem ex Dei lege Deuteronomii cap. 25. præcipiente ut fratri suo Heli sine liberis demortuo suscitaret semen in ejus uxore superstite.

Placet ergò mihi maximè hic quod XX.
de Viri Sancti formatione eleganter admodum pronunciavit Boëtius lib. 4. de Consolat. Philosophiæ Prosa 6. *Viri Sancti corpus virtutes ædificarunt.* In quem enim melius hoc dictum quadrat quàm in D. Iosephum nostrum, cujus formatio fuit ipsa Divinæ Legis observantia & voluntatis Dei per præceptum significatæ executio? cùm Pater qui eum genuit non processerit ad ipsius productionem ex suâ, sed ex Dei voluntate.

Non itaque caro seu concupiscentia XXI.
propriè habuit locum in generatione hujus Sanctissimi Viri, sed Lex Dei. Quantum ergò Sanctus? Si ab Heli ad quem ex lege pertinuit genitus fuisset utique concupiscentia corpus D. Iosephi ædificasset, sed à Iacob fratre Heli defuncti ex præcepto legis genitus, lex certè corpus ipsius edificasse dicenda est: Divinitus ergò procuratum est ut ita D. Iosephus nasceretur, quatenus ex ipso etiam ortu ejus, patesceret Virum magnæ virtutis futurum qui tali modo nascebatur, ubi scilicet desinente lasciviâ concupiscentiæ carnalis constabat, quia nulla in conceptione ejus

causa voluptatis, sed sola cogitata sit spiritualis gratia prolis.

XXII. Quare quod Menæus Græcus de Sancto dixit Gregorio Nanzianzeno. *Si statua ex singulis cunctisq; virtutibus humanâ effigie formanda esset talem fuisse Gregorium scito.* Idem ego fortioriq́ue jure dico de Divo nostro Iosepho. Si statua virtutis formanda est, si virtus ipsa coloribus depingenda est, pingatur D. Iosephus, vel è contra si D. Iosephi forma delineanda est, virtus exprimatur: Detur Sanctissimo Viro frons modestiæ, dentur mansuetudinis oculi, genæ verecundi pudoris, prudentiæ labia, os temperantiæ, liberalitatis ac justitiæ manus, pedes fortitudinis & diligentiæ, pectus denique charitatis.

XXIII. Sed si talis forma exterior, quid dicemus de animâ seu spiritu inquilino? de hoc fusissimè per totum hoc opus: hoc tantùm anticipando præmitto. Quod adulatoriè & mendaciter aut certè hyperbolicè de Alipio jactabat Ennapius in Jamblich. *Alipius fuit totus anima.* Verissimè asserendum de viro illo Sanctissimo de quo mihi hic est sermo, *D. Iosephus totus fuit anima*: ejus enim cogitatio nihil spectabat quod esset carnis, ejus affectus & amor nihil respirabat quod esset carnis: immò nec sensus corpori licet immersus quidquam sapiebat quod esset carnis, *Erat enim totus anima.*

XXIV. Audeam ergo hic antiquum proferre Theologiæ Rabbinicæ figmentum, quia rei nostræ mysterium videtur continere. Dicunt illi animas hominum scintillas esse ab illo infinito decisas splendore, qui de Dei vultu promicat: Corpora verò ex nivium thesauro, qui sub Isabello seu throni ejus subsellio reconditur, educi.

XXV. Quidquid sit de illâ Theologiâ, fictitia sit an Symbolica? Non litigo: quis tamen non diceret divina illa materialia in sancti formationem Josephi fœliciter coaluisse? Illumq́ue totum ex illis compositum fuisse?

XXVI. Enimverò quid in nive spectandum? quod frigida sit & candida in summo. Et cùm Divum cernimus Josephum, ut infra exhibebitur, in ætate floridâ constitutum, cum puellâ omnium speciosissimâ diu noctuq́ue cohabitantem, & cum illâ per totos triginta annos continuò conviventem, & continentem ita castè, ut ne vel minimùm carnis passus sit ne dicam æstum, sed nec motum, quid dicemus? Nonnè carnem illius niveam fuisse? O quanta frigiditas! sed ô quantus candor! ô quanta puritas! hæc pro ejus corpore.

XXVII. Cùm verò eum in tot occasionibus adeoq́ue urgentibus, quas in decursu hujus operis videbimus, in quibus temperatissimus quisque concitaretur, tam tranquillum, tam moderatum, tam pacatum conspicimus, an dicemus illius animam aliud quàm æterni luminis è facie Dei promicantis esse scintillam? ut verè ac veriſſimè si quis ullus de se Divus potuerit dicere Josephus illud psalm. 4. v. 7. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lętitiam in corde meo.

XXVIII Cœterùm cùm titulus hujus capitis, *Ioseph filius Davidis Regis*, non significat D. Josephi Patrem immediatum, ut pater, sed mediatum tantùm & remotum, eumq́ue valde diffitum, ut constat ex ejus genealogiâ, Matth. c. 1. cogimur antequam ad ejus Patrem immediatum veniamus, ejus progenitores repetere.

## CAPUT II.

### *De Progenitoribus & Genealogia D. Josephi.*

I. QUÆSTIO hæc una est è difficilioribus totius Evangelii, & quæ omnes fatigavit ejus Interpretes, nosq́ue hic diutius quàm vellemus detinebit. Sed nostrum & illorum in hoc laborem damnatus damnat Lutherus apud Patrem Canisium lib. 1. de Deipara c. 3. & damnatum censet 1. ad Timoth. c. 1. ubi sic Timotheo Apostolus, *Rogavi te ut maneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, & ut denunciares quibusdam ne intenderent fabulis & genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant, magis quàm ædificationem Dei quæ est in fide.* Item ad Tit. c. 3. v. 9. his verbis: *Stultas quæstiones & Genealogias, & contentiones & pugnas legis devita, sunt*

*sunt enim inutiles & vanæ.*

II. Sed propius ad rem, nonne ignobilia mundi elegit Deus eodem Apostolo teste, 1. Cor. 1. c. vers. 28. & contemptibilia & ea quæ non sunt, (scilicet in oculis superborum) ut ea quæ sunt, scilicet eosdem superbos qui seipsos demirantur destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei? Quid ergo est quod Christianus Encomiastes in Sancto cujus Magnalia evicere susc pit, Progenitores ejus à quibus carnalem traxit originem attendit, & in illis aut recensendis, aut asserendis & probandis, temporis jacturam simul & laboris ac verborum facit?

III. Certè D Augustinus in illud psalm. 28. Conteret Dominus Cedros Libani, nullam aliam apud Deum nobilitatem esse præter virtutem eò concludit, quod Principes Ecclesiæ suæ ac ejus Fundatores non alios elegerit quàm pauperes, mundo ignobiles, idiotas & contemptos. Unde optimè D. Hieronymus ad Celantiam. *Nescit Religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum sed animos inspicit singulorum, servum & nobilem de moribus pronunciat: sola apud Deum libertas est non servire peccatis, summa nobilitas clarum esse virtutibus.*

IV. Quin etiam Apuleius apud Cornel. à Lapide in c. 2. epist. S Jacobi: *Laudas*, inquit, *aliquem quia generosus est, parentes ejus laudas non ipsum: si autem quia dives, fortunæ hoc debetur: si verò eum laudas quia bonis moribus sit, tunc ipsum virum laudas non aliena.* Et Lucan. in Pis.

——— *Perit omnis in illo*
*Nobilitas, cujus laus est in origine solâ.*

Itaque *explorandi homines*, inquiebat Bion ad Antiochum, *non unde sed quales sint.*

V. Unde patet quàm stulta sit hominum vanitas qui eo se meliores æstimant aliis & laudabiliores, quo plures ante se numerare possunt sine ulla intermissione Progenitores: *Omnibus enim nobis*, inquit eleganter Seneca epist. 44. *totidem ante nos sunt: nullius non origo ultra memoriam jacet, Plato ait neminem Regem non ex servis esse, neminem servum non ex Regibus: Omnia ista, inquit, longa varietas miscuit, & sursum deorsum fortuna versavit. Quis ergo generosus? ad virtutem benè à naturâ compositus. Hoc unum est intuendum: alioqui si ad vetera revocas, nemo non inde est, ante quod nihil est. A primo mundi ortu usque ad hoc tempus perduxit nos ex splendidis sordidisq; alterna series. Non facit nobilem Atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in gloriam nostram vixit: nec quod ante nos fuit nostrum est. Animus facit nobilem, cui ex quacumq; conditione supra fortunam licet surgere.*

VI. Absit ergò à Sapientibus, absit à Christianis veri Dei servis putida temporum comparatio, apud quos Christus est novus homo, Adam vetus. *Quæ enim*, inquit Petrus Blesensis epist. 3. tom. 12. part. 2. Bibliothecæ Magnæ Sanctorum Patrum, *utilitas in veteri trunco si jam emarcuerit, si ab eo fructus commendabilis non processerit.* E contra si hominum ullis probro vertenda est aut objicienda novitas, id maximè nobilibus inertibus faciendum ac vitiosis, qui sese ipsi, nihil boni agendo, aut etiam malè agendo non novos solùm, sed novissimos hominum faciunt de primis.

VII. Ut porrò hoc per amplius & evidentius pateat, observandum communiter tria numerari nobilitatis fundamenta: sanguinem seu originem, arma, litteras: nam quartum quod ab opibus venit, & ab emptis per eas titulis, etiamsi Horatius dicat,

*Et genus & virtus nisi cum re vilior algâ est.*

nimis vile & abjectum existimant benè cordati, ut istis accenseatur.

VIII. Prima nobilitas est, quæ ab alto sanguine, & à Majoribus vetustis ac Generosis profluit ad posteros non degeneres. Secundam facit Armorum generosa tractatio, heroïca facta pro Aris & Focis, pro Patriâ, pro Rege, pro Republica; Dignitates ac gradus militares, fortitudinis merito comparati. Tertia nascitur ex litteris, primisque Curiarum & Tribunalium subselliis eruditione occupatis, & æquitate illustratis.

IX. Sed inter omnes solet ab omnibus præferri prima: & meritò tùm quia antiquior est & magis firma, tùm quia hæc nobilitas Generis ut plurimùm secum

secum affert nobilitatem animi.

X. Verùm enim verò quid juvat sanguis Majorum, si absit virtus illorum? *Omnis*, ut argutè Petrarchus lib. 1. de Remediis dialog. 16. *propemodùm sanguis est concolor, sicubi clarior est, id non nobilitas sed sanitas efficit.* Quis nobilior sanguis sanguine Christi, in quo omnium fundata est adoptio Christianorum, per quam non tantùm nominamur filii Dei, sed & sumus, 1. Ioan. cap. 3. Certè hæc tanta est, ut D. Chrysostomus homil. 20. in Matthæum, ad illa verba, *Pater noster qui es in cœlis*, ex Oratione Dominicâ hæc proferat. *Quid noxæ de terrena ignobilitate metuendum est, quando cœlesti omnes nobilitate conjungimur? & nullus alio amplius de illo honore possideat, neque locuples pauperе, neque dominus servo, neque judex ministro, neque Rex milite, neque Philosophus barbaro, nec sapiens imperito? Cunctis enim atque eandem nobilitatem donavit Deus cùm dignatus est omnium Pater vocari.*

XI. Hæc tamen Nobilitas licet tanta omninò vana est, nihil est, si suis actionibus nuda est. Hinc Psalm. 81. vers. 6. *Ego dixi Dii estis & filii Excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini.* Ubi Regius Propheta primò declarat hominis nobilitatem excelsam, in eo quod sit filius Dei. Secundò ostendit hujus nobilitatis licet tam excelsæ vanitatem & inutilitatem, si cum illa ut homines ignobiliter, non ut filii Dei vixerint. Idem ergo est ac si diceret Propheta, Estis quidem filii Dei fateor, verùm tamen quia non vivitis ut filii Dei, quod estis ex adoptione, sed ut homines terreni, quod estis ex creatione; non moriemini ut filii Dei, quos divinior & fœlicior vita expectat, sed moriemini ut homines terreni, quorum omnia mors absorbet.

XII. Vin ampliùs videre hujusce rei vanitatem? Magnum est homini esse filium Dei adoptione, sed infinitè majus est esse ejus filium naturâ quod soli competit Christo, ratione suppositi divini. Sed Christus Dominus Ioann. cap. 10. vers. 37. ait. *Si non facio opera Patris mei nolite credere mihi.* Quare quid concludendum hîc nisi quod Sanctus Præcursor, Matth. cap. 3. vers. 9. *Ne velitis dicere intra vos Patrem habemus Abraham.* Nolite, inquam dicere iste vel ille Patrem habet Davidem, Justinianum, Constantinum, &c. Ut enim pulchrè suo more noster Imperfectus in illum Matth. locum cap. 3. *Quid prodest ei quem sordidant mores generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis quem mores adornant? Ipse se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit qui gloriatur in Patribus. Quid profuit Cham quod filius fuit Noë? nonne separatus de medio filiorum, qui secundùm carnem frater natus fuerat, secundùm animam factus est servus? nec familia ejus sancta potuit defendere impios mores. Aut quid nocuit Abrahæ quod Patrem habuit Thare luteorum Deorum cultorem? nonne separatus à genere suo positus est in caput fidelium, ut jam non diceretur filius peccatorum, sed Pater Sanctorum? Nec potuerunt gloriam ejus sordidare paterni errores.*

Prosequitur eâdem eloquentiâ noster Imperfectus. *Aurum de terra nascitur, sed non est terra. Et aurum quidem eligitur, terra autem contemnitur: Et stannum de argento egreditur, sed non est argentum: Itaque argentum, colatum servatur; stannum autem foras expellitur. Melius est de contemptibili clarum fieri, quàm de claro genere contemptibilem.* Hęc iste Sanctus Doctor. XIII.

Quibus addo quod noster Petrus Obladen Opere cui titulus *Filius Prodigus*, disc. 7. §. num. 3. in Proto-parentibus nostris Adamo & Evâ Deus non respexit originem, sed virtutem: Si quidem certum est Deum Adamum formasse ex limo terræ, dicente Scripturâ Genes. c. 2. vers. 3. *Formavit igitur Deus hominem de limo terræ*, qui tamen fuit primus Princeps & Caput totius humani generis. O sordidam materiam Prælati tam nobilis! Nobiliori ex materiâ fœmina generata refertur, de cujus origine dictum est ibidem v. 21. & 22. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cùmq; obdormisset tulit unum de costis ejus & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem.* Quis horum nobilius stemma habuit? Adam creatus est in Campo, Eva in Paradiso: ille ex limo sordido, hæc ex osse candido: ille ut colonus XIV.

operaretur

operaretur, hæc ut viventium esset Genitrix. Nunquid ergo huic assignanda erat Prælatura ? Divina tamen Sapientia, tam illustri Creaturæ dixit, *Sub viri potestate eris & ipse dominabitur tui.* Genes. cap. 3. vers. 16. O mirum Dei consilium quo formosæ & nobili creaturæ, sordidum & terrenum colonum præposuit ! Cur istud? quoniam virtutes & qualitates pensavit non originem: quid proderat fœminæ genitam esse de costâ vivente & solidâ, cùm in facti contingentiâ esset fragilis in mẽbris & volubilis in intellectu? Quid contulit in Paradiso flores inter & delicias instituta nativitas, si abjectum animum formoso tecto vestivit? Adam creatus in campo, intellectum formâ possidebat Angelicum, in terreo corpore, animum Regium sustentabat: quæ merita pensans distributor supremus supra fœminam viro contulit Prælaturam. Hæc noster Obladen ex ex D. Ambrosii Observatione lib. de Paradiso c. 4. ubi hæc habet, *Extra Paradisum vir factus est, mulier intra Parad sum, ut adverteres quod non loci, non generis nobilitate sed virtute unusquisque sibi gloriam comparet.*

XV. Præterea quis nescit quod quemadmodum ex mari salso dulces fluunt fluvii, ita sæpissimè ex ignobilibus Parentibus nobiles oriuntur filii, & quod è contra ut ex fontibus puritissimis & limpidissimis rivos videmus manare turbidissimos & cœnosissimos, ita ex clarissimis natalibus natos spurcissimos : Nam veluti aquæ fluviorum cursu, maris amittunt salsedinem, sic Parentum ignobilitatem filii gestis suis exuunt, & è contra sicut aquæ puri fontis fluxu sordes colligunt, sic nobilium nati vitiis genus suum inquinant.

XVI. Denique ideò nobiles censentur illi qui parentes habuerunt qui virtute sua laudem & gloriam sibi comparaverunt, quia existimabantur futuri, vel esse tales quales ii à quibus sunt geniti: nobilitas ergo in præsumptione est, & in conjecturâ tantùm habet fundamentum. Hinc sequitur in nullo habendum pretio, nec nobilem censendum eum quem manifestè videmus ignobiliter agere, ac moribus vilem esse, licet Progenitores habeat illustrissimos, quia omnis conjectura & præsumptio cessat ubi adest rei evidentia: unde fit consequenter ut apud Deum nulla nobilitatis ratio habeatur: quia Deus non ex conjecturis judicat, qui omnia perspicit & usque ad fundum penetrat, & ideò sicut coram eo omnis conjectura cessat, sic & nobilitas quæ in eâ fundatur. Quare coram Deo ille solus nobilis est, qui revera, idest qui merito suo & virtutibus suis talis est. Propter quod fortè Angelus in somnis apparens Josepho Sancto eum compellans Filium David, non addit *Regis*, ut vocaverat Salomonem dicens: *David autem Rex genuit Salomonẽ ex eâ quæ fuit Uriæ*, ut innueret Regium titulum nihil esse, & quod virtus D. Josephi per se satis nobilitata, nullo Regio stemmate ad sui decorem & commendationem indigebat: ita noster Sylveira in Evangel. tom. 1. lib. 1. cap. 10. quæst. 13. n. 49. quod cùm ita sit, cur ergo dum de D. Josephi magnalibus quæstio est, aliis immoramur quàm ejus meritis & virtutibus recensendis ?

Respondeo primò, tria generatim XVII.
bona à nobilitate sanguinis quam dixi inter omnes primam, & de quâ hîc sermo, provenire: primò enim nobilitas sanguinis, ut à virtute prodiit ita in virtutem à quâ esse accepit, inclinat. Et hinc est quod Nobiles videmus magis proclives ad magnanimitatem, fortitudinem, constantiam, sinceritatem, probitatem, justitiam, solertiam, sagacitatem, humanitatem, liberalitatem, quæ non parva sunt hominis ornamenta. Quare S. Ambrosius in c. 1. Lucæ ubi de Parentibus & Majoribus D. Joannis Baptistæ ita loquitur. *Docet nos Scriptura Divina non solùm mores in iis qui prædicabiles sunt* (qualis fuit D. Ioannes Baptista) *sed etiam parentes oportere laudari: ut veluti transmissa immaculatæ puritatis hæreditas in iis quos volumus laudare præcellat.* Secundò habet exemplum Majorum à quibus nobilitatem acceperunt, ut similia agant & quæ illi per quæ nobiles facti sunt: Propter quod D. Hieronymus aiebat, *Nil aliud video in nobilitate, nisi quod nobiles quadam necessitate constringantur, ne ab Antiquorum nobilitate degenerent.* Undè nobilibus qui ignobiliter vivunt

solet exprobari objiciendo illis suos Progenitores in quibus gloriantur. Sic Christus Judæis gloriantibus se esse filios Abrahæ. *Si filii Abrahæ estis*, inquit, *opera Abrahæ facite.* Sic etiam Iphicrates Hermodio ignobilitatem, ut qui cerdonis filius esset, sibi improperanti sic falsè retorsit. *Meum genus à me initium sumit, tuum autem in te desinit.* Ita ex Plutarcho Stobæus serm. 84. Tertiò denique Nobilitas virtuti splendorem aspergit, & gratiam non mediocrem. Quemadmodùm è contra *Genus deductum ab Illustribus Majoribus ignominiosis factis dehonestare probrum est turpissimum.* Teste Philone Judæo de Joseph.

XVIII. Cùm ergò hoc genus laudis non defuerit D. Iosepho nostro, cur illud sileremus? quin immò dicamus quis mortalium illum in hac parte superavit? aut quem ille non est trangressus, qui Progenitores habuit primarios totius mundi, maximèque conspicuos à sanctitate, à dignitatibus, à religione, à scientiâ, ab heroïcis factis pro Deo, pro Republicâ, pro universo orbe & omni humano genere patratis? scilicet Patrem fidei nostræ Abraham, & Principes Patriarchas, Prophetas, Duces, & Reges, Isaac, Iudam, Iacob, Booz, Davidem, Salomonem, & cæteros quos longâ serie recenset Matthæus cap. 1. ex quorum generosissimo & defæcatissimo sanguine procreatus est, & ideò per omnia Magnus.

XIX. Sed quamvis hoc ita sit, indeque soleant alii non parùm laudari, non ideò tamen potissimum hîc D. Iosephi glorioſam referimus Progeniem, quod illum ex hoc velimus magnum, quia ex illis descendit, aut etiam illorum mores imitatus est, sed quod ille ex iis descendens tantus evaserit, ut illorum merita longè supergressus illorum gloriæ & splendori cumulum & augmentum tantum addiderit, ut nulla illud assequi cogitatio, nulla lingua quantumvis diserta eloqui possit, ut ideò in ordine genealogiæ Christi Domini videatur positus ultimo loco, quasi in quem defluxerint, & qui in se collegerit totum genus suum, & omnium Progenitorum suorum & Christi Domini merita, virtutes, fidem, sanctitatem, coacervarit: eòque videtur respexisse ante me Faber Stapulensis in cap. 1. Matthæi, ubi postquam animadvertit quod Matthæus volens Christi Domini genealogiam subducere, ejusque Progenitores recensere, hoc exequitur per D. Josephum, ac sic quidem ut ab Abrahamo incipiat fidei Patre, & in D. Josepho nostro desinat, sic infert: *Cùm Abraham ponitur generationum primus, & Ioseph ultimus; Abraham primus est in imo, & Ioseph ultimus in summo: nam ad Christum procedere & accedere, nõ est descendere sed ascendere, & id à carne ad spiritum, ab homine ad Deum.*

Respondeo secundò, ob aliud adhuc emolumentum quod obtigit D. Josepho ex suis natalibus, Genealogiam referre convenit, & illud quidem præcipuum quod scilicet inde acceperit ut posset esse Sponsus Deiparæ & Pater Christi Domini: ex quo sine dubio longè major illi gloria accessit quàm ab Avis & Pro-avis: nam gloria quam ab Avis & Pro-avis accipere potuit modica fuit & temporalis. At illa quam à Christo Filio accepit summa est & æterna: Bona quæ à Pro-avis hæreditavit nulla nisi fortè aliquam indolem ad bonum: At à Christo Filio suo vera bona possedit, scilicet gloriam singulariſſimam & præcipuam, & omnia quæ intuitu suæ electionis in Patrem Christi accepit. XX.

Quod si jura simplicis & minoris cognationis ita asseruit & promovit Christus, ut constat in S. Joanne Baptistâ, de quo tam magnifica Scriptura, & ex illâ SS. Patres proferunt, in hujus Parentibus Zachariâ & Elizabethâ; & in aliis benè multis quos ex eâdem cognatione suâ ad Sanctitatem, Apostolatum, & ad Sacros Magistratus evexit ut constat, in remotissimis etiam Israëlitis scilicet omnibus, pro quibus, quia inter illos ortus & Progenitoribus suis collateraliter illi conjuncti, maximè principaliter ac primariò se venisse protestatur frequenter in Scripturâ, & quibus utique plura contulisset nisi ipsi se charitate Patriæ abdicassent & indignos reddidissent, quid non contulit D. Josepho cum quo illi tam stricta conjunctio? Nam non solùm fuit Christi Consanguineus ut illi, utpotè ex eadem stirpe, ut constat ex hâc Genealogiâ, ex eâdem Parentelâ, ut patet ex matrimonio XXI.

monio cum suâ Matre unicâ Parentum suorum hęrede, ut clarius patebit ex dicendis, sed etiam illius verè & stricto jure Pater, ut probabimus part. 2. tract. 2. Cùm autem talis esse minimè potuisset si ex aliis Progenitoribus quàm Christus descendisset; ideò illa probanda & ab errantium cavillis vindicanda.

XXII. Respondeo tertiò ad Lutherum, Apostolum damnare tractationem genealogiarum quæ non præstant ædificationem Dei quæ est in fide, ut patet ex ejusdem Apostoli verbis & contextu: non ergò tractationem hujus Genealogiæ, quæ est ipsamet Genealogia & descensus Christi Domini secundùm carnem. Hæc consequentia est evidentissima & certissima, quia certissimum est fidem nostram huic veritati ut fundamento initiali inniti quod ipsius Author sit Messias, Patribus toties ante legem & sub lege repromissus. At ut ille sit Messias necessarium est, ut sit, & ostendatur esse ex Tribu Juda, & descendens ex eâ per Davidem, ad quem de Christo facta est repromissio quod ex ejus semine descensurus esset, ut constat ex Scripturis. Cùm ergò futuri essent vel qui negarent, vel qui in dubium revocarent an Christus ex Abraham & Davide esset progenitus; atque adeò aut negarent, aut dubitarēt an esset Messias, ac propterea prætextum se habere putarent ut ejus Evangelio negarent assensum & fidem, oportuit omninò ut descensus ille demonstraretur & justificaretur, quod factum ab Evangelistis qui seriem Progenitorum Christi tam naturalium, quàm legalium eo fine tam studiosè subduxerunt.

XXIII. Quia verò utraque series ab utroque Evangelistâ Matthæo & Luca deducta, non leves offert scrupulos, atque ex unâ, Judęi perfidi, Ethnici cœci, & hęretici maligni, argumenta contra illā deprompserunt, & ex aliis Scripturæ locis adhuc alia ad utramque explodendam, quę ipsi existimaverunt inluctabilia. nunquid necessarium fuit descensum illum defendere, atque illum comprobando esse verissimum ac legitimum, eum ex sacrilegis ipsorum manibus eripere? Elegantissimè itaque Divus Anselmus lib. Cur Deus homo, cap. 2. *Sicut rectus ordo exigit quod profunda Christianæ fidei prius credamus, quàm præsumamus ratione discutere, ita negligentia mihi videtur si postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus intelligere.*

Præterea dico Apostolum damnare tractationem vanarum & interminatarum genealogiarum: sed si vanum esset Christi Domini quæ est ipsa D. Josephi, subductam ab Evangelistis genealogiam elucidare, nonne etiam vanum fuisset illam subduxisse? immò longè vanius, cùm nihil profuerit, immò multùm obfuerit subduxisse, si desint adversus contradictores vindiciæ. Quippe cùm ex subductione capiant fidei hostes non levia in specie argumenta, quibus ipsa, & quæ in eâ fundatur fides Messiæ pessum eat, nisi per sanam explicationem affusa illi ab eis caligo dispungatur. XXIV.

Confirmatur hæc responsio, quia cùm hæc Genealogia pars sit Evangelii, ac tanti momenti quanti mox ostendimus num. 22. Profectò ejusdem est cum toto Evangelio universâque Scripturâ conditionis: Quare faciunt pro hoc loco ea omnia quæ à Controvertistis proferuntur contra Novatores pro totâ Scripturâ, ut sensum ejus non omnibus obvium ostendant, ac consequenter necessariam esse ejus explicationem ab iis dandam & accipiendam quos in Ecclesiâ suâ Doctores posuit Deus, cujus œconomia est res credendas inspergere dubitandi causis, ut transobtutum nitens penetransque credulitas, non ignavâ victoriâ præmium referat. XXV.

Tandem nihil minùs velle Apostolum, quàm quod ipsum voluisse vult Lutherus. Res ipsa loquitur, damnat enim Apostolus solùm genealogiarum tractationem stultarum, seu quod eodem redit interminatarum, sivè ut vertit D. Ambrosius *infinitarum*, ideſt in quibus non potest inveniri initium aut quidquam certi, ideòque inutiles & vanas. Vide D. Chrysostomum, Oecumenium, Theophylactum, & alios Interpretes ad istum locum. Ergò non omnium genealogiarum absolutè, tanquam omnes sine ullo discrimine sint stultæ, inutiles & vanæ: hoc enim absurdum esset nimis, cùm Scriptura XXVI.

frequentissima sit in recensendis magni nominis personarum genealogiis, ut videre est passim in libris Geneseos, Judicum, Regum, Paralipomenon, Judith, &c.

XXVII. Potest etiam dici cum nostro Sylveira in Evangel. Tom. 1. lib. 1. cap. 2. quæst. 4. venerari, magnifacere, & operosè Genealogias attexere, propter relationem & vanam ostentationem damnat Apostolus. Genealogias investigare ad veritatem inveniendam, manifestandum & manutenendum unius cujusque jus ad successionem ut fecere nostri Evangelistæ, res bona est, laudabilis & necessaria. Non ergo Theologo vertenda vitio, sed laudi, diligentia quâ tractat de castissimi Christi Patris virgineique Virginis viri Genealogiâ, etiam ut illa à Christi Genealogiâ abstrahere posset, quantò magis ergo ut nunc quando ipsam Christi Genealogiam exequitur?

XXVIII Quin immò cùm uterque Evangelista Matthæus & Lucas, vel potius Spiritus sanctus non aliter Christi Domini Genealogiam, quàm per D. Josephum subducendam duxerint: Ethnici verò Judæi & hæretici præcipua quæ contra ipsam torquere solent tela ex iis quæ in ipsâ Divum tangunt Josephum petita sint; profectò perspicuum est partes nostras hîc contra ipsos desiderari, atque hujus maximè loci esse, Sanctissimam illam Christi Domini Genealogiam illustrando defensare.

XXIX. Porrò triplex est argumentorum genus quod Judęi (quorum unum se audivisse Romæ multos pervertentem refert D. Hieronymus in Epist. ad Titum c. 3.) Ethnici ut Celsus apud Origenem lib. 2. contra ipsum, & contra Julianum, apud S. P. nostrum Cyrillum Alexandrinum lib. 8. contra eundem. Hæretici maximè verò Manichæi, ut Faustus apud D. Augustinum lib. 3. contra ipsum & alibi, ex utrâque Genealogiâ decerpserunt, quibus illam inextricabiliter implicatam obganniunt & consequenter exsibilandam.

XXX. Primùm sumitur ab impertinentia utriusque Evangelistæ qui cùm Christi Genealogiam susceperint ex professo describendam, non illam attexuerint, sed D. Josephi ex quo non descendit Christus. Secundùm à dissonantia utriusque inter se in recensendis D. Josephi Patre immediato cæterisque sursum ascendendo ejus Progenitoribus. Tertiùm compingitur ex multis admixtis in eâdem Genealogiâ quæ dissentiunt ab aliis Scripturæ locis, ut necesse sit vel has esse falsas, vel illam vel utramque Genealogiam: De quibus in sequentibus sigillatim.

Sed hoc à SS. Patribus & Scripturæ XXXI.
Commentatoribus, jam usque ad nauseam actitatum est inquies; fateor: verùm hi in varias ac diversas abierint sententias maximè circa secundum argumenti genus quod est à dissonantia utriusq; Evangelistę inter se in assignando D. Josephi Patre immediato & hujus majoribus: sintque illæ sententiæ in tam variis libris dispersæ, quorum nullus fortè omnes refert, eas hîc recolligemus & examinabimus, eam quæ melioribus nititur rationibus eligemus, & si quid novi ad eam magis fulciendam occurrerit proferemus. Ergo sit

## CAPUT III.

### *Satisfit primo argumento contra hanc Genealogiam ducto ab impertinentia Evangelistarum Matthæi & Lucæ in ea subducenda.*

EVANGELISTARUM Matthæi I.
& Lucæ in hoc casu ineptiam maximè verò Matthæi statim deprehendet (inquiunt adversarii) quisquis benè perceperit causam deducendæ hujus Genealogiæ. Porrò hæc non alia fuit, nisi quia cùm promissiones factæ Patribus, maximè verò Abrahæ & Davidi, de quibus patet ex Scripturâ, pollicerentur Messiam ab omnibus sæculis expectatum, ex corundem Abrahę & Davidis semine esse descensurum, omninò necessarium fuit, ut Christus Dominus probaretur esse Messias, ostendere ipsum non tantùm ex Abraham, sed etiam ex Davide ortum ducere, quod quidem illi Evangelistæ susceperunt faciendum in suis Genealogiis, maximè verò Matthæus, quando-

quandoquidem ipse statim ut illam aggreditur talem esse mentē suam aperiat dicens verbis disertis, *Liber Generationis IESV Christi filii David filii Abraham.*

II. At cùm illi ibi Christi Domini secundùm carnem descensum, non per Mariam, ex quâ solâ carnem illam sumpsisse profitemur, sed per D. Josephum Mariæ Conjugem, à quo non sumpsit, deducant, quis non videt inquiunt quantum illi à proposito sibi scopo aberrent? Cùm enim Christus ex D. Josepho carnem minimè sumpserit, ut etiam ipse Matthæus statim post absolutam Genealogiam expressè monet dicens, *Generatio autem Christi sic erat. Cùm esset desponsata Mater IESV Maria Ioseph antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu sancto,* profectò nulla est consequentia, si Divus Josephus ex Abraham & Davide ortum ducat ex iisdem etiam Christum ducere, cum potuerit Maria uxor D. Josephi (à quâ solâ Christus) esse ex aliâ Tribu, vel etiam licet ex eâdem Tribu, esse ex aliâ familiâ vel lineâ quàm Davidis: patet ergo, inquiunt adversarii, Evangelistas, Matthæum maximè hallucinatum fuisse cùm nihil minùs fecerit, quàm quod facere proposuerat, & facturum se pollicebatur describendo suam Genealogiam: & hic est primus Iudæorum, Ethnicorum, & antiquorum Hæreticorum aries contra hanc Genealogiam.

III. Neque dicas cùm nostro Divo Ioanne Damasceno lib. 4. de Orthod. fide c. 15. *Lex fuit Tribuum non dispensare ex alia Tribu: Atqui Ioseph ex Davidicâ descendit Tribu, id Matthæus & Lucas Sacratissimi Evangelistæ dilucidè demonstrarunt, & justus erat, hoc enim de ipso Divinum testatur Evangelium, non igitur præter legem Sanctam Virginem ad desponsationem duxisset, nisi ex ejus sceptro descendisset: Cùm igitur ostenderit Evangelista descensum Ioseph, satisfactum esse putandum est.* Hæc enim responsio minimè satisfacit. Nam primò absolutè loquendo non est verum talem fuisse legem, Tribum non desponsare ex aliâ Tribu: imò contrarium constat ex Scripturis, illos scilicet qui erant de Tribu Iudâ, & de Tribu Levi promiscuè nuptias inter se contraxisse, & hos cum aliis Tribubus. Secundò, quia etsi ita esset poterant Ioseph & Maria ex eâdem Tribu Iudâ descendisse, non tamen per eâdem lineam Davidis Regis.

IV. Respondendum ergo. Evangelistas, maximè verò Matthæum qui scribebat pro Hebræis, ita clarè & distinctè de Christi descensu locutum fuisse, ut Judæi certò deprehenderint eum ex Davide Rege ortum trahere per lineam paternam matris, ex quâ solâ carnem sumpsit; maternum enim genus nihil ad eum descensum conducere poterat, quandoquidem fœminæ aliarum Tribuum, viris Tribus Judæ non rarò matrimonio jungerentur.

V. Pro cujus responsionis intelligentiâ & firmitate, notandum quod D. Matthæus qui in describendâ Christi Genealogiâ ad eum per D. Josephum descendit, statim illâ deductâ expressissimè caver, Christum non esse ex D. Josepho genitum, sed de Spiritu sancto in mariâ conjuge suâ natum, antequam ipse & illa convenirent, quemadmodum hic num. 2. observatum est.

VI. Ex quâ D. Matthei cautelâ & observatione quid prudenter colligendum? nisi quod cùm directè non tenderit in Christum, volens tamen Christi Genealogiam subducere; sed in D. Josephum virum Mariæ de quâ solâ natus est Christus, & nihilominùs non timuerit imò voluerit statim expressè cavere quod Christus non esset ex Josepho, per quem tamen illius descensum ex Abraham per Davidem, jam jam deduxerat, oportet omninò quod fuerit Hebræis quibus primatiò scribebat notissimum D. Josephum & Sanctam Deiparam per lineam paternam se attingere, atque adeò vel fuisse Patruum & neptem, vel Patrueles, aut saltem Patruelium proles, eodemque paterno Avo aut Abavo tanquam communi stipite prodiisse; uno verbo fuisse inter se tam strictè consanguineos per lineam paternam, ut nullus hoc in dubium revocare posset; quo dato nihil hâc in re difficile appareret, ut constat: ut proinde hâc notitiâ seu evidentiâ rei præsuppositâ, judicaverit Matthæus, unum & idem esse; prout de facto hoc præsuppositio unum & idem fuit, sive D. Josephi, sive Virginis Deiparæ Conjugis ejus Genealo-

giam texeret, ut Christi Domini de Virgine sola nati Progenitores haberentur, evidensque fieret Hebræis, quibus scribebat, ipsius ab Abrahamo per Davidem secundùm carnem descensus.

VII. Cujus quidem asserti nostri certitudo omninò infallibilis est, aliàs omninò dicendum esset, quod cùm hîc Evangelista promisisset Christi Genealogiam describere, eam per D. Josephum à quo non est genitus deducens, & idipsum, idest, quod non esset ex D. Josepho monens, voluisset ipse se propalare & significare se ineptè processisse, quod nimis ridiculum est, & ab omni probabilitate alienum: quare huic asserto nostro omninò & sine ullâ ambiguitate standum.

VIII. Unde consequenter ad argumentum respondeo quod utique nulla est consequentia præcisè loquendo, si D. Josephus est ex Tribu Judâ & ex Abrahamo & Davide progenitus, quod etiam Christus Dominus qui ex illo non est, sit etiam ex illa Tribu, vel ex iisdem Progenitoribus, ex quibus ille, propter rationem in eodem argumento allatam: sed bona, si Beata Virgo Uxor D. Josephi quæ Christum Dominum genuit supponatur eidem D. Josepho sanguine proximè & notoriè conjuncta: fuisse autem ita conjunctam ex hoc modo procedendi Sancti Evangelistæ colliget potiùs non modò quisque fidelis, sed etiam quicumque alius qui non laborat spiritu contradictionis, quàm Sacrum Historiographum non tantùm ineptum sed etiam ridiculum se exhibere voluisse datâ operâ.

IX. Dices fuerit hoc Hebræis illis, quibus tunc convivebat Matthæus, notissimum, an illis tantùm scribebat? an non etiam horum posteris & nobis: At his id non potuit illâ ratione esse perspicuum, & tamen intererat omninò ut & his idem esset probatum. Respondeo primò ex dictis, fuit sufficienter iis qui non laborant spiritu contradictionis. Respondeo secundò, cùm Hebræi ad quos scribebat, & qui tunc erant dum ista scriberet Matthæus, fidem dederint Evangelio Christi, aut in eâ confirmati sint cum hac ejus originis deductione, aut etiam ejus inimici, ei in hoc initio non contradixerint, omninò necessarium est, ut res ita se habeat, atque adeò eorum posteri inexcusabiles sunt & pervicaces, qui cùm ex his rem ita se habuisse sibi persuadere deberent, spiritu contradictionis acti, impugnare volunt fidem quæ est in possessione, ex hoc quod illos qui synchroni fuerunt & contemporanei nihil movit.

X. Addo, & aliundè adhuc Evangelistæ fidem conciliari, scilicet ex Scripturâ libro Numer. cap. ultimo, ubi adstringuntur virgines pupillæ hæredes paternorum bonorum, non alteri nubere quàm uni è Tribu & ex cognatione patris sui, ne commisceantur possessiones filiorum Israel de Tribu in Tribum. Atqui Beata Virgo fuit unica proles Parentum suorum, atque adeò illorum hæres sola & in solidum: Ergo nubens necessariò ex lege debere uni è Tribu & ex cognatione suâ, nec attentâ istâ lege illi quorum intererat seu cognati, seu legum superintendentes, & matrimonii Ministri toleràssent ut alteri nuberet: Cùm ergò Divo nupserit Josepho, consequens est omninò, quod fuerit proximè per lineam paternam conjuncta, atque adeò quod Majores D. Josephi mediati fuerint etiam Beatæ Virginis.

XI. Dices iterùm, clarior fuisset & planior Christi Genealogia, si illam deduxissent Evangelistæ per Mariam quæ ipsum genuit. Respondeo, illa quam scripsit satis clara est & plana, ut constat ex supradictis, & aliundè fuit gravissima ratio hoc & non alio modo illam deducendi.

XII. Quæres quænam fuerit ista ratio? Respondet noster D. Joannes Damascenus lib. 1. de fide orthod. cap. 15. & alii communiter quod Evangelistæ Christi Domini Genealogiam attexuerint per D. Josephum, Generationem verò Beatæ Virginis ambo siluerint, quia non fuit mos Hebræorum, neque divinæ Scripturæ Genealogias texere mulierum.

XIII. Sed contra inquiunt aliqui Scriptura divina describit genealogiam Judithæ Heroïnæ generosissimæ quæ Holofernе truncato fecit confusionem in domo Nabuchodonosor, & salutem in populo

suo

suo Israël, ut patet ex lib. Judith: cap. 8. Verùm hoc nihil urget, debet enim Damascenus intelligi in sensu apto & commodo: Cùm ergo hæc D. Damasceni responsio proferatur occasione Genealogiæ Christi qui fuit Vir, sic debet intelligi, quod scilicet non fuerit mos Hebræorum aut Scripturæ divinæ genealogias texere per mulieres, quod verum est: ac propterea ex isto more non debuisse Evangelistas Genealogiam Christi per Virginem ipsius Matrem deducere. At in eo quod objicitur contra D. Damascenum non deducitur genealogia viri per mulierem, sed è contra mulieris, Judithæ scilicet per viros.

XIV. Cæterùm non valdè placet, nec satisfacere videtur responsio D. Damasceni, non enim videbatur ab Evangelistis adeò scrupulosè curanda inter omnes alias hæc tantilla consuetudo, cùm in aliis aliæ graviores parvi pensæ sint. Deinde nisi aliquid aliud majoris momenti obstaret, nonne contraria isti consuetudini via erat amplectenda ad ostendendum Christi Domini descensum, alium fuisse à cæteris filiis hominum? Quis enim neget tunc fuisse tempus manifestandi impletas esse Prophetias de Christo? Consequenter ipsum ex Abraham quidem & Davide descendere, sed non per virum: Quare per Virginem & Virginis parentes ipsius generatio probanda videbatur, & omninò probari debebat, nisi alia ratio gravior istâ obstitisset.

XV. Vera ergo causa cur non per Mariam deducta sit Christi Genealogia, sed per D. Josephum, fuit ut ostenderent Evangelistæ D. Josephum fuisse verè Christi Patrem, & quod licet Christus non sit ab illo genitus, locum tamen inter Progenitores, & quidem Patris, ac si eum genuisset obtinere debuit: Audiendus hac super re D. Augustinus tom. 7. lib. 1. de Nuptiis & Concupisc. cap. 11. *Non solùm illa Mater, verùm etiam ille Pater ejus, sicut Conjux Matris ejus, utrumq; mente non carne: Sed cum illo,* idest Josepho, *non seminante illa peperisset, profectò nec ipsius formæ servi parentes ambo essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione Conjuges essent: Vndè & series generationum, cùm Parentes Christi connexione successionis commemorantur usque ad Ioseph potiùs* (subaudi quàm per Mariam) *sicut factum est, fuerat perducenda, ne in illo conjugio virili sexui utiq; potiori fieret injuria, cùm veritatis nihil periret, quia ex semine David (ex quo venturus prædictus est Christus) ex Ioseph erat & Maria. Omne itaq; nuptiarum bonũ impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum* Jesum: *Fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium.*

Plura & efficaciora adhuc idem Augustissimus Doctor tom. 10. serm. 63. de diversis cap. 10. 11. 13. 14. 15. 16. & 20. quæ infra part. 2. tract. 2. cap. 16. per totum, ad probandam veritatem Paternitatis ejus adducemus, quæ hìc omitto brevitatis causâ: quibus plus satis Lectori patebit quàm rectè fecerint Evangelistæ Genealogiam Christi per D. Josephum, & non per Beatam Virginem deducendo. XVI.

Quæres secundò, quo gradu consanguinitatis se attigerint Joseph & Beata Virgo? Respondet P. Bollandus in Actis Sanctorum tomo 3. Mensis Martii ad 19. ejusdem mensis in Sancto Josepho §. 4. verbis quæ sequuntur. Variis variam ineuntibus viam, quam « XVII.
unusquisque legere apud Interpretes, «
ac videre poterit præ cæteris nobis «
placet viri è nostrâ Societate Doctissi- «
mi, Petri, inquam, Possini opinio mi- «
nimè vulgaris hactenùs: quam à Re- «
verendo Patre Ioanne Bessono in Lu- «
cubrationibus super Cantica ad vers. 13. «
cap. 1. breviter propositam, latius de- «
duxit expositúque in Diallactico Theo- «
genealogico post primam Græcorum «
Patrum catenam: ubi omnibus unde- «
quaque expensis perpensisque conclu- «
dit, utrumque Evangelistam Genealo- «
giam Christi per Iosephum non aliter «
texuisse, nisi quatenus iidem prorsus «
omnes qui Iosepho, Mariæ quoque ma- «
jores fuerunt; unde Patres legitimam «
consequentiam à Genealogia Iosephi «
ad Mariæ Genealogiam, ideoque ipsius «
Iesu duci voluerunt: id autem aliter «
fieri non potuit, quàm si vel eodem «
uterque Patre fuerit prognatus (quod «
cogitare vetat initum inter utrumque «
matrimonium) vel hæc illius ex fratre «

neptis

„ neptis ipse patruus ejus : quemcum-
„ dum enim alium cognationis gradum,
„ fingas, unam aut plures personas indu-
„ ces ad genealogiam Christi nihil perti-
„ nentes, qui non ex Josepho, sed ex solâ
„ Virgine carnem traxit: Ex quo justis-
„ simè conficit Possinus Sanctos Patres,
„ eâ quam diximus responsione, sibi præ-
„ iviſse ad dicendum Beatam Mariam ex
„ Josephi fratre natam esse, etsi id nemo
„ explicaverit.

XVIII. „ Sanè ex attentâ meditatione Scrip-
„ turarum (verba sunt Possini totam dis-
„ putationem concludentis) & antiquæ
„ Politiæ Judaici populi, comperisse mi-
„ hi videor fuisse in usu Hebræorum, ge-
„ nus quoddam singulare tutelæ legitimę
„ aut adoptionis conjugalis, quâ officii
„ cujusdam æstimatione communi con-
„ stituti, vinculo adstringebantur quis-
„ que Patruus, pupillam neptem præ-
„ maturâ morte Patris orbam relictam,
„ domum suam ducere, sibique aut fi-
„ lio despondere, interim dum adulta
„ postmodum ætate celebrari possent
„ nuptiæ.

XIX. „ Longè repeti, moris hujus exempla
„ poterant, inde usque ab Abrahamo
„ Hebræorum generis authore, fratreque
„ ejus Nachore, qui pupillas virgines à
„ fratre ipsorum Arane relictas, Ischam
„ alio nomine Sara & Melcham curâdas
„ susceperunt, verùm habemus recen-
„ tius efficaciusque argumentum simul
„ & exemplum instituti hujus libro Es-
„ theris præscriptum cap. 11. his verbis.
„ *Erat vir Judæus in Susan Civitate voca-*
„ *bulo Mardocheus ..... qui fuit nutri-*
„ *tius filiæ fratris sui Ediſſæ, quæ altero no-*
„ *mine vocabatur Esther, & utrumque pa-*
„ *rentem amiserat, pulchra animis & decorâ*
„ *facie, mortuisq; Patre ejus ac Matre, Mar-*
„ *dochæus eam sibi adoptavit in filiam:*
„ quod ex Hebræo acceptum verbo te-
„ nus: sed à Rabbinis in nostro intel-
„ lectum & explicatum sensu, Septua-
„ ginta duo Interpretes venerabilis ac
„ Sacrosanctæ Authoritatis sic Græ-
„ cè reddiderunt: *Defunctis autem e-*
„ *jus parentibus erudivit eam sibi in*
„ *uxorem.*

XX. „ Ut eximia planè ac singulari ratione
„ sicut Esther Mariæ, quæ ab humano
„ conjugio ad divinas traducta nuptias
„ vitam & libertatem generi suo contu-
lit; ita Mardochæus figura fuit Josephi
qui nonnisi duplici necessitate atque
officio tum obedientiæ, tum charitatis
adductus, vim attulit quamdam con-
cepto priùs ac religione firmato pro-
posito virginitatis, ad extremum spiri-
tum non solùm servandæ, sed etiam
profitendæ, eatenus scilicet, ut virgi-
nem in domum suam sustineret acci-
pere, sponsaliaque & nuptias cum eâ
celebrare ad conjunctionem carnalem
(nisi expressius juberet Deus) nun-
quam processuras, ob simile Beatæ Vir-
ginis votum, eidem fortasse divinitùs
revelatum.

XXI. Dici certè nihil plausibilius potest
ad conjugium tali voto posterius ex-
cusandum quàm ut ex tempore emissi
voti, necessitas inciderit improvisa con-
jugii ineundi, quæ ex æquo utrumque
obstringeret, si legem vellent, ut pro-
fectò volebant observatam: Eadem ra-
tio majorem Josephi eatenus cœlibis
ætatem ab omni creditam antiquitate
ponit extra suspicionem quamcumque
incontinentiæ, aliàs in vulgi animos fa-
cile descensuram: & quod caput est,
facit ut genealogiæ series ab Evange-
listis prolata, neque superfluis abundet
nominibus ad Virginis filium nihil per-
tinentibus, neque destituatur necessa-
riis: Etsi enim Virginis Pater reticea-
tur, est tamen qui eum gradum im-
pleat Joseph, non tanquam Gener à
foris accitus, sed vice Patris domi re-
pertus, eosdemque omninò Christo
adscripturus majores quos ei adscribe-
ret expresè positus in serie Joachim
Pater. Hæc de verbo ad verbum P. Bol-
landus loco citato.

XXII. Sed hæc opinio mihi non ita placet
ut P. Bollando. Quis enim credat quod
etsi fortè ejusmodi matrimonia inter
patruum & neptem in casu de quo hîc,
ideſt, quando neptes pupillæ, sunt hæ-
redes in solidum, licuissent aut præcep-
ta fuissent in antiqua lege (quod ta-
men fortiorem exigeret probationem
eâ quam adfert P. Bollandus) quis, in-
quam, credat Deum, sibi elegisse tale
ex quo nasceretur, cùm facillimè pro-
videre potuerit conformius ad honesta-
tem matrimoniorum novæ legis (in
quâ similia fœtent) quorum, cùm hoc
quasi primum fuerit, cum ex ipso
Christus

Christus novæ legis author, & eorumdem exemplar esse conveniebat.

XXIII. Neque Lex Divina Numeror. cap. ultimo, jubebat filiam hæredem nubere proximiori consanguineo, sed tantùm uni è Tribu Patris sui & è cognatione, ne commiscerentur possessiones filiarum Israel & transirent de Tribu in Tribum: hoc autem observato, sive illi essent Patruus & Neptis, sive essent Patrueles, aut proles Patruelium, & finis legis istius habebatur, & non poterat dubitari majores unius esse etiam majores alterius incipiendo à stipite quo conveniebant.

XXIV. Immò cùm aliàs illicita essent matrimonia ejusmodi inter Patruum & Neptem, potueritque finis istius legis obtineri nubendo alteri de Tribu & cognatione non ita propinquo, ut est Patruus, nec Lex præscriberet Pupillæ hæredi ut nuberet Patruo, sed relinqueret ei liberum, ut cui voluisset nuberet, modò ille esset de Tribu & cognatione Patris sui, sequitur omninò quod etiam in hoc casu illicita fuerint nisi fortè non supersuisset alius à Patruo cui nubere posset.

XXV. Nec quemquam angere debet scrupulus Patris Bollandi, sciiicet quod si D. Josephus non fuisset Patruus Beatæ Virginis, futurum ut in Genealogiâ Christi una aut plures personæ sint ad eam non pertinentes. Cùm enim incepta sit per D. Josephum, ex quo non est Christus, necesse omninò fuit ut in eâ ascenderetur per Patrem & Avum D. Josephi ad majores utrique communes, qui, idest, Pater & Avus D. Josephi, licet nihil conferant ad Christi originem, quemadmodum nec ipse Divus Josephus, conferunt tamen ad originis cognitionem, quæ sola in hoc casu exigenda est.

XXVI. Quoad exempla Abrahæ, Nachoris & Mardochæi in hanc rem à P. Bollando congesta inutilia sunt: ut enim probaret Bollandus per illa, suum intentum deberet ostendere illos adstrictos fuisse suas neptes ducere. Nec aliis quàm Patruis Neptes pupillas Patrum hæredes potuisse nubere, quod nunquam faciet Bollandus, quandoquidem lex ipsa contradicat explicitè dicens Numeror. cap. ult. citato vers. 6. *Nubant quibus volunt tantùm ut suis Tribus hominibus.* Et de facto filiæ Salphaad nupserint filiis Patrui sui, ibid vers. 11. non verò Patruis.

Præterea præfata exempla non sunt XXVII. ad rem, non enim constat in illis quod Neptes istorum trium fuerint hæredes in solidum paternorum bonorum quin è contra in duobus primis Abrahamo & Nachore constat evidenter contrarium. Nam Aran frater Abrahæ & Nachoris non tantùm reliquit moriens Melcham quam duxit Nachor, & Ischam quam vult Bollandus fuisse Sarai uxorem Abrahæ, sed etiam Loth fratrem germanum illarum, ut constat ex lib. Genes. cap. 11. in fine. Ergò aliâ ratione fuêre tunc licita istiusmodi matrimonia inter Patruum & Neptem, eâ nimirùm quâ licebat & tunc Poligamiâ ad restituendam vastitatem mundi nuperam ab aquis diluvii, ut proinde illa duo matrimonia nihil faciant ad causam præsentem.

Quoad Mardocheum verò non tanti XXVIII. facimus opiniones Rabbinorum ut propter illas relinquamus doctrinam SS. Patrum, aut sensum & interpretationem meliorem Scripturarum: Nec etiam urget hic authoritas septuaginta Interpretum, quorum versioni nostram vulgatam ab Ecclesiâ receptam præferendam esse non est dubitandum, ut proindè illa dictorum septuaginta Interpretum quæ habet *erudivit eam sibi in uxorem*, corrigenda sit per vulgatam, quæ habet *adoptavit sibi in filiam*, fortè quia filio aliquando desponsandam.

Non etiam hæc opinio cæteris plau- XXIX. sibilior, quod nimirùm ad conjugium voto castitatis posterius excusandum nihil aptius videri possit, quàm ut ex tempore emissi voti necessitas inciderit improvisa conjugii ineundi, quæ ex æquo utrumque obstringeret si legem vellent (ut profectò volebant) observatam: quin è contra ex hoc voto adhuc confirmantur ea omnia quæ hactenùs diximus contra P. Bollandum. Si enim lex obligasset pupillas hæredes ad nubendum & quidem Patruis suis si supperebant, & Patruos illas ducere, quomodò B. Virgo sciens illam legem & se esse Parentum hæredem in soli-

dum potuisset habens Patruum vovere perpetuam virginitatem, vovit tamen fatente etiam Bollando: Nulla ergo talis lex.

XXX. Denique non etiam potuit justè ex hâc suâ assertione P. Bollandus moveri ut de majore D. Josephi eatenùs cœlibis ætate opinionem jam obsoletam & ab omnibus rectè sentientibus nobiscum part. 2. tract. 1. c. 14. sect. 2. explosam resuscitet, quo videtur per hanc assertionem respexisse: Etsi enim ex eâ sequeretur aliqua ætas major eâ quàm ei loco citato assignamus, non tanta tamen quanta credita est ab antiquitate *ut per illam, ipsius cum Beatâ Virgine conjunctio maritalis poneretur extra suspicionem quamcumque incontinentiæ, aliàs in vulgi animos facilè descensuram*, quia ut alias rationes omittam ex ipsomet P. Bollando in ipsius verbis adductis supra num. 2. eo animo nuptias cum Virgine celebravit, ut nunquam ad conjunctionem carnalem procederent, nisi expressius juberet Deus; ergo eâ ætate nupsit in quâ adhuc poterat procedere ad conjunctionem carnalem; non ergo ea ætas potuit ipsius nuptias ponere extra suspicionem quamcumque incontinentiæ, nec tam effœtus D. Josephus ut crediderunt aliqui antiqui & etiam repræsentarunt Pictores fictores æquè ac Poëtæ.

XXXI. Et verò si tantam ætatem habuisset D. Josephus cùm nuptias celebravit, *ut ipsius conjunctionem cum Virgine omninò poneret apud vulgus extra suspicionem cujuscumque incontinentiæ alias in ejus animos facilè descensuram*, quomodò potuisset tunc nubere, aut quis tulisset nuptias cum tam clara ineptitudine? accedit quod si ætas D. Josephi dum nupsit tanta fuit ut ipsius conjunctionem cùm Virgine omninò poneret extra suspicionem cujuscumque incontinentiæ aliàs in vulgi animos facilè descensuram, quod cùm postea Virgo visa est concepisse & parere, meritò apud vulgus suspecta fuisset de adulterio & filius ejus spurius, cùm tamen ideò de desponsata nasci voluerit, ne putaretur conceptus ex adulterio.

## CAPUT IV.

### *Proponitur secundum argumentum contra hanc Genealogiam ductum à dissonantia Evangelistarum.*

DISSENTIRE Matthæum à Lucâ in Genealogiâ hâc Divi Josephi & quidem non in uno puncto, sed in pluribus nihil putant clarius Judæi, Ethnici, & Heterodoxi. Primò, namque Matthæus asserit Patrem immediatum D. Josephi fuisse Jacob; ait enim, *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ de qua natus est JESVS*: Lucas autem scribit fuisse Heli. *Erat JESVS incipiens quasi annorum triginta, & putabatur Filius Joseph qui fuit Heli.* Secundò, Matthæus Progenitores D. Josephi omnes usque ad David refert omninò diversos ab illis quos refert Lucas. Tertiò, Matthæus à Davide usque ad Joseph numerat tantùm viginti septem aut viginti octo seu bis quatuordecim generationes, Lucas verò quadraginta tres. Denique Matthæus Salathielem qui genuit Zorobabel facit filium Jechoniæ, Lucas verò filium Neri: quæ omnia sunt legenti perspicua. At in illis manifestissima est diversitas, ergo & falsitas. Et hic est unus ex præcipuis arietibus, quibus adversarii qui supra, Judæi scilicet, Ethnici, & Manichæi non solùm Genealogiam, sed & Evangelium totum, & ipsum Christum impetierunt. I.

Quare hic apud D. Augustinum tomo 10. serm. 63. de diversis c. 4. ita insultant. *Quidquid velis dicas, nos deprehendimus, ubi legitis natum Christum dissonare inter se Evangelia, & non posse utrumque verum esse quod dissonat. Cùm enim ostendero, inquit, dissonantiam rectè improbo fidem. Aut tu qui accipis fidem, ostendere concordiam.* Et Faustus in particulari apud eundem D. Augustinum, lib. 3. contra ipsum c. 1. *Equidem conatus sum hoc ipsum qualecumque est persuadere mihi, quia sit natus Deus, sed offensus duorum maximè Evangelistarum dissensione, qui Genealogiam ejus scribunt,* II.

Lucæ

*Lucæ & Matthæi, hæsi incertus quemnam potissimum sequerer: fieri enim posse putabam, ut quia præscius non sum, quem mētiri existimarem, ipse diceret verum, & quem vera loqui, ipse forsitan mentiretur. Infinita ergo eorum prætermissâ lite, & interminabili mihi, ad Ioannem Marcumq; me contuli, nec impariter à duobus ad duos, ab Evangelistis ad ejusdem nominis professores, quorum mihi principia interim non immeritò placuerunt, quia nec David nec Mariam inducunt, nec Iosephi; sed Ioannes quidem in principio fuisse verbum, Christum significans: Marcus verò Evangelium inquit IESV Christi Filii Dei, tanquam Matthæum exprobrans, qui posuerit Filium David. Nisi fortè alterum hic, & alterum ille annuntiavit IESVM. Hæc ergo ratio est quâ non accipio Christum natum: Tu verò si tantus es, ut hanc mihi adimas offensionem, effice ut inter se conveniant.* Hæc Faustus infaustus Augustino. Cui sic Augustinus ibidem c. 3. meliori, ac sublimiori cothurno. Frustra *Faustus se voluit ad duos Evangelistas conferre, & ab aliis duobus auferre, magis offensurus ad quos se contulisset, quam eos à quibus abstulisset. Non enim amant sancti suos Electores, si suorum sociorum eos invenerint desertores, unitate enim gaudent, & in Christo unum sunt, & si alius aliud, aut alius aliter, & alius aliter, vera tamen omnes dicunt, nec sibi ullo modo contraria, si pius Lector accedat, si mitis legat, si non hæretico animo unde rixetur, sed fideli corde unde ædificetur inquirat.*

## SECTIO PRIMA.

### *Referuntur aliquot ad hoc argumentum Responsiones, & refutantur.*

I. AD argumentum in capite propositum respondent aliqui quod Jacob qui apud Matthæum dicitur genuisse Ioseph, & Heli apud Lucam, cujus filius dicitur idem Ioseph, non sint duo homines distincti, sed unus & idem qui duobus illis nominibus appellabatur. Quibus si opponas cum Augustino lib. 2. quæst. Evangelicar. quæst. 5. ut istud esset, deberent, Iacob & Heli habere eundem Patrem, Avum, Abavum, Proavum, Atavum, Tritavum, cæterosque majores, cujus contrarium constat ex utraque Genealogiâ: respondent totam seriem Progenitorum à Davide usque ad Iosephum esse unicam apud utrumque Evangelistam, qui diversis quoque nuncupabantur nominibus, & ab uno Evangelistarum referri sub uno nomine ab alio sub altero. Ita nonnulli apud D. Thomam Aquinatem in c. 3. Lucæ & D. Augustinum jam jam citatum.

Refutatur hæc responsio, primò, II. quia deberent probare illos omnes Divi Iosephi Progenitores duobus istis nominibus appellatos quod non faciunt, nec unquam facient, nec ullo modo probabile est. Secundò, cur quæso Lucas qui scripsit suum Evangelium post Matthæum tam anxiè cavisset D. Iosephi Progenitores sub iisdem nominibus referre cum Matthæo. Tertiò, non animadvertit hæc sententia quod ubi in utrâque Genealogiâ incipit diversitas nominum, ibi etiam manifestè incipiat diversitas personarum. Nam Matthæus à Davide descendit ad Salomonem, Lucas verò ab eodem Davide ad Nathan, ibi incipit diversitas nominum. At hi duo, Salomon & Nathan, sunt duo homines distincti, ut manifestè constat ex Scripturâ 1. Paralipomen. c. 3. v. 5. ubi dicitur, *Porrò in Ierusalem nati sunt Davidi filii Sammaa, & Sobab, & Nathan & Salomon quatuor ex Bersabée filiâ Ammiel* Cùm ergo Matthæus recenseat descendentes ex Davide per Salomonem, Lucas verò per Nathan, qui diversus est à Salomone, manifestum evadit ex diversis illis personis diversas debere profluere generationes. Et certè cùm Mathata apud Lucam dicatur expressè filius Nathan, Nathan autem non sit Salomon, consectarium est ut nec Mathata sit filius Salomonis: similiter cùm Roboam apud Matthæum dicatur genitus à Salomone, Salomon autem non sit Nathan, eâdem impossibilitate impossibile est ut Roboam sit filius Nathan, ac consequenter impossibile est ut Roboam ille qui apud Matthæum, sit Mathata qui apud Lucam, & sicut in his duobus, ita in ceteris consecutivè Progenitoribus argumentandum. Quartò, quia ad

hoc ut essent iidem reâpse Progenitores D. Josephi, apud utrumque Evangelistam solo nomine diversi, deberent esse utrobique numero pares, ut constat, cùm ergo hoc minimè sit, ut patet ex supputatione, falsum est consequenter esse eosdem apud utrumque: ita D. Augustinus lib. 2. quæst. Evangelicar. quæst. 5.

III. Respondent secundò alii ad hoc primum argumentum, maximè quidam Eusebius apud D. Thom. Aquin. in c. 3. Lucæ, Matthæum referre Progenitores D. Iosephi qui verè erant tales, Lucam verò illos qui putabantur tales & non erant: & sic nulla est contrarietas. *Si enim*, inquit ille Eusebius, *ibi approbante Matthæo Ioseph esse filium Iacob, Lucas similiter approbasset Ioseph esse filium Heli, esset aliqua controversia: Cæterum cùm approbante Matthæo, Lucas plurium opinionem declaraverit, non propriam, dicens* ut putabatur, *non arbitror aliquod relinqui dubium*, & hunc quidem non improbat D. Thomas, utpote suis probandis quàm alienis improbandis paratior.

IV. Verùm nec placet hæc responsio, primò, quia sibi omnem præcludit viam respondendi ad primum argumentum contra hanc Genealogiam, cui respondimus capite præcedenti, dumque hunc scopulum evadere nititur, relabitur in præcedentem: si enim ut Matthæus à scopo non aberrasse dicatur, sed verè probasse Christi secundùm carnem ex Tribu Judâ per Davidem descensum, debet necessariò supponi fuisse omnibus perspectum Beatam Virginem & Divum Josephum fuisse sanguine proximè conjunctos per lineam paternam, & eodem paterno Avo aut Abavo prodiisse: Certè si admittimus Lucam in suâ Genealogiâ non veros, sed tantùm putatos à Judæis D. Iosephi Progenitores recensuisse, ruit ista suppositio, ac proinde sequitur & Matthæum à proposito sibi scopo aberrasse, & nihil certi ex Evangelio depromi posse de Christi ex Abraham & Davide descensu, quod intendebant Iudæi, Ethnici, & Manichæi Hæretici in primo argumento. Secundò, non potest esse vera ista responsio, quia adhuc manifestè pugnat cum Textu ipso Lucæ, in quo tamen quærit fulcrum: Nam Lucas expressè quidè ait de IESU quod putabatur à Iudæis filius Ioseph, sed nullo modo illud *putabatur* extendit ad Iosephi Patrem & Progenitores, quin è contra, nam in Iosepho mutans stylum expressè de illo affirmando quod fuerit Heli, de Heli quod fuerit Mathat, & sic de cæteris ascendendo. Tandem quo fundamento credi poterit Lucam voluisse se fatigare, ut tam operosè putatitios tantùm Christi Progenitores referret, atque eo usque ut ad Adam & ipsum Deum laborem istum extenderet.

Respondent tertiò alii ad hoc secundum argumentum, Matthæum referre Iosephi Genealogiam, Lucam verò Christi Domini: qui idcircò volunt quod iste *Heli* qui in imo Genealogiæ secundùm Lucam legitur, sit Pater D. Virginis & Avus Christi, quodque fuerit binonimis, & alio sit nomine vocatus Iehoiachim, pro quo nos dicimus *Ioachim*. Nam *Heli* per Apocopen, idem est quod *Heliachim* seu *Eliachim*, & *Eliachim* idem significat quod *Iehoiachim* seu *Ioachim*, ut patet ex lib. Iudith c. 4. v. 5. 7. & 11. ubi Pontifex Iudæorum vocatur *Eliachim*, cap. verò 15. v. 9. vocatur *Ioakim* sive *Ioacim*, & 4. Reg. c. 23. vers. 34. Pharao Necao Rex Ægypti nomen *Eliachim* vertit in *Ioachim*, & Philo Iudæus in Breviatio Temporum, *Sunt*, inquit, *Synonima Syris & Ægyptiis Eli, Eliachim, Ioachim, quibus nominibus donatus est Ioas, &c.* Cùm ergo invaluisset ut unus & idem homo qui *Heli* dicebatur, etiam *Ioachim* dici posset, non mirum videri debet, si dicatur per Heli qui in imo Genealogiæ Lucæ, intelligi Ioachim Patrem D. Virginis. V.

Quare Cornelius Jansenius Gandavensis in Concord. cap. 39. in hæc verba, *Et cùm dies factus esset vocavit ad se quos voluit ipse Apostolos.* Reddens rationem cur Sanctus Judas Apostolus dictus sit Thadæus & Lebæus ait: *Hujus diversa nomenclaturæ quidam assignant hanc rationem admodum verisimilem: constitutum scilicet fuisse apud Iudæos, quod & hodie apud eos observatur ob reverentiam nominis Tetragrammati IEHOVAH. Vt si quis in suo nomine proprio tres vel* VI.

quatuor

*quatuor litteras ejus nominis possideat, non temerè eodem nomine à quoquam nominaretur, præsertim in familiaribus & quotidianis colloquiis, sed alio quodam factitio, quod vel idem cum proprio significat, vel certè proprium insigni aliqua notatione insinuet. Hinc si quis apud eos nomen IEHVDAS pro quo nos dicimus Iudas sortitus est, vulgò appellari solet Leo, quia Geneseos cap. 49. scriptum est Catulus leonis Iuda: & eum qui dicitur IEHOIACHIM, pro quo nos dicimus Ioachim (quod nomen significat extollendum) vulgò vocant Heli, idest altum* Hæc Gandavensis Jansenius in hujus sententiæ confirmationem.

VII. Probant idem 2.° ex Rabbenu quem Judæi Rabbi Hacados (quod est Magister Sanctus) vocant. qui in libro cui titulus est *Revelator secretorum*, hæc habet: *Quod autẽ petisti cujus esset filia mater Messiæ, ex quâve Tribu: animadvertere debes parentem ejus duplex habiturum nomen, unum Heli, alterum Iehojachim; & Heli quidem, quod est derivativum, ostendit eum ad sublimem gradum ascensurum: Iehojachim verò quod est nomen compositum, significat Deum in manu ejus suscitaturum salvationem Israëlis maximam.* Et ex Rabbi Hacana qui in epist. de generat. Messiæ hæc profert. *Erit quædam puella in Bethleem Iudæ nomine Maria filia Iehojachim Heli de genere Zorobabelis filii Salathielis ex Tribu Iuda.*

VIII. Ad hanc quoque sententiam facit quod docent alii, scilicet illud *qui fuit Heli* apud Lucam non referre D. Josephum, sed JESUM, quod duobus modis posset obtineri, vel dicendo verba illa, *Vt putabatur filius Ioseph*, facere parenthesim, seu claudendâ parenthesi; quibus proindè remotis manebit hic sensus, *Et erat* JESUS *incipiens quasi annorum triginta qui fuit Heli.* Secundo modo melius & aptius textum illum interpretando cum nostro Thoma Beauxamis tomo 1. in Evang. hoc modo JESUS putabatur filius Joseph, qui tamen fuit Heli sive Joachim. Si enim Pater JESU in terris assignãdus est cùm non habuerit parentem à quo immediatè genitus sit, qualem putabant Judæi Josephum, ad Avum ejus seu Patrem Matris ejus procedendum est qui fuit Heli sive Joachim, tanquam illum quem habuit Patrem in terris omnium proximiorem: hancque suam interpretationem subtiliter satis confirmat noster Beauxamis: nam aliàs frustra Lucas videretur istud tetigisse, quod scilicet Christus putabatur filius Joseph, nisi adjecisset cujus filius erat.

Cùm ergò juxta hanc opinionem IX.
Matthæus D. Josephi Parentes referat, Lucas verò Parentes Christi Domini, & Beatæ Virginis Matris ejus, cessat omnis difficultas; & dissidium quod inter utrumque Evangelistam fingebatur, evanescit. Quid enim mirum quod duorum qui in uno stipite communi valde remoto conveniunt diversi sint Patres, diversi iique numero impares intermedii Progenitores? Hæc sententia ideò pluribus arrisit aliquando quod non tantùm conciliet Evangelistas inter se, sed etiam eo quod ostendat directè deductum per Lucam Christi ex Davide & Abrahamo descensum.

Verùm & hæc meritò rejicitur & re- X.
futatur primò quoad hoc quod asserit *Heli* qui apud Lucam fuisse Patrem Beatę Virginis & Avum Christi Domini altero nomine dictum Joachim, ex eo quod nullum producant ex antiquis tam extraordinariæ assertionis testem fide dignum? Nam quoad revelationes Rabbinorum apud Christianos ut plurimùm non plus habent roboris quàm somnia delirantium. Et verò hoc, nullo modo esse verisimile inde efficitur, quod nemo ex Sanctis Patribus hujus duplicis nominis ullam unquam fecerit mentionem: & si hoc esset verum, quare Ecclesia in suis libris Martyrologio, Calendariis & officiis eum non hoc nomine quod ex hypothesi gestavit, & legit in Evangelio, compellavit, sed semper & ubique nomine *Ioachim*?

Secundò, nec verisimile est illud my- XI.
sterium de commutatione nominum ex pluribus litteris nominis tetragrammati JEHOVAH fabricatorum de quo Jansenius. Nam primò licet fortè essent hodie hâc in re scrupulosi Judæi (quod me latet) an fuerint tunc non constat: imò constat contrarium ex Scripturâ ipsâ ubi nomina Jehu, Jehus, Jehuel, Johanna, Jechonias & alia similia ex iisdem litteris fabricata non

minùs ac Ioachim videmus retenta. Nec apparet cur D. Lucas qui non erat Iudæus hanc consuetudinem tam scrupulosè curasset cum tantâ obscuratione genealogiæ.

XII. Tertiò sit ita, fuerit & sit usitatum apud Iudæos quod dicit Iansenius, ut non temerè tali nomine ideft composito ex tribus vel quatuor litteris nominis tetragrammati IEHOVAH à quoquam quis *nominaretur præsertim in familiaribus & quotidianis colloquiis.* Cur hoc quod dicit Iansenius de familiaribus & quotidianis colloquiis extendit ad Scripturam & ad Genealogiam per nomen maximè proprium edendam? quo casu si vetitum fuisset aliquem sub tali nomine proferre, certissimè nunquam licitum fuisset: immo imponere tale nomen, quo nequidem scribendo genealogiam uti licuisset, majus nefas fuisset.

XIII. Quartò, idem significent quantùm voluerint Heli, Heliachim & Ioachim idem etiam significant Theodorus & Dororheus, Ionas & Ioannes, Eleazar & Elizer, & sexcenta alia, non tamen pro eodem promiscuè supponuntur & usurpantur, aut bene unum pro alio substitueres. Unde si v. c. Theodorum velis, & Dororheum voces, an Theodorus intelliget & respondebit?

XIV. Ultimò efficacissimè adhuc refutatur hæc sententia ex duobus magnis absurdis quę ex illâ sequuntur: Primum est quod ex illa sequeretur Matthæum non describere veros Progenitores Christi secundùm carnem, sed tantùm D. Josephi; hoc autem est evidenter falsum, cùm Matthæus suæ Genealogiæ expressè præfigat titulum istum *Liber Generationis* IESU *Christi Filii David, Filii Abraham*: sequela probatur, quia non potest Christus secundùm carnem ex Davide descendere per duas lineas diversas, scilicet lineam Salomonis & lineam Nathan, ut constat; ergo si Lucas carnalem prosequitur Christi ortum ex Davide, impossibile est ut Matthæus qui aliam lineam prosequitur eundem Christi ortum verè attingat.

XV. Secundum absurdum, quia sequeretur quod Beata Virgo Deipara nubens D. Iosepho fecisset contra legem, quod nefas est cogitare. Nam ex lege Numer. cap. ult. filia quæ paternorum erat hæres bonorum, non poterat nubere nisi uni ex cognatione suâ, ne scilicet hæreditates confunderentur & transirent ab unâ Tribu ad aliam Tribum, vel ab unâ familiâ Tribus ad aliam familiam. Atqui Beata Virgo utpote proles unica Ioachim & Annæ, hæres fuit illorum in solidum, ergò secundùm legem illam nubens, debuit nubere uni è cognatione & propinquis suis, quod certè minimè fecisset, si hæc sententia vera esset, quia certum est cognationem seu consanguinitatem non ita se extendere ut potuerint esse cognati Ioseph & Maria in hâc sententiâ: quod ut manifestum fiat.

XVI. Nota ad dignoscendam consanguinitatem, & quomodo duæ personæ ab eodem profluentes stipite se attingant, quod quando duo consanguinei in lineis collateralibus constituti inæqualiter distant à primo & communi stipite, eo gradu distant inter se collaterales isti, quoto distat ab eodem communi stipite, illa quæ est ab hoc remotior. Quæ regula est omnium Theologorum in 4. distinct 40. & 3. part. quæst. 54. & Canonistarum in c. fin. de Consanguinitate: ideo autem remotior gradus trahit propinquiorem, non è contra, quia cùm adæquata ratio propinquitatis aut distantiæ consanguineorum collateralium inter se, sit per ordinem ad primum cómunemque stipitem à quo profluunt, & in quo incipit illorum unio seu conjunctio, non possunt esse conjunctiores inter se quàm sint cum illo stipite. Ergò si collateralium unus sit in quarto gradu: v. g. cum illo stipite alter autem in primo vel secundo erunt illi duo collaterales solum cósanguinei inter se in 4.° gradu: alioqui si gradus stipiti propinquior traheret ad se remotiorem: fieret primò ut hi collaterales essent conjunctiores inter se quàm sint cum stipite, cùm istorum collateralium alter sit in quarto tantùm gradu cum dicto stipite ut supposuimus. Fieret secundò ut qui in lineâ collaterali A esset quarto gradu remotus à stipite, collatus cum alio, qui est in aliâ lineâ collaterali B, propinquus stipiti in secundo gradu, esset illi æquè conjunctus ac ille

ac ille qui in eâdem suâ lineâ A est etiã in secundo gradu, quæ omnia sunt absurdissima, ut patet.

XVII. Ergo secundùm hanc ab omnibus receptam Regulam, cùm Beatissima Virgo ex suppositione hujus, quam hic impugnamus, sententiæ, filia Heli sive Joachim in lineâ Lucæ distet à Davide ipsius & Divi Josephi communi stipite quadraginta tribus gradibus, ut patet ex dictâ suâ lineâ totidem distabit à Beato Iosepho in aliâ lineâ Matthæi in vigesimo septimo, vel vigesimo octavo gradu à Davide constituto, atque sic nullo modo fuissent cognati: non enim sufficit ad consanguinitatem de quâ hic agimus & de quâ intelligitur lex illa *numeror. c. ultim.* stipes communis, quantumvis remotus, alioquin omnes homines ab Adamo originem ducentes fuissent inter se sufficienter cognati ad effectum istius legis, quod falsum est: Quare omninò necesse est hunc communem stipitem esse propinquum eâ propinquitate, quæ cùm sit modò major, modò minor, excludit tamen eam ab illo stipite distantiam, ad quam cùm perventum fuerit nulla esse inter sic distantes cõsanguinitas ab omnibus existimatur; qualis ab omnibus æstimaretur hæc distantia quadraginta trium graduum quæ reperiretur in hoc casu inter B. Virginem & D. Iosephum.

XVIII. Unde consequenter iterùm hæc sententia ex eo rejicienda est quod eandem difficultatem patiatur, quam pati primam ostendimus hic suprà num. 4. ut respondeat ad primum argumentum contra hanc Genealogiam propositum & solutum capite præcedenti: vide dicta ibi hoc est n. 4. præcedenti.

XIX. Per quæ etiam satisfit quartæ Responsioni ad hoc argumentum, quæ est P. Ioannis à Carthagena, tom. 4. de Arcan. Deip. & Iosephi, lib. 18. homil. ult. ubi dicit Matthæum referre Progenitores D. Iosephi, Lucam verò B. Virginis & Christi Domini, in quo convenit cum præcedenti responsione, sed in hoc discrepat quod dicat Heli apud Lucam fuisse tantùm Proavum Beatæ Virginis, sic quod iste Heli genuerit Pantherem, Panther verò Bar-Pantherem, denique hic Bar-Panther Ioachim Patrem Beatæ Virginis, cõque præcedenti Responsione absurdior quod non appareat ratio cur Lucas describendo Genealogiam B. Virginis sive Christi Domini, præteriisset illas tres generationes, à quibus primò descendebant, & B. Virgo & Christus, & primò pendebat notitia descensus illorum qui assumebatur notificandus à Luca per suam Genealogiam.

Quinta responsio est unum Evan- XX.
gelistarum Paternam D. Iosephi seriem prosequi, alterum maternam: hanc lego apud Divum Augustinum, lib. 2. quæst. Evangelicar. quæst. 5. ubi inquirens S. Doctor, quomodò possit esse verum quod dicit Matthæus, Iacob autem genuit Ioseph Virum Mariæ, &c. & quod dicit Lucas IESUS putabatur filius Ioseph qui fuit Heli sic respondet, *Et mihi quidem in præsenti tres causæ occurrunt, quarum aliquam Evangelista sequutus sit: Aut enim unus erat Iosephi naturalis Pater & alter eum adoptaverat. Aut more Iudaorum cùm sine filiis unus decessisset, uxorem ejus propinquus accipiens filium quem genuit propinquo mortuo deputavit, ut cum ab altero alteri genitus esset Ioseph, convenienter duos Patres habere diceretur: aut unus Evangelista Patrem ejus à quo genitus est nominavit, alter verò Avum maternum, &c. ut indè jam usque ad David non eundem Lucas quem Matthæus Generationis ordinem texeret.* Quam ultimam viam (quæ ea est quam in hac Responsione tangimus) magis approbat ibidem D. Augustinus quàm secundam dicens: *In quibus causis illa videtur infima quam secundo loco posuimus: quia cum quisque apud Iudæos functo fratre vel propinquo prolem de uxore ejus exsuscitat, illud quod nascitur nomẽ defuncti solet accipere.*

Sed ad hanc sententiam respondeo XXI.
primò, Divus Augustinus nihil definit, sed sub disjunctione loquitur ut patet, quare cùm in hac non figat pedem, nec nos figere debemus. Respondeo secundò D. Augustinum postea re maturius examinatâ hanc viam omninò deseruisse, & quod hîc cõtra secundam viam dixerat retractasse l. 2. retract. c. 12. Respõdeo tertiò cùm apud Judeos non esset mos Genealogias virorum texere per mulieres, nec ulla apud eos esset cura originis maternæ, quorsum quæso

Lucas

Lucas se fatigasset D. Josephi seriem maternam longius multoque operosius prosequendo quàm Matthæus fecerat Paternam ? Propter hanc rationem nullus quod sciam hanc viam, ab ipso authore suo D. Augustino ex hâc etiam sine dubio causâ relictam, postea sequutus est.

## SECTIO II.

### *Proponuntur aliæ Responsiones & rejiciuntur.*

I. ANtequam ad illas progrediamur observandum quatuor potissimùm modis aliquem dici alterius Patrem. Primò *Generatione*, qui scilicet filium ex substantiâ suâ genuit. Secundò *Adoptione*, qui non naturâ genuit filium, sed ab alio genitum suâ voluntate adscivit & fecit filium. Tertiò *Affinitate*, quæ fit mediante matrimonii vinculo per quod efficitur quis Pater illius qui nupsit filio suo, vel filiæ, quomodo quis potest etiam contra voluntatem suam esse Pater. Quartò denique *Legali Substitutione*, qui modus fuit proprius & particularis Genti Judæorum : Nam ex lege Deuteronomii cap. 25. Viro sine liberis vitâ functo, primogenitum ab ipsius fratre seu propinquo suscitatum in uxore demortui, quam ducere tenebatur, lex defuncto substituebat, ita quod hic non generantis filius diceretur, nec ejus hæreditatem adiret ita genitus, sed defuncti : his positis.

II. Certum est fieri non posse ut Jacob & Heli sint D. Josephi Patres primo modo : licet enim frequenter videamus ex eâdem copulâ unius cum unâ ex eodemque semine geminum nasci fœtum, omnium tamen Physicorum unanimis est sententia impossibile esse naturaliter ut à duobus hominibus una proles producatur, seu ut unius & ejusdem prolis sint duo Patres *generatione*, quâvis id in dubium revocare videatur Caramuel de Dictam. consc. Coroll. 27. num. 1369. absque fundamento.

III. Nec obstat quod docent Villalobos in Summa tom. 1. diffic. 10. n. 12. Diana part. 4. tract. 3. resol. 31. & part. 7. tract. 11. resol. 35. & multi alii quod quando duo eandem carnaliter cognoverunt, si illa pariat, nec omnibus ut par est consideratis possit determinatè dici proles potius esse hujus quàm illius, utrumque in jure haberi pro patre istius prolis, & teneri utrumq; ad alimẽta pro ratâ isti proli ministrandâ : nõ enim id ideò dicunt quod in hoc casu uterque verè sit aut possit esse Pater istius prolis ; sed cùm uterque rem habuerit cum Matre, dum non constat prolem esse unius & non alterius, possessio juris petendi alimenta est in prole genitâ contra utrumque ; ratio est quod certum sit & indubitatum jus prolis ad alimenta petenda ab eo qui se genuit : Cùm ergò constet utrumque coivisse cum Matre, incertum autem ex cujus semine sit proles, hæc rejicit in utrumque onus probandi ipsam non ex se esse, quod cùm neuter possit in nostrâ hypothesi, manet proles in suo jure certo, seu possessione contra utrumque dubitantem.

IV. Sed licet hoc verissimum sit utrumque, deest Jacob apud Matthæum, & Heli apud Lucam non posse esse Divi Josephi Patres *generatione*, apparet tamen, satis ex notando nostro, non indè sequi quod objiciunt adversarii, Evangelistas scilicet pugnare inter se, cùm possit uterque esse illius Pater aliâ & & aliâ ratione, scilicet unus *generatione*, & alter uno ex aliis tribus modis, nimirùm vel adoptione, vel affinitate, vel legali substitutione.

V. Ex quibus facile est colligere contra dicentium malitiam ; etenim cùm unicus esset sensus in quo non poterant conciliari nostri Evangelistæ, si nimirùm uterque Pater ab illis recensitus diceretur Pater *generatione*, essent autem multi alii modi in quo facilè possent, volunt in eo sensu locutos, in quo solo non possunt cõvenire, & noluerunt ullo modo advertere ad alios modos in quibus poterant, ut possent cõtradicere : non erubescentes tam palam vim facere veritati : maximè verò quod & hoc ipsum evidentissimè colligere poterant ex phrasi diversâ seu modo loquendi alio & alio quo usus est uterque Evangelista. Etenim Matthæus verbo *genuit* usus est, dicens : *Jacob autem genuit Ioseph virum Mariæ*, quod significat patrem per generationem : Lucas verò dicit, JESUS *putabatur filius Ioseph qui fuit Heli*. Quod sufficienter

sufficienter verificatur v. c. per legalem substitutionem.

VI. Hinc D. Augustinus lib. 2. de Consens. Evang. cap. 3. *Cùm necesse sit*, inquit, *utroque Evangelistâ vera narrante, ut unus eorum ejus Patris originem teneret, qui genuerat, alter ejus qui adoptaverat Ioseph, quem probabilius intelligimus adoptantis originem tenuisse, quam eum qui noluit Ioseph genitum dicere ab illo cujus eum filium esse narrabat? Commodius enim filius ejus dictus est à quo fuerat adoptatus, quàm diceretur ab illo genitus, cujus carne non erat natus. Matthæus autem dicens Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, atque ita in hoc verbo, quod est genuit perseverans, donec in ultimo diceret Iacob autem genuit Ioseph, satis expressit ad eum Patrem se perduxisse originem generantium à quo Ioseph non adoptatus sed genitus erat.*

VII. Et licet idem Augustinus ibidem subjungat, quòd etsi Lucas eodem verbo *genuit* quo Matthæus usus fuisset, adhuc nihilominùs possent conciliari dicendo unum naturâ genuisse, alterum charitate quod est adoptare, continuò tamen addit, *Sed planè si hoc verbo etiam Lucas uteretur, omnimodo esset ambiguum quis eorum adoptantem, quis ex propriâ carne gignentem commemorasset. Nunc verò cùm alter dicit Iacob genuit Ioseph, alter Ioseph qui fuit Heli, etiam ipsa verborum differentia quid singuli suscepissent eleganter intimaverunt: Sed hoc facilè sanè, ut dixi posset occurrere homini Religioso, qui quodlibet aliud quærendum potius judicaret, quàm Evangelistam esse mentitum, facilè, inquam, occurreret ut videret quibus casibus unus homo duos Patres habere potuerit, hoc ex illis calumniosis occurreret, nisi litigare quàm considerare maluissent.* Hæc D. Augustinus.

VIII. Dices illud *qui fuit Heli*, apud Lucam in eâdem significatione debet accipi in quâ accipitur *qui fuit Mathat*, & sic de cæteris omnibus sursum Progenitoribus: Atqui in his *qui fuit* accipitur semper in hac significatione, ut significet qui fuit filius generatione, non autem pro qui fuit filius legali substitutione, ergo & illud *qui fuit Heli*, cur quidem *qui fuit* septuagies quinquies repetitum, semel tantùm scilicet in D. Josepho, deberet accipi in aliâ significatione, quàm in septuaginta quatuor aliis vicibus?

Respondeo tamen, primò negando majorem & minorem objectionis, nam de Salathiele apud Lucam dicitur, qui fuit Neri: & apud Matthæum dicitur genitus à Jechoniâ, ergo & in Salathiele *to qui fuit* accipitur aliter quàm in aliis istius Genealogiæ Lucæ recensitis Progenitoribus: quare recurrendum sicut in casu Divi Josephi, ad distinctionem Augustinianam, & dicendum Salathielem habuisse duos Patres unum naturalem apud Matthæum, legalem alterum apud Lucam: verùm cùm non constet eundē esse utrobique Salathielem, hæc solutio non plenè satisfacit. IX.

Quare Respondeo secundò, negando iterum utramque objectionis propositionem majorem & minorem, quia ad summum istius Genealogiæ D. Lucæ apicem, utitur etiam Lucas eâdem dictione *qui fuit* quomodo in cæteris omnibus infernè descriptis, dicens de Adam *qui fuit Dei*: constat autē Adam non fuisse Dei, quomodo Seth fuit Adæ, quomodo Henos fuit Seth, & sic de cæteris. Adam enim non procedit à Deo, ut Seth ab Adam per generationem, sed per creationem, & ideò Adam non similis Deo in naturâ sicut Seth Adæ. XI.

Igitur *to qui fuit* per totam Lucæ Genealogiam, sumitur prout significat unum hominem pertinere ad alium, seu esse alterius in eâ ratione quæ conferat ad deducendam ejus originem: sufficit autem ad hoc ut vel titulo creationis qualiter Adam respectu Dei, vel titulo generationis, qualiter Seth respectu Adæ, & alii deorsum in istâ Genealogiâ Lucæ, vel titulo substitutionis legalis ut Joseph respectu Heli, quis alterius esse dignoscatur. XII.

Sed cùm ex notando nostro hic n. 1. quatuor modis possit quis dici Pater alterius scilicet generatione, adoptione, affinitate, substitutione, quæritur cùm satis appareat ex modo loquendi Matthæi Jacob esse Patrem D. Josephi generatione, quo pacto Heli qui apud Lucā fuerit etiam ejus Pater, an adoptione? an verò affinitate aut legali substitutione?

Volunt aliqui Heli apud Lucam fuisse Patrem ejus adoptione. Nituntur authoritate D. Augustini lib. 3. contra XIII.

Faustum Manichæum cap. 3. ubi sic D. Augustinus. *Tota in hoc quæstio est quomodo potuerit duos Patres habere Ioseph: hoc enim si potuisse fieri demonstratur, nulla omninò causa est cur quisquam istorum Evangelistarum in diversis generationibus enumerandis falsum dixisse credatur: à duobus enim Patribus jam non erit mirum, neque contrarium quod & Avi duo & Atavi & Proavi esse potuerunt, & quidquid supra est usque ad David cujus erant ambo filii & Salomon qui pertinet ad ordinem quem Matthæus secutus est, & Nathan qui est in serie quam Lucas exposuit. Attendunt enim ista nonnulli & vident non posse à duobus viris per commixtionem carnis hominem gigni, & ideò putant istam quæstionem non posse dissolvi, nec intuentur quod usitatissimum atque facillimum est, Patrem cujusquam non eum tantùm dici à quo genitus, sed etiam à quo fuerit adoptatus, &c.*

XIV. Confirmant ex eodem D. Augustino, lib. 2. quæstion. Evangelicarum quæst. 5. ubi ad propositam difficultatem, ita respondet: *Mihi quidem in præsenti tres causæ occurrunt, quarum aliquam Evangelista secutus sit: Aut enim unus erat Ioseph naturalis Pater, & alter eum adoptaverat, aut more Iudæorum cum sine filiis unus decessisset uxorem ejus propinquus accipiens filium quem genuit propinquo mortuo deputavit: ut cum ab altero alteri genitus esset Ioseph, convenienter duos Patres habere diceretur. Aut unus Evangelista patrem ejus, à quo genitus est nominavit, alter Avum Maternum, &c. ut inde iam usque ad David non eundem Lucas quem Matthæus generationum ordinem texeret. In quibus causis illa videtur infima quam secundo loco posuimus, quia cum quisque apud Iudæos functo fratre vel propinquo prolem de ejus uxore exsuscitat, illud quod nascitur nomen defuncti solet accipere.* Ex quibus evidentissimè patet, inquiunt hi, D. Augustinum hanc viam scilicet adoptionis prætulisse legali substitutioni pro Conciliatione Evangelistarum.

XV. Verùm non adverterant hi D. Augustinum hanc suam sententiam postea re maturius examinatâ retractasse lib. 2. Retract. cap. 7. ubi sic loquitur. *In libro ergò tertio contra Faustum Manichæum, cùm solverem quæstionem, quomodo potuerit duos Patres habere Ioseph, dixi quod ex alio natus, ab alio fuerit adoptatus, sed genus quoque adoptionis dicere debui, sic enim sonat quod dixi tanquam eum vivus adoptaverit alius Pater. Lex autem filios etiam mortuis adoptabat, jubens ut fratris sine liberis mortui duceret frater uxorem, & fratri defuncto semen ex eâ suscitaret, quæ profectò de duobus unius hominis patribus expeditior ibi redditur ratio: Uterini autem fratres fuerunt in quibus hoc contigit, ut unius defuncti qui vocabatur Heli duceret alter uxorem, idest Iacob, à quo Matthæus narrat generatum esse Ioseph, sed uterino fratri suo eum genuit, cujus filium Lucas dicit fuisse Ioseph, non utique natum, sed ex lege adoptivum. Hoc in eorum litteris inventum est qui recenti memoriâ post Ascensionem Domini de hac re scripserunt. Nam etiam nomen ejusdem mulieris quæ peperit Iacob Patrem Ioseph de priore marito Nathan qui fuit Pater Iacob, Avus Ioseph secundùm Matthæum, & de marito posteriore Melchi peperit Heli cujus erat adoptivus Ioseph non tacuit Africanus. Quod quidem cum Fausto responderem, nondum legeram, sed tamen per adoptionem potuisse contingere ut unus homo duos haberet patres dubitare non poteram.* Hæc D. Augustinus. Quare cùm à tanto Doctore aliquando amplexata sententia, ab eo postea repudiata sit, à nobis etiam repudianda est.

Accedit quod adoptio ista non videtur habuisse locum apud Hebræos maximè post legem scriptam factâ tuno distributione tribuum, sortium, & hæreditatum: Nam nec ulla extat de potestate vel modo adoptandi lex, cùm tamen in aliis materiis referantur multæ, quarum plures non videntur tanta relatu dignæ ac hæc si extaret. Imò cùm finis & effectus Adoptionis primarius sit ut adoptans habeat suorum bonorum hæredem, & ut adoptatus in illis succedat loco filii Patri adoptanti; videntur aliæ leges Dei huic adoptioni repugnasse illa præcipuè quæ habetur Numeror. cap. 27. num. 8. 10. & 11. quæ talis est. *Homo cùm mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit hæreditas, si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos, quod si & fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris eius, sin autem nec patruos habuerit, dabitur* XVI.

*dabitur hæreditas his qui ei proximi sunt, eritq; hoc filiis Israel sanctum lege perpetuâ.* Ex quâ lege evidenter patet quod debebatur hæreditas proli ex lege Dei si prolem habebat, proximiori si non habebat, ita ut aliter de hęreditate suâ disponere minimè posset, ac sic nullus poterat esse adoptioni locus.

XVII. Deinde quia illud *qui fuit Heli*, ita debet accipi ut significet D. Josephum esse illius Heli in eâ ratione quæ aptè conferat & prudenti judicio sufficiens sit ad genealogiam, cùm hanc rem agat Lucas. Sed adoptio Legis Civilis non videtur habere rationem quæ aptè conferat & prudenti judicio sufficiens dici possit ad deducendam tam operosè Genealogiam, quantam deduxit Lucas ab ipso usque ad ipsum Deum. Ergo, &c.

XVIII. Quare respondent alii unum fuisse Patrem Divi Josephi generatione, alterum affinitate: & quidem Arrias Montanus censet Matthæum recensere Socerum ejus seu Patrem Beatæ Virginis, Lucam verò ejus Patrem naturalem: Nec obstare verbum *genuit*, quo utitur Matthæus dicens: *Jacob autem genuit Ioseph Virum Mariæ*, quod propriè significat generationem. Nam ut ait D. Augustinus lib. de Consens. Evangelist. *Non absurdè quisq; dicitur non carne, sed charitate genuisse quem sibi adoptavit.* Cùm ergo Jacob tradendo filiam suam Beatam Virginem in matrimonium D. Josepho eum adoptarit in filium suum, potest non absurdè Jacob dici illum genuisse, non carne, sed affectu & charitate: & ita rem se habere probat Arrias ex hoc, quod si Jacob qui apud Matthæum dicitur genuisse Joseph, non sit Pater Beatæ Virginis, & Socer tantùm D. Josephi, non attigisset Matthæus scopum suum, qui ut ipse indigitat, est scribere librum Generationis Jesu-Christi, & ostendere illius descensum ex Abraham & Davide Rege. Atqui id non feciisset si in Patre naturali D. Josephi, ex quo Christus non est, non verò in Patre Beatæ Virginis, à quâ Christus est, descensum terminasset.

XIX. Sed præterquam quod hæc opinio valdè particularis est, ruit ex hoc, quod asserat Iacob qui apud Matthæum dicitur genuisse Ioseph, esse Patrem Beatæ Virginis, quia nec id habet Arrias ex Scripturâ, & aliundè constat ex Sanctis Patribus & Ecclesiæ Traditione fuisse Sanctum Ioachimum. Contra quod nihil valet replicare Ioachimum fuisse binominem, hoc enim & arbitrariè dicitur ac sine probatione, & convincitur nulla esse hujus asserti verisimilitudo ex eo quod Ecclesia in suis libris, Martyrologio, Breviario, & Calendariis, Patri Beatæ Virginis, non nomen Iacob, quod ex suppositione hujus sententiæ habuisset certo ex Evangelio, adscripserit, sed semper nomen Ioachim.

Quoad illud quo se munit ex D. Augustino Montanus, quod scilicet non absurdè quis dicitur charitate genuisse, quem sibi adoptavit, ideoque posse dici quod Iacob genuerit Ioseph ex eo quod ipsum adoptarit in Generum tradendo ei filiam suam in uxorem. Respondeo, etsi concederemus Iacob & Ioachim fuisse unum & eundem, non constat eum fuisse in vivis quando filia ejus Beatissima Virgo nupsit D. Josepho: imò contrarium est verius, & ab omnibus fidelibus communiter receptum, nec unquam aliud probabit Montanus, non igitur potuit illum charitate genuisse, seu adoptasse in Generum tradendo ei filiam suam in uxorem. Secundò non advertit Montanus ad ea quæ statim post verba ab eo pro se citata subjungit D. Augustinus hoc modo. *Sed planè si hoc verbo genuit etiam Lucas uteretur, omnimodo esset ambiguum quis ex propriâ carne gignentem Patrem commemorasset. Nunc verò cùm alter dicit* Jacob genuit Joseph, *alter* Joseph qui fuit Heli, *etiam ipsa verborum differentiâ quid singuli suscepissent eleganter intimaverunt.* Tertiò, quia nulla est necessitas ita detorquendi Scripturam: Atqui communis est & receptissima SS. Patrum, Theologorum & Ecclesiæ regula Scripturam debere accipi semper in proprio sensu, ideſt, illo quem verba ex suâ primâ institutione significant, nisi aliter sumi necessitas & ratio cogat, quæ hic non reperitur: Quod enim dicit Montanus aliàs futurum ut Matthæus non attigerit scopum quem sibi proposuerat edendi scilicet Christi

XX.

Genealogiam, contrarium patet ex dictis cap. præcedenti, ubi illud argumentum proposuimus & solvimus. Ergò Iacob verè & propriè genuit Ioseph virum Mariæ de quâ natus est JESUS, & consequenter non est Pater Mariæ Virginis

XXI. Igitur his opinionibus demissis quæ etiam exoleverunt, restant nunc solùm duæ valdè celebres: quarum prima est præcedenti è diametro opposita & asserit D. Matthæum referre Divi Josephi Patrem generatione & cæteros ejus Progenitores, Lucam verò Patrem Beatæ Virginis conjugis sive Avum Christi, scilicet Heli alio nomine dictum Joachim, & cæteros utriusque Progenitores. Altera quæ asserit unum Evangelistarum referre Patrem Josephi generatione alterum eum qui ejus Pater est legali substitutione. De quibus in sequentibus.

## CAPUT V.

### *Examinatur prima ex his duabus opinionibus, an scilicet D. Matthæus referat D. Josephi Patrem & Progenitores generatione, & Lucas Patrem B. Virginis.*

I. AFFIRMATIVE docuerunt primi omnium Joannes Lucidus de Emendat. Tempor. c. 1. & Annæus in Comment. Philon qui floruerunt circa annum 1550. quam opinionem tanti facit Barradius è Societate JESU tom. 1. in Evangel. lib. 5. c. 30. ut dicat Sanctos Patres si viverent hanc hujus difficultatis diluendæ rationem & viam inituros. Lucidium & Annæum secuti sunt Galatinus lib. 7. de Arcan. Cathol. verit. c. 12. Driedo lib. 3. de variis Dogmat. c. 5. p. 4. Suarez tom. 2. in 3. p. D. Thomæ disp. 2. sect. 3. §. *dico tertiò*, Jansenius Gandav. in concord. c. 14. Didacus Stella & Cornelius à Lapide in c. 3. Lucæ. Barradius ubi supra, qui etiam asserit eam quam sequenti capite asseremus esse verisimilem.

II. Pro hac citantur etiam à nonnullis S. Augustinus l. 2. quæst. Evangelicar. quæst. 9. & lib. 2. de Consens. Evangelist. c. 2. & 3. Author libri de ortu B. Virg. falsò D. Hieronymo adscripti, Dionysius Carthusianus, & Card. Caietan. in c. 3. Luc. Sotus in 4. distinct. 30. quæst. 2. art. 1. Canus lib. 11. de Locis Theologic. c. 5. & Canisius lib. 1. de Deip. Virg. c. 3. sed falsò. Nam quoad D. Augustinum & Authorem libri de Ortu B. Virginis in locis citatis, ne verbum quidem habent de illâ sententiâ, quod etiam fatetur P. Suarez loco citato. Quoad Dyonis. Carthus. non hanc sed sequentem expressissimè docet, tam in cap. 1. Matth. quam in cap. 3. Lucæ. Ubi utriusque Genealogiam explicat maximè vero ultimo loco art. 9. ad illa verba *qui fuit Heli*. Quoad Caietanum eam quidem Sententiam ex aliis refert, sed tantùm abest ut illam sequatur, quin potius innuit se de ejus veritate dubitare, nec posse illi adhærere, dum addit, *Et hæc opinio si constaret amplectenda esset, &c.* Quoad Sotum nihil de hac re habet, sed solùm ait Beatissimam Virginem esse ex Patre de Judâ, & Matre de Tribu Levi. Quoad Canum & Canisium non eam tenent, sed ab aliquibus teneri asserunt: ut proindè certissimum sit vel ante præfatos Lucidum & Annæum ullum esse qui hanc sententiam tenuerit, nec post illos nisi paucissimos.

III. Hæc sententia à suis authoribus ingeniosè fateor inventa est, tum ad solvendam præsentem difficultatem de discrepantiâ Evangelistarum Matthæi & Lucæ inter se quoad punctum Genealogiæ, tùm præcedentem c. 3. propositam de impertinentiâ utriusque in eâ subducendâ. Cùm enim viderent hi illam quæ à Matthæo descripta est, non ad Christum de quo tamen erat sermo, sed ad D. Josephum, ex quo constat non esse Christum, terminari; ac propterea crederent, per eam nullo modo posse probari Christum ex Abrahamo & Davide Rege ortum ducere: interim verò fieri non posse ut uterque Evangelista in puncto tanti momenti tamque necessario, quale est hoc, defuerit; existimarunt omnia fore facilia dicendo D. Lucam hoc egisse, & Christi Domini Genealogiam perexuisse,

texuisse, nec nos debere ab hac sententiâ amplectendâ deterreri, propterea quod nomen Heli non videatur congruere Patri Divæ Deiparæ & Avo Christi, quem scimus vocatum Ioachim, id enim facilè dilui posse dicendo ipsum habuisse duplex nomen, idque non debere videri mirum, tùm quia hoc videmus frequenter in aliis per Scripturam: tùm etiam propter affinitatem significationis utriusque istius nominis Heliachim seu Heli per apocopen, & Ioachim pro quo afferunt ea quæ supra cap. præced. Sect. 1. num. 5 & seq.

IV. Potest igitur hæc sententia ita explicari ut referente Matthæo Genealogiam Progenitorum naturalium Divi Iosephi, verba illa *qui fuit Heli*, Lucæ referentis Genealogiam Beatæ Virginis, uno ex his duobus modis intelligantur, primò vel ut referant non Divum Iosephum qui immediatè præcedit hæc verba, sed Iesum. Ut sensus sit, qui Iesus putatus filius Ioseph, fuit Heli sive Ioachim: cùm enim Christus Patre naturali immediato caruerit, necessarium fuit, illo omisso, Genealogiam ejus incipere à primo progenitore, scilicet Patre Virginis quæ eum genuit, qui fuit Heli sive Joachim. Vide dicta à nobis supra Cap. 3. Sect. 1. num. 8. Secundò, ut eadem verba *qui fuit Heli* referant Ioseph, & sensus sit *qui* Ioseph *fuit Heli*, alio nomine Ioachim. Cùm enim Heli sive Ioachim fuerit Pater Divæ Virginis Conjugis D. Iosephi, Ioseph fuit ipsius Gener; Gener autem filius dicitur Soceri ab omnibus: undè D. Augustinus lib. 22. contra Pelagian. c. 61. *Si vir & uxor est caro una*, inquit, *non aliter nurus est deputanda, quàm filia.* Et vicissim gener quàm filius. Sic Genesis cap. 7. vers. 7. Noë dicitur. *Ingressus arcam cum tribus filiis & totidem filiabus*, idest nuris seu uxoribus trium istorum filiorum suorum.

V. Sub priore sensu aptior esset explicatio, quia tunc verè deduceret Lucas & directè Genealogiam Progenitorum Christi naturalium eo modo quo fieri potuit, idest incipiendo ab ejus Avo, seu Patre Virginis quæ genuit eum, qui omnibus notus erat. Sub secundo verò sensu nonnisi indirectè & hoc valdè ineptè; quid enim ineptius quàm velle deducere genealogiam alicujus, & hoc exequi per Progenitores affinitate illius qui est tantùm Maritus Matris ejus? Dices tantùm numerum Majorum Divi Iosephi per affinitatem non referri propter ipsum, sed propter Christum Dominum: Respondeo cùm totus hic numerus & tam prolixa Progenitorum series tendat ad Christum, pro quo describitur tam operosè à Divo Lucâ, ergo verisimilior esset hæc sententia sub priore sensu.

Cæterùm sub hoc posteriore sensu VI. eas primò, patitur difficultates quas proposui supra c. 3. sect. 1. contra duplex nomen Soceri D. Josephi, sive Patris Deiparæ quibus nunquam se extricabit. Secundò, quia sequeretur D. Matthæum non deduxisse ulla ratione Genealogiam Christi Domini: & quamvis id non inficientur hujus sententiæ Authores, imò ideò hanc viam conciliandi Evangelistas inierint, quod putent Matthæum illam non deduxisse, falluntur tamen ut constat ex dictis. Tertiò, quia illud *qui fuit Heli* ita debet accipi, ut significet D. Josephum, quem referunt verba illa sub hoc posteriore sensu, esse illius Heli in ea ratione quæ aptè conferat & prudenti judicio sufficiat ad Genealogiam, cùm hanc rem agat Lucas, sed affinitas non est talis ut prudenti judicio sufficiens dici possit ad deducendam, tam operosè tantam Genealogiam, quantam deduxit Divus Lucas ab ipso D. Josepho, usque ad Deum: ergo, &c.

Sub priore sensu eadem est cum illa VII. quàm supra retulimus c. 3. sect. 2. n. 8. quam multis refutavimus ibidem n. 10. & sequentibus quare eò Lectorem remittimus.

Tandem refutatur hęc sententia sub VIII. utroque sensu hoc modo: quia extra omne dubium esse debet Genealogiam à D. Matthæo descriptam esse Genealogiam veram Christi Domini, attestante ipsâ Scripturâ, quæ ut jam sæpè monuimus, eam disertis verbis vocat, *Librum Generationis IESV Christi filii David filii Abraham.* Atqui non ducitur series illa Progenitorum rectà in Christum, oportet ergo ut saltem obliquè & indirectè tendat in eum: at non potest indirectè tendere in Christum,

dùm directè derivatur in D. Josephum, nisi fuerint consanguinei & in gradu ita propinquo cognati, Beata Virgo, ex quâ sola Christus, & D. Josephus, ut hoc esset notissimum : non possunt autem esse ita conjuncti si Joseph descendit ex Davide per lineam Salomonis, Maria verò sit ex Patre Heli per lineam Nathan propter nimiam distantiam illorum in hoc casu à communi stipite Davide, ut constat ex supradictis : ergo, &c.

IX. Confirmatur etiam ex ipso sensu Ecclesiæ, nam ipsa in festo Sancti Joachimi Patris Deiparæ, quod celebrat 20. Martii, idque à tempore Lucidi & Annęi, utitur in Missa & admatutinum Genealogiâ Matthæi, non verò Lucæ : At si Joachim fuisset ille Heli, ut volunt Lucidus & Annæus, utique Genealogia Lucę illum spectaret, non Matthæi, & consequenter Ecclesia istâ uteretur & non hâc, ergo signum est Ecclesiam non approbare hanc sententiam ? Propter eandem rationem in Festis Conceptionis & Nativitatis Beatæ Virginis, eadem Genealogiâ Matthæi utitur, usura sine dubio Genealogiâ Lucæ si vera esset sententia Lucidi & Annæi.

X. E contra verò in festo Sanctæ Annæ Matris ejusdem Beatæ Deiparæ 26. Julii eadem Ecclesia in Missa & matutinis neque hâc neque illâ utitur Genealogiâ, quippè quę judicat neutram illarum eam spectare, eo quod Anna non descendat ex Tribu Juda, aut stirpe David, sed ex Tribu Levi seu sacerdotali, ratione cujus Elizabeth uxor Zachariæ & Mater Sancti Joannis Baptistæ, quæ fuit ex eadem Tribu sacerdotali, (fuit enim ex filiabus Aaron, ut dicitur Luc. c. 1. v. 5.) asseritur cognata ejusdem Beatæ Virginis Luc. c. 1. v. 36. fatetque quod docent SS. Patres Christum Dominum ex utrâque Tribu descendere Regiâ & sacerdotali. Vide antiquissimum Hyppolit. apud Nicephorum lib. 2. c. 3. D. Gregorium Nazianz. in Carm. de Christi Genealogiâ, Divum Hilarium in Matth. can. 1. D. Ambrosium, lib. 3. in Luc. & lib. de Benedictionib. Patriarch. c. 3. D. Augustinum lib. 2. de Consens. Evangelist. c. 2. & lib. 83. quæstion. quæst. 61. & in quæst. lib. Judic. quæst. 47. Epiphan. hæres. 78. Eucherium in lib. quæstion. Novi Testam. Andræam Cretensem in Encom. Virg. Deip. Bedam in Luc. ad illa verba, ecce Elizabeth cognata tua, Julian. Pomerium lib. 3. contra Judęos D. Thomam 3. p. quæst. 31. art. 2. ad 2. ex sacerdotali quidem, quia Mater ejus Sanctissima Deipara ex qua sola traxit carnem per lineam maternam Annæ descendit ex Tribu Sacerdotali seu Leviticâ : ex Regia verò per lineam paternam, quod scilicet Patrem habuerit D. Joachimum ex illâ, non verò ex Tribu Levi, ut sine fundamento asserebat Faustus hæreticus Manichæus apud D. Augustinum lib. 23. contra ipsum c. 4.

Faciunt denique contra hanc & omnes alias præcedentes sententias, quæ pro vera adducemus capite sequenti. XI.

## CAPUT VI.

### *Quod unus Evangelistarum carnalem D. Josephi Genealogiam, alter legalem prosequatur.*

REJECTIS superioribus sententiis nullus alius modus videtur restare præter hunc ut possint inter se conciliari duo illi Christi Genealogistæ & Evangelistę. Sed interim hic modus adhuc bifariam dividitur : alii enim ex his asserunt D. Matthęum legalem prosequi genealogiam, Lucam vero carnalem : alii è contra, de quibus duplici Sectione hîc. I.

## SECTIO PRIMA.

### *Proponitur Prima Sententia asserens D. Matthæum legalem, Lucam Carnalem Divi Josephi prosequi Genealogiam.*

DUm manum ab hoc opere jam absoluto removerem, incidi nescio quo casu in Tom. 3. mensis Martii P. Joannis Bollandi in Acta Sanctorum, apud II.

apud quem ad 19. ejusdem mensis in S. Iosepho, præter ea quæ hic supra cap. 3. inserui ex eodem Authore, inveni super hâc Genealogiâ novam Patris Possini, ex eadē qua ille JESU Societate sententiam cui nullum hoc aptiorem locum judicavi. Eam ipsismet Possini verbis ex Bollando loco citato §. 5. admetior. Alter inquit hic modus est (prior fuit ille à nobis supra c. 2. solutus) à jam dicto Possino non infœlici conjecturâ solutus, cui quidem plurimi Sanctorum, Patrum, Interpretumque præivere, dicentes ab Evangelistarum altero carnalis generationis servari ordinem, ab altero legalis successionis rationem haberi: sed plerique eorum temerè Africanum secuti (à quo alioqui in utriusque lineæ conjunctione desciscunt) nec rationi, nec Scripturis, satis conformiter videatur adscripsisse Matthæo ejus, quæ secundùm naturam est generationis, seriem, Lucæ verò alterius, quæ secundùm legem successionis.

III. Etenim Matthæus qui Judæis Hebraïcè scribebat omnia jura ex legis præscripto metientibus, æquius erat hoc facere quàm Lucam, cujus Evangelium Græcè conscriptum, ad gentes potiùs instruendas dirigebatur, Judaïcarum ceremoniarum legumque non adeò curiosas, aut prorsus ignaras: verùm ne Spiritui Sancto præscribere hâc in parte videamur, potiùs quid factum sit, quàm quid fieri convenerit inquiramus. Utrumque autem commodè assequemur utriusque seriei generationes cum Possino expendentes, easque cum irrefragabili Scripturarum testimonio conferentes.

IV. Quid igitur Lucas? cùm in principio seriei suæ à Christo sursum ascensurus filium eum dixisset Joseph, expressè addit *ut putabatur*, ne naturalem quis generationem suspicaretur: Putabatur autem propter conjugium Joseph cum Maria, quod esset Neptis cum Patruo suo, velut vulgò notum supponens, atque adeò nihil dubitati hujus Avus esset, qui Pater illius generatione carnali. Absque ullâ deinde restrictione, sic porrò ad cæteros ordine recensendos absolutè progreditur *qui fuit Heli, qui fuit Mathat, &c.* atque ita de reliquis. Nisi enim hi carnaliter fuerint ex invicem procreati, ultra Christum extendas oportet istud *or cnomizeto*. Porrò eodem pede concipias Evangelistam, pergere quoties alicui majorum Christi duplex est Pater, Legalis alius, alius naturalis. Hoc autem non facit Lucas, sed omninò contrarium in Obedo cujus tamen Patrem Boozum libri Ruth cap. 5. audimus palam in concione profitentem. *Testes vos estis hodie quod Ruth Moabitidem uxorem Mahalon in conjugem sumpserim, ut suscitarem nomen defuncti in hæditate suâ, ne vocabulum ejus de familiâ & fratribus & populo deleatur.* Obed ergò ex eo conjugio prognatus Mahaloni imputandus fuisset secundùm legem, nisi naturæ ordinem tenuisset Lucas, & tam verè Josephum filium Heli dicere voluisset, quàm verè Obed fuit Boozi, quamvis legaliter filius Mahalon. Nec potest alius ullus gradus assignari in quo legis, non naturæ rationem habuerit Lucas.

E contra verò Evangelista Matthæus V. ubicumque series natutalis deficit, juris sequitur successionem, & crebris potest exemplis ostendi, *to genuit* ab eo vel simpliciter vel metaphoricè accipi, ut sit idem quod habuit in Davidicæ familiæ Principatu & benedictionibus, in ordine ad Messiam, Davidi atque ante ipsum Abrahamo datis, successorem: hoc enim videtur innuere solemnis illa propositio, *Liber Generationis IESV-Christi filii David, filii Abraham.* Quâ de re vide accuratè disputantem Possinum cap. 10. ubi ostendit videri concessum Abrahamo jus habendi unum semper in terris usque ad Christum natum, qui se repræsentaret, repromissionis de Messiâ ex se nascituro hæres, qui quidem universim is fuerit, qui erat inter fratres ordine nascendi primus, nisi revelatio particularis interveniret, ut in Jacob, Juda, Davide, Salomone accidit, idemque rectâ lineâ per naturalem generationem propagatus, usque dum Salomonis & Salomonidarum peccatis exigentibus factum est, ut hic ab initio sic provisus ordo turbaretur: stante tamen & suum finem petente viam legalis successionis obtinente primario Dei proposito & promissionis fide, ut in sequentibus declarabitur.

VI. „ Ex quibus hocquoque consequetur, „ aut Evangelistarum neminem, naturalem prorsus tenere ordinem, quod est „ absurdum, aut tenere Lucam, qui propterea ad Adamum usque provehatur, „ cùm in Abrahamo sistat Matthæus, ut „ primo capite repromissionis Divinæ, „ secundùm quam natus Messias prædicabatur, Judeis parùm curantibus Abrahami antecessores qui ipsis erant cum „ multis aliis gentibus, aut demùm cum „ omnibus hominibus communes.

VII. „ Ad probandum portò id quod jam „ diximus de Matthæo, ipsum scilicet serie naturali deficiente ad legalem recurrere, primò quidem demonstrat „ Possinus Sanctissimum Regem Ezechiam non fuisse impiissimi Achaz naturalem filium: demonstrat, inquam, „ evidenter ex Scripturâ docens cap. 53. & 54 omnibus evasionibus occlusis, „ filium Achazi dici non posse Ezechiam „ nisi credatur natus fuisse ex novennis „ pueri petulanti supra ætatem libidine & „ quidem fornicariâ. Quis enim illi ætatulæ legitimam junxerit? Achazo autem regnanti nonnisi unicum fuisse „ filium, eundemque per sacrilegum „ furorem in honorem Idoli Moloch holocausto consumptum fuisse, ex „ eisdem Scripturis haud difficulter intelligitur.

VIII. „ Cujus autem filius Ezechias, id quidem in obscuro est, satis tamen „ Scriptura indicat, Oziæ, consensu ac studio populi evecto in Regnum, „ plures fuisse fratres, nisi enim fuissent, „ ut quid ita expresse & præter morem „ popularis favoris, sacræ meminissent „ Historiæ? Sin autem altius ascendendum: Josaphatum saltem constat sex „ alios filios 2. Paralip. cap. 21. nominatim expressos genuisse. Demùm undecumque natus, si filius non fuit Achaz „ quod non fuisse ostenditur, dubitari „ non debet, quin jure successionis parte „ Regiæ stirpis extinctâ successerit Ezechias per cognationum gradus: quod „ satis est ad intentum nostrum.

IX. „ Alterum legalis successionis à Matthæo relatæ exemplum, sed naturali admixtum habemus vers. 11. ubi dicitur „ *Josias autem genuit Iechoniam & fratres „ ejus in transmigratione Babylonis.* Nempè Joakimo, Josiæ per mortem Johanan primogenito Babylone extincto, „ filius ejus Jechonias in cernendâ Avi „ Josiæ hæreditate Patruis suis, Sedeciæ „ & Sellum fiebat æqualis, qui proinde „ hic fratres Jechoniæ videntur dici. Nisi „ latiùs nomen fratrum accipere malis „ pro proximis quibusque ex communi „ Avo Josia consanguineis, qui omnes in „ transmigratione Babylonis extincti „ sunt, videlicet eò jam partim abducti, „ partim dum abducerentur cum filiis „ Sedeciæ, qui fuerat fratri suo Joakim „ substitutus in Regnum, à Nabuchodonozore occisi sunt in Reblatha. Post „ transmigrationem verò Babylonis, id- „ est postquam jam omnis populus cum „ Principibus suis abductus esset in Babylonem, ibidem Jechonias genuit „ Salathiel. „

X. Quomodò autem genuit? Rex quidem Evilmerodach ipso anno quo regnare cœpit, captivum Regem levavit „ de carcere, & posuit thronum ejus super thronum Regum qui erat cum eo. „ Quis tamen negare audeat impletam „ terribilem istam Dei comminationem „ de Jechoniâ Jeremiæ cap. 22. pronunciatam. *Hæc dicit Dominus, scribe virum „ istum sterilem, &c.* non quia nullos genuerit filios, (paulò enim superiùs propagati ab eo seminis & in captivitate „ morituri fit mentio) sed quia non erit „ de semine ejus vir qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Iuda: quod profectò minimè fuisset impletum, si Iechoniæ ex „ filio non tantùm nepos fuisset Zoroba- „ bel diuturnus & fœlix gentis Iudaïcæ „ in sedes Patrias restitutæ Princeps, sed „ per hunc etiam Christus ipse cujus regni non erit finis, omnium priorum promissionum optatissimum complementum, ex Iechoniæ semine per naturalis generationis seriem fuisset propagatus, ut volunt ii qui faciunt Matthæum „ talis seriei authorem. Hæc est sententia PP. Possini & Bollandi, & fundamenta quibus innititur non aliis quàm „ ipsius Bollandi ex Possino verbis „ proposita. „

SECTIO

## SECTIO II.

*Præfertur secunda sententia asserens è contra D. Matthæum carnalem, Lucam verò legalem D. Josephi, & consequenter Christi Genealogiam attexere.*

XI. VLtima hæc est communissima, certissima & antiquissima sententia est, & ideò omninò retinenda, quod scilicet D. Iosephus duos habuerit Patres, unum naturalem scilicet Iacob à quo genitus est, per quem Matthæus naturalem ejus Genealogiam ab Abrahã ad Davidem, & à Davide Regẽ directè deduxit usque ad ipsum; Alterum legalem, scilicet Heli, per quem Lucas ipsius legalem usque ad ipsum Deum reduxit originem.

XII. Probatur primò hæc opinio ab authoritate Sanctorum Patrum, qui omnes quotquot hanc materiam attigerunt ab exordio Ecclesiæ hâc viâ hanc difficultatẽ enodarunt. Ita D. Iustinus Martyr in Quæstionib. ad Orthodoxos quæst. 66. & in Quæstion. ad Gentes quæst. 131. & 133. Iulius Africanus epist. ad Aristid. apud Euseb. lib. 1. hist. Eccles. cap. 6. qui Eusebius est etiam hujus sententiæ. Tertullianus lib. contra Iudæos. Origenes in Matth. Gregorius Nazianz. Carm. de Christi Geneal. D. Hilarius in Matth. can. 1. Divus Ambrosius lib. 3. in Lucam cap. 3. D. Hieronymus lib. de Script. Eccles. in Iulio Africano ubi huius opinionem approbat, & in Matth. c. 1. D. Augustinus passim maximè lib. 2. Retract. cap. 7. & 12. lib. 2. Quæst. Evang. quæst 5. lib. sermon. de diversis, serm 62. cap. 19. Author Quæst. novi & veteris Testamenti apud eundẽ Augustinum quæst. 56. Eucherius in Quæst. in novum Testam. quæst 3. in Matth. Nicephor. lib. 1. hist. tripart. cap. 11. D. Damascenus lib. 4. de fide orthod. cap. 15. & Orat. 3. de Nativit. Beatæ Virg. D. Anselmus, Beda, Euthymius, Theophilactus, Dionysius Carthusianus, D. Bonaventura, Nicolaus Lyra in Luc. cap. 3. D. Thomas 3. part. quæst. 31. ad 2. & in cap. 3. Luc. quos præeuntes sequuti sunt magni nominis Doctores & Interpretes Hugo Cardinalis, Cajetanus, Salmeron, Toletus, Maldonatus in cap. 3. Lucæ, Vasquez tom. 2. ad 3. part. D. Thomę disp. 127. cap. 4. Et ex nostris Guido Perpinianus in Evang. ad illud *qui fuit Heli*, Luc. cap. 3. Thomas Beauxamis tomo 1. in Evang. ad illud Matth. c. 1. *David autem Rex genuit Salomonem ex eâ quæ fuit Uriæ.* Sylveira tomo 1. in Evang. lib. 1. cap. 2. quæst 44. & Hieronymus Gratianus lib. 1. de S. Joseph cap. 1.

XIII. Probatio hujus asserti videtur evidentissima, suppositâ Deuteronomii lege cap. 25. de suscitando per fratrem superstitem semine fratri sine liberis defuncto in ipsius defuncti conjuge. Cujus legis hæc sunt verba. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex eâ filium nomine ejus appellabit, ut non deleatur nomen ejus de Israel.* Cùm enim hæc Lex esset propria ac particularis Judæorum, ex quibus D. Iosephus, habeamusque in illis Matthæi verbis cap. 1. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, &c.* Patrem ejus naturalem à quo genitus est, profectò non alius modus quærendus est, quomodo Heli fuerit etiam Pater ejusdem D. Iosephi, ut asserit Lucas cap. 3. quàm ille Deuteronomii cap. 25. qui erat proprius & particularis Iudæorum, maximè cùm illi soli duo modi faciant ad Genealogiam, ut monuimus supra.

XIV. Quod autem Matthæus carnalem D. Iosephi, & consequenter Beatæ Virginis Uxoris suæ & Christi Domini ex eâ solâ nati Genealogiam prosequatur, nihil clariùs: sive enim exordium Genealogiæ ipsius, sive progressum, sive exitum, sive modum loquendi perpendas, omnia sonant generationem carnalem, non ita apud Lucam, ut mirandum sit Possinum & Boilandum contradixisse.

XV. Nam primò exorditur Matthæus suam Genealogiam per solemnem illam propositionem, *Liber Generationis*

*IESV-Christi filii David, &c.* quibus verbis quis aliud intelligat quàm generationem propriè dictam, quæ omnium sensu non alia est quàm carnalis? & ideò non dicit Matthæus liber genealogiæ, quo nomine etiam processio per viam legalis substitutionis intelligi potuisset, sed liber generationis.

XVI. Hanc deinde idem Evangelista non aliter expandit quàm per Progenitores ex se invicem carnaliter procreatos, incipiendo ab Abraham, & progrediendo usque ad David, ac deindè à Davide pergens eodem pede per lineam Salomonis perducendo usque ad Ioseph, ex quo quia non erat Jesus ut Ioseph ex Iacob, & cæteri ex aliis supra recensitis, & tamen ipse recensitus quasi Pater ejus, quia Matri ejus ex quâ solâ natus est vero conjugio copulatus, ideò mutans stylum concludit Genealogiam, non dicens eum genuisse Jesum, sed vocans Virum Mariæ de quâ natus est Iesus. Sicque cùm Genealogia carnalis utriusque, idest Iosephi & Mariæ, esset eadem ob rationem allatam supra cap. 3. rectà tendens in Iosephum pervenit ad Iesum ex Mariâ natum.

XVII. Tandem Matthæus quasi recapitulans & explicans suam Genealogiam, subjungit. *Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David Generationes quatuordecim, & à David usque ad transmigrationem Babylonis Generationes quatuordecim, & à transmigratione Babylonis usque ad Christum Generationes quatuordecim.* Ubi vides involvi generationem Christi & Iosephi cum aliis. Cùm ergò aliæ sint carnales, ergò & hæc Christi, non tamen ea quæ est Christi per Patrem carnalem ut aliæ, sed sic *erat*, inquit, *cùm esset desponsata Mater IESV Maria Ioseph antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*, ac propterea ex illâ solâ carnaliter, Iosepho tamen cui desponsata conceptus & natus. Quo quid clarius dici potuisset non video.

XVIII. Denique idipsum etiam observarat Iulius Africanus in epistolâ citatâ infra exhibendâ ex Eusebio, ex modo loquendi Evangelistæ. Idem etiam Divus Augustinus libr. 2. de consensu Evangelist. cap. 3. cujus hæc sunt verba. *Quem probabilius*, inquit, *intelligimus adoptantis* (intellige ex lege præfatâ Deuteronomii cap. 25. ut idem Sanctus Doctor se explicas dicit lib. 2. Retract. cap. 12.) *originem tenuisse, quàm eum qui noluit Ioseph genitum ab illo cujus eum filium esse narrabat? Commodiùs enim filius ejus dictus est à quo fuerat sic adoptatus, quàm diceretur ab illo genitus, cujus carne non erat natus. Matthæus autem dicens, Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, atque ita in hoc verbo quod est genuit perseverans donec in ultimo loco diceret, Iacob autem genuit Ioseph, satis expressit ad eum Patrem se perduxisse originem generantium à quo Ioseph non adoptatus, sed genitus erat.*

XIX. Et licet idem Augustinus ibidem subjungat quod licet Lucas sicut Matthæus verbo *genuit* usus fuisset, adhuc nihilominus possent conciliari dicendo unum naturâ genuisse, alterum charitate, quod est adoptare; continuò tamen addit Augustus Doctor. *Sed planè si hoc verbo etiam Lucas uteretur omnimodo esset ambiguum quis eorum adoptantem, quis ex propriâ carne gignentem Patrem commemorasset. Nunc verò cùm alter dicit* Iacob genuit Ioseph, *alter* Ioseph qui fuit Heli, *etiam ipsâ verborum differentiâ, quid singuli suscepissent eleganter intimarunt.*

XX. Habet ergò hæc sententia hoc supra præcedentem, quod verba Scripturæ à proprio sensu non detorqueat, quod fieri non est patiendum, nisi aliqua necessitas urgeat, quæ hîc non est, ut ex dicendis constabit, atque adeò ex hoc solo capite, præcedenti præferenda, ac deindè cæteris, quod magis conformis usibus Gentis Iudæorum, cùm interim incommoda omnia quæ contra ipsam adduci possent nullo negotio vitet.

XXI. Refert ergo D. Matthæus verum & carnalem Christi ex Abrahamo & Davide descensum referens ipsum Divi Iosephi; quandoquidem Mater ejus ei ut de cognatione suâ per Patrem suum Ioachimum ita propinquo ut de hoc nullum esset dubium tanquam hæres uniqua Parentum ex lege Numeror. cap. ultimo nupsisset: Lucas verò legalem solùm, & solius Divi Iosephi,

Ioſephi, quam tamen meritò proſequitur, quia cùm eſſet Iesus Filius Ioſephi longè ſtrictiùs quàm ipſe Ioſeph erat Filius Heli, ut probabimus infra part. 2. tract. 2. & propterea omni jure hæres D. Joſephi, cujus Pater Legalis Heli recto ordine à Davide deſcendebat per Nathan, ad cujus poſteros propter peccata Salomonidarum tranſlatum erat jus ad Regnũ Davidis, neceſſaria fuit ut pateret per illam quod jus ad iſtud Regnum ad Joſephum devolutum pervenerit ad Jesum, ſic ut præfertur Filium ſuum: ac conſequenter ſi vera eſſet opinio Patrum Poſſini & Bollandi, quod Lucas carnalem Chriſti Domini Genealogiam proſequutus fuiſſet, cùm ex iiſdem Patribus Poſſino & Bollando Regnum æquè ac Meſſias tranſlatus fuerit ad lineam Nathan, quam ſequitur Lucas, inutilis prorſus ac vana fuiſſet reſpectu Chriſti Genealogia Matthæi, qui tamen conceptis verbis ſe profitetur Chriſti Genealogiam ſcribere: quæ omnia cùm clariſſima ſint, nihil autem abſurdius hâc ſequelâ, neceſſariò ex aſſertâ opinione Patrum Poſſini & Bollandi inferendâ, eluitur macula ab eiſdem injuſtè aſperſa Julio Africano à nobis infra defendendo, & temeritas quam tanto Sanctorum Patrum ac Doctorum, qui illum utpote omnium antiquiſſimum ſequuntur numero, affricant, in eos redit, neſcio an ullâ ratione emaculanda.

XXII. Ad rationes verò eorundem Poſſini & Bollandi quæ in comparatione eorum quæ faciunt pro noſtrâ, nimis ſunt imbecilles: Reſpondeo ad primam, quod Matthæus ſcripſit Evangelium ſuum Hebraicè, quia Hebræus erat, ſicut Lucas Græcè, quia erat Græcus. Non ideò tamen ampliùs Matthæus ſcripſit Hebræis, aut Lucas Græcis, Hebraicè aut Græcè ſcribendo quàm aliis, non enim Deus Hebræorum aut Græcorum ſolùm, ſed omnium, dives in omnes qui invocant illum.

XXIII. Quoad illa quæ Poſſinus & Bollandus effantur pro ſuâ ſententiâ capite præcedenti num. 4. verba ſunt mera: Nec enim neceſſe eſt ut dicere poſſimus Lucam proſequi ſeriem D. Joſephi legalem, negare omnes ab Heli uſque ad Adam ſurſum aſcendentes fuiſſe ex invicem carnaliter genitos, & conſequenter quod ad Obedum perveniens debuiſſet mutaſſe ordinem, & relicto Boozo ejuſdem Obedi Patre carnali referre legalem, qui fuit Mahallon, quandoquidem Matthæus (quem Poſſinus & Bollandus volunt proſequi legalem ſeriem) perveniens ad eundem Obedum non retulerit etiam Mahallònem Patrem ejus legalem, ſed Boozum carnalem, nec perveniens ad Pharez & Zaram retulerit Her & Onam eorum quoque Patres legales, Geneſ. cap. 38. ſed etiam proſecutus eſt per Judam Patrem eorum carnalem: & retorquendum venit, quod ibi uterque ſubnectit contra nos, ſcilicet quod Obed ex eo conjugio prognatus Mahalloni, ſimiliter Pharez & Zaram Heri & Onamo ſecundùm legem imputandi fuiſſent à Matthæo, niſi naturæ ordinem tenuiſſet Matthæus, & tam verè Joſephum filium Jacob dicere voluiſſet, quàm verè Obed erat Boozi, Phareſque & Zaram Judæ, quamvis primus ideſt Obed legaliter filius Mahallonis, duo alii Heris & Onami.

Sed vide quò præcipitentur Poſſinus & Bollandus, qui ut non vulgarem in hâc materiâ de novo cudant opinionem, verba illa Matthæi *Achaz autem genuit Ezechiam*, conſequenter & conformiter ad illud lib. 4 Regum cap. 16. num. ultimo & cap. 18. num. 1. & 2. Paralipomen. cap. 28. num. ultimo. Ubi diſertis verbis dicitur Ezechias filius Achaz, ita interpretantur, ut non aliud ſignificent quàm Ezechiam ſucceſsiſſe Achazo in Regnum. Quis unquam tam ineptam adhuc audivit metaphoram? Quis crediderit aliquem, ab alio nec immediatè nec mediatè genitum, imò nec per legalem ſubſtitutionem acquiſitum, dicendum à quantumvis ſtupido illius filium, immò ab eo genitum, ex hoc præciſè quod ei, ſucceſſore ex ſe genito carenti, in bonis ſucceſſerit etſi titulo contanguinitatis. XXIV.

Longius adhuc abripiuntur iidem viri aliàs magni, dum ut iſtam ſuam opinionem ſtatuant, Achazo nonniſi unum filium fuiſſe affirmant, quem ne Ezechiam putaremus, ab eo per ſacri- XXV.

legum furorem in honorem Idoli Moloch holocausto consumptum fuisse asserunt, ut proinde Achazo sine liberis facto, non potuerit Ezechias aliter ei in Regno successisse, quàm per legalem successionem uti propinquum.

XXVI. Verùm quomodò ista dixisse potuerint non video, cùm contrarium appareat evidentissimè in Scripturâ. Nam primò lib. 2. Paralip. cap. 28. vers 3. dicitur de Achaz, quod *adolevit incensum in valle Benennon, & lustravit filios suos in igne juxta ritum Gentium.* Ex quo videmus non unum, sed plures filios habuisse, nec illos in igne consumpsisse, sed lustrasse quod longè aliud est: Ammonitæ, quorum ritum hic imitatur Achaz ille impius, & Hebræi ex lege, dupliciter filios suos consueverant consecrare Idolo Moloch: Primo, eos igne comburendo: Secundò, lustrando, seu traducendo eos per ignem, tùm ut eos sic expiarent à peccatis & immunditiis, tùm ut hoc ritu eos Idolo isti initiarent & dedicarent Ritum describit Theodoretus his verbis *Vidi*, inquit, *in aliquibus Civitatibus semel in anno accendi rogos, & trans eos saltare aliquos non solum pueros, sed etiam viros: infantes autem per flammam ferri à matribus. Videbatur autem istud quædam esse expiatio & purgatio. Existimo autem hoc quoque fuisse Achazi peccatum.* Vide Cornel. à Lapide in 4. Reg. cap. 17. in initio ad vers. 3. Quare idem Theodor. & ex eo Salianus censent Achaz filios non cremasse, sed traduxisse tantùm per ignem, quod etiam significat verbum *lustravit*, quo utitur Scriptura. Nec aliter arbitrandum: quis enim credat Regem quantumvis exlegem & sacrilegum nullam prolem sceptro reservasse, sed omnes igni devorandos tradidisse? Certè Scriptura hoc asserentem mendacem faceret; ait enim inferius ad locum citatum lib. 2. Paralip. vers. 7. *Occidit Zechri vir potens ex Ephraim Maasiam filium Regis & Ezricam Ducem domus ejus*, idest Achazi Regis. Ex quibus stat quod ibidem dicitur versu ultimo, quod *Regnavit Ezechias filius ejus pro eo.*

XXVII. Nec nos angit quod videtur Possino & Bollando absurdum, nempè quod si Ezechias esset verè filius Achazi, oportèret ut natus fuisset ex novennis pueri petulanti supra ætatem libidine & quidem fornicariâ. Viderunt enim ante Possinum & Bollandum hanc difficultatem benè multi, eamque satis enodarunt ut nihil cogat ad novam illam opinionem ab eis noviter cusam cum tali detorsione verborum Scripturę recurrere. Viderunt & respondérunt Cardinalis Cajetanus, & Sanchez apud Cornel. à Lapide in lib. 4. Reg. cap. 18. Barradius in Evang. tomo 1. lib. 5. cap. 4. Gaspar Sanctius ad cap. 3. lib. 3. Reg. num 12. P. Paludanus Augustinianus, Doctor & Professor Lovanienſis in suâ Chronologiâ & Concordiâ temporum Regum Juda & Israel, tract. 4. c. 15. n. 7.

Sed his omissis eorum omnium Antecessorem & Ducem lubet audire Solem Interpretum Sacræ Scripturæ Divum Hieronymum epist. 132. quę est ad Vitalem, ad cujus Scholam non erubescent Patres Possinus & Bollandus venire, ut nobiscum audiant quid hâc super re sentiat tantus Doctor, qui non putavit torquendum sensum Scripturę germanum ut hanc vitaret difficultatem: sed eum sensum religiosè veneratus defendit, remque sicut sequitur ex ejus scriptis loco citato de verbo ad verbum explicavit. XXVIII

Ita ergò ille ibi. *Quis crederet mortalium quod undecim annorum puer generaret filium? multa & alia dicuntur in Scripturis, quæ videntur incredibilia & tamen vera sunt: neque enim valet natura contra naturæ Dominum, aut potest vas figulo dicere quare me ita fecisti, aut ita? Licet quod pro miraculo, signo, aut portento fit, legem natura facere non possit. Num quia nostra ætate duplex Lyddæ natus est homo duorum capitum, quatuor manuum uno ventre & duobus pedibus, omnes homines ita nasci necesse est? Legamus veteres historias, & maximè Græcas & Latinas, & inveniemus lustralibus hostiis secundum errorem veterum portentosas soboles tam in hominibus, quàm in armentis ac pecudibus expiatas. Audivi, Domine teste, non mentior, quædam muliercula cùm expositum nutriret infantem, & instillaret cibos, ac nutricis officio fungeretur, enbaretq; cum ea parvulus, qui usque ad decimum* XXIX

*decimum jam pervenerat annum, accidit, ut plusquã pudicitia patitur se mero ingurgitaret; accensáq; libidine obscœnis motibus ad coitum duceret infantem. Prima ebrietas alterius noctis & cæterarum deinceps fecit consuetudinẽ: Necdum duo menses fuerant evoluti, & ecce fœminæ uterus intumuit. Quid plura? Dispensatione Dei factum est, ut quæ contra naturam simplicitate parvuli in contemptum Dei abutebatur, à naturæ Domino proderetur, impleto sermone quo dicitur; Nihil occultum quod non reveletur: simulq; consideremus quod occultè Scriptura Salomon & Achaz voluptatis & impietatis accuset: Uterque enim cùm esset de stirpe David recessit à Domino, & alter in tantùm secutus est libidinem ut septuaginta habuerit uxores & trecentas concubinas & adolescentulas, & scorta passim quorum non erat numerus. Neglectoq; Deo Patrum suorum extruxerit Idola Gentium plurimarum, & fuerit non ut prius Dedidia, ideſt amabilis Domini, sed amator mulierum. Alter auserit ad Regem Assyriorum mittere auxilium postulans, &c..... Ex quo perspicuum est à parva ætate libidini deditos, immaturæ eorum sobole demonstrari, quod etiam in eo tempore peccare cœperint quo natura non patitur. Ad summum illud dici potest quod in Regno David Salomon cùm duodecim esset annorum solium Patris obtinuerit: & postea (quia Scriptura reliquit incertum) vixerit David, regnante jam filio, aliquot annos qui sibi & non Salomoni imputentur. Mortuo autem Patre, postea filius regnaverit annis quadraginta quibus sine parente regnavit: Atque ita & initium Regni Salomonis, & tempus quo solus ipse regnavit ab historia demonstratum. Nec tamen omnes annos vitæ illius quinquaginta tantùm & duorum annorum circulis contineri. Sin autem dubitas quod regnantibus filiis, patribusq; viventibus, non filiis tempus regni eorum sed parentibus imputetur: Lege ipsum Regnorum volumen, & invenies quod Ozias Rex Iudæ postquã percussus est leprâ, habitavit in domo separatâ, & filius ejus Ionathan imperium rexerit, judicaveritq; populum terræ usque ad diem mortis Patris sui. Et tamen post mortem illius cùm esset viginti quinque annorum sedecim annis regnasse dicatur quos solus ipse regnaverit. Quod de Salomone intelleximus, & de Achaz simili-ter intelligendum est, qui Ioathæ filius, Ezechiæ Pater fuerit. Audivi quendam Hebræũ, hujusmodi narrare fabulam juxta prophetiam Isaiæ, quam inter decem visiones nuper interpretatus sum quod mortuo Achaz Philistæa lætata sit, & Scriptura postea comminetur ac dicat:* Ne læteris Philistæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui. De radice enim colubri egredietur Regulus, & semen ejus absorbens volucrem. *Hoc est de Achaz constituetur Rex Ezechias: ex quo intelligi voluit, non statim post mortem Patris, filium imperio subrogatum, sed vel seditionibus populi, vel quibusdam inter se Regnis (ideſt Iudæa ac Samaria) discordantibus, aut certè præmentibus malis, & hinc indè consurgentibus bellis Regnum ejus fuisse dilatum. In rebus obscuris diversas ponimus opiniones ut non tam scribere quàm loqui videamur, &c.* Hæc D. Hieronymus.

Ubi quatuor argumentis conficit Sanctus Ecclesiæ Doctor verum esse, quod incredibile volunt Possinus & Bollandus, Ezechiam verè esse filium & verè genitum ab Achaz, ut dicitur lib. 4. Reg. cap. 16. num. ultimo, & 18. num. 1. & lib. 2. Paralipom. cap. c. 28. n. ult. & Matth. c. 1. Esto Achaz non fuisset nisi undecim annorum ex supputatione ipsius, ut credo meliore, quàm illa Possini & Bollandi. XXX.

Primò quidem quia licet hoc videatur insolitum, sunt & alia multa non minùs rara, & quæ videntur æquè creditu difficilia, quæ tamen vera esse nullus dubitat: nec enim legem natura facere potest, ut nihil in ipsâ præter ejus consuetum tenorem evenire possit, ut patet in portentosis fœtibus, tam in hominibus quàm in armentis. XXXI.

Secundum argumentum ducit Sanctus Doctor ab exemplo mulierculæ nutricis impudicissimæ infantis expositi, quæ ex alumno decennii in libidinem suam pertractato concepit. XXXII.

Tertium, ex eo quod fieri potuit ut Achaz crebris cladibus quæ referuntur in suâ historiâ lib. 4. Reg. cap. 16. fractus ac pertæsus, sibi adhuc vivens subrogarit filium suum Ezechiam, quodque anni quibus vivente patre gubernavit non numerentur, quia guber- XXXIII.

nabat nomine Patris, sed tùm primùm incipiant numerari à Scripturâ cùm factus ætatis viginti quinque annorum, mortuo Patre regnavit nomine proprio, quemadmodum Salomoni contigisse probat respectu Patris sui Davidis, & Joathano respectu Patris sui Ozię leprâ ob usurpatum Sacerdotale officium divinitus percussi.

XXXIV. Quartum, ex eo quod potest contingere, quod Ezechias non statim post mortem Achaz patris sui in ejus locum subrogatus sit Regno ejus, vel seditionibus populi, vel Regnis Judæ & Samariæ inter se discordantibus, vel præmentibus malis & hinc indè consurgentibus bellis dilato, prout fas est opinari ex Historiâ Achazi 4. Reg. c. 16. Quod confirmatur ex eo quod constat Scripturam silentio præterire Inter-regna quę tamen subinde intercurrisse probat Doctissimus Paludanus Augustinianus citatus initio hujus Sectionis: quæ omnia debuissent sufficere PP. Possino & Bollando, nisi nova vel saltem non vulgaria magis placuissent.

XXXV. Confirmatur: Cùm enim Sacra Scriptura lib. 4. Reg. cap. 16. vers. 2. & 2. Paralip. cap. 28. v. 1. dicat Achaz fuisse viginti annorum cùm regnare cœpit, & quod sedecim annis regnavit, manifestum est quoque ipsum fuisse triginta sex annorum quando cessavit vivere & regnare. Cùm ergò Ezechias esset 25. annorum quando regnare cœpit attestante eâdem Scripturâ, lib. 4. Reg. cap. 18. v. 2. & lib. 2. Paralip. c. 29. vers. 1. Detractis his viginti quinque ex istis triginta sex vitę patris sui Achaz, remanent pro Achaz undecim anni toti, ex quibus si demamus tempus quod fuit Ezechias in utero matris scilicet novem menses ad summum, potuerunt enim, ut in aliis non rarò contigit, fuisse tantùm septem, remanent anni decem & menses tres vel quinque, ut ergò credatur Ezechias filius verus & carnalis Achaz, non est necesse ut credatur fuisse ex novennis pueri libidine, ut aiebant Possinus & Bollandus.

XXXVI. Potuerunt tamen Possinus & Bollandus descendisse à decem illis annis & tribus vel quinque mensibus quos invenimus in Achaz ad suum novennium dicendo Scripturam asserentem Achaz fuisse 20. annorum cùm regnare cœpit, sedecim annis regnasse, intelligendam non de annis completis, sed tantùm inchoatis, ita ut cœperit regnare cùm incœpisset annum ætatis vigesimum, & desierit regnare incœpto decimo-sexto Regni, quo pacto rescindi poterunt à nostrâ supputatione superiori à qualibet ex duabus istis partibus octo vel novem menses, & sic ab utrâque sedecim, septemdecim vel octodecim imò ampliùs menses.

Sed ad hoc respondeo, cùm ista ex- XXXVII
plicatio traheret absurdum, non esse tolerandam: Secundò, si hoc Bollandus & Possinus se posse facere putent ut novam suam opinionē nimis adhuc ex aliis imbecillem sulciant: cur nō Patres & cæteri nobiscum sentientes æquè imò melius & justius dicere possint, è contra Scripturam in utroque membro annorum Achaz, referre tantùm annos completos & tacere incompletos, quos ascendere facient ad totidem menses, quot Possinus de expressis in Scripturâ annis detrahere audet? Et annum vigesimum-quintum quo dicitur Ezechias cœpisse regnare intelligi de incompleto, ita quod habuerit tantùm 24. annos completos & vigesimo-quinto inchoato, fortè uno aut altero mense regnare cœperit, quo habito tantùm abest ut Achaz non fuerit nisi novennis quando genuit Ezechiam, quin juxta hoc fuit tredecim & ampliùs annorū, ut etiam ante me censuit Tostatus Episcopus Abulensis in lib. 4. Reg. cap. 16 quâ ætate nihil difficile video quod Rex sive Regis filius, aut Regni hæres nupserit & genuerit, ac si fortè fornicariè, quod potuit contigisse in Principe ad libidinem & nequitiam nato, qualis fuit Achaz, quod quam primùm ad remedium matrimonii recursum sit pro legitimandâ prole.

Urgebis hoc quidem verisimiliter, XXXVIII
sed utrùm hæc supputatio concordabit cum Chronologia temporum Regum Juda & Israel? Conciliasse se putat Abulensis Chronologistarum & Interpretum nulli inferior, negabit Possinus, aliàs sua ei opinio deferenda, quis hanc litem dirimet? Certè in evolvendis

istorum

istorum temporum spiris sudarunt jam aliquot sæculis præclarissima ingenia; alii hâc, alii istac hanc labyrinthum ingressi: sed an ullus fœliciter egressus? cùm enim mihi indicarint Possinus & Bollandus, si discordet ab Abulensi, ab hoc discedam, non ideò tamen sequar eos in istâ novâ opinione quæ non potest mihi placere ob alias rationes allatas. Sed pro difficultate istâ de annis Achazi quando genuit Ezechiam, recurram ad alias responsiones ex Divi Hieronymi doctrinâ suprà allatâ cum sacrâ Scripturâ magis cohærente.

XXXIX Cæterùm in eâ obscuritate præstaret suam fateri ignorantiam, & humiliter credere subesse modum aliquem sub quo verum est quod Achaz genuerit Ezechiam, sed adhuc nobis occultum quàm ita detorquere verba clarissima sacræ Scripturæ, ut faciunt Possinus & post illum Bollandus.

XL. Ad alterum legalis successionis apud Matthæum exemplum in his verbis, Josias autem genuit Jechoniam & fratres ejus in transmigratione Babylonis, ab iisdem Patribus Possino & Bollando in confirmationem suæ sententiæ adductum, solutionem habebis infrà.

XLI. Probatur amplius hæc nostra sententia, quia verba Scripturæ debent semper accipi in maximè proprio sensu, idest litterali, seu quem littera significat, nisi aliter sumere cogat aliqua necessitas: quod fit in nostrâ sententiâ: Nam primò, quoad illud Matthæi *Iacob autem genuit Ioseph Virum Mariæ*, ita accipitur ut constat, quia verbum *genuit* ex suâ significatione propriâ omninò importat eum qui ex propriâ substantiâ suâ alium gignit, nihilque potest afferri quod cogat secus accipere, ut ex refutatione Arriæ Montani & Possini suprà patet: Quoad illud autẽ Lucæ *Ioseph qui fuit Heli*, quod scilicet debeat intelligi de Patre & filio legali probatur efficacissimè, quia ut accipiatur propriè debet necessariò significare D. Josephum ita esse & spectare ad Heli ut conferat ad Genealogiam, cùm hoc istic agat Lucas: Atqui cùm non possit illud intelligi de generatione carnali, hanc enim attigit Matthæus: in nullo alio sensu potest facere ad Genealogiam D. Josephi nisi in sensu substitutionis legalis, ergo in eo sensu accipiendum.

Fateor equidem si simpliciter dice- XLII.
retur D. Josephus filius Heli quod id posset commodè explicari, vel per affinitatem, vel per adoptionem, si hæc locum habuerit apud Judæos, sed in hoc casu ubi ita dicitur filius Heli, ut ab eo incipiendo usque ad ipsum Adam & Deum ejus origo protendatur, ad hoc certè non sufficit affinitas vel adoptio, facit verò substitutio, seu successio nostra legalis Deuteronomii; per illam quippè primogenitus à fratre superstite in uxore defuncti suscitatus, ita fiebat filius defuncti, ut etiam defuncti semen diceretur: ait enim lex *suscitabit semen fratris sui, &c. ut non pereat nomen ejus in Israël.* Atque hoc ita ut proles taliter procreata non censeretur generantis, sed defuncti: non enim pro se illam generabat, sed pro fratre defuncto, nec suaptè & proprio marte se applicabat, sed à lege Dei, seu verius ab ipso Deo applicabatur ad generandum eum pro illo, & quidem non in quacumque libuisset, sed in hâc à Deo determinatâ, uxore scilicet defuncti, adeò ut non solùm terminus istius actionis ex volũtate Dei esset defuncti, verùm etiam ipsa actio generandi, quandoquidem fiebat ipsius nomine, & in suâ uxore, non alio quàm à fratre ex Dei lege, qui volebat hâc ratione suscitari semen defuncto, efficere ne ejus nomen deleretur ex Israel, & ædificare domum defuncti, ut loquitur Scriptura Deuter. cap. 25.

Hoc modo potuit ne alius excogi- XLIII.
tari aptior in locum generationis ad Paternitatem & Genealogiam? Si in adoptione etsi aliquis etiam per instrumentum publicum promisisset alium habere pro filio, & hic istum pro Patre, non tamen esset adoptio si deesset consensus Principis; illo autem solo adjecto poneretur illa & ejus sequelæ, ut docent Alexand. consil. 141. in princip. lib. 6. Jas. consil. 141. in fin. lib. 4. Cardinalis Tuschus, tom. 1. concluf. 214. verbo *Adoptio* num. 9. & alii. Quanto magis, primò voluntas efficax Dei imperantis faciet adoptionem? faciet dico Patrem & Filium?

Secundò,

Secundò maximè cùm non solùm ex lege Dei iste in individuo fiebat filius hominis istius, sed etiam à Deo præciperetur actus quo generabatur pro illo. Tertiò, cùm fieret per fratrem qui unus censetur cum fratre, frater enim dicitur quasi ferè alter. Quartò, cùm fieret in uxore defuncti, quæ erat adhuc caro defuncti in hoc casu: quod ex hoc colligo, primò, quod non erat uxori superstiti liberum cuivis nubere, sed tantùm fratri quasi alteri ipsi, & hoc quidem, ut in eâ ipsi semen à fratre suscitaretur. Secundò, quod si hic renuisset ipsa injuriam, non suam (per alterum enim æquè prolificari poterat) sed mariti tanquam ad se adhuc pertinentis ulciscebatur per probrosam renuentis discalceationem, &c. unde mihi probabilissimum est quod si defunctus vitæ restitutus fuisset, quod fieri poterat per miraculum, rursus dictæ suę uxori conjungi debuisset, tum ob jam dicta ut sic esset aliqua æqualitas inter onera viri & uxoris, tum quia si frater in ea & non in alia tenebatur illi semen suscitare quantò, magis ergo ille sibi ipsi?

XLIV. Ex quibus omnibus cùm filius ita ex lege istâ genitus, esset potiùs illius cui semen suscitabatur, quàm suscitantis; sequitur omninò quod potiùs revocandus erat ad Genealogiam defuncti quàm suscitantis. Cùm ergò paternitas & filiatio ex substitutione legali proveniens ita conferat ad Genealogiam, ergò quod D. Josephus ex gente Judæorum apud Mathæum dictus à Jacob genitus, dicitur apud Lucam filius Heli, debet omninò intelligi de hâc filiatione ex substitutione legali.

## CAPUT VII.

### *Hæc nostra Sententia omninò retinenda est, nec nisi temerè ab eâ discedi potest.*

I. PRo hujus Asserti firmamento notandum Traditiones in Ecclesia receptas esse in duplici genere. Aliæ dicuntur Divinæ & Apostolicæ, idest à Christo per Apostolos ad nos transmissæ, quæ ad fidem pertinent, quæque parem merentur & obtinent quàm Sacra Scriptura fidem: Aliæ dicuntur Ecclesiasticæ quæ à Majoribus nostris ab exordio ipsius Ecclesiæ ad nos usque pervenerunt constantissimè, quæ licet non sint paris ponderis & authoritatis cum præcedentibus, à fidelibus tamen cum summâ reverentiâ recipi debêt & retineri non minùs quàm Decreta & scriptæ Constitutiones Ecclesiæ, cùm etiam in Republicâ Civili eadem sit vis consuetudinum approbatarum quæ legum scriptarum, ut patet distinctione 1. ca. *Consuetudo*, & l. *Diuturna*, ff. de legibus.

II. Dico ergò nostra opinio habet vim Traditionis secundi generis, hoc non attenderunt ut oportuit illi qui alias vias conciliandi Evangelistas inierunt; si enim id attendissent, sine dubio nullam aliam tenuissent: in cujus rei probationem profero testimonia SS. Patrum omnium sæculorum, & incipio à à Julio Africano Theologo antiquissimo, & temporibus Apostolorum satis vicino, in Epistolâ ad Aristidem, cujus meminit D. Hieronymus de Script. Ecclesiasticis, quam epistolam refert Eusebius Cæsariensis lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 6. cujus sensum in quæstione tanti momenti ipsissimis ipsius verbis admetiri lubet. *Apud Gentem Israel*, inquit, *Generationum nomina, nunc secundùm naturæ, nunc etiam secundum legis ordinem numerantur: Naturæ quidem successiones habentur, quæ ex seminis vel sanguinis veritate descendunt: Legis autem, cum quis filius alio generante substituitur sub nomine fratris defuncti sine liberis. Cùm enim resurrectionis inter eos spes necdum fuisset accepta, per hæc, resurrectionis quandam imitabantur imaginem, uti ne nomen gentis, vitio sterilitatis aboleretur. Cùm ergò hujusmodi apud eos generationum ordines servarentur, ut quidam ex ipso germine, quidam ex substitutione ab aliis generati, aliis filii legis beneficio deputarentur, à singulis Evangelistarum utriusque modi commemorata successio est, idest, ut alter eorum eum qui genuisset, alter verò eum qui quasi genuisse videretur exponeret: & ita fit ut neutrum Evangelium mentiatur, dum aliud naturæ ordinem, aliud verò legis exequitur regulam: Conjunctum namq; sibi est invicem*

genus

*genus, & illud quod per Salomonem, & illud quod per Nathan deducitur per legales substitutiones, quæ fiebant his qui sine liberis decedebant, per secundas nihilominus nuptias, quibus unus atque idem aliis parentibus progenitus aliorum esse filius videbatur. Et ita fit ut utraque narratio generationum usque ad Ioseph verissimis lineis deducatur, diverso quidem sed satis explorato ordine designata. Vt autem clarius fiat quod dicitur, ipsas generationum consequentias enarrabimus. A David per Salomonem Generatio, quam enumerat Matthæus, tertium à fine facit Mathan, qui dicitur genuisse Iacob Patrē Iosephi. Per Nathan verò de David Lucas generationum ordinem textens, tertium nihilominus ejusdem loci, ideſt à fine facit Melchi. Dicit enim Ioseph qui fuit Heli qui fuit Melchi. Nobis autem imminet ostendere quomodo Ioseph dicitur secundum Matthæum quidem Patrem habuisse Iacob, qui deducitur per Salomonem: Secundùm Lucam verò Heli qui deducitur per Nathan, utq; isti ipsi, ideſt Iacob & Heli qui erant duo fratres, habentes alius quidem Mathan, alius autem Melchi Patrem ex diverso genere venientes, etiam isti Ioseph Avi esse videantur. Est ergò modus iste, Mathan & Melchi diversis temporibus de una eademq; uxore Esthâ nomine, singulos filios procrearunt, quia Mathan per Salomonem descendit, uxorem eam primus acceperat, & relicto uno filio Iacob nomine, defunctus est: post cujus obitum quoniam lex viduam alii viro non vetat nubere. Melchi qui per Nathan genus ducit, cùm esset ex eadem tribu, sed non ex eodem genere, Relictam Mathæ accepit uxorem, ex quâ ipse suscepit filium nomine Heli, per quod ex diverso Patrum genere efficiuntur Iacob & Heli uterini fratres; quorum alter ideſt Iacob fratris Heli, sine liberis defuncti ex mandato legis accipiens, genuit Ioseph, naturâ quidem germinis filium suum, propter quod & scribitur* Jacob autem genuit Joseph: *secundùm verò legis præceptum Heli efficitur filius, cujus Iacob, quia frater erat, uxorem ad suscitandum fratris semen acceperat. Et per hoc rata invenitur atque integra generatio, & ea quam Matthæus enumerat dicens,* Jacob autem genuit Joseph, *& ea quam Lucas competenti observatione designat, dicens quod* Jesus putabatur esse filius Joseph qui fuit Heli, *qui & ipse subsonante eadem distinctione Heli esse filius putabatur, qui fuerat Melchi, qui legalem hanc successionem, quæ velut adoptione quadam erga defunctos constat magis quàm germinis veritate competenti, satis hoc indicavit indicio, observans Evangelista ne omnimò in hujusmodi successionibus genuisse aliquem nominaret: per quod digna distinctione non descendens sed ascendens usque ad Adam & ad ipsum usque pervenit Deum. Hæc autem* ( nota benè quod sequitur ) *non nobis ad subitum reperta, aut absque ullis authoribus commentata sunt, sed ipsi hæc Salvatoris nostri secundùm carnem propinqui seu studio tanti seminis demonstrandi, sive edocendi quæ secundùm veritatem gesta sunt,* TRADIDERUNT. Vides ergò ex Africano hanc quam hic afferimus TRADITIONEM.

III. Africanum sicut refert Eusebius (qui floruit post ipsum in sæculo tertio) sic sequitur loco citato dicens: *Verùm quoniam de Generationibus Christi variè nobis Matthæus & Lucas Evangelistæ tradiderunt, & contraria sibi à quàm plurimis dicere putantur, in quo etiam nonnulli fidelium veritatis ignorantiâ commenta quædam pro suis quisque opinionibus conantur adhibere, etiam de hoc Historiam, QVÆ AD NOS VSQVE PERDVCTA EST proferamus: Africanus cujus superiùs fecimus mentionem (scilicet cap. 4.) scribens ad Aristidem quemdam de Evangeliorum consonantia, & de Genealogiis quæ à Matthæo & Lucâ diversè referuntur, cæterorum quidem opiniones procul à veritate errantes coarguit, ipse autem historiam quam compererat his ipsis protulit verbis. Apud Gentem,* inquit, *Israel.* Ut statim numero præcedenti retuli.

VI. Hos sequitur D. Gregorius Nazianzenus Carm. de Christi Genealog. ubi hæc habet è Græco Latinè reddita, Aldo Manutio Interprete.

*Dic verò & hoc mihi, Patrum duòrum*
*quomodo unquam Ioseph?*
*Lex erat Mosis cum sine prole pereat Hebræus, &c.*
*Quare cælatum supra Deum mortale hoc adinveni*
*Mathan ex Salomone ducens genus, duxit Esthan,*

*Hoc verò ita aq, mortuo Nathides nomine Melchi (filios*
*I t huic quidem Iacob, illi verò Heli genuit*
*Heli autem mortuo, postquam prolem nullam relinquebat*
*St atim domũ lectumq, Iacob non cõpatrius*
*Suscepit, & genuit filiũ fratri bonũ Ioseph*
*Sic hujus quidem erat, hujus autem scribebat lex Ioseph.*

V. Divus Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Julio Africano eandem Africani traditionem vidit & approbavit. Ait enim dictum Julium Africanum in Epistolâ ad Aristidem ab Eusebio relatâ *Super Diaphoniâ quæ videtur esse in Genealogiâ Salvatoris apud Matthæum & Lucam plenissimè disputare.* Quare & ipse hanc viam conciliandi Matthæum cum Luca secutus est in Matth. cap. 1.

VI. Sequitur deinde D. Ambrosius lib 3. in Luc. paulò post init. ubi eandem ipse quoque innuit traditionem, dicens. TRADITUR *enim Mathan qui à Salomone genus duxit Iacob generasse filium, & uxore superstite decessisse, quam postea Melchi accepit uxorem, ex quâ generatus est Heli. Rursus Heli fratre sine liberis decedente copulatus est fratris uxori, & generavit filium nomine Ioseph, qui juxta legem filius Iacob dicitur, quoniam semen fratris defuncti frater juxta legis veteris seriem suscitabat. Ita duorum filius dictus est, non ab utroque generatus, sed quia alterius secundùm generationem, alterius secundùm legem factus est filius.*

VII. Dices discrepat Ambrosius ab Africano, Eusebio, Nazianzeno, & Hieronymo. Nam hi dicunt Jacob fuisse patrem carnalem D. Josephi, Heli verò legalem, & hi quidem rectè, quia Matthæus expressissimis verbis ait, *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ*, Ambrosius verò è contra dicit Heli fratre sine liberis decedente copulatum fratris uxori generasse filium nomine Joseph. Ac sicut Africanus dicit sententiam suam non ad subitum repertam, sed à Salvatoris nostri secundùm carnem propinquis TRADITAM, ita D. Ambrosius suam asserit esse quoque traditionem. TRADITUR inquit: Ecce ergo etiam traditionem sed traditioni oppositam, ergo unam necessariò falsâ: quam ergo sequemur?

Respondeo, cùm nimis difficile sit creditu D. Ambrosium cogitasse verba illa Lucæ qui fuit Heli accipi debere pro vero & carnaliter genito quem ex vi suæ significationis verba illa absolutè non important, ut observavimus suprà post D. Augustinum, & voluisse quod Matthæus verbum *genuit* quod veram carnalem physicamque generationem propriè significat impropriè usurpaverit pro legali substitutione, omninò dicendum est esse errorem vel calami, vel amanuensis, vel prœli, vel ex inadvertentiâ unum pro alio positum, quod facilè fieri potuit: atque adeò mendum esse corrigendum in Ambrosio, reponendo Jacob in locum Heli, & è contra Heli in locum Iacob: quod quidem vel ex eo evidens fit, quod D. Ambrosius, ut observavit objectio, suam sententiam vocet Traditionem, dicendo TRADITUR enim Mathan, &c. idest ab antiquioribus acceptam, cùm enim nihil simile legamus apud ullum è SS. Patribus iis quæ scribit D. Ambrosius, solamque illam ab Africano relatam & ab Eusebio, Nazianzeno, Hieronymo citatis, & D. Augustino mox citando approbatam, omninò necessarium est, ut de hac intelligatur D. Ambrosius, & eo quo mox dicebam modo mendum corrigatur quod irrepsit. VIII.

Sequitur Magnus Augustinus lib. 2. Retract. c. 7. ubi sic habet, *In libro ergo tertio contra Faustum Manichæum cum solverem quæstionem, quomodo potuerit duos Patres habere Ioseph? Dixi quidem quod ex alio natus ab alio fuerit adoptatus, sed genus quoque adoptionis dicere debui, sic enim sonat quod dixi tanquam eum vivus adoptaverit alius Pater. Lex autem filios etiam mortuis adoptabat, jubens ut fratris sine filiis mortui duceret frater uxorem, & fratri defuncto semen ex eâdem suscitaret, quæ profectò de duobus unius hominis Patribus expeditior ibi redditur ratio: Uterini autem fratres fuerunt, in quibus hoc contigit, ut unius defuncti qui vocabatur Heli duceret alter uxorem, idest Iacob, à quo Matthæus narrat genitus esse Ioseph: sed uterino fratri suo eum genuit, cujus filium Lucas dicit fuisse, non utique genitum, sed ex lege adoptivum:* nota quæ sequuntur. *Hoc in* IX.

*eorum*

*eorum litteris inventum est, qui recenti memoriâ post Ascensionem Domini de hâc re scripserunt: Nam etiam nomen ejusdem mulieris quæ peperit Iacob Patrem Ioseph de priore maritò Mathan, qui fuit pater Iacob avus Ioseph secundùm Matthæum, & de marito posteriore Melchi peperit Heli, cujus erat adoptivus Ioseph, non tacuit Africanus: quod quidem cum Fausto respondere m nondum legeram, sed tamen per adoptionem potuisse contingere, ut unus homo duos haberet Patres dubitare non poteram.* Hæc Augustinus, eò magis sequendus, quod hanc sententiam prius improbarat, vel saltem aliis postpoſuerat lib. 2. Quæst. Evangelicar. quæst. 5. quam Traditionem de hâc postea edoctus defendit, & amplectendam proponit.

X. Sequuntur denique ne in infinitum abeamus venerab. Beda & Euthymius uterque in c. 3 Lucæ & Nicephorus lib. 1. Histor. Tripartit. c. 11. qui eandem Traditionem referunt & approbant. Ex quibus evidentissimum fit nostram assertionem inter Catholicos non tantùm esse probabilem, aut aliis omnibus probabiliorem, sed certissimam & indubitatam, & Traditionem secundæ classis ab exordio Ecclesiæ usque ad nos derivatam, à quâ proindè nullatenùs recedendum.

## CAPUT VIII.

### *Solvuntur objectiones contra hoc nostrum assertum.*

I. OBJICIES primò Authoritatem Africani in quâ fundatur hæc assertio esse parum firmam, siquidem ait ipse Mathan qui apud Mathæum & Melchi, qui apud Lucam diversis temporibus de unâ eâdemque muliere, quam successivè duxerunt, singulos procreasse filios, & de Mathan quidem genitum Jacob, de Melchi verò Heli. Sed hoc est evidenter falsum, quia Lucas non dicit Patrem Heli fuisse Melchi, ut Africanus, sed Mathat: & Melchi est solùm abavus Heli apud Lucam.

II. Neque dixeris mendum esse vel Amanuensis vel prœli in Africanum, id enim licet tolerari posset, si semel tantum Africanus in eâ epistolâ ad Aristidem posuisset Melchi pro Mathat; non tamen in hoc casu, in quo sexies vel septies eodem nomine Melchi utitur, ubi agitur de Patre Heli.

Nec etiam satisfacit, si dicas Africanum convenire cum cæteris Patribus, & cæteros Patres cum Africano in eo quod hic & illi dicunt D. Josephum habuisse duos Patres, unum carnalem, scilicet Iacob, alterum legalem, scilicet Heli; hosque Jacob & Heli fuisse uterinos fratres, sive de cætero unus sit ex Mathan, alter ex Mathat aut Melchi. Quia etsi per hoc semper liberari possent à contradictione, magnum tamen pondus huic demeretur Conciliationi, auferendo ei rationem Traditionis, quæ proculdubio non potest stare cum tali falsitate. III.

Sed cùm tot SS. Patres tam oculati & perspicaces, maximè verò D. Augustinus inter omnes sagacissimus Africanum secuti sint iota tenus, nec credibile sit eos adeò obstupuisse, ut hic lapsus Africani (si lapsus esset) tam obvius, illorum aciem effugisset; non possum credere Africanum in hoc erasse. Quid ergo? Respondeo dicendum idem quod illi qui eum erasse volunt, aut certè magna pars illorum, ut suas respectivè opiniones adstruant. Quid autem illi? Heli quem faciunt Patrem Beatæ Virginis Avum Christi dicunt binonimem, & nuncupatum Heli & Joachim, idem dic in hoc casu Patrem scilicet Heli fuisse binonimem, & fuisse nuncupatum Mathat & Melchi. IV.

Undè non possum non mirari contradicendi pruritum: si enim quod de Heli nulliter dixerunt, ut vidimus supra, id de Mathat dicere voluissent, fuisse scilicet binonimem, & altero nomine quo eum Africanus & deinceps Patres compellant, scilicet Melchi nuncupatum, omnia salva erant: Nam & sic sua fides utrique sterilisset Genealogiæ, & antiquæ Traditioni suum jus, & firmata per tot annorum centurias possessio servata fuisset, cùm ipsi per nova sua Commenta, & hoc ultimum convellant, & illud primum minimè assequantur, ut affatim supra ostensum est. V.

Porrò non ut illi de suo Heli gratis, sic ego de meo Mathat id asseruerim, VI.

fuisse scilicet binonimem. Primò enim cùm usitatissimum esset apud Hebræos unum & eundem hominem duobus nominibus compellare, quis non videat existimandum potius Patrem Heli & filium Levi sub uno nomine scilicet Mathat ab Evangelistâ Lucâ referri, sub altero verò scilicet Melchi ab Africano & aliis Patribus, quàm tot & tantos viros ita obstupuisse, & in re clarissimâ & maximè obviâ turpiter adeò deceptos fuisse?

VII. Interim verò non desunt aliæ rationes quibus illud ipsum confirmare possimus. Videmus enim primò, id etiam nunc usitatum ut homines ex observantiâ erga Patres suos à quibus geniti sunt eorum nomina filiis suis imponant, ac deindè aliud addant quo ab eisdem distinguantur. Quid ni hoc in casu nostro factitatum, ut scilicet Levi filio suo Mathat, etiam nomen Patris sui qui dictus est Melchi, ut patet ex eadem Lucæ Genealogia, imposuerit? Melchi quidem ex observantia erga Patrem, Mathat verò ad distinctionem: Atque adeò cùm Genealogiarum ratio id exigat ut origines sint claræ & distinctæ, hinc factum quod Lucas per dictum filium Levi non sub nomine Avi sui Melchi, sed sub nomine Mathat ipsi particulari & distinctivo retulerit: Africanus verò cæterique Patres eum sequentes sub altero nomine, quia nimirùm sic etiam promiscuè vocabatur?

VIII. Secundò efficacissimè idipsum etiam ex ipso Africano colligo. Hic enim non tantùm dicit Melchi esse Patrem Heli, verùm etiam cum esset in Genealogia Lucæ alius Melchi prior hoc, scilicet hujus Avus, inter quem & ipsum solus Levi mediabat, ut ostenderet Africanus se non de priore illo Melchi loqui, expressissimè dicit illum esse tertium à fine in Genealogiâ Lucæ, sicut Mathan tertius est à fine in Genealogia Matthæi. Hoc ut videas, verba ejus in epistolâ citatâ circa medium hic revoco. *A David per Salomonem generatio quam dinumerat Matthæus, tertium à fine facit Mathan qui dicitur genuisse Iacob Patrem Ioseph. Per Nathan verò de David Lucas generationum ordinẽ texens tertium nihilominus ejusdem loci* (ideſt à fine) *facit Melchi.* Quâ certè observatione manifestissimè indigitat Africanus suum Melchi esse illum ipsum Mathat Divi Lucæ, quandoquidem ipse inveniatur tertius à fine in Genealogia ejusdem Lucæ, non autem ille prior Melchi Pater Levi qui ibidem quintus est à fine: atque adeò evidenter constat illum fuisse binonimem.

Sed contra instabis nec sine gravi difficultatè, Africanus prosequendo in textu moxallato sic habet: *Per Nathan verò de David Lucas generationem ordinem texens, tertium nihilominus ejusdem loci* (ideſt à fine) *facit Melchi; dicit enim Ioseph qui fuit Heli, qui fuit Melchi*, ubi nota istud, *dicit enim*, &c. ex quo evidenter patet non ideò filium Levi ab Africano vocatum Melchi quod fuerit binonimis, sed quod ita legerit apud Lucam, cujus tamen contrarium legimus; non enim Lucas Patrem Heli filium Levi scribit Melchi, sed Mathat. IX.

Respondeo cum Venerabili Beda citato, Codicem quo usus est Africanus habuisse pro tertio à fine *Melchi* pro quo in nostris est *Mathat*. X.

Sed replicabis, ergo Codex Africani cùm fuerit à nostro qui verus est & ab Ecclesiâ receptus, difformis, mendax est, ac consequenter deceptus fuit Africanus: cùmque Africanus traditionem prætendat, quæ eodem modo loquitur quo Codex ipsius, consectarium est & illam sicut hanc à vero aberrare, ac proinde nullam esse. XI.

Respondeo tamen verum esse quod respondit Beda, Codicem scilicet quo usus est Africanus habuisse *Melchi*, pro quo noster habet *Mathat* negando quod infertur, scilicet à verò aberrasse Codicem Africani & Traditionem Codici conformem, quin potius Codex iste traditioni, & traditio Codici manum præbet. Cùm enim esset Mathat binonimis factum est, ut ab uno Codice sub uno, ab alio sub altero nomine relatus sit: à Codice quidem qui declaratus est ab Ecclesiâ authenticus (quod contigit post Africanum) sub nomine *Mathat*; à Codice verò quo usus est Africanus sub nomine *Melchi*, quod nomen extitit Africano confirmatum ex traditione: si enim res non XII.

ita

ita habuisset, Codex traditionis errorem vitasset.

XIII. Replicabis secundò, Beda & Euthymius citati pro hâc traditione etiam existimant Africanum errasse : Nam dum Africani sententiam referunt, pro *Melchi* quod est in epistolâ Africani, ipsi in suis scriptis posuerunt *Mathat* quod est in Evangelio Lucæ: Respondeo negando id ab iis ideò factum quod in Africano quidquam reprehensibile aut corrigendum duxerint, sed quia cùm esset liberum utrovis nomine uti, præsertim cum ipsi non ipsa Africani verba referrent sed sensum, maluerunt eo uti nomine quod erat in authentico Codice ad majorem claritatem, utpote qui istius Codicis authentici Interpretes agerent, non alterius.

XIV. Objicies ultimò, Africanus ipse qui est primus Author seu testis hujus prætensæ traditionis de hâc re loquitur cum timore, neque firmo assensu, sed dubio & vacillanti profert quæ de Divi Josephi Genealogiâ ex ipso supra adduxi. Nam apud Nicephorum lib. 1. hist. Tripart. c. 1. ubi eadem Africani epistola refertur quæ apud Eusebium, hæc lego. *Si veres ita se habeat, sive alio modo ita existimandum, quamvis certum desit testimonium, ob id quod clarior aut verior expositio proferri non potest.*

XV. Respondeo primò, cùm Eusebius ex quo debuit Nicephorus Epistolam istâ Africani desumpsisse, & de facto desumpsit, non habeat verba illa in objectione producta; proculdubio non sunt verba Africani, & ideò additamentum mihi valdè suspectum : maximè verò quod Trithemius Author gravissimus lib. de Scriptoribus in Eusebio nihil unquam additum, aut subtractum usque ad sua tempora Editioni Eusebii doceat. Quare cùm ex Eusebio epistolam illam Africani primo referente constet verba illa non esse Africani, nescio quid debeam judicare de illo additamento apud Nicephorum.

XVI. Respondeo secundò, sivè verba illa sint Nicephori, sive Africani, per hæc neuter intelligit se non esse certum de iis quæ docet in illâ epistolâ Africanus, sed per hoc innuit tantùm se non habere authenticam aliquam scripturam undè id probare possit : cujus rei rationem suggerit Africanus, eodem loco dicens quod *Herodes cùm summam potestatem teneret, videns quod hujusmodi generis indicia si permanerent, obfuscationis sibi plurimùm quærerent, ignobilitatis suæ conscientiâ exagitatus, omnes libros in quibus conscriptio generis habebatur jussit incendi, æstimans se nobilem videri posse si novitius esse & advena Israelitici generis nullis conscriptionum fastis urgeretur.*

Ergò sensus objectionis ex Nicepho, adde etiam si velis, ex Africano iste erit. Quod etsi hoc ita non esset, quod scilicet ipsi Salvatoris nostri secundùm carnem propinqui, hæc de illius Genealogiâ tradidissent, quodque illud in dubium aliquod revocari posset, propterea quod desit certum de hoc testimonium ; ita tamen contigisse adhuc æstimandum forer, hocque modo & non alio hæc difficultas enodanda esset, ob id quod clarior ac verior expositio proferri nequeat. XVII.

## CAPUT IX.

### *Satisfit aliis argumentis Adversariorum à dissonantiâ Evangelistarum petitis.*

QUATUOR supra cap. 4. proposuimus argumenta, quibus Judæi, Ethnici, & Hæretici Evangelistas Matthæum & Lucam in descriptione Genealogiæ D. Josephi inter se discrepare & contraria sentire prætendunt : quorum primum illud fuit quod capitibus illud sequentibus & hoc præcedentibus dissolvimus. Restant alia tria quorum solutio nullius est laboris positâ solutione argumenti præcedentis. Primum est quod Matthæus Progenitores Divi Josephi usque ad David refert omninò diversos ab illis quos refert D. Lucas. Secundum, quod Matthæus à Davide usque ad Joseph numerat tantùm viginti septem aut viginti octo Generationes, Lucas verò quadraginta tres. Denique quod Matthæus Salathielem qui genuit Zorobabel facit filium Jechoniæ, Lucas verò eundem faciat filium Neri, quæ omnia discrepare & contraria esse constat : sed hæc omnia I.

suppositio quod D. Josephus habuerit duos Patres, unum carnalem, alterum legalem, quorum hic unus, ille alterius lineam deducat evanescunt.

II. Primum quidem *à duobus enim Patribus*, inquit D. Augustinus tom. 6. lib. 3. contra Faustum Manichæum c. 3. *Iam non erit mirum neque contrarium quod & Avi duo & Atavi & Proavi esse potuerunt, & quidquid supra est usque ad David, cujus erant ambo filii, & Salomon qui pertinet ad ordinem quem Matthæus secutus est, & Nathan qui est in serie quam expositit Lucas*, & tom. 10. serm. 63. de diversis c. 17. *Dicitur, duos filios potest habere homo, duos autem Patres non potest: Imò invenitur posse habere etiam duos Patres, si unus semine genuit, alius dilectione adoptavit*: quod de adoptione per legem Deuteronomii explicavit idem ipse Augustinus lib. 2. Retract. c. 7. à nobis citatus supra c. 7. num. 9. & post pauca addit, *Quod si potuit, quid calumniantur illi qui dicunt alias generationes secutum esse Matthæum, alias Lucam? Et revera invenimus quod alias secutus est ille, alias ille; nam Matthæus, Iacob, Patrem dixit Ioseph, Lucas autem Heli. Et potest quidem videri unus homo cujus filius erat Ioseph habuisse duo nomina; Sed quod Avos & Proavos, & alios superius progeneratores diversos enumerant, in quo ipsos plures alius, alius pauciores, manifestè ostenditur habuisse duos Patres Ioseph: jam remotâ quæstionis calumniâ, quia fieri posse manifesta ratio demonstravit alium patrem esse qui genuit, alium qui adoptavit, duobus Patribus constitutis, non est mirum si Avi & Proavi & cæteri parentes sursum versus à diversis Patribus diversi numerentur.*

III. Ad hoc verò quod plures contineat generationes Lucæ Genealogia quàm Matthæi intellige à Davide usque ad Joseph respondet D. Ambrosius lib. 3. in Lucam, dicens: *Non mireris cùm per alias personas generationem fatearis esse decursam. Potest enim fieri ut alii longævam transegerint vitam, alterius verò generationis viri immaturâ ætate decesserint, cum videamus complures senes cum nepotibus vivere, alios verò viros statim filiis obire susceptis.* Eodem modo D. Augustinus lib. 1. quæstion in Genesim quæst. 121. *In illo quippe ordine*, inquit, *ubi plures nominantur citius mortui sunt quam ubi pauciores.*

IV. Hæc responsio satisfaceret si ageretur de successione personarum, seu substitutione unius personæ in locum alterius defunctæ, hoc enim pacto quo citius morerentur eo plures succederent quæ morientium locum caperent: sed non de hoc est hic quæstio, sed de successione Generationum, ad quod nihil facit quod qui generant citius aut tardius moriantur aut vivant, quandoquidem illorum longevitas qui tardius moriuntur non impediat, ut nec mors adproperata illorũ qui minus vivunt promoveat prolium à se genitarum successivam originem: videt enim persepè diu viventes non tantùm filios suos, sed etiam filios filiorum suorum usq; ad quartam generationem. Quare mihi videtur respondendum quod in unâ Genealogiâ sint plures quàm in alterâ, id indè provenire, partim quod isti citius nupserint & genuerint quàm hi, quod posse fieri clarum est, partim quod ea in qua plures sunt, sit ex primogenitis qui genuerint dum altera fortè non est, nisi ex pluribus natu minoribus, natu majoribus utique immaturè antequam genuerint extinctis. Partim denique quod Matthæus qui pauciores recenset plures Reges & eorum generationes consilio & datâ operâ prætermiserit, uti indignos, de quo postea.

V. Ad ultimum, quomodò scilicet possit esse verum quod Salathiel à quo Zorobabel sit simul filius Jechoniæ, ut dicitur apud Matthæum, & filius Neri ut dicitur apud Lucam? Respondent alii Salathielem habuisse duos Patres, ut diximus de D. Josepho, unum naturalem, alterum legalem, alii ut Maldonatus in Matth. c. 1. unum naturalem scilicet Jechoniam, alium affinitate scilicet Neri, alii Salathielem & Zorobabelem, quos numerat Matthæus alios esse ab illis quos numerat Lucas, ac proindè non mirum quod alii sint Pater & Avus horum respectivè, alii istorum. Atque in hâc sententia fuisse omnes antiquiores satis ex eo patet, quod Africanus, Eusebius, Gregorius Nazianzen. Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, & reliqui hanc difficultatem non curarint, existimantes per hoc

solutam

solutam quod ostenderint Jacob & Heli esse duas personas distinctas, ac proinde à distinctis usque ad David in quo concurrunt Progenitoribus descendentes.

VI. Objicies ex Jansenio Gandavensi in Concord. Evangelic. cap. 14. ad illud Lucæ cap. 3. *Vt putabatur filius Ioseph qui fuit Heli.* Legalem filium in uxore defuncti suscitare erat res fratris germani: id quod apud Judæos est extra controversiam. Et satis probatur ex verbis Moysi. Inquit enim primò, *Quando habitaverint fratres simul*, quod non contingit nisi ex eodem Patre natis: Nam qui diversos habent Patres, diversas etiam capiunt hæreditates, in quibus cum habitant, non habitant simul. Secundò subdit, *Vxor defuncti non nubet alteri.* Vel ut habet Hebræa ad verbum. *Non erit uxor defuncti foris viro alieno.* Nubit autem foris viro alieno cùm traditur marito qui non sit è domo viri sui prioris. Tertiò, jubet lex ut eam accipiat frater defuncti: pro *frater* autem in Hebræo est *Iabam*, quod nomen in universa Scriptura, inquit Jansenius, non significat nisi fratrem germanum ex eodem patre. Atqui Jacob qui dicitur à nobis suscitasse Heli improli filium, scilicet D. Josephum, non fuit frater germanus Heli, ut constat: quia Jacob descendit ex Davide per Salomonem, Heli verò per Nathan: ergò non est verum quod dicimus Jacob fuisse Patrem carnalem Joseph, Heli verò legalem.

VII. Respondeo primò *Iabam*, in quo facit majorem vim Jansenius apud Hebræos, ut *frater* apud Latinos, non tantùm significare ex eodem Patre genitos, sed etiam ex eâdem matre: sunt enim & hi verè fratres: ergò non tantùm priores, sed etiam hi cõprehendebantur hâc lege Deuteronomii sub termino isto *Iabam*. Propterea Cardinalis Cajetanus pro *Iabam ducet eam uxorem*, legit ex Hebræo, *Levir accipiet eam sibi in uxorẽ & levirabit eam*, ideſt frater mariti (qualis est etiam ex eâdem matre licet alio Patre genitus) ducet eam & suscitabit semen defuncto fratri.

VIII. Respondeo secundò Ruth. cap. 4. Booz ex Ruth Moabitide, uxore Mahalonis sine liberis defuncti ei suscitat filium, qui dictus est Obed: Atqui Booz non erat frater germanus, imò nec ex Matre Mahalonis defuncti, imò non ita propinquus. Alter enim propinquior (qui nec ipse frater erat Mahalonis) cesserat Boozo jus suum, ut patet ex historiâ loco citato. Non ergò fuit necesse ut qui suscitabant improlibus filios, essent fratres ex eodem patre geniti, aut etiam ex eâdem Matre, sed fratris seu *Iabam* nomen ad cognatos omnes extendebatur.

IX. Id ipsum patet ex mente & fine legis de suscitando semine: voluit enim lex providere ut sine liberis defuncti nomen non periret de Israel, ut patet ex ipso textu legis. At si non extenderetur obligatio suscitandi seminis ultra fratres germanos ex eodem Patre, non sufficienter providisset lex casui cui voluit providere, cùm potuerint innumeri contingere casus in quibus defuissent tales, immò plures quam in quibus adfuissent: Quare ne lex suo frequenter fine frustraretur, oportuit omninò ut fratribus deficientibus, intelligerentur proximiores obligari, vel etiam illis fortè renuentibus possent hi istorum supplere defectum & socordiam.

X. Utitur tamen Scriptura termino *Iabam*, qui significat fratrem, tùm ut hos primò ac determinatè ligaret: tùm ut cæteri consanguinei intelligerent in illorum qui per nomen *Iabam* exprimuntur dispensatione à lege Levitici cap. 18. vers. 6. dicente, *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, &c.* Suam omninò & à fortiori contineri, tùm denique ut intelligentes quàm seria erat voluntas Dei ut defuncto semen suscitaretur, quandoquidem ob hoc ita Deus dispensaverit in priori lege Levitici cap. 18. vers. 6. intelligerent consequenter fratribus deficientibus se teneri isti legi, aut his renuentibus se posse cum merito supplere illorum socordiam, & ita semper legem illam intellexerunt Judæi, ut ostendit exemplum Booz cum Ruth Moabitide & alia. Quod si aliter sentiant aut practicent nunc Judæi, ut vult Jansenius, hoc nihil contra nos: notum est enim omnibus Judæos qui habent legem dici esse

esse sine lege, quia scilicet, in eâ ubique cœcutiunt, & justo Dei judicio miserè errant.

XI. Ad illud, *quando habitaverint fratres simul*, quo utitur Jansenius ut urgeat intentum suum, nec intelligitur de fratribus habitantibus in eâdem domo, nec in eâdem domo poterant habitare simul fratres ex eâdem matre & diversis patribus: & frater qui erat ex eodem patre cum defuncto, cui oportebat semen suscitare, non habitabat amplius in eadem domo, etenim ductâ uxore relinquebat patrem & matrem & adhærebat uxori suæ. Sed verba illa significant fratres seu propinquos qui erant in Regionibus valdè dissitis à loco ubi erat vidua defuncti non fuisse adstrictos deserere suos lares ut huic legi satisfacerent, quamvis tamen possent, ut patet etiam in exemplo prætacto Booz: Non enim hic quæsivit Rutham in terrâ Moab, sed debuit ipsa Ruth venire ad Booz, si vellet ipsa in se legem illam adimpleri.

XII. Nec etiam facit pro Jansenio quod urget ex eadem lege, *Vxor defuncti non nubet alteri*, pro quo Hebræa habent, *Non erit uxor defuncti foris alieno viro*. Non enim nubit foris aut viro alieno qui nubit fratri ex eâdem matre geniti, aut uni è consanguineis maximè propinquioribus defuncti: hi enim omnes dicuntur ex eâdem domo, cognatione, familiâ, ut constat, & succedebant in bonis propinquorum defunctorum sine hærede.

## CAPUT X.

### *Solvuntur reliqua argumenta contra Genealogiam.*

I. PRimum eruitur ex his verbis: *Salmon genuit Booz de Raab: Booz autem genuit Obed ex Ruth: Obed autem genuit Iesse: Iesse autem genuit David Regem.* Incredibile enim omninò videtur quod trecenti sex anni vel circiter in quatuor istis generationibus fuerint consumpti, ut consumptos fuisse necesse est & patet ex sequenti temporum calculo evidenti.

II. Nam primò, Salmon qui genuit Booz duxit Raab quando capta est Jericho: Secundò, capta est Jericho post 40. annos quibus fuerunt Hebræi in deserto ab egressu ex Ægypto statim in ipso introitu terræ promissæ. Tertiò, Templum cœpit ædificari anno quadringentesimo octuagesimo ab egressu Ægypti, qui erat annus quartus Regni Salomonis, ut patet evidenter ex lib. 3. Reg. c. 6. v. 1. ex quo annorum numero tollendo quadraginta annos quibus errarunt in deserto; deinde septuaginta annos quibus vixit David, & quatuor annos Regni Salomonis, qui insimul conficiunt centum quatuordecim annos, restabunt his demptis ex prædictis 480. annis à captâ Jerichunte & conjunctione Salmonis cum Raab, usque ad nativitatem Davidis anni trecenti sexaginta sex aut circiter, quo tanto spatio quatuor duntaxat generationes decurrerint, quod quam absurdum sit patet, quia illud spatium in dictas generationes hoc vel simili modo distribuendum erit ut Salmon sexaginta sex annis post captam Jericho & ductam Raab genuerit Booz: Booz autem nō genuerit Obed, nec Obed Jesse, nec Jesse David Regem, nisi anno vitæ suæ centenario: quæ distributio ita necessaria est ut quod uni detraxeris alteri necessariò addere debeas, ut illum numerum 480. annorum qui certissimus est invenias.

III. Propter hoc argumentum dicunt aliqui inter quos Nicolaus de Lyra, Hugo Cardinalis in c. 1. Matth. Ambrosius, Catharinus contra Caietanum. Genebrardus in Chronologiâ in *Aod & Abesan*, Salianus tom. 2. Annal. anno mundi 2781. à num. 26. & P. Celada in c. 1. Ruth, vers. 1 § 3. à num. 2. usque ad 10. fuisse tres Boozos quorum primus fuit filius Salmonis, secundus filius primi, tertius filius secundi: qui tertius duxit Ruth ex quâ genuit Obed. Ita ut in Genealogiâ Matthęi duo Boozi prætermittantur.

IV. Confirmatur ex Josepho lib. 5. antiq. c. 5. ubi testatur historiam Ruth contigisse tempore Heli Sacerdotis, de quo lib. 1. Reg. atque adeo totis trecentis annis & amplius post captam Jericho, ut patet supputanti tempora judi-

Iudicum usque ad Heli, & colligi potest, tum ex dictis supra num. 2. ergo Salmon non potuit esse Pater immediatus illius Booz qui genuit Obed ex Ruth, nisi admittatur Booz trecentorum annorum genuisse illum quod est nimis absurdum.

V. Respondet noster Sylveira tom. 1. in Evangelia lib. 1. c. 2. quæst. 24. & alii ferè innumeri unum tantùm fuisse Booz & non plures, & in illis quatuor generationibus intercurrisse illos annos vel circiter qui suprà.

VI. Quod si urgeas, absurdum nimis & à veritate alienum videri quod in ætate adeò vicinâ Davidi, qualis est ætas Jesse, Obed, Booz & Salmon, Patris scilicet Avi, Abavi & Proavi, homines adeò in ætate provecti fuerint, tantarumque adhuc virium tunc esse potuerint ut generare possent, & quidem filios adeò validos qui possent fieri Patres anno centesimo vitæ suæ; & Davidi homini tantùm septuagenario aut ad summum octogenario nihil nisi labor superfuerit & dolor, ut ipse David profatur psalmo 89. Et sanè id multò difficiliùs apparet in Salmone & Raab, quomodo scilicet fieri potuerit ut ipse ex dictâ Raab sexaginta sex annis post captam Jericho generaret Booz. Nam Raab quando Salmoni nupsit non erat in ætate valde puellari quippe quæ vel meretriciam vel cauponariam exercuerat, & adeò tanta erat, ut quo sibi suisque benè provideret maximâ industriâ exploratores Israëlitas occuluerit, & ministrorum Regiorum eos ad necem quærentium sagacitatem sciverit eludere: certè etsi tunc illi tantùm quatuordecim annos daremus (cum ex his manifestũ sit plures habuisse) qui juncti cum sexaginta sex præcedentibus conflant octoginta, est ne verisimile quod Raab adeo vetula concipere potuerit Booz? Quis hoc crediderit cùm Genes. c. 17. v. 17. totis quadringẽtis annis ante, Sara Abrahę uxor nonagenaria, dicatur inepta ad pariendum, quippè cui muliebria jam fieri desiderant? Respondent quod dicit David psalmo citato, hoc intelligendum cum nostro Michaële à Bononiâ vulgò Incognito in Psalmos & aliis, secundùm communem naturæ cursum, quod non impedit quominùs plures, maximè verò Davidem qui hoc protulit fortè propheticè & pro futuro, dictum terminum excesserint notabiliter in valetudine firmâ & vigore cum optimâ sensuum & membrorum functione, cùm & post ipsum & nostro etiam ævo multi tales reperiantur.

Quare censent non fuisse impossi- VII.
bile aut tam difficile quod illi quatuor homines eo tempore quo vita humana, sive naturâ, sive ob temperantiam longius protendebatur trecentis sexaginta sex annis residuis ex præcedenti calculo vixerint, & in quatuor generationibus illos consumpserint, quandoquidem Josue & Moyses coætanei Salmonis immensis laboribus exhaustis vixerint ille centum decem annis, Josue c. 24. v. 29. hic verò centum viginti annis, cui tamen necdum oculi caligaverant aut dentes moti erant, Deuteronomii c. 31. v. 7. quin etiam post Salmonem, Celadaj citatus num. 3. de Judicibus agens, qui Hebræorum administrarunt Rempublicam secundùm post Josue refert Aod quem dicit administrasse octoginta annis, quod etiam colligitur ex libro Judic. c. 3. & c. 4. v. 1. Unde oportet ut hic plus centum annis vixerit; quis enim credat hunc ante vigesimum Reipublicæ admotum. Et tempore Joas Regis, idest septem vel octo generationibus post Davidem Joiada Sacerdos mortuus est cùm esset 130. annorum, 2. Paralip. cap. 24. vers. 15. Ut innumeros alios taceam per omnia ab inde secuta sæcula qui notabiliter excesserunt centesimum annum quos inter silere non possum venerandâ canitie & virtute Virum D. Antonium Haackium Sacerdotem & Pastorem Gulensem in Diocœsi nostrâ Leodiensi, ætate nostrâ qui ibidem fuit Pastor centum annis, & vixit 125. annis, qui interrogatus quam vivendi rationem teneret quod tamdiu viveret, à tribus (respondit) totâ vitâ abstinui, ab irâ, vino, & venere. Quid impediisset quin talis cẽtenarius generare potuisset? quid illum hoc anno 1682. quo hæc scribo adhuc vivit in Oppido Huensi ejusdem Patriæ ac Diœcesis Leodiensis sub Parochiâ S. Catharinæ natum ibique baptizatum, qui centum

viginti-quinque annos natus ferè in dies ex pago de Baaze ubi nunc degit, ad hoc idem Oppidum unâ leucâ distans pedes accedit. Plura qui volet inveniet apud Joannem à Chokier Canonicum & Vicarium Generalem Leodiensem part. 1. Facis Histor. cap. 15. & Tractat. de Senectut. cap. 6. & 26. Quid ergò mirum si illi eâ tempestate quando natura validior erat, tùm ex se, tùm ob majorem cultum temperantiæ in illâ ætate ut videtur copulari, etiam naturaliter generare potuerint: in quâ etiam si necesse foret dicere illos supernaturaliter genuisse, non esset negandum, ut Sacræ Historiæ & tam evidenter Divinæ sua fides sarta tecta esset.

VIII. Confirmatur ex Abrahamo Salmoni non quadringentis annis seniore: qui mortuâ Sarâ cùm esset centum quadraginta annorum nupsit Cethuræ ex quâ genuit adhuc sex proles attestante Scripturâ Genes. cap. 25. v. 1. & 2.

IX. Dices, constat ex Scripturâ Abrahamum quando ex Sara centenarius genuit Isaac fuisse omninò inhabilem ad generandum, ait enim Apostolus ad Rom. cap. 4. *Non est infirmatus in fide* (Abraham) *nec consideravit corpus suum emortuum cùm jam ferè centum annorum esset.* Ex quo concludo. Mortuum erat ex Apostolo corpus Abrahæ quando genuit Isaac ex Sara, scilicet quantum ad vim generandi: ergò dicendum si postea genûit ex Cethura, id factum quod acceptâ divinitùs generandi potentiâ in eâ perseveraverit.

X. Respondeo primò, Paulum non dicere corpus Abrahæ fuisse emortuum, sed consideresse corpus suum quasi esset emortuum quantum scilicet ad vim generandi, quod scilicet ei videretur si eo usque nihil ex se germinis processerat, multò minùs in eâ effœtâ ætate processurum.

XI. Respondeo secundò, fuisse emortuum quantùm ad vim generandi respectu Saræ ex quâ promittebatur illi filius, non verò respectu alterius junioris, ut patuit in Cethurâ, cùm etiam nunc modernorum senum vis generandi nulla sit respectu senioris sæpè respectu junioris. Ita D. Augustinus lib. 16. de Civit. Dei cap. 28. & lib. Quæstion. in Genes. quæst. 35. ubi hanc responsionem præfert præcedenti. Confirmatur ex eodem Apostolo ad Hebr. cap. 11. vers. 11. ubi sic ille: *Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit etiam præter tempus ætatis.* Ubi Apostolus soli Saræ asserit virtutem concipiendi fuisse divinitùs tributam, secùs facturus, si utrique collata fuisset, cùm ibi Apostolus prosequatur ea quæ Abraham à Deo propter eandem fidem consecutus est.

XII. Confirmatur iterùm nostra sententia ex Aristotele lib. 7. Hist. Animal. cap. 6. ubi docet ætatem 70. annorum esse adhuc aptam ad generandum, imò Plinius lib. 7. cap. 14. refert Catonem & Massiniſſam Regem post octogesimum annum genuisse, & quoties nunc videmus septuagenarios, & etiam provectiores cum uxoribus justæ ætatis generare? si ergò nunc in ipso naturæ declinio videmus tam frequentes generationes in ætate adeò provectâ, quid mirum quod illi quatuor mille annis ante, quando natura erat robustior, potuerint nonagenarii vel centenarii? quandoquidem illo ævo corpora centum annorum talia erant ut possent æquiparari corporibus modernis 50. vel 60. annorum.

XIII. Dices habeat vim hæc ratio in tribus posterioribus scilicet Booz, Obed, & Jesse qui potuerunt illos qui recensentur in Genealogiâ genuisse ex uxoribus juvenibus, sed non valet in Salmone cum Raab, quæ ex distributione annorum factâ hic supra num. 2. debuit concepisse anno 66. à captâ Jerichonte, ac consequenter plusquam octogenaria, ut patet ex dictis. Respondent ut in viris, ita & in fœminis ætatem octoginta annorum illius temporis, fuisse ita validam ac est nunc quadraginta vel quinquaginta, intra quam etiam nunc & communiter videmus mulieres concipere & parere, cùm etiam post illam plures visæ sint peperisse, inter quas Cornelia cujus meminit Plinius lib. 7. cap. 14. quæ Volusium Saturninum Virum Consulatu illustrem peperit post annum vitæ suæ sexagesimum secundum.

XIV. Nec objicias Saram uxorem Abrahæ, cui (cùm facta esset nonaginta annorum

norum) observante Sacrâ Scripturâ Genes. cap. 18. vers. 11. desierant fieri muliebria. Hoc enim omninò facit ad hoc intentum: nam quid sibi vult hoc quod Scriptura postquam monuit fuisse nonagenariam dicit quod desierant ei fieri muliebria? Procul dubio hoc indigetat non ita pridem id ei accidisse, si enim diu ante ut nunc id communiter mulieribus accidisset & ipsi Saræ, certè ridiculum fuisset id observare post tot annos ab illo tempore elapsos. Itaque ex hoc concluditur, quod tunc temporis mulieres non ita maturè fiebant inhabiles ad concipiendum ut nunc, sed circum circa illam ætatem in quâ Saræ desierant fieri muliebria. Tandem dico potuisse fieri ut illâ ætate Raab supernaturaliter cõciperet Booz, quamvis id Scriptura non referat, quæ non semper omnia refert.

XV. Obiicies secundò, in genealogiâ Matthæi dicitur: Joram genuit Oziam. Sed certum est ex Scriptura Oziam fuisse filium Amaziæ & ab eo genitum, ergo &c. Respondeo Joram genuisse Oziam eo sensu quo David genuit D. Josephum & Christum scilicet mediatè, quia Joram primò genuit Ochoziam, Ochozias Joam, Joas Amaziam, qui genuit hunc Oziam, alio nomine dictum Azariam, quæ evidenter patent ex diversis locis tùm lib. 4. Reg. c. 15. tùm lib. 2. Paralip. cap. 26. & ex lib. 1. Paralip. cap. 3. vers. 11. Tres itaque Reges prætermissi sunt scilicet Ochozias, Joas, & Amazias, non quod hi aliquibus aliis hic expressis fuerint pejores, cùm Joas & Amazias inter illos Reges numerentur qui rectum fecerunt coram Domino, 4. Regum cap. 12. vers. 2. & cap. 14. vers. 3. Cur ergò?

XVI. Respondent D. Hilarius, D. Hieronymus, D. Paschasius, D. Thomas, Dionysius Carthus. in hunc locum, Abulens. quæst. 17. in Matth. & alii multi apud nostrum Sylveira tom. 1. in Evang. lib. 1. cap. 2. quæst. 29. ideo hos tres omissos partim quod Evangelistæ certi mysterii causâ propositum fuerit Genealogiam in tres Tessarecades distribuere, partim quod Deus prædixerat Achab per Sanctum Patrem nostrum Eliam Prophetam ipsius semen delendum, atqui Joram duxerat uxorem filiam Achab, undè filii ex eâ conjunctione nati usque ad quartam generationem, non quidem morte naturali, sed civili, ex semine parentum seu progenitorum Christi ejiciuntur. Purgatâ verò labe familiæ, inquit Divus Hilarius, in quartâ generatione, consequenter origo resumitur & numeratur.

Respondet secundò, Rupertus in hunc locum, ideò hos tres Reges prætermissos quia Prophetas ac Ministros Dei variis injuriis affectos impedierunt vaticinari & prædicare, patet hoc in Ochoziâ 2. Paralip. cap. 22. vers. 24. in Joas 2. Paralip. cap. 24. vers. 22. in Amasia 2. Paralip. c. 25. v. 16. XVII.

Objicies tertiò cum Porphyrio teste D. Hieronymo in cap. 1. Danielis in initio, Jechoniam, de quo in fine secundæ Tessarecadis Genealogiæ Matthæi, & in initio tertiæ non fuisse filium Josiæ ut ibi dicitur, sed Joackim qui fuit filius Josiæ ut patet ex 1. Paralip. cap. 3. vers. 15. & 16. Undè patet hic adhuc unam generationem fuisse prætermissam, ut propterea non sit mirum quod idem Matthæus in secundum errorem lapsus sit, dum in fine Genealogiæ recapitulans omnes generationes dicit: *Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim: à Davide usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim, & à transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim.* Nam in primâ Tessarecade ter decies tantùm dicitur unus alterum genuisse: ergò hic una adhuc generatio effugit Evangelistam. Similiter in secundâ & tertiâ Tessarecade tantùm vigesiesexies repetitur idem verbum *genuit*, & semel pro Christo dicitur pro *genuit, de quâ natus est*, quæ faciunt insimul tantùm viginti septem generationes: ergò adhuc in alterutrâ istarum decadum deest una generatio, ut sint utrobique quatuordecim, scilicet illa Joakim ex Josiâ ab Evangelistâ omissa. XVIII.

Nec si respondeas cum Jansenio Gandavẽsi & aliis ibi nomen *generationes* sumi pro personis generantibus & genitis satisfacies, quia etsi in primâ Tessarecade erunt quatuordecim personæ, in duabus posterioribus, tamen XIX.

etiam comprehenso Christo, non erunt amplius quàm viginti septem, ut patet ex supputatione, non ergo quatuordecim ubique.

XX. Respondeo itaque in primâ Tessarecade si de personis generantibus & genitis intelligantur generationes quas enumerat Matthæus, nulla est difficultas, sunt ibi quatuordecim personæ: quod si de ipsâ generatione sermo sit, nec video adhuc ibi magnam difficultatem, potest quippe rectè subintelligi Abrahami generatio; esto enim non dicatur ab alio genitus ut alii, quia tamen de facto & ipse genitus est sicut & illi qui ab eo dicuntur geniti, stat & ipse pro suâ generatione, & sic optimè ab Abraham inclusivè usque ad David etiam inclusivè, sunt quatuordecim generationes quia quatuordecim geniti.

XXI. Restat itaque tota difficultas pro duabus Tessarecadibus seu quaterdecim posterioribus, in quibus seu personas generantes & genitas accipias incipiendo ab eo qui sequitur illum in quo desiisti in primâ Tessarecade, idest à Salomone, sivè generationes per verbum *genuit*, & per *to de quâ natus est* expressas, non invenies nisi viginti-sex generationes, vel viginti-septem personas, & sic non bis quatuordecim quæ certum est conficere viginti-octo.

XXII. Ad hoc argumentum respondet Maldonatus in cap. 1. Matthæi ad illa verba, *Iosias autem genuit Iechoniam & & fratres ejus in transmigratione Babylonis*, quod Josias non Jechoniam, sed Jechoniæ Patrem genuerit, scilicet Joakim, ut notavimus hic num. 18. ex 1. Paralip. cap. 3. vers. 15. & 16. Deindè quod Joakim nullibi in Sacris Litteris inveniatur dictus Jechonias, quemadmodum filius ejus. Ex quibus infert Maldonatus quod scilicet una generatio (non de industriâ) prætermissa sit hic ut diximus argumento præcedenti de Ochoziâ, Joas & Amasia, id enim inquit Maldonatus (& rectè) non potest dici (cùm Matthæus recapitulando generationes dicat esse quatuordecim) sed culpâ Scriptorum exciderit: undè consequenter censet hunc locum sic restituendum. *Iosias autem genuit Ioakim & fratres ejus in transmigratione Babylonis, & post transmigrationem Babylonis Ioakim genuit Iechoniam, Iechonias autem genuit Salathiel.* Atque ita Fabrum Stapulensem affirmantem se legisse in antiquo Codice Græco, citat idem Maldonatus.

XXIII. Verùm hæc sententia præter quàm quod singularis est, & illius tantùm Authoris quod sciam, nullo modo mihi videtur toleranda: Cùm enim Matthæus eo fine videatur recensitas generationes in tres summas seu Tessarecades redegisse, ut hac ratione caveret, ne quis generationis Christi seriem à se descriptam vel addendo vel detrahendo corrumpere posset, ut volunt Interpretes, aut saltem ex illâ summatione statim & facilè additio vel detractio, si quæ facta fuisset, posset deprehendi; undè quæso factum est quod hæc Scriptorum culpa quæ tùm ex autographo, tùm ex citato loco 1. Paralip. cap. 3. vers. 15. & 16. detegi poterat, non fuerit castigata ex mente Matthæi? Certè si locus tam manifestè corruptus admittatur, adhibitâ licet tantâ ne id eveniret à Matthæo cautelâ, & non restitutus, facilè pro suo quisque arbitrio tales corruptelas alibi ubi non fuit adhibita tam expressa cautela irrepsisse fingere poterit, ut quodcumque libuerit statuere possit.

XXIV. Respondent alii nihil excidisse, nec etiam obstare quod Jechonias qui est in fine secundæ Tessaredecadis, & in initio tertiæ sit una & eadem persona, ut sint verè duæ Tessaredecades. Nam quemadmodum in ædificio lapis angularis qui duos parietes connectit, unus est, & tamen ad utrumque pertinet parietem, ita etiam Jechonias iste qui est in confinio utriusque posterioris Tessaredecadis unus est, & tamen ad utramque pertinet Tessaradecadem: propter quod non dixit Matthæus illas tres Tessaradecades in simul efficere quadraginta duas generationes, dicturus procul dubio si voluisset illas quaterdenas esse omninò condistinctas. Ita D. Augustinus lib. 2. de Consens. Evangelist. cap. 4. ubi sic ille. *Cùm quaterdenas tribus distinxisset articulis, dicens ab Abraham usque ad David generationes esse quatuordecim, & à David usque ad transmigrationem Babylonis*

*Babylonis aliàs quatuordecim, totidemq; aliàs usque ad Nativitatem Christi, non tamen eas duxit in summam, ut diceret sunt omnes quadraginta duæ, unus quippe in illis Progenitoribus bis numeratur, ideſt Iechonias, à quo facta est quædam in extraneas Gentes deflexio quando in Babylonem jam transmigratum est: ubi autem ordo à rectitudine flectitur, atque ut eat in diversum tanquam angulum facit, illud quod in angulo est bis numeratur, in fine scilicet prioris ordinis & in capite ipsius deflexionis: Et hoc ipsum jam præfigurabat Christum à Circumcisione ad præputium, tanquam ab Ierusalem ad Babylonem quodammodo migraturum, & hinc atque hinc utrisque in se credentibus tanquam lapidem angularem futurum. Hæc tunc in figurâ præparabat Deus rebus in veritate venturis. Nam & ipse Iechonias, ubi angulus iste præfiguratus est, interpretatur præparatio Dei. Sic ergo jam non quadraginta duæ quæ faciunt ter quatuordecim, sed propter unum bis numeratum quadraginta una generationes fiunt, si & ipsum Christum annumeremus qui huic regendæ vitæ nostræ temporali atque terrenæ tanquam numero quadragenario regaliter præsidet.* Hæc D. Augustinus.

XXV. Sed cùm reverentiâ tanti Doctoris dixerim mysticam hanc responsionem non satisfacere propositæ difficultati. Instari enim potest, dicere secundam & & tertiã Tessaradecadem esse duas, sed non omninò condistinctas, est dare manum Porphyrio objicienti, & fateri revera non esse in utraque posteriore Tessaradecade quatuordecim generationes ut numerat Matthæus. Nec fuisse necesse ad hoc ut illas significaret condistinctas, quod diceret illas insimul efficere quadraginta duas, cùm tam clarum sit ter quatuordecim facere quadraginta duo, quàm clarum est ter duo facere sex. Deinde Jechonias non aliter ponitur bis, aut numeratur bis, & in fine secundæ Tessaradecadis, & in initio tertiæ, quam ut genitus ac deinde generans, atqui alii in eâdem genealogiâ eodem modo ponuntur ut geniti & generantes, quâ ratione ergo Jechonias faceret duas generationes potius quàm alii? deniq; sicut Jechonias facit angulum, ut sit in fine secundæ & in capite tertiæ Tessaradecadis, sic David est in fine primæ & in capite secundæ, ergo si Jechonias in suo angulo facit aut stat pro duabus generationibus, ita & David faciet duas in suo: Atque adeò erunt quadraginta tres, non ergo faciẽt tres Tessaradecades seu Quaterdenas simpliciter. Ita ferè noster Guido Perpinianus in Evangelia ad illa verba Matthæi, *Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, &c.*

Tertia vera Responsio est quod Je- XXVI.
chonias qui est in fine secundæ Quaterdenæ sit alius ab illo qui est initio tertiæ. Nam Jechonias qui est in fine secundæ dicitur genitus à Josiâ & habuisse fratres, at Jechonias qui est in initio tertiæ & dicitur genuisse Salathiel, non fuit genitus à Josia, sed à Joakim nec habuit plures fratres sed unum tantùm scilicet Sedeciam, patent hæc ex lib. 1. Paralip. c. 3. v. 15. ubi sic habetur: *Filii autem Iosiæ fuerunt primogenitus Iohanam, secundus Ioakim, tertius Sedecias, quartus Sellum & v. 16. de Ioakim natus est Iechonias & Sedecias*; v. 17. *filii Iechoniæ fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, &c.* ergo non sunt illi unus Jechonias, sed duo: ita D. Hieronymus, D. Ambrosius, lib. 3. in Luc. D. Thomas, Dionys. Carthusianus, Hugo Cardinalis, Abulensis, & noster Sylveira.

Quod quidem sic ab illis explicatur, XXVII.
quia Iechoniam qui genuit Salathiel, initio tertiæ Tessaradecadis, habemus patenter in loco mox citato lib. 1. Paralip. estque alius ab eo quem genuit Iosias in fine secundæ Tessaradecadis, quod patet quia hic genitus est à Joakim filio secundo Josiæ; qui Joakim inquiunt, fuit etiam dictus Iechonias, seu quod fuerit binonimis, ut vult etiam D. Epiphanius lib. 1. de hæresib. & alii, seu quod *Ioakim* vel *Ioachim* idem sonet quod Iechonias ut vult noster Thomas Beauxamis ex Chronico Hebræorum quod *Seder Olim Zutha*, dicitur.

Verùm non placet hic modus expli- XXVIII.
candi hanc sententiam, tum quia nusquam in Scriptura legitur Ioakim filius Josiæ dictus Iechonias, cùm enim ille idem Ioakim 4. Reg. c. 23. v. 34. legatur dictus Eliacim, quare si etiam dictus fuisset Iechonias non æquè reperiretur alicubi? cùm ergo ex nullo loco possit

desumi id quod hic dicitur, ut nimis gratis dictum rejicitur, tum quia si Iechonias iste in fine secundæ Tessaradecadis fuisset Ioakim, non apparet, quare Matthæus hoc nomen cognitum reliquisset, & usus fuisset nomine quod usque ad ipsum nullibi reperitur.

XXIX. Quare dico Iechoniam primo loco nominatũ in fine secundę Tessaradecadis fuisse *Sellum* qui 1. Paralip. c. 3. hic supra n. 26. citato ponitur quartus filius Iosię, probatur quia tres posteriores filii Iosiæ Regnum administrarunt post Patrem, (nam primogenitus Iohanam videtur esse mortuus ante Patrem) scilicet Ioachaz, Eliacim & Mathanias, 4. Reg. c. 23. & c. 24. & 2. Paralip. c. 36. at ex Ieremiæ c. 22. v. 11. Sellum filius Iosiæ regnavit pro patre suo ergo est unum ex his tribus, non Eliacim quia hic fuit Ioakim 4. Reg. c. 23. v. 34. nec etiam Mathanias quia hic fuit Sedecias 4 Reg. c. 24. v. 17. ergo est Ioachaz, & ita etiam censet D. Hieronymus in tradit. Hebraic. super Paralip. Tunc sic sed ille Ioachaz qui est Sellum dicitur Esdræ c. 1. v. 34 Iechonias, quia illa quæ dicuntur de Ioachaz 4. Reg. c. 23. & 2. Paralip. c. 36. & quæ prædicuntur, de Sellum Ierem. c. 22. sunt eadem omninò cum illis quæ dicuntur de illo Iechonia, apud Esdram lib 3. c. 1. v. 34. mox citato, ergo iste Sellum qui est Ioachas dictus est etiam Iechonias, & sic habemus duos Iechonias: primùm hũc Sellum filium Iosiæ quartum, Paralip. c. 3. v. 15. qui in fine secundæ Tessaradecadis: secundum filium Ioakim, qui in initio Tessaradecadis tertiæ genuit Salathielem.

XXX. Dices primò, hoc non potest esse quia Sellum 1. Paralipom. cap. 3. v. 15. numeratur quartus filius Josiæ; Joachaz verò (quem dicimus esse hunc Sellum) 4. Regum cap. 23. vers. 21. sufficitur patri in Regnum ante alios uti primus post Johanan, qui supponiur probabiliter mortuus ante patrem, cùm de eo nusquam amplius fiat mentio.

XXXI. Respondeo, manifestè constat in hac suffectione Joachazi in locum patris sui violatum fuisse ordinem ex modo loquendi Scripturæ lib. 4. Reg. cap. 23. mox ibi vers. 33. dicitur, *Tulitq; populus terræ Ioachaz filium Iosiæ, & unxerunt eum, & constituerunt eum in Regem.* Si enim hic naturalis ordo servatus fuisset non diceret hoc Scriptura, sed his vel similibus verbis usa fuisset, *Regnavitq; Ioachaz filius ejus pro eo.* Factus utique populus tunc morum perditissimorum, omnium Regis defuncti filiorum perditissimum ipsi subrogant: quare post tres menses à Pharaone Necao deturbatus est, & Regnum restitutum Eliacimo aliàs Joakimo filio Josiæ secundo cui debebatur, mortuo primogenito. Et ideò etiam notatur hic Eliacim sivè Joakim fuisse 25. annorum cùm Joachaz deturbatus esset tantùm 23. annorum.

Dices secundò, hoc Eliacim sivè XXXII
Joakimo mortuo post undecim annos Regni Mathanias, qui & Sedecias, illi suffectus est post mortem filii ejus, qui Mathanias seu Sedecias fuit frater istius Eliacim, cùm ibi dicatur patruus filii ejus 4. Regum cap. 24. vers. 17. Et vers. 18. dicitur habuisse tunc solùm 21. annos. Ergò si ex his detrahas undecim annos quibus regnavit iste Eliacim, sivè Joakim, & tres menses Regni Joachim hujus filii, restat ut Mathanias habuerit tantùm novem annos & sex menses quando Joachaz sivè Sellum deturbatum à Pharaone Necao constituit populus Regem: sed tunc temporis hic Ioachaz erat viginti trium annorum, 4. Regum. cap. 24. vers. 31 Non potest ergò Mathanias aliàs Sedecias fuisse tertius filius Iosiæ, & Ioachaz sivè Sellum quartus ut dicitur 1. Paralipomen. cap. 3. vers. 15. Aut non est verum Sellum & Ioachaz esse unum & eundem.

Propter hoc argumentum: cùm ve- XXXIII
ra sint ex locis citatis quæ de duobus diximus Iechoniis, & Scriptura non possit non esse vera: omninò dicendum videtur quod lib. 1. Paralip. cap. 3. dum recensendo filios Iosiæ dicit vers. 15. *Filii autem Iosiæ fuerunt primogenitus Iohanan, secundus Ioachaz, tertius Sedecias, quartus Sellum*, non teneat quoad tres posteriores ordinem nativitatis, sed successionis in Regno Patris: Nam cùm Sellum ordine nativitatis tertius injustè intrusus à populo, post tres menses deturbatus sit, non amplius ad illud

illud rediturus : ideo in hoc ordine post Iohanan primogenitum secundus est Ioakim, tertius Mathanias seu Sedecias, quartus & ultimus hic Sellum : ut qui jura primogenituræ fratri suo Ioakimo auferre tentaverat, perderet respectu Mathaniæ sivè Sedeciæ : scriptum est enim *Omnis qui se exaltat humiliabitur*. Qui potest etiam in prærogativâ nativitatis Mathaniæ seu Sedeciæ, dici postpositus propter majorem nequitiam, propter quam majorem Dei sensit iram, ut constat ex locis citatis.

XXXIV Dices tertiò, si ille Sellum sivè Ioachaz sit iste qui lib. 3. Esdræ cap. 1. versu 34. dicitur Iechonias, non fuit junior fratre suo Ioakim, sed ècontra : Probatur, nam Ioakim quando suffectus est à Pharaone in locum fratris sui Ioachaz quem dicimus Jechoniam, erat tantùm 25. annorum, ut patet ex 4. Regum cap. 23. vers. 36. Hic verò Jechonias apud Esdram lib. 3. cap. 1. v. 34. erat annorum 33. Respondeo, manifestum est Ioachaz qui lib. 4. Reg. cap. 23. vers. 30 31. 32. 33. & aliis sequentibus & antecedentibus esse eundem cum Iechonia lib. 3. Esdræ cap. 1. vers. 34. 35. 36. &c. quia eadem omninò sunt illa quæ dicuntur de Iechoniâ hîc cum illis quę illic dicuntur de Ioachaz. Cùm ergò Iechonias dicatur ab Esdra 33. annorum cùm regnare cœpit, Ioachaz verò à libro 4. Regum 23. annorum tantùm, manifestum est hîc Esdram lapsum esse, qui lapsus est facilis, cùm 33. ponantur pro 23. atque adeò cùm hic liber Esdræ non sit Canonicus, licet maximæ authoritatis, corrigendus est per 4. librum Regum Canonicum.

XXXV. Dices quartò per hunc primum Jechoniam aliàs Sellum non currunt generationes usque ad Christum, quia hic primus Iechonias non genuit secundum, qui est Pater Salathielis, sed frater ejus Ioakim, qui non exprimitur in Genealogiâ. Respondeo, licet non currant per primum Iechoniam currunt à Iosiâ Patre per Ioakim fratrem ejus ad secundum Iechoniam Patrem Salathielis : nec refert quod Ioakim non exprimatur ex nomine in Genealogiâ, exprimitur enim sufficienter per has particulas, *Iosias autem genuit Iechoniam & fratres ejus*, in quibus fratribus est iste Ioakim, quod scrutanti parùm in Scripturis obviũ esse potuit, nam ex toties citato lib. 1. Paralipom. c. 3. v. 15. patet hunc Joakim esse fratrem Sellum, qui lib. 3. Esdræ c. 1. v. 34. dicitur Jechonias, & est Pater secundi Jechoniæ qui genuit Salathielem. Nec fuit necesse quod Evangelista majori uteretur expressione pro habendâ consecutione generationum ab Abrahamo usque ad Christum, noluit enim Deus suas Scripturas esse ita claras, ut nihil relinqueretur studio Doctorum.

Sive ergo generationes quæ sunt XXXVI.
apud Matthęum accipiamus pro actione ipsa generandi, sive pro personis generantibus & genitis : res secundùm jam dicta clara est de personis ex supputatione illarum : de actione etiam generandi, cùm enim sub hâc clausulâ *genuit Iechoniam & fratres ejus*, comprehendatur Ioakim qui fuit Pater secundi Iechoniæ, ac deinde exprimatur persona à dicto Joakim genita, scilicet secundus Iechonias qui genuit Salathielem, proculdubiò subintelligitur generatio per quam & hic est genitus & ille generans, atque ita omnimodè inveniuntur summæ ad quas Matthæus redegit omnes generationes, scilicet Tessaradecades seu Quaterdenæ, quæ in simul conficiunt quadraginta duas.

Porrò ideò videtur non expressus in XXXVII.
Genealogiâ Ioakim ex nomine, ob specialem illius malitiam, quæ notatur 3. Reg. c. 24. Nam de aliis Regibus improbis dicitur fecit malum coram Domino juxta omnia quæ fecerant Patres ejus : At dẽ Sedecia filio hujus Ioakim dicitur l. 3. Regum cap. 24. v. 19. *Fecit malum coram Domino juxta omnia quæ fecerat Ioakim pater ejus*, quibus verbis denotatur specialis malitia Joakim, ob quam meruit ex Genealogiâ expungi : secundò, Pater ejus Iosias 4. Reg. 22. cùm audisset librum legis, perterritus scidit vestimenta sua & fudit lacrymas : ille è contra librum Ieremiæ Prophetæ scidit scalpello Scribæ, & projecit in ignem donec consumaretur, Jerem. c. 36. v. 23. Credo ergo cùm ille voluerit perdere librum Dei, ideò non

mo-

meruisse habere locum in libro Genealogiæ Christi.

XXXVIII Quæres quomodo dicatur Iosias genuisse Jechoniam, & fratres ejus in transmigratione Babylonis, cùm certum sit Iosiam nusquam adductum fuisse in Babylonem? Similiter quomodo verum est quod post transmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel, quandoquidem certum sit non tantùm Salathielem in ipsa Babylone genitum, sed etiam hunc ibidem genuisse Zorobabelem, qui fuit primus Dux Iudæorum quando de illa captivitate liberati sunt. Respondeo ad primum id intelligendum non quod Iosias in captivitate illa eos genuerit, sed quod ea imminente, ita ut in transmigratione significet sub transmigrationem. Cui explicationi consentit versio Græca quæ habet, *Epi tu metoikesias*. Non enim diu post transmigratio illa contigit, in quâ omnes filii Iosiæ in Babylonem abducti sunt. Ad secundum respondeo, ibi post transmigrationem non significare tempus ab elapsâ transmigratione, sed quod non ante trãsmigrationem quod verum est, nam Iechonias non genuit Salathiel antequam transmigrarent, sed durante ipsa transmigratione.

XXXIX Objicies quartò de Iechonia secundo dicitur Ieremiæ c. 22. v. 30. *Scribe virum istum sterilem qui in diebus suis non proſperabitur, nec erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David & potestatem habeat ultra in Iuda.* Fallitur ergo Matthæus & fallit, qui facit Genealogiam currere per ipsum à Salathiele ad Zorobabelem & ab hoc ad reliquos usque ad Christum. Respondent communiter Doctores Iechoniam à Propheta non dici sterilem propterea quod non esset habiturus liberos, cùm habuisse dicat idem Propheta ibidem v. 28. & ex 1. Paralip. cap. 3. vers. 17. constet habuisse octo filios qui ibi recensentur ex nomine, sed quod nullus ex illis Patri in regno esset successurus, atque adeò quod attinet ad Regni successionem perinde fuit ac si sterilis fuisset. Patet explicatio illa ex ipso textu, postquam enim pronuntiavit Propheta Iechoniam sterilem subdit, *Nec erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Iuda.* Ubi supponit semen, sed semen *inglorium.*

Instabis, Zorobabel quem genuit Salathiel filius istius Iechoniæ, habuit potestatem in Iuda, liberavit enim & reduxit populum de captivitate & habuit potestatem in illos. Respondent primò, aliqui Prophetiam istam non esse de genere illarum quæ dicuntur prædestinationis & absolutæ, seu omninò quidquid eveniat implendæ: sed de genere conditionalium, quales sunt multæ in Scriptura continentes Dei promissiones aut comminationes, quæ non sunt simpliciter implendæ, sed sub conditione; quæ si absit non sortiuntur exitum: significat igitur, inquit, hæc Propheta nullum futurum de semine Iechoniæ qui sedeat super solium David & potestatem habeat ultra in Iuda, si fuerint Patri similes in peccatis, & ideò Zorobabel qui fuit vir justus & probus ejus nepos seu filius filii, potestatem recuperavit in Judâ, neque enim filius portabit iniquitatem Patris. Ita noster Sylveira tom. 1. in Evang. lib. 1. c. 2. quæst. 33. n. 94. & alii. XL.

Respondent alii secundò, illam Prophetiam intelligi de filiis immediatis, ex quibus verum est nullum habuisse potestatem in Judâ, non de mediatis, quandoquidem Zorobabel primus mediatus habuerit. XLI.

Respondent alii tertiò, potest intelligi de potestate Regiâ, talem autem non habuisse Zorobabel, qui fuit tantùm Dux populi & cujus jurisdictio fuit dependens à Cyro: Licet verò contra hanc responsionem dicas de Christo qui de semine ejus descendit dici per Angelum Luc. cap. 1. vers. 32. *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Respondent aliqui Regnum Christi non fuisse temporale, dici tamen dedisse Regnum Davidis quod fuit temporale, quia dedit illi Regnum in Israëlitas spirituale significatum per Regnum Davidis. Respondent alii secundò, Christum non comprehendi sub hâc prophetiâ eò quod Propheta dicat, *Non erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, &c.* idest, inquit Glossa interlinearis *vir tantùm*, Christus enim fuit Deus. XLII.

Respon-

XLIII. Respondent tandem alii, cùm certum sit & indubitatum Regnum temporale Davidis à lineâ Salomonis propter peccata eorum ad lineam & posteros Nathan transferendum, & consequenter Regnum spirituale Christi in quod illud mutatum est, colligi ex hâc prædictione Ieremiæ translationem illam ab hoc Iechoniâ incœpisse, & ideò Zorobabelem filium Salathielis probum illum & justum populi sui liberatorem & reducem, non fuisse illum qui apud Matthæum ex Iechonia, sed Zorobabelem filium alterius Salathielis, qui ex Neri apud Lucam.

XLIV. Objicies quintò & ultimò, dicitur *Zorobabel autem genuit Abiud*: hoc autem videtur falsum; nam hic Zorobabel 1. Paralip. cap 3. legitur habuisse proles Mosollam, Hananiam & Salomith sororem eorum. Deinde ex aliâ uxore, Hasaban, & Ohol, & Barachian, & Hasadiam, & Josabhesed. Abiudis autem nulla fit mentio. Respondet noster Thomas Beauxamis, vel Abiud adinstar multorum aliorum fuisse binominem, vel non omnes Zorobabelis filios expressos citato loco Paralipom. quodque Matthæus divinâ ratione aut arcanâ traditione intellexerit ac dixerit hunc etiam fuisse Zorobabelis filium è quo Joseph, è quo Maria, è quo Christus originem traxerint.

XLV. Respondeo ego Zorobabelem qui 1. Paralip. cap. 3. 19. genuit Mosollam, Hananiam, &c. non esse filium Salathielis, sed filium Phadaja: loquitur autem Matthæus de Zorobabele filio Salathielis. Unde non mirum si alius sit filius unius Zorobabelis filii Salathielis, & alii alterius Zorobabelis filii Phadajæ.

LXVI. Dices, hæc responsio difficultatem non solvit, sed fugit: Nam constat ex lib. 1. Paralip. cap. 3. vers. 19. Zorobabelem non esse filium Salathielis ut dicit Matthæus, sed filium Phadajæ, & ideò non est etiam verum quod genuerit Abiud ut dicit Matthæus, sed eos quos recenset dictus locus lib. 1. Paralip. Propter hanc rationem dicunt aliqui Zorobabelem fuisse filium carnalem Phadajæ, legalem verò Salathielis: sed hæc responsio non placet, quia verbum *genuit* quo utitur Matthæus dicens, *Salathiel autem genuit Zorobabel*, cùm propriè significet generationem, non debet sumi pro legali filiatione: quare inhærendo sententiæ nostræ respondeo, cùm Zorobabelis (cujus meminit Matthæus) Pater sit alius ab eo de quo loquitur dictus locus Paralip. & aliæ utriusque proles, quia Zorobabel Salathielis qui apud Matthæum genuit Abiud: Zorobabel autem Phadajæ qui apud librum Paralipomenon genuit Mosollam & cæteros, & non ex his sed ex illis currant diversæ generationes, ut patet ex Matthæo, & dicto libro Paralipomenon; ideò evidenter manifestum est præter Zorobabelem magnum illius populi è Babylone Reducem qui genuit Resa, de quo Lucas in suâ Genealogiâ, fuisse adhuc alios duos Zorobabeles, illum scilicet de quo Matthæus qui genuit Abiud, & illum de quo liber 1. Paralipomenon cap. 3. vers. 19. qui fuit filius Phadajæ & genuit Mosollam, Hananiam, &c.

XLVII. Instabis unde habet Matthæus istum suum Zorobabelem? unde ipsum genuisse Abiud? unde Abiud genuisse Eliacim, & sic de cæteris ab hoc usque ad Joseph Virum Mariæ, cùm nulla extet Scriptura in horum fidem? Nam quoad Canonicas illud nimis certum est: quoad alias verò illas maximè quæ Tribuum Judæ & Levi successiones continebant ab Herode crematæ sunt, ut patet ex Josepho de Antiquitatibus Judaïcis, & Julio Africano à nobis cap. 8. num. 16. adducto.

XLVIII. Respondeo, nihil mirum si de illis generationibus in Scripturis Canonicis veteris Testamenti nihil habeatur, quia Scripturæ illæ, præcipuè verò quæ Historicæ sunt, exceptis fortè Machabæorum libris, sunt ante istas generationes: præter quam quod Scriptura non omnium Genealogias prosequitur, sed valdè paucorum. Quoad alias verò Scripturas respondeo ab Herode nonnisi illas quæ erant publicæ potuisse cremari. Cæterùm fuisse nonnullos particulares Antiquitatis replicandæ studiosos, ut ait Africanus, qui nomina avitæ Stirpis, vel tenentes memoriâ, vel ex scriptis Annalibus promentes privatim sibi eorum indices confecerant: magnopereque propterea gloriaban-

riabantur quod ipsorum Nobilitas ita foret ad posteritatem reservata. Potuit ergò Matthæus ex hujusmodi memoriis privatis, vel indicibus ex scripturis publicis desumptis, vel ex arcanâ aliquâ Traditione accedente maximè Divinâ revelatione has omnes generationes collegisse, ut Divus Lucas suas.

XLIX. Hanc disceptationem prolixam quidem non tamen inutilem, ut ex dictis & ampliùs ex dicendis in hoc fundatis constat, finio ipsis verbis Sancti Patris Ambrosii lib. 3. in Lucam. *Hæc tibi Frater de Generatione Christi non incognita putavi prolixiùs prosequenda: ne quis cùm ista in Evangeliis minùs attento animo recenseret, aliquatenus fluctuaret, quæ Sancti Evangelistæ ad majora miracula, & diviniora Domini gesta properantes perstringenda brevius, quàm diffundenda uberius putaverunt: Eorum igitur more qui satis putant ignaris viarum quasi notas quasdam itineris & semitas demonstrare, spiritalis viæ semitas colligentes, videro utrum secundo veritatis eventu, certè religioso fidei ductu in mysteriorum secreta contendimus, verentes ne quis ista cùm legerit, quod proverbialiter dicitur, quasi puer Machæram, tractare per infantiam fortiora arma nesciret, magisq; vulnus ex imprudentiâ, quàm salutem ex lectione sentiret. Infirmos enim telâ suâ vulnerant, nec potest benè uti armis qui ea ferre non noverit. Et ideò circa fidem vir perfectus exigitur, in quo non per humum scientiæ reptet infantia, non debilis quædam, nec carens sensibus mysticæ cognitionis titubet ætas, quæ virtute juventutis amissâ, coronam glorioси certaminis non requirat, & senescentis aquilæ modo, quæ prius aut leporem capere pedibus consueverat aut anserem, ævo fessa, minorum avium fœtus implumes requirat, qui solidiorem cibum afferre non possint.*

## CAPUT XI.

### *Cur Divus Matthæus & Lucas non per Mariam, sed per D. Josephum Christi Domini Genealogiam subduxerint?*

QUOTIES de hærede quæritur, ut cujus sit rei possessio appareat, edunt illi qui sibi jus vendicare prætendunt originis generationum suarum, ex quibus cùm appareat successio secundùm carnem, apparet etiam successio ad jura & hæreditatem. I.

Hanc legem antiquissimus Ecclesiæ Doctor Tertullianus lib. de Præscript. premit contra Marcionem & alios sui ævi hæreticos, ut eos à Fidei veræ, veræque Ecclesiæ possessione excludat. Ad quos ipse ita: *Qui estis vos? & undè venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo Marcion jure sylvam meam cædis? quâ licentiâ Valentine fontes meos transvertis? quâ potestate Apelles limites meos commoves? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo. Habeo meas origines firmas ab ipsis authoribus quorum fuit res.* Et hoc utique jure capite sequenti Christus Dominus erit per D. Josephum Regni Davidici ex successione legitimâ verus ac necessarius hæres. Hâc etiam viâ Matthæus Iesum vult probare Messiam, ipsius dico generationē prosequendo: non quod à Progenitoribus suis ex quibus secundùm carnem homo natus est, hæreditatem Ecclesiæ, vel Messiæ nomen, vel rem & authoritatem acceperit, sed quod à Deo per Sanctos Prophetas ex illorum progenie nasciturus repromissus sit. II.

Itaque Matthæus describens Genealogiam seu seriem Progenitorum Christi juxta Euthymium in Mathæum, Auditorum mentes erigit ad promissionum memoriam: Olim enim promiserat Deus inter cæteros Abrahæ & Davidi Christum ex eorum semine nasciturum: cùm autem Auditores essent Judæi, noverant illas promissiones & ad illas attendebant, nec unquam Christo III.

Christo defectum hujus originis obtruserunt, facturi citra omne dubium, nisi illa clarissima fuisset, omnibus & nimis nota: atque adeò ut Ioānes Christum verè filium Dei esse probavit, sic Matthæus potissimum curavit illum non modò hominem verum, sed etiam Messiam in lege promissum ostendere, & ideò ipsius Genealogiam seu descensum ex Abraham & Davide, quibus præcipuè repromissus fuerat, prosequitur. Sed quare hanc ejus Genealogiam non per Mariam, sed per Divum Ioſephum subduxit? Cùm enim hæc Genealogia Christi ideò deducta sit, ut recognosci posset ejus origo secundùm carnem ex Abrahamo & Davide quod necessarium fuit, quia ex his secūdùm repromissiones iisdem aliisq; factas descendere debebat, Christus autem nō à D. Ioſepho, ut de fide certum est, sed à solâ Mariâ Matre carnem traxerit, certè omninò videbatur necessarium quod per hanc, non per illum Genealogia ejus deduceretur, cujus tamen contrarium videmus factum ab Evangelistis.

IV. Neque regeras quod fœminæ apud Judæos quæ prole aliâ deficiente in hæreditatem Patris succedebant in solidum, debuerint ex lege Numeror. cap. ultim. viro suæ Tribus & familiæ, idest sanguine propinquo nubere, ne illa hæreditas per conjugium transiret ad extraneos, & quod proindè cùm Beatissima Deipara fuerit unica proles SS. Joachim & Annæ (quod supponit Matthæus uti illi ævo perspectum, & ab inde toti Ecclesiæ per traditionem vulgatum) debuit Beata Virgo contribuli & familiæ suæ viro nubere, qualem fuisse D. Ioſephum non est dubitandum, quandoquidem ei etiam per Sacerdotes, Legum Custodes & Interpretes tradita est: Ex quo sequitur manifestissimè Genealogiam D. Ioſephi esse & Genealogiam Beatæ Virginis: atque adeò Christi Genealogiam deductam per D. Ioſephum ponderare eam quæ deducta fuisset per B. Virginem.

V. Reponam enim quod etsi hoc ita esset, ut ita esse docuimus in superioribus, cùm tamē non ex D. Ioſepho, sed ex solâ Virgine carnem traxerit Christus, multò clarior futura fuisset per Virginem quàm per D. Ioſephum, quod nemo negabit. Cùm ergò res ita se habeat, cur non per Virginem, sed per D. Ioſephum Matthæus eam deducere voluit.

Non iterùm dicas cum Ioanne Damasceno lib. 4. de fide Orthodox. cap. 15. & communi sententiâ non fuisse morem Scripturæ Genealogias texere mulierum, facilè enim respondebitur. Primò, morem istum non fecisse legem tam strictam quandoquidem Judithæ fœminæ illius glorioſissimæ texuerit, Judith cap. 8. vers. 1. Cur non ergò potiùs hujus Virginis Beatissimæ? Secundò, cùm Christus præter consuetudinem naturæ ex Virgine natus sit sine operâ viri, videtur etiam quod præter consuetudinem Scripturæ, & cæterorum hominum ejus Genealogia per Mariam à quâ solâ processit recenseri debuerit, ut sic ille insolitus ejus partus magis patesceret. VI.

Cùm tamen nonobstantibus his rationibus adeò prægnantibus, non hanc, sed alteram viam elegerit D. Matthæus, Genealogiam, inquam, Christi Domini adeò importantem non per Mariam sed per D. Ioſephum recensuerit, quæritur meritò quænam ratio eum ad hoc movere potuerit? VII.

Respondeo ergò, id ideò feciſſe Sanctum Evangelistam, ut nobis clarè indicaret, nosq; perspicuè intelligeremus, quod D. Ioſephus etsi Christum carnaliter non genuerit, sit interim verè ac verissimè Pater ejus, quandoquidem istis omnibus nonobstantibus credideris Sacer Evangelista deducendam per ipsum Genealogiam. Et quamvis præviderit Deus aliquando futurum (quod de facto contigit) ut propterea hæretici nonnulli negarent Christum, quod non constaret ut oportuerat ex Textu Evangelistæ, (quem propterea ineptum vocarunt) de ejus ex Davide descensu, maluit tamen Deus de hoc à nonnullis dubitari, quàm D. Ioſepho istum magnificentissimum Patris titulum non conservari, & isto tanto, tamq; firmo modo non conservari, quod ex hoc plus relaturi essent commodi fideles quàm ex isto incommodi, nebulones & impii. VIII.

Habent ergo fideles & hujus San- IX.

ctissimi Patriarchæ devoti Clientes ex hoc modo procedendi Sacri Evangelistæ fortissimum argumentum veræ ac strictæ Paternitatis ejus ad Christum, quod ampliùs videbimus Parte 2. Tract. 2. ubi de illâ Paternitate agemus ex professo.

X. Neque hæc tanta ratio ex mente tantùm nostra est, habet etiam præludium in doctrinâ Augustissimi Doctoris D. August. lib. 1. de Nuptiis & Concupisc. cap. 11. Audi illum ibi de hoc solidè & subtiliter suo more differentem. *Non solùm* (inquit) *illa Mater, verùm etiam ille Pater ejus, sicut Conjux Matris ejus, utrumque mente non carne, sed cum illo* (Josepho) *non seminante, illa peperisset, profectò nec ipsius formæ servi parentes ambo essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione Conjuges essent. Vndè & series Generationum cum Parentes Christi, connexione successionis commemorantur, usque ad Ioseph potius (sicut factum est) fuerat perducenda, nè in illo Conjugio, virili sexui utiq; potiori fieret injuria, cum veritati nihil periret, quia ex semine David ex quo venturus prædictus est Christus, & Ioseph erat & Maria. Omne itaq; nuptiarum bonum impletum est in illis Parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum IESVM: Fidem quia nullum adulterium: Sacramentum quia nullum divortium.*

XI. Et ne fortè hoc ab Augustino leviter dictũ dicere posses audi idem iterantem & longè clarius tom. 10. ser. 63. de diversis c. 20. *Iam verò illud*, inquit, *quia movere non debet, quare per Ioseph & non per Mariam generationes numerantur, satis dictum est: quia sicut illa sine carnali concupiscentiâ Mater, sic ille sine carnali commixtione Pater. Per illum ergo descendant, & per illum ascendant generationes: Nec enim propterea separemus, quia defuit carnalis concupiscentia. Major puritas confirmet Paternitatem, ne ipsa Sancta Maria nos reprehendat: illa enim nomen suum præponere noluit suo*, sed dixit Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. *Non ergo faciant perversi murmuratores, quod conjux casta non fecit: numeremus ergo per Ioseph, quia sicut castè maritus, sic castè Pater est. Sed præponamus virum fœminæ ordine naturæ & legis Dei. Nam si remoto illo, illam constituamus, dicit ille, & rectè dicit, quare me separastis? Quare non per me generationes vel ascendunt, vel descendunt? An dicetur ei: quia non tu genuisti opere carnis tuæ? sed respondebit*, nota benè quod sequitur, *Nunquid & illa opere carnis suæ peperit?* Et prosequitur Augustinus. *Quod Spiritus sanctus operatus est utrisque operatus est: Cùm esset inquit homo justus. Iustus ergo vir justa fœmina, Spiritus sanctus in amborum justitia requiescens, ambobus filium dedit: sed in eo sexu quem parere decebat operatus est hoc, quod etiam marito nasceretur: Propterea ambobus dicit Angelus ut puero nomen imponant, ubi parentum declaratur authoritas. Nam & Zacharias cùm adhuc mutus esset filio nato mater nomen imponebat. Et cùm illi qui aderant innuerent Patri quid eum vellet vocari, acceptis pugillaribus hoc scripsit quod illa jam dixerat.* Dicitur & Mariæ, *Ecce concipies & paries filium & vocabis nomen ejus IESVM: Dicitur etiam ad Ioseph, Ioseph fili David ne metueris accipere Mariam conjugem tuam, quod in ea natum est de Spiritu sancto est. Pariet autem filium & vocabis nomen ejus IESVM, hic salvabit populum suum à peccatis eorum. Dicitur etiam Lucæ 2. & peperit ei filium: ubi omninò Pater non carne, sed charitate firmatur. Sic ergo Pater sicuti est conjux. Cautissimè enim Evangelistæ,* (Attende benè etiam sequentia:) *& prudentissimè per illum numerant sive Matthæus descendens ab Abraham usque ad Christum: sive Lucas ascendens à Christo per Abraham usque ad Deum. Ille descendens numerat, ille ascendens, ambo per Ioseph. Quare? quia Pater. Quare Pater? quia tantò firmius Pater, quantò castius Pater. Aliter quidem putabatur esse Pater Domini Nostri IESV-Christi, scilicet sicut Patres carne generantes, non solum spirituali affectu liberos suscipientes. Nam dixit & Lucas qui putabatur esse Pater IESV. Quare putabatur? quia humana putatio & existimatio illuc ferebatur quod solet ab hominibus fieri. Non ergo de semine Ioseph Dominus quamvis hoc putaretur, & tamen pietati & charitati Ioseph natus est de Maria Virgine filius, idemq; Filius Dei.* Hæc Sanctus Augustinus, quibus nihil evidentius ad intentum nostrum.

Respondeo

XII. Respondeo secundò ne Judæi, qui ad calumniam erant faciles & proni, damnarent Beatissimæ Virginis mentem tanquam servilem quæ se Josepho Fabro utique Carpentario tenui & modico tradiderit in sponsam : Ergo ut Mariæ dignitas asseretur, extollendus erat D. Iosephus, & ideò ejus Parentes ac Progenitores glorioſissimi recensiti.

XIII. Respondeo tertiò, cùm Christus per D. Iosephum sit hæres Regni Davidici ut dicemus capite sequenti, & ideò Lucas qui hoc probandum susceperat deduxerit Genealogiam legalem D. Iosephi, per quam illi ea hæreditas obtigit, debuit eodem modo D. Matthæus in suâ Genealogiâ procedere per D. Iosephum, ut appareret quod licet diversa dicerent Evangelistæ, non tamen animo vel studio diverso, qui erant in Spiritu sancto (qui per eos loquebatur) uniti.

XIV. Tandem necessaria fuit hæc D. Iosephi commendatio ut intelligeretur quod licet faber & modicus esset, erat tamen animi excelsi & nobilis supra id quod foris apparebat, utpote ex tam generoso sanguine procreatus, ac sic illius testimonium de sponsæ suæ castissimæ virginitate seu integritate, quæ de tempore sui matrimonii antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu sancto, firmius esset, & ab omni suspicione apud homines magis immune.

XV. Quæres cur Christus Dominus in hominem effingendus Patrem habere voluerit D. Josephum potius secundùm legem generatum quàm viâ ordinariâ, ad hoc quæsitum respõdeo cùm Theophylacto in Lucam c. 3. in fine, Matthæus per naturalem Patrem Iosephi hoc est Iacob, Lucas autem per legalem, hoc est Heli, Christi Domini Genealogiam descripserunt, ut intelligamus quod propter hoc natus sit Dominus ut & naturam sanctificaret & legem adimpleret.

XVI. Et ut ad magis particularia descendamus, Respondeo secundò, voluit per hoc ostendere utramque Paternitatem & filiationem, naturalem & legalem (cùm omnes aliæ sint tantùm ab hominibus) esse à se, se utriusque authorem esse, ac proinde utramque veram esse & validam, ut per hoc disponeremur ad credendum sine ulla hęsitatione quod ipse quoque sit verè Pater Christi, & Christus filius Iosephi quamvis non ab eo genitus, & quidem longè fortiori & strictiori jure : huic responsioni favet D. Iustinus Martyr quæst. 133. ad Orthod. ubi sic loquitur : *Vt autem Dominus Christus nominaretur Iosephi filius, qui Ioseph habuit duos Patres videlicet alterum secundùm legem, alterum secundùm naturam, effecit divina gratia : ut cùm audiremus Christum filium esse Ioseph, nec tamen ex eo natum secundùm naturam, non admiremur : ut enim Ioseph ipse vocatus est Heli filius, nec tamen ex eo genitus, quoniam divinæ legi sic visum est ex vxore Heli dare filium Heli : sic visum est Deo ex vxore Iosephi dare filium Iosepho non genitum secundùm naturam ex ipso. Quod enim ex fœminâ, sine stupro nascitur, id necessariò filius est viri & fœminæ, quo pacto vult Deus dare filium viro aut per conjunctionem, aut citra conjunctionem.*

Idem sentit quæst. 66. Si *quemadmodum filius Heli dictus est Ioseph secundùm legem citra conjugalem cõjunctionem, quod Deus hoc modo voluerit dare Iosephum filium Heli : quid absurdum est si sic etiam dedit filium Iosepho citra conjugalem conjunctionem : hujus enim causâ, ita rem moderata est divina gratia, ut Virgo desponderetur viro, qui duos Patres habuerat, unum secundùm naturam ex connubiali congressu ; in illius generatione adumbrans Christi generationem qui ex Spiritu sancto natus est filius Deo ex uxore autem Iosephi filius Iosepho. Spiritus sanctus, inquit, superveniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi, & quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei. Enimverò si quod natum est ex uxore Heli filius est Heli secundùm legem Dei, multò magis ex vxore Iosephi, Deo ita volente, filius est Iosephi citra conjugalem congressum.* Hæc Divus Justinus. XVII.

## CAPUT XII.

### *An D. Josephus fuerit Regni hæres Davidici, & Christus per ipsum?*

I. Regiâ eâque omnium nobilissimâ Abrahami ac deindè Davidis & Salomonis stirpe progenitum esse D. Iosephum ex præcedentibus satis abundè liquet: hic ulterius progrediendo, inquirimus an etiam fuerit Regni Davidici hæres, seu an ad ipsum immediatè ac directè per istos quos Evangelistæ recensuerunt, sive hos, sive alios ipsius Progenitores jus ad Regnum Davidis delatum sit: Ubi nota me loqui de jure ad Regnum, non de possessione & usu: quia nimis certum est D. Iosephum illius usu caruisse, cùm ex opificio & fabrili semper victitarit.

II. Disputant satis frequenter nostri Theologi an Christus filius ejus fuerit Regni istius hæres temporalis & ex successione. Hanc quæstionem hîc ex occasione agitabimus & resolvemus, ac deindè cùm ex successione illi hoc Regnum obtingere debuerit, videbimus an per Matrem ex quâ solâ natus est, an verò per Patrem D. Iosephum cui natus est obtigerit. Igitur sit

## SECTIO PRIMA.

### *An Christus Dominus fuerit Rex temporalis Iudæorum.*

III. Pro hujus resolutione quæstionis ante omnia adverte primò duplicē esse potestatem temporalem in Regna. Prima est directa quæ formaliter & præcisè tantùm dicit jus seu potestatem ad ferendas leges, cogendum subditos ad illarum observantiam, puniendos reos, compescendos turbulentos, dirimendas lites & controversias, &c. pro bono, pace & tranquillitate subditorum tam in particulari quàm in communi, secluso omni ordine & respectu ad finem spiritualem seu bonum animarum, quamvis & hæc tranquillitas multùm ad istum finem conferat: & talis est potestas in Regibus temporalibus. Secunda est illa quam vocant indirectam, qualis est in Summo Pontifice, ut docet noster Doctor Resolutus Ioannes Bacchonius in 4. quæst. 11. Prologi & alii Theologi communiter, quæ quamvis sit etiam in bona temporalia subditorum ut præcedens, non tamen nisi in ordine ad bonum animarum; est enim tantùm ob illius finem in eo qui habet spiritualem potestatem, nec nisi ratione illius finis exerceri potest, ob quod dicitur tantùm indirecta, & ideò simpliciter ex fine dicenda est spiritualis.

IV. Adverte secundò duplicem à Theologis distingui potestatem directam in Regna temporalia, una est ordinaria qualem habent terreni Reges: hæc humano aliquo titulo acquiritur, puta, electionis, successionis, donationis, occupationis per justum bellum, &c. Est temporaria quia potest finiri, potest auferri. Mutabilis quia potest augeri & minui: limitata quia ad has tantùm non ad illas leges, ad hos tantùm actus, & non alios extenditur: Non enim possunt Reges, nisi injustè, quodcumque libuerit facere circa subditos & illorum bona, sed tenentur se intra creditæ sibi potestatis per Dei & Regni leges, cancellos continere, quos si excesserint peccant & Deo Regi Regum & Domino dominantium rationem reddent. Alia est potestas directa quam vocant potestatem excellentiæ: Hæc est altioris ordinis & longè perfectior priore, quæ cùm non sit humanitus comparata, sed divinitus communicata, est æviterna, immutabilis & illimitata.

V. His positis primò certum est quod Christus Dominus, etiam ut homo est, fuerit Rex totius mundi, consequenter & Regni Israëlitici ratione filiationis divinę per communicationem idiomatum, ut aiunt: Cùm enim homo & Deus in Christo ita identificētur, ut per communicationē idiomatum Deus dicatur, passus, mortuus, &c. Et homo dicatur Creator & Conservator, Omnipotens, &c: Eâdem ratione cùm Deus sit Rex, & Dominus totius universi, ita & homo in Christo: hic nulla est difficultas.

Sed

Sed quæstio proposita in argumento procedit, & intelligitur de potestate quæ intrinsecè communicata est Humanitati Christi Domini, quare cùm hæc quæ ei competit solùm per communicationem idiomatum non sit talis, nihil facit ad rem.

VI. Non est etiam ullum inter Theologos orthodoxos dubium habuisse ut minimum potestatem indirectam in omnia Regna mundi consequenter in Regnum Davidicum seu Judæorum, ut scilicet de hoc & illis disponere posset in ordine ad finem supernaturalem, quia saltem hæc necessaria erat ad officium Redemptoris, quare his præteritis.

VII. Dico primò Christus ut homo habuit regiam potestatem non solùm spiritualem illam seu indirectâ, sed etiam politicam in omnes homines & Reges terræ, & directum Dominium in res temporales omnium regnorum mundi, consequenter in regnum Davidicum. Ita noster Doctor Resolutus in 4. quæst. 1. & 11. Prolog. art. 2. & 3. & communiter Theologi contra nostrum Thomam Waldensem tomo 1. Doctr. Antiquit. fid. lib. 2. art. 3 cap. 76. Vasquez 3. part. disp. 87. cap 2. 6. Amicum de Incarnat. disp. 3. & nostrum Orlandi in 3. part tract. 4. disp. 10. de Dominio temporali Christi num. 2.

VIII. Probatur primò ex Scripturâ Matth. cap. ultimo vers. 16. ubi Christus de se ipso dicit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Ubi signum illud *omnis* cùm sit universale, distribuit potestatem Christo datam, non per partes sui Regni; hæc enim in his verbis, *in cælo & in terra* continetur, sed per omnes species potestatis: ergò significat potestatem utramque, temporalem scilicet & spiritualem; in his enim ut in genera prima & immediata consistit divisio & distributio adæquata potestatis ut sic.

IX. Ne dicas hanc potestatem esse illam quæ ei competit ratione communicationis idiomatum: esse enim aliam quæ intrinsecè humanitati communicata est, patet evidenter primò ex his verbis *data est mihi.* Secundò, ex alio simul loco Joan. cap. 25. vers. 22. *Pater omne judicium dedit filio, quia filius hominis est.* Porrò potestatem illam non fuisse etiam indirectam constat ex dictis: quia hæc non est alia à spirituali, & sic non fieret distributio quam significant hæc verba *omnis potestas.* Etsi enim illa potestas sit in bona temporalia, non tamen directè, sed tantùm per ordinem ad finem spiritualem, & ideò simpliciter est spiritualis, ergò necesse est ut fuerit directa & politica.

Replicabis cum Patre Amico mox citato sect. 2. num 45. Potestatem per hæc verba: *Data est mihi omnis potestas in cælo & terra*, significatam esse spiritualem, constat ex illatione quæ fit ex his verbis in sequentibus, *Euntes ergò docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Sed respondeo, etsi per hæc ultima verba limitet Christus illam quam cõmittit Apostolis suis, non tamen vult significare illã quæ in se residet, esse ita limitatam, aut hoc ex illo benè inferes. Significat ergò per illa postrema verba, quid de illâ suâ universali potestate Apostolis cõmunicat, nempè illam quæ necessaria erat ad mundi salutem: atqui ad illam non indigebant nisi spirituali quam illis per hæc verba, *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* confert, cùm nec Christus ad illam aliâ indiguerit, sed tantùm ad ornamentum suæ personæ receperit. X.

Probatur secundò, quia in eâdem Scripturâ vocatur Christus non tantùm Pontifex ut Hæbr. c. 7. v. 26. sed etiam Princeps Regum terræ Apoc. c. 1. v. 5. & c. 19. v. 16. qui habet in fœmore suo scriptum Rex Regum & Dominus Dominantium. Hoc autem ultimo nomine alia potestas à Pontificiâ seu spirituali intelligitur, aliàs deberet Regis nomen quod propriè significat eum qui supremâ potestate Politicâ præest, significare Pontificem; & sic à propriâ & naturali significatione ad figuratam torqueri, quod est alienũ à doctrinâ SS. Patrum & Theologorum omnium, dicentium unanimiter verba Scripturæ debere semper accipi simpliciter & secundùm propriam & naturalem eorum significationem, nisi ex inde sequeretur aliquid absonum, quod evidenter suaderet illa debere tropicè seu figuratè accipi, quod hîc nullatenùs contingit, ut patebit manifestè ex XI.

dicen-

dicendis: sicut ergo per nomen Pontificis intelligitur habens potestatem spiritualem, ita per nomen Regis habens temporalem.

XII. Confirmatur hæc ratio, quia in lege naturæ Melchisedech fuit figura Christi juxta illud psalm. 109. v. 15. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, sed hic Melchisedech fuit simul & Rex & Sacerdos: Genes. c. 14. v. 18 & Hebr. cap. 7. vers. 1. *Melchisedech verò Rex Salem Sacerdos Dei summi*. Similiter & in lege scripta Moyses qui fuit & ipse figura Christi, fuit simul Sacerdos & Rex, seu Princeps temporalis Judęorum. Sacerdos: ut patet ex psal. 98. vers. 6. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus, &c.* Rex verò seu Princeps, ut patet ex toto libro Exodi: unde Philo Judæus lib. 3. de vitâ Moysis in fine ait: *Hæc est vita, hic exitus Moysis Regis, Legislatoris, Pontificis & Prophetæ.* Ergò in lege gratię Christus per illos adumbratus, sicut fuit totius mundi Pontifex, ita Rex.

XIII. Probatur tertiò ex Sanctis Patribus, D. Augustino tract 14. in Joan. ubi ait: *Erat quidem Rex non qualis ab hominibus fit, sed talis ut Reges faceret.* D. Hilar. in psalm. 2. ad ea verba. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, &c. Nescio*, inquit, *an sit tutum ambigere Christum fuisse Regem*, quod non potest explicari de regno spirituali, quod stat cum potestate temporali indirectâ, quia non dixisset Hilarius *Nescio*, cùm id sit de fide & clarius meridiano sole. Vide etiam Divum Chrysostomum homil. 82. in Joannem ad illa verba, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Theophilactum in cap. 18. Joannis, D. Bernardum lib. 3. de Considerat. cap. 1.

XIV. Probatur quartò rationibus, prima non implicat Dominium illud altioris ordinis quàm sit quodlibet humanũ ac quod secum compatiatur particularia Principum terrenorum cum subordinatione, & aliundè est sine ullâ imperfectione & maximè honorificum, ergò Christo fuit cõmunicatum, tum quia per hoc melius salvantur & explicantur Scripturæ quæ Christo ut homo est, concedunt Regiam dignitatem & dominium in omnes creaturas, tùm quia hoc multis titulis Christo debebatur. Primo, ratione unionis hypostaticæ per quam humana natura in unitatem suppositi divini assumpta, sicut omnibus creaturis excelsior facta est, ita facta est digna ut omnibus & in omnibus dominaretur & principaretur. Secundo, jure hæreditatis non utique terrenæ sed divinæ: Cùm enim esset verus & naturalis filius Dei ratione suppositi divini quo natura humana in ipso terminabatur; paternam, etiam ut homo est, hæreditatem de jure naturali debuit obtinere. Tertio, jure redemptionis, ex hoc enim meruit ut perfectam haberet potestatem in hominem quem redemit, & in ea quæ homini subjiciuntur. Quarto, jure meriti: humilitate enim, obedientiâ & exinanitione suâ infra omnia meruit ut in nomine ejus omne genu flectatur. Quemadmodum argumentatur & concludit Apostolus ad Philippenses cap. 2. Undè D. Bernardus lib. 3. citato de Considerat. ad Eugenium ait. *Christus hic est qui possessionem sibi vendicat & jure creationis, & merito Redemptionis, & dono Patris.*

XV. Secunda ratio, quia etsi Christus in humanis existens, pauper fuerit, propterea quod ex paupertatis & sanctæ humilitatis amore hujus usui potestatis renunciare voluit, ne tamen de illa dubitare possemus aliquando aliquos ejus actus exercere voluit, ut Matthæi cap. 8. vers. 23. cùm in finibus Gerazenorum dæmones quos ex energumenis ejecerat misit in gregem porcorum integrum, qui impetu abierunt præcipites in mare & mortui sunt in aquis. Et Matthæi cap. 21. vers. 19. quando ficulneam maledicendo eam arefecit: nam licet illi quatenus miraculosi à potestate spirituali prodierint, quatenùs tamen per illos rem alienam destruebat à potestate politicâ procedere debebant, non ordinariâ: non enim possunt Reges ordinarii pro suo arbitrio bona suorum subditorum dissipare aut destruere, non etiam indirecta, quia illa non concedit disponere de rebus subditorũ nisi in casu necessitatis, quando scilicet aliter altior ille finis spiritualis haberi nequit. Cùm ergò Christus potuerit fidei mysteria confirmare absque destructione istâ, procul dubio secùs faciendo

faciendo evidens signum dare voluit se habere illud directum dominium rerum temporalium altum & excellens, quod potestatem confert de illis disponendi absolutè, etiam extra omnem casum necessitatis.

XVI. Tertia ratio, quia Christus etiam ut homo naturaliter & sine ullâ aliâ Dei concessione est caput omnium hominum, non quoad naturalem generationem, ut constat, sed quoad moralem gubernationem; ergò naturaliter habet jus dicendi in omnes, litesque omnium dirimendi, &c. Quippè Christus ut homo & ratione originis, quia est conceptus de Spiritu Sancto, & ratione personalis dignitatis, quia est filius Dei naturalis, & ratione donorum subsequentium, sapientiæ scilicet & prudentiæ, ac etiam virtutis & sanctitatis, ratione quarum nec falli potest nec fallere, quæ omnia in illo sunt sine mensurâ, in aliis verò tantùm secundùm mensuram donationis Christi, longo intervallo superat omnes. Cùm ergò horum omnium ratione non possit judicium ejus in quâvis materiâ non esse certum & infallibile, & in omnibus aliorum judiciis incomparabiliter melius & præferibile, profectò omninò sequitur, quod naturaliter sit caput moraliter directivum & gubernativum omnium hominum, cui ex naturali obligatione, & seclusâ etiam omni explicitâ Dei ordinatione ex rectâ ratione debent obedire tanquam superiori, omnes quotquot illùm norunt.

XVII. Dices hoc argumentum probat quidem ejus in personas & eorum bona potestatem, ut circa illas & hæc statuere possit, non tamen dominium, ut ea pro arbitratu suo dissipare possit & destruere. Respondeo & de hoc ultimo probare saltem consequenter: Licet enim absolutè loquendo imperium seu potestas & Dominium non sint necessariò conjuncta, ut patet in Regibus ordinariis, qui possunt leges statuere, lites dirimere, &c. non tamen de illorum bonis pro suo nutu disponere: in Christo tamen Domino nostro Ter Optimo, Ter maximo, illa duo sunt conjunctissima; & ea ratio quæ convincit illi tribuendum esse jus Regni in omnes, convincit etiam tribuendum esse Dominium in ea, quia scilicet ratione unionis hypostaticæ, filiationis & cæterorum titulorum hic num. 12. & 14. relatorum, dignus est omni dignitate & authoritate.

Immò quod mirum mihi videtur, P. Franciscus Amicus citatus qui contrarius est nobis, cogitur fateri quod unio hypostatica secum afferat fundamentum hujus dominii reddendo naturam quam Verbum sibi substantialiter copulavit, dignam omni authoritate & potestate, quod mihi sufficit: infero enim ergo de facto illam authoritatem & potestatem habuit, vel afferatur ratio cur non habuerit? Maximè quod in Scriptura dicatur Dominus omnium, hæres universorum, dicuntur omnia illi subjecta, omnia data, omnia tradita à Patre, quæ omnia significant actualem traditionem: ac deinde quod si ea potestas non sit illi collata, sed voluntate Dei esset negata, nihil ex inde Christo virtutis aut meriti accederet, immò decederet plurimùm, cùm sic nec eorum usu se liberè privasset. XVIII.

Dices non fuit negata, sed oblatam sponte recusavit: sed hoc esset probandum, quandoquidem illud ornamentum ei ratione suæ excellentiæ & dignitatis debebatur. Secundò, si majoris fuisset perfectionis illâ caruisse, ergo illa ei non debebatur; atqui debebatur ex concessis, & quia debebatur accepit; & ex hoc magis arguitur summus ejus in sanctam paupertatē affectus, quod cum tali dominio ob dignitatem suam carere non posset, in summâ tamen illâ rerum omnium copiâ quæ ad eum pertinebat, voluit extrema quæque pati ex amore paupertatis. Et hoc est quod miratur Apostolus 2. Corinth. cap. 8. *Qui cùm esset dives,* (quoad jus scilicet & potestatem quam habebat sibi omnia vendicandi tanquam omnium primarius & supremus Dominus) *propter nos factus est egenus.* Nihil eorum volens. XIX.

Instabis, perfecta paupertas excludit non tantùm usum, sed etiam Dominium rerum temporalium quod nemo negabit, sicut enim perfecta opulentia non solùm in illarum usu consistit, sed etiam in Dominio: ita à contrario perfecta paupertas in utriusq; abdicatione XX.

consistere debet. Respondeo perfecta paupertas excludit Dominium ordinarium, non illud excellens & altioris ordinis. Ratio hujus responsionis est quod Dominium ordinarium ex appetitu humano divitiarum sit, & ex illo etiam retineatur, & ex se est propter illarum usum, nec Regia potestas ordinaria potest stare sine illis: non ita Dominium illud excellens quod à Deo confertur propter dignitatem personæ ad illius ornamentum, non autem propter divitiarum usum ut illas convertat ad propriam commoditatem, cùm & sine illis potestas excellens quæ consistit in vi præcipiendi, leges ferendi, jus dicendi, lites dirimendi, puniendi, &c. à Christo exerceri potuerit.

XXI. Addo quod Christus eam paupertatem habuit quæ ipsum decebat, paupertas autem cum exclusione dominii excellentis ipsum non decebat, nec fieri poterat ut eo careret; cùm unio hypostatica eum redderet dignum omni authoritate & potestate. Tandem si paupertatem cum exclusione Dominii in Christo desideras, ut sit absolutum exemplar paupertatis, erit ut vis, si habuit jus ad Regnum Davidis ex humanâ successione, de quo statim: quia ei renunciavit cùm illud habere & obtinere potuisset, si voluisset.

XXII. Dices frustrà fuisset collatum Christo hoc Dominium cùm nunquam in eo esset usum habiturum: Respondeo negando. Primò, quia fuit ad ornamentum personæ. Secundò, quia ex hoc habuit quod in summâ rerum abundantiâ quâ frui poterat, omnibus volens indiguerit. Tertiò, quia aliquos quandoque illius actus exercuit, ut diximus suprà.

XXIII. Dices iterum Christus ipse de seipso ait Joan. c. 18. Regnum meum non est de hoc mundo ergo, &c. Respondeo non dicit Christus regnum suum non esse in hoc mundo; sed tantùm non esse de hoc mundo, non dicit non esse hic, sed solùm non esse hinc: Mundus non facit eum Regem, sed Deus: non est Rex isto modo per successionem hæreditariam, vel electione & favore populi, aut vi vel armis, aliâvè viâ humanâ, sed alio sublimiori titulo ratione unionis hypostaticæ per quam humana natura in ipso erat Deificata ac substantialiter Deo conjuncta.

Dices tandem, si illam potestatem Christus habuisset, haberet & Summus Pontifex ejus in terris Vicarius, quare enim diceremus transmississe in ipsum spiritualem potestatem, & negaremus illam temporalem transmisisse? sed falsum quod Summus Pontifex hanc habeat, quia sequeretur illum etiam sine ordine ad finem spiritualem & bonum animarum illam exercere posse, & sic omnia pro suo arbitrio immutare, Regna & sceptra ab uno ad alium transferre, &c. quod falsum est. Respondeo negando sequelam, nam nec totam suam potestatem spiritualem illi communicavit. Non enim potest ut Christus condere nova Sacramenta, facere miracula, &c. Sed illi hoc Christus de sua potestate contulit quod fuit necessarium ad bonum animarum & conservationem Religionis & Ecclesiæ à se plantatæ. Hæc autem directa potestas in omnes homines & omnia Regna mundi non fuit ad hoc necessaria. Ergò, &c. XXIV.

Tandem quid fortius in hujus Regiæ potestatis argumentum facto Cæsaris Augusti? Hic eo ipso quo Christus Dominus nascitur, jubet universum orbem describi ad ostensionem amplitudinis Imperii sui: vetat tamen eodem tempore se Dominum appellari. Quid hoc sibi vult? O miram divinæ providentiæ energiam! in eo quod jubet mundum describi de suo extollitur, in eo quod vetat se Dominum appellari, ex Deo deprimitur: paret ergò ille Deo volens nolens, in cujus manu cor Regum: Nescit ipse, sentit tamen ipse superiorem sibi adesse Dominum Christum, scilicet Regem Regum recenter natum; in cujus præsentia ipse licet aliorum Rex (non enim Christi Regnum aliorum Regnum excludit, sed suo substernit) subditus est cum suis subditis, cujus cùm esset vassallus illo præsentiam recenter exhibente in homagii & recognitionis fidem Dominum se vocari prohibet. Sed his fortè diutiùs quàm par erat immoror, de hâc enim potestate & dominio non currit quæstio in argumento proposita, sed XXV.

sed de potestate quæ ei jure successionis & propagationis ex Davide competit: An scilicet habuerit jus hereditarium ad regnum temporale Judeorum?

XXVI. Negat noster Thomas Waldensis tomo 1. Doctrin. Antiquit. fid. lib. 2. art. 3. cap. 76. & 77. & post ipsum Cardinalis Bellarminus lib. 5. de Romano Pontifice, & alii his rationibus ducti.

XXVII. Prima & omnium validissima quod Jerem. cap 22. vers. 30. dicitur de Jechoniâ. *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David & potestatem habeat ultra in Iuda.* Christus autem est ex semine Jechoniæ, ut patet ex Genealogiâ Matthæi & supra dictis. Ex quo, inquit Cardinalis Bellarminus lib. 5. de Romano Pontifice cap. 4. manifestè sequitur Christum non potuisse habere regnum temporale Judæorum ex successione, vel falsa erit Prophetia, quæ disertis verbis ait fore ut nemo deinceps de posteris Jechoniæ habeat potestatem in Judâ: Nec potest, inquit Bellarminus responderi posteros Jechoniæ habuisse jus Regni, non tamen de facto sedisse, nam quid esset illud jus quo nunquam potuissent uti?

XXVIII. Confirmant hi suam sententiam ex Patribus. Nam D. Hieronymus in hunc Jeremiæ locum, & D Ambrosius in Lucam cap. 1. quærunt quomodò non pugnet hæc Prophetia Jeremiæ cum promissione Gabrielis Archangeli qui Lucæ cap. 1. ait Mariæ. *Dabit ei Dominus Deus sedem David Patris ejus.* Et respondent ideò non pugnare, quod Jeremias loquatur de regno temporali, Gabriel de spirituali & æterno.

XXIX. Secunda ratio, quia à captivitate Jechoniæ usque ad Christum Eusebius in Chronico supponens illam incœpisse Olympiade 47. anno 2. numerat annos 585. Beda lib. de sex ætatibus annos 560. Driedo lib. 3. de Dogmat. c. 5. annos 596. alii plures, alii pauciores, nullus tamen minùs quàm quingentos, quo tempore nullus ex semine Jechoniæ recuperavit Regnum. At tot annorum & sæculorum præscriptio jus omne abstulerat à semine Jechoniæ Ergo, &c.

XXX. Tertia, quia etsi Regnum adhuc perseverasset in posteris Jechoniæ, quod non, tamen non constat an Christus esset omnium posterorum ejus propinquior Davidi ut ei in Regno succederet. Confirmatur, quia perveniret illud ad ipsum vel per Virginem, vel per Divum Josephum: non per Virginem, quia Regnum fuit translatum à lineâ Salomonis propter eorum peccata ad lineam Nathan juxta prædictiones. At Beata Virgo descendit recto ordine à Davide per Salomonem, ut supra diximus. Deindè quia licet mansisset in lineâ Salomonis, non constat aut quod fuerit filia veri hæredis, aut quod Regnum deferretur ad mulieres: Et quâvis hæc adhuc illi cõcederentur, non tamen deveniisset ad Christum, quia in Beatâ Virgine quæ illi supervixit sistebat. Non etiam per D. Josephum, quia esto descendat à Davide per Nathan secundùm legem, non constat tamen quod in eâ lineâ habuerit prærogativam primogeniti, seu illius ad quem primò spectabat jus Regni. Et licet hoc adhuc constaret, Christus non fuit ejus naturalis filius. Neque dixeris fuisse Adoptivum, quia hoc non sufficit. Nam majoratus non transit per adoptionem quando est in legitimi successoris præjudicium.

Quarta ratio, quia perfecta paupertas excludit non tantùm usum, sed etiam dominium rerum temporalium, maximè verò ordinarium, ut supra respondimus. At Christo Magistro & exemplari totius perfectionis tribuenda est perfectissima paupertas, ergo non habuit jus nec dominium Regni Judaici. XXXI.

Secunda sententia affirmat Christum fuisse jure successionis legitimum Davidici Regni hæredem. Ita ex nostris Bacchonius in 4. sentent. quæstion. 1. Prologi art. 2. §. 2. Antonius Marinarius libr. de Consonant. Jesu-Christi & Prophetarum cap. 6. Sylveira tomo 1. in Evang. lib. 1 cap. 5. quæst. 1. Orlandi in 3. part. tractat. 4. disp. 10. num. 3. Matthias à Corona tomo 2. de Sanctitate Roman. Ecclesiæ tract. 3. cap. 10. §. 2. Eandem etiam defendunt Armacanus lib. 4. de quæst. Armen. c. 16. D. Bernardinus Senensis tomo 3. de S. Joseph. Burgensis Addit. in Matth. cap. Moralez in Matth. lib. 2. tract. 9. Conclus. 1. Azorius lib. 2. XXXII.

instit. moral. cap. 15. Abulensis in hæc verba Zachariæ Prophetæ, *Ecce venit Rex tuus*: Alphonsus Mendoza in Relectionibus Theolog. de universali Christi Regno. Boza in Elucidar. Deipar. lib. 2. tract. 11. cap. 3. Cornelius à Lapide in cap. 1. Matth. Et hęc quidem meo videri est certissima.

XXXIII Nam primò ad argumenta præcedentis sententiæ respondeo primò ad primum, si necesse esset, quod non (ut ex infra dicendis constabit) Regnum Davidicum ad Christum per Jechoniam & ejus recto ordine posteros pervenire; illud *to semen* apud Jeremiam posset explicari dicendo ibi semen duobus modis accipi posse, primò pro filiis immediatis, secundò pro tota posteritate Jechoniæ; primo modo accipi loco citato Jeremiæ non secundo, sicque veram fuisse Prophetiam: invenitur enim juxta hoc impleta, quia ex octo filiis Jechoniæ qui recensentur lib. 1. Paralip. cap. 3. vers. 17. Nullus sedit super solium Davidis, aut habuit potestatem in Judâ.

XXXIV Confirmari posset hæc responsio per textum ipsum Jeremiæ, nam verba illa, *Nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Iudâ:* sunt explicativa præcedentium, in quibus dicitur, vir sterilis & qui non prosperabitur: atqui Propheta non dicit absolutè non prosperandum, sed *in diebus suis*, ergo nec debet intelligi absolutè & sine limitatione quod non erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, *sed in diebus suis*, qui rectè limitantur ad dies ipsius Jechoniæ & filiorum ejus immediatorum. Quare Zorobabel filius Salathielis filii dicti Jechoniæ immediati, qui fuit vir probus & justus, fuit liberator & redux populi ex captivitate, & eorum Princeps, & licet dependeret à Cyro non tamen jure; & ideò in re fuit Rex Judæorum, quamvis ex prudentiâ politicâ ab isto nomine abstinuerit: verùm

XXXV. Respondeo secundò, cum nostro Bacchonio citato; etsi Regnum fuerit à Jechonia ablatum per Regem Nabuchodonozor & ejus successores, hæc tamen non fuit ablatio juris à Tribu Judâ aut familiâ Davidis, sed fuit ablatio facti, fuit enim punitio Jechoniæ & posterorum delictis illius participantium per istum Regem tanquam tortorem non tanquam jus habentem: probatur hæc responsio ex psal. 88. ubi dicitur, *Ponam in sæculum sæculi semen ejus & Thronum ejus sicut dies Cæli*, ecce thronus datus est Davidi & semini ejus in æternum, & sic habuit jus æternum.

Confirmatur evidentissimè: quia si ablatio ista fuisset non tantùm juris, sed etiam facti Regni seu Sceptri à Familiâ Davidis, ergo celebris illa Prophetia Patriarchæ Jacob Genes. c. 49. v. 10. NON AUFERETUR SCEPTRUM DE JUDA, & Dux de fœmore ejus donec veniat qui mittendus est, inveniretur falsa. Probatur sequela, quia Christus qui est ille qui mittendus est, non venit nisi sexcentis fermè annis post ablationem istam ex dictis supra num. 27. XXXVI

Quod autem Nabuchodonozor auferens illi Regnum & filiis suis tantum fuerit tortor eorum & jus illorum usurpans, patet evidenter ex sequentibus in eodem psalmo; subditur enim statim. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam & in judiciis meis non ambulaverint, si justitias meas profanaverint & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum:* & sequitur statim, *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.* Sed si jus fuisset acquisitum Nabuchodonozori, & ablatum omninò cum usu à posteris Davidis, disperssisset Deus misericordiam à David, & irrita fecisset quæ processerant à labiis suis, fuit igitur Nabuchodonozor tantum tortor, & sic jus Regni Judaici ad illum non transiit. Unde patet Deum conservasse jus Regni posteris Davidis, ergo à fortiori Christo qui ex delictis parentum nullam pœnam aut reatum contraxit, ut est omnium sententia. Confirmatur ex Glossâ interlineari ad istum locum Jeremiæ quæ post D. Hieronymum illud, *Non erit de semine eius vir*, ita explicat non erit vir, idest homo tantùm, per quod excipitur Christus, qui non est homo tantùm, sed homo & Deus simul. XXXVII

Ad

XXXVIII Ad confirmationem, Respondeo Patres istos sic explicandos quod scilicet Jeremias loquatur de regno temporali quoad usum qui etiam temporalis est, quo sensu admitti potest sine assertionis nostræ præjudicio nullum ex semine Jechoniæ, nec ipsum Christum sedisse super solium David, non enim Christus in illo temporaliter sedit: Quod autem Gabriel promittit Christum sessurum non hoc intelligendum de sessione seu usu humano & tẽporali sed de spirituali: quod scilicet Christus acceptum à Progenitoribus regnum temporale in spirituale mutavit, cujus proinde usus non fuit nisi spiritualis.

XXXIX Ad secundam rationem respondeo quidquid sit de jure præsciptionis non habuisse locum apud Judæos, quod patet ex lib. Judic. c. 11. & ex communi doctrinâ SS. Patrum & Theologorũ qui justam sustinent fuisse invasionem Hæbreorum contra Chananeos, eo quod filii Sem ante annos circiter quingentos per unum deturbati à filiis Cham, in suis posteris Israëlitis legitimam vindictam exercebant, & possessionem turbatam & usurpatam repetebant. Vide Epiphanium hæres. 66. & Cassianum collat. 5. c. 4.

XL. Ad tertiam rationem satisfiet infrà sect. sequenti.

XLI. Ad quartam rationem respondeo ad majorem, perfecta paupertas excludit non tantum usum, sed etiam Dominium maximè verò ordinarium rerum temporalium excludit, voluntate concedo, necessitate nego: At si Christus non habuisset jus ad Regnum caruisset necessitate, imò & ipse usus qui ex Dominio sequitur, quo caruit Christus, fuisset etiam necessarius, ac sic Christus non exercuisset summam & perfectissimam paupertatem quæ mensuratur & ex objecto quod deseritur & ex affectu quo deseritur: Cùm enim summa abundantia sit Regia, si non habuisset jus ad Regnum, ut & illi & ejus usui voluntate, non necessitate renunciare posset, non posset dici summam paupertatem exercuisse.

XLII. Probatur secundò, ex multis Scripturæ locis. Nam primò, Matthæi 21. v. 5. ex Zachariæ Prophetiâ dicitur de Christo, *Ecce Rex tuus venit tibi*, idest filiæ Sion: in quæ verba ita Abulensis quæst. 30. *Dixit Rex tuus, quia de Messia loquebatur, quia Rex erat, de semine enim Regali Davidis erat & cui promissum erat quod regnaret Lucæ c. 1. & Ieremiæ c. 23.* Et paulò post *Christus vocatus est Rex Iudæorum in titulo Passionis, qui titulus Deo placuit, tanquam conveniens; ideò licet Iudæi voluerint illũ delere, Deus non permisit, dans in mentem Pilato quod sic maneret titulus Ioann. cap. 19. & cùm Christus omnium Iudæorum esset specialiter Rex, adhuc specialius erat Rex Sion & Ierusalem quia ibi erat Metropolis Regni.* Hæc Abulensis. Quod si ex unione personali ad verbum diceretur hic Christus Rex, ut fortè respõdebat nonnullus, non Judæorum solùm neque Jerusalem & Sion speciali titulo & jure Princeps crederetur, sed totius orbis. Respondeo causalis illa toties in Scripturâ repetita, quâ dicitur Christus Rex quia est filius David, nimis clarè significat jus ad regnum Davidis & ex successione Davidis.

Secundò Matthæi cap. 27. ubi Pila- XLIII. tus interrogans JESUM, *Tu es Rex Iudæorum?* id sanè inquirebat, an jus aliquod haberet ad regnum Judæorum: videbat enim clarè Pilatus necdum exercitam fuisse à Salvatore potestatem Regiam, quare de jure solùm quærebat. non utique excellenti & altiori quod ipsi ignotum erat, sed ex successione. Annuit Pilato JESUS candidè dicens, *Tu dicis*, ne igitur extra rem responderit & non ad mentem interrogantis id de jure & actione speciali concessit: negavit de usu & quo ad externum apparatum.

Tertiò, ex Lucæ cap. 14. vers. 115. XLIV. qui clamabant benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israël, & Lucæ cap. 19. reclamantibus Pharisæis, obstitit Christus dicens: *Dico vobis quia si hi tacuerint lapides clamabunt:* constat autem clamorem populi de regno temporali per propagationem à Davide intelligendum esse.

Quartò, Lucæ cap. 1. Gabriel dicit XLV. ad Beatam Virginem, *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patre ejus.* At David nullam habuit sedem spiritualem, sed tantùm temporalem quia non fuit Sacerdos, respondet noster Waldensis

densis citatus verba sequentia ad textum allatum. *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni ejus non erit finis,* Satis indicare hunc locum non bene intelligi de regno temporali Judæorum, sed de spirituali: *Nunquid enim,* inquit Waldensis, ex D. Bernardo, *temporale Iudæorum est æternum? nunquid illius non est finis: aut perfidiam Iudæorum defendis qui dicunt nondum cessasse unctionem, ac per hoc necdum venisse Sanctum Sanctorum? Dabit ergo,* inquit idem Waldensis, *ei sedem David Patris sui non typicam, sed veram quæ idcirco appellatur Sedes David, quia hac in quâ David temporaliter sedit æternæ illius gerebat imaginem, illo scilicet loquendi usu, quo sæpè reperimus in scripturis significans poni pro significato: quomodo enim in Sede quæ æterna non est in æternum sedebit? vel regnaturus est? quærenda est igitur Sedes æterna Davidis in qua sedeat & regnet in æternum.* Hæc noster Waldensis.

XLVI. Sed replico, si Regnum temporale Davidis ante mutationem illius in spirituale per Christum factam penitùs extinctum fuisset & excisum in Jechoniâ, hoc est annis plusquam quingentis ante Christum, quomodò posset dici quod in illo à tanto tempore exciso sedisset Christus? quomodò posset dici mutatum à Christo Regnum temporale, quod à tanto tempore amplius non erat, in spirituale? quomodò posset dici quod illud regnum temporale à tot sæculis excisum, esset typus & figura Regni Christi quod est æternum? quare omninò dicendum per istas particulas, *Et regnavit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Significari regnum temporale ad se jure successionis deportatum non temporaliter gubernasse, sed in spirituale mutasse, & sic consequenter de temporali factum est æternum, de humano divinum.

XLVII. Quartò, ex Joannis cap. 1. vers. 49. nam Nathanaeli dicenti Christo, *Tues filius Dei, tu es Rex Israel,* non tantùm consensit Christus, sed præterea addidit, quia *dixi tibi vidi te sub ficu credis,* quo significavit propositionem Nathanaelis *Tu es filius Dei, tu es Rex Israel,* fuisse professionem fidei quæ erat in intellectu Nathanaelis: Nathanael autem de regno temporali Judaico loquebatur, sicut enim appellando eum filium Dei ejus divinitatem confitebatur, ita dicendo eum esse Regem Israel temporalem ejus dignitatem prædicare volebat. Similiter & Magi quos nullum dubium est Deo inspirante dixisse, *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Quod intelligere de spirituali regno est vim inferre verbis & sensui Scripturæ, maximè verò si excludas temporale.

Nec vim hujus argumenti, quantum spectat factum Magorum, infirmat quod respondet noster Waldensis, Magos scilicet ex thure quod Christo Domino obtulerunt Deum credidisse, sicque non Regem temporalem, non inquam, hoc infirmat; nec enim dicimus Christum non fuisse ab eis nonnisi ut Regem agnitum, sed dicimus quod ille natus Rex verus & legitimus Judæorum, fuerit etiam ut Deus ab illis agnitus, & ideò solus inter omnes qui fuerunt Reges Judæorum à cœlo demonstratus, & à Magis perquisitus, & sicut ab illis divino instinctu ut Deus in thure adoratus, ita eodem instinctu verus Rex Judæorum proclamatus, & in auro agnitus. Hanc eandem nostram sententiam probant alii aliis Scripturis, sed hæc sufficiant. XLVIII

Quintò ex lib. 1. Machabæorum cap. 14. vers. 41. ibi dicitur quod cùm regnum jam cessasset in familiâ Davidis, Senatus ac Principes Judæorum ex communi consensu convenerunt *Simonem Machabæum esse Ducem & Sacerdotem suum in æternum donec surgat Prophetа Domini fidelis.* Ex quo patet Principatum à familiâ Davidis ex communi Judæorum consensu translatum fuisse ad familiam Machabæorum: quæ translatio non fuit absoluta & in perpetuum, sed ad tempus, scilicet *donec surgat Propheta Domini fidelis,* idest Christus Dominus, cui debebatur ut volunt Dionysius Carthusian. D. Thomas, Lyranus, Hugo de S. Victore, Serarius & alii; & verò mansit in dictâ familiâ Simonis Machabæi usque ad Herodem Ascalonitem qui eum usurpavit, & quando Christus advenit: ergo tunc Christus Dominus acquisivit jus integrum ad istum Principatum. XLIX

Quod si velis cum aliis Interpretibus illud donec surgat Propheta Domini fidelis L

fidelis, intelligi de alio Propheta fideli Domini, adhuc sequitur idem quod hic asserimus, non fuisse scilicet Regnum excisum quoad jus à familiâ Davidis propter privationem tam diuturnam illius usus, sed cùm ignotum esset quis illius verus esset proprietarius & legitimus hæres propter magnam confusionem rerum Judaicarum, depositum est ad manus Machabæorum donec veniret aliquis Propheta qui de hoc eis responderet: ac consequenter Machabæi non suo nomine, sed veri Principis qui latebat, Principatum administrabant.

LI. Probatur tertiò nostra assertio ex Patribus, D. Athanasio serm. de Beatissimâ Virgine post med. explicante illud psalmi 109. de Christo, *Dixit Dominus Domino meo, &c.* ubi sic ait: *Accepit his verbis thronum Davidis corporaliter & ratione Prosapiæ quâ Pater illi fuit David.* D. Epiphanio hæres. 29. ubi ait, *Christus habet Regiam dignitatem, quia est ex semine Davidis Regis secundùm carnem.* Quæ verba nullus aliter potest interpretari quàm de Regno temporali Judæorum, quod accepit eo titulo quod est filius Davidis. Vide item D. Hieronymum in cap. 22. Hierem. circa finem.

LII. Confirmatur ex Ezechielis cap. 21. vers. 25. ubi de Sedechia successore Jechoniæ sic ait Propheta. *Tu autem profane impie Dux Israel, hæc dicit Dominus, Aufer Cidarim, tolle coronam, & hoc non factum est, donec veniret cujus est judicium & tradam ei.* Ubi D. Hieronymus & Glossa interlinearis dicunt Coronam regiam ablatam esse à domo Judâ ad Christum cui reservata est. In cujus confirmationem clarius Septuaginta Interpretes vertunt. *Aufer coronam donec veniat cui debetur.* Tandem observa in passu allato verba ista, *Et istud non est factum.* Ideſt non est omninò ablata corona, donec veniret cui debetur, ideſt Christus: juxta Prophetiam Jacob præallatam. *Non auferetur sceptrum de Iudâ, nec Dux de fœmore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Ablata est ergò donec veniret cujus est, quia nullus sedit in solio David à Jechoniâ, sed non est omninò ablata, quia jus semper mansit penes legitimũ hæredem usque ad Christum, qui tandem in eo sedit, ab ipso in spirituale & divinum immutato.

Probatur quartò & ultimò, non video quænam ratio adduci posset quare Deus potiùs addixerit Tribui Juda quàm aliis sceptrum Israeliticum, cùm Judas fuerit tantùm quartò genitus inter duodecim fratres suos, nisi quia Christus ex eo descensurus erat: Quare cùm ex illâ Tribu Christus natus sit, neque hoc tantùm, sed etiam ex illâ familiâ in istâ Tribu, quæ inter omnes Regnum obtinebat, scilicet ex Davidicâ natus sit, & propter ipsum Regnum & Tribui & familiæ isti addictum fuerit, omninò consequens videtur id ita divinitus constitutum fuisse, quia Christus ex eâ debebat Rex esse, & Regnum istud obtinere & elevare.

Et licet illud transmutando in spi- LIII.
rituale, ejus usui ut tẽporale est absolutè renunciaverit, volens propter nos esse egenus, ut tamen de eo nullum superesset dubium, immò in illius manifestissimum argumentum, præter multa alia adduco ingressum illum regalem in Civitatem Jerusalem tanquam regni sui Metropolim acclamantibus populis & dicentibus, *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel, & benedictum quod venit Regnum Patris nostri David*, ubi nomen Regis Israël aut usurpationem nominis Regni Patris eorum David Christus non repulit, quia & Pharisæis impedire volentibus restitit dicens: *Dico vobis quia si hi tacuerint lapides de pariete clamabunt.* Cùm ergo populus acclamans his verbis nihil nisi temporale conciperet, Christus sic approbando clamorem populi temporale Regnum sibi tribuentis, tale se habere confirmavit, quod tamen ut dictum est in spirituale transmutavit.

Dices fugit aliquoties Christus ne LIV.
Rex à turba constitueretur: Respondeo id tunc fecisse non in die Palmarum, ut ostenderet se nolle temporaliter gubernare, sed spiritualiter,

SECTIO

## SECTIO II.

*An per Mariam Matrem, an verò per D. Josephum hoc jus successionis ad Regnum Iudaicum ad Christum delatum sit?*

LV. PRima sententia est illorum qui asserunt hoc jus successionis ad Christum perveniſſe non per D. Josephum, sed per Beatam Virginem: Ratio illorum est quod Christus non habeat à D. Josepho quod sit de Tribu Judâ aut de stirpe David, quibus privativè erat addictum jus istius regni, sed à Beatâ Virgine, à quâ solâ carnem traxit & sanguinem, ac consequenter omnem nobilitatem. Cùm ergo Matthæus lineam prosequatur descendentium ex Davide per Salomonem, ut constat, & Beata Virgo recto ac indeflexo ordine ab iisdem descenderit, ut constat ex dictis ad primam objectionem contra Genealogiam supra c. 3. sequitur omninò quod per illam ad Christum filium suum, non verò per D. Josephum istud juris pervenerit.

LVI. Sed hęc ratio non concludit, primò, quia etsi à solâ Virgine omnem nobilitatem carnis traxerit Christus, eo quod ab illâ solâ traxit carnem. Attamen potuit à D. Josepho, uti Patre suo & longè strictiori modo quàm legali alia traxisse; puta, jura, actiones, credita, titulos, hæreditatem, regnum: & de facto traxit ab eo hoc jus ad Regnum Davidicum quod à Beatâ Virgine trahere non potuit. Nam cùm istud Regnum à Salomonis lineâ ad lineam Nathan esset translatum, ex quâ nullo modo est B. Virgo, est verò D. Josephus secundùm legem ut diximus; nullatenùs regnum quod ad illam pervenire non poterat, poterat verò ad D. Josephum ab eâ, sed ad hoc accipere debuit. Secundò, quia etsi à lineâ Salomonis non fuisset translatum regnum, licet etiam mulieres proximiores illius hæredes esse potuissent; quod nullatenus credibile est, licet tandem certum esset Beatam Virginem omnibus masculis fuisse Davidi & Salomoni propinquiorem, cùm è contra Pater D. Josephi, ut relatus in Genealogiis videatur fuisse major natu & proximior Patre B. Virginis Joachimo subticito (quæ tria prius probare deberet hæc sententia) non tamen adhuc ad Christum pervenire potuit per Virginem: quia cùm Beata Virgo supervixerit Christo, jus istud ad illam devolutum in eâ stetisset, nec eâ vivente ad Christum transire potuisset, cùm tamen potuerit transire à D. Iosepho ad ipsum utpote qui D. Josepho superstes fuit.

D. Bernardinus Senensis tom. 3. ser. LVII. de S. Josepho qui docet nobiscum certò certiùs Christum fuisse jure successionis Regni Davidici hæredem, quoad hanc controversiam est ambiguus, an per Mariam an autem per D. Josephum in illud successerit; verba illius hic admetiri lubet. *Fuit*, inquit, *Ioseph primogenitus de Stirpe Patriarchali, Regali & Ducali secundùm lineam rectam: nam Evangelista Matthæus cap. 1. lineam rectam omnium prædictorum Patrum deduxit ab Abraham usque ad Virginis Sponsum, Ex quo patet quod dignitas Patriarchalis, Regalis atque Ducalis, in isto fuit terminata, quia Maria & Ioseph erant cognati ejusdē Tribus, & secundùm morem Scripturarum Genealogiæ per viros computantur, & sic Virgo & Ioseph simul fuerunt descripti in Bethleem, Luc. cap. 2. velut de unâ stirpe naturali generati. Hæc secundùm Hieronymum & Nicolaùm de Lyra. Quod Beata Virgo & Beatus Iosephus adhuc viventes futuri essent successores legitimi Regni David, nisi ab Herode & alienigenis fuisset usurpatum, probatur quia Christus Dominus fuit Rex ille de semine David, promissus ipsi David 3. Regum cap. 7.* Videndus Divus Bernardinus propter hanc citationem. *Cùm ergò omnes nobilitates & dignitates respectu sanguinis habuerit Christus à sola Matre suâ, constat quod ipsa Virgo benedicta rectâ lineâ descendit de genere David, & ei debebatur Regnum Iudaicum, & hanc Regni dignitatem transmisit Virgo in Christum filium suum, quia fuit filia David uti in Psalmo 44. ait.* Astitit Regina à dextris tuis. *Et subjungit immediatè,* Audi filia & vide, &c. *Et sic verum titulum scripsit Pilatus super Crucem Ioan. cap. 19.*

*cap. 19.* JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. *Et posito sine præjudicio veri, quod ipsa Virgo non esset proximior ad successionem ipsius Regni Iudaici saltem non potest negari, cùm ad ipsum Ioseph de jure pertineret, qui de Regio semine descenderet per rectam lineam masculinam ut patet Matth. cap. 1.* Jacob genuit Joseph Virum Mariæ. Hæc Divus Bernardinus.

LVIII. Censeo ego istud juris ad Christum perveniisse non per Mariam Matrem carnalem, sed per Josephum Patrem superlegalem; posse tamen dici etiam per Matrem quatenus scilicet Beata Virgo, à quâ solâ est, nubens D. Josepho, ad quem recto ordine tanquam ad ultimum & directum Davidis hæredem Regnum devolutum erat, fecit illum filium D. Josephi ac consequenter ejus necessarium hæredem. Hujus sententiæ sunt quàmplurimi, inter quos è nostris Doctor Resolutus Joannes Bacchonius in 4. Sentent. quæst. 1. Prologi art. 2. §. 2. circa med. Franciscus Lucas & Cornelius à Lapide in c. 1. Matth. Possinus apud Bollandum, & Bollandus cum sociis in Actis Sanctor. Mensis Martii tomo 3. ad 19. ejusdem mensis in S. Josepho, §. 6. & alii.

LIX. Probatur primò, ex Genealogiis Christi & modis illas deducendi: Cur enim quæso Christi ex Davide descensus per D. Josephum non verò per Mariam ab illis deducitur, nisi quia censuerunt & voluerunt ut intelligeremus D. Josephum esse Christi Patrem & respectu ejus tenere locum Patris in ordine ad successionem ac si eum genuisset: ac etiam quod D. Josephus recto ordine ex Davide descendens directus ejus hæres exiterit, ac consequenter Christus per ipsum, ut ipsi conceptus & natus ex suâ conjuge de tempore matrimonii cum ipsâ.

LX. Confirmatur ex D. Bernardino Senensi mox citato, ibi enim licet videatur permittere dubitare an Christus per Beatam Virginem successerit in istud Regnum, cùm non ita constet ipsam esse directam Regum descendentem & Regni hæredem, semper tamen sibi constat in affirmando quod saltem id non possit negari de D. Josepho. Quare cùm D. Iosephus & B. Virgo nec fuerint eodem Patre geniti, nec potuerint esse uterque simul & semel istius Regni hæres, oportet ex fundamento D. Bernardini ut fuerit Christus hæres istius Regni per D. Iosephum: saltem certiùs est ex D. Bernardino successisse in istud Regnum per D. Iosephum, quàm per Beatam Virginem.

Secundò, quia non est credibile jus LXI. Regni Davidici ad mulieres potuisse pervenire, & ut pervenire potuisset, non potuit illud ad Christum per Virginē pervenisse, quia cùm Christus ante Virginem mortuus sit non expectavit hæreditatem. Cùm ergò ex prædictis constet Christum Regem fuisse Iudæorum jure successionis, oportuit omninò ut illud acceperit à D. Iosepho qui ante ipsum mortuus est.

Tertiò, id etiam conjicio ex hoc LXII. quod in Scripturâ soli filii Davidis immediati, ut est Salomon, &c. D. Iosephus & Christus dominus dicantur filii Davidis, ergò D. Iosephus & per hunc Christus Davidis hæredes, ut illi.

Quartò, probatur ex Lucæ cap. 1. LXIII. vers. 32. ubi Angelus ad Mariam de Verbo in eâ incarnando loquens dicit, *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus.* Ubi nota non dicit Angelus *Patris sui*, sed *Patris ejus.* Quare nomē Patris ibi non refertur ad David, quod bene advertendum est, sed ad alium: quis autem ille alius Pater Christi quàm D. Iosephus? Ergò, &c. Est ergò sensus verborum istorum Lucæ hic, dabit illi Dominus Deus sedem David quæ est Patris ejus D. Iosephi.

Objicies, ibi dicitur dabit illi Do- LXIV. minus Deus sedem David Patris ejus, non dicitur reddet vel restituet ei Dominus Regnum David, quasi posteri Davidis aliquod adhuc jus ad illud habuerint, sed simpliciter dabit illi Dominus Deus sedem, ut intelligamus Christum ex Dei dono, non verò hæreditariè aut ex humanâ successione illud Regnum accepisse. Respondeo hæc ratiocinatio nimis grammaticalis est. Respondeo secundò, quod cùm Regnum tamdiu fuerit extra lineam Salomonis, posse dici ei datum, cui ita conservatum, & ad quem post tot annorum centurias & per talem viam reversum.

## SECTIO III.

### *Quomodò per D. Josephum hoc Regnum Davidis ad Christum pervenerit?*

LXV. SCriptores qui in præcedenti Sectione conveniunt in hoc quod Christus non per Mariam, sed per D. Iosephum in regnum successerit Iudæorum, discrepant in explicando quomodo hoc fieri potuerit?

LXVI. Noster Bachonius loco citato his „ verbis explicat: Descenderat enim, in- „ quit, jus Regni David per Salomonem, „ per lineam descendentem usque ad „ Joseph: Nam Ioseph non solùm fuit „ popularis homo de Tribu Judâ, sed „ etiam de domo David Regiâ, Matthæi „ c. 1. & Lucæ c. 2. Sed Deus voluit & „ approbavit, quod ipsi quibus jus de- „ derat, quod etiam jure adoptionis filii „ per eos adoptati, sui hæredes succede- „ rent: v. g. Deus dedit hæreditatem „ Isaac, Jacob, & successoribus genera- „ tionis filiis: in illa debuerat successisse „ Esau, & tamen Isaac adoptavit in hæ- „ redem secundo-genitum, Genesis c. 25. „ & abstulit ab Esau dicens: *Major ser- „ viet minori.* Et Isaac hæc post hoc ap- „ probavit Genes. c. 27. *Dominum tuum „ illum constitui.* Similiter de voluntate „ Dei Jacob, sceptrum abstulit à Ruben „ primogenito & dedit Iudæ, Genes. c. 49. „ Igitur eadem ratione cum dedit filio „ Virginis solium David Isaiæ cap. 9. „ & solium David ad Joseph per lineam „ descendentem venerit, Joseph illum „ in filium adoptavit notoriè, nam cu- „ ram ejus notoriè egit, traducendo ma- „ trem ejus tanquam legitimam uxorem „ suâ in Bethleem, &c. Igitur patet quod „ sceptrum David jure humano Christo „ competit. Hæc noster Bachonius.

LXVII. Illi consonant Franciscus Lucas & Cornelius à Lapide in c. 1. Matth. ad illa verba, *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ.* Hujus ultimi sententiam totidem ejus verbis accipe: Ibi ergo respondens ad quæstionem cur S. Matthæus retexuit potiùs genus Iosephi, quàm Beatæ Mariæ, cùm ex hâc solâ natus sit Christus? pro secunda ratione „ hujus modi procedendi dicit: Id ideò „ feciſſe Matthæum, quia Ioseph fuit verus & legitimus Christi Pater (eâ scilicet ratione & modo quo infra part. 2. tract. 2. explicabo) & quia per Joseph, non per Mariam Christus fuit hæres sceptri & solii Davidici, prout Deus promiserat Davidi 2. Regum c. 7. v. 12. Psalm. 88. & 131. & rursum 3. Reg. c. 9. v. 5. Sceptrum ergo Juda non tantum ex Dei promissione & donatione, sed & hæreditario successionis jure per Joseph devenit ad Christum: si enim jure communi in hæreditatem parentum succedunt filii qui dumtaxat per publicam famam censentur filii; item illi qui à parentibus adoptantur, quantò magis Christus successit Josepho Patri suo, utpote natus ex ejus conjuge virtute & dono Spiritus sancti. Quare sicut Josephus habebat in Christum jus paternum, puta omnia jura quæ habent Patres in filios: sic vicissim Christus habebat erga Josephum jus filiale, scilicet omnia jura quæ habent filii respectu parentum, ac consequenter jus quoque regni Judaïci post mortem Josephi: quod cùm demonstrare vellet Matthæus, qui ut ait S. Augustinus, præ cæteris Evangelistis regiam Christi dignitatem persequitur, ideircò fuit illi Genealogia Ioseph texenda non Beatæ Virginis, utpotè quæ viris superstitibus (qualis erat Ioseph,) ex David & Regibus prognatis, Regni hæres esse non poterat, ita Franciscus Lucas. Unde consequenter dicendum & Iosephi Patrem & Avos fuisse primogenitos aut maximos natu ut jus regni ad eos devolveretur, Deo scilicet ita ordinante, sicut idem ordinavit, ut Roboam, Asa, Josaphat, cæterique Davidis posteri usque ad Iechoniam essent primogeniti, ex iisque Christus nasceretur, atque ita fieret solii Davidis legitimus successor. Huc enim ordinavit, apteque disposuit Deus omnes hasce generationes, uti & cætera omnia, ad majorem scilicet Christi gloriam, Regni jus, Regiamque dignitatem: idque Deo fuit persacile. Idem enim fecit in Ioakim, Sedecia, aliisque impiis Regibus, ergo multò magis in Christo. Hoc est quod dicitur Luc. c. 1. *Dabit ei Dominus Deus sedem David Patris ejus*, & Genes. c. 49. vers. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda,*

nec

„ *nec Dux de fœmore ejus, donec veniat*
„ *qui mittendus est*, puta Christus, qui sce-
„ ptrum iniquè per Herodem Judæ ab-
„ latum restituat, sitque Rex Judæorum,
„ imò regnum eorum evehat, & in lon-
„ gè sublimiorem statum commutet, ut
„ ex corporali faciat spirituale, ex terre-
„ stri cœleste, ex temporali æternum.
„ Ita Franciscus Lucas & alii qui profundè
„ hæc scrutati sunt. Quare immeritò non-
„ nulli Theologi hanc de Christi hæredi-
„ tario jure ad Regnum Judæorum sen-
„ tentiam rejiciunt. Hæc Cornelius à
Lapide.

LXVIII. Possinus verò & Bollandus loco ci-
tato hanc viam carpunt ex ipsis eorum
„ verbis. Extincto sine liberis Iechoniâ
„ Salomonidarum postremo, in vanam
„ brevemque spem Iudæis Babylone cap-
„ tivis paulò ante mortem suam rursus
„ ostenso, prorsus Salomonica Stirps
„ exaruit, & quemadmodùm Sanctæ Bri-
„ gittæ revelatum fuit, non est completa
„ in Salomone promissio, sed ab illius
„ posteris transiit ad posteros fratris ejus
„ Nathan ex eâdem Bethsabeâ nati post
„ Salomonem: à quo Nathane carnalis
„ generationis lineam ad Salathielem us-
„ que deductam pete sis ex Lucâ, & con-
„ clude Matthæum in eo ejusque posteris
„ legalem dumtaxat successionem spe-
„ ctasse. Atque huc spectat totus psal-
„ mus 88. in quo prophetico spiritu Da-
„ vid istam Principatus à Salomonidis ad
„ Nathanitas unà cum promissione sibi
„ de nascituro ex se Messiâ facta transla-
„ ti, commutationem miserabiliter de-
„ plorat postquam ita magnificè extulis-
„ set misericordias David fideles: hoc est
„ Davidi absolutè & irrevocabiliter addi-
„ ctas, quales cùm sperasset eas quoque
„ fore quæ fuerant in Salomonem tradu-
„ ctæ, nec sibi persuasisset paternæ in-
„ dignationis flagella filiis peccantibus
„ intentata, usque ad commutationem
„ Christi processura, rursum sibi facta ju-
„ ramenta repetit: & quasi non observas-
„ set Deum, de se Davide uno dixisse:
„ *Misericordiam autem meam non dispер-*
„ *gam ab eo*, sed eam in aliquo filiorum
„ ejus implebo, nulli nominatim obstri-
„ ctus, & pro cujusque meritis erga singu-
„ los me habiturus, ita dolenter excla-
„ mat: *Tu verò repulisti & despexisti*, Re-
„ giam scilicet stirpem, eatenus à Salo-
mone deductam, *distulisti Christum* „
*tuum*, sivè aliò transtulisti. Deinde cæ- „
tera persequens quæ sunt in urbis exci- „
dio & Salomonidarum interitu lamen- „
tabilia: *Ubi sunt*, inquit, *misericordiæ* „
*tuæ antiquæ ..... memor esto opprobrii* „
*servorum tuorum ..... quod exprobrá-* „
*verunt inimici tui ..... commutationem* „
*Christi tui.* „

Gentiles videlicet insultabant post „LXIX.
mortem Iechoniæ, Iudæis, eatenus ar- „
bitratis spem suam in Salomonidis „
completam iri, nunc eam demùm ap- „
parere vanam: sed minimè vanam fuis- „
se, quamvis aliter atque ipsi credide- „
rant accipiendam, & in Nathanitarum „
successione complendam agnoscit, Di- „
vinæ voluntati in fine Psalmi acquies- „
cens Propheta dicendo *fiat, fiat.* Exin- „
de tamen difficilior fuit Iudæis certa „
illa atque infallibilis Messiæ ex Davide „
expectatio: quæ difficultas obscuritas- „
que tunc etiam crevit, quando in mor- „
te Iacobi qui Sancto Iosepho atque „
adeò etiam Mariæ Virgini Pater legalis „
assignatur, defecit principalis illa per „
Abiud ducta Zorobabelidarum propa- „
go, & ut ad veros repromissionis hæ- „
redes perveniretur, per carnales gene- „
rationes Reza altero Zorobabelis filio „
descendendum fuit ad posteritatem „
Heli: idque præmortuo Joachimo, ut „
proindè eo omisso post Iacob, immedi- „
atè fuerit Ioseph nominandus Vir Ma- „
riæ, non qualiscumque, sed ut Attici „
dicunt *epidicazomenos.* Cognationis „
proximæ jure sumptus ex præscripto le- „
gis: quo sensu viri nomen videri non „
potest à Genealogiâ alienum, utpotè „
idoneum constituere gradum unum: eo „
enim fiebat ut vice Patris Christo Iose- „
phus esset, in eumque etiamsi nullum „
cum Virgine Matre fuisset matrimo- „
nium, solius agnationis jure, tanquam „
in legalem filium, omne jus sibi acqui- „
situm refunderet: Quia Christus me „
diante Matre ex Spiritu Sancto fœcun- „
datâ, adeoque nihil peregrini sanguinis „
in genus suum inferente, tam verè fuit „
filius legalis Iosephi, quàm verè medi- „
ante eâdem Matre & Ioachimo erat fi- „
lius & hæres Heli communis Mariæ & „
Iosepho Genitoris: quem repræsentan- „
do, Christus fiebat idoneus adeundi „
cujusvis juris revoluti in ipsius Heli de- „

„ mortui caput per obitum filii Iose-
„ phi nullâ sobole ex se propagatâ mo-
„ rientis.

LXX. „ Adeò ut nuptiæ cum Mariâ contra-
„ ctæ non fuerint necessariæ, utilesvè
„ inferendo in successionem Regni Iu-
„ daici Christo: nulla enim nuptialis lex
„ privignum faciebat vitrici sui hæredem
„ necessarium, nec quia per illam uxoris
„ corpus transit in mariti potestatem,
„ ideò omne quod ex eâ quomodocunq;
„ natum fuerit, marito imputari debet,
„ aut potest, ut patet in spuriis. Fuerunt
„ tamen eædem nuptiæ, ob alias urgen-
„ tes causas ordinatæ à Deo, quarum ca-
„ pitales duæ hæ, ut extra suspicionem
„ fornicariæ copulæ virginei conceptus
„ mysterium poneretur, interim dum
„ miracula comprobarent Dei Filium
„ Messiam, citra virilem concubitum &
„ potuisse gigni, & reâpse absque eo ge-
„ nitum fuisse: deinde ut servaretur lex
„ de conjugiis, *ton periclitidon*, paternas
„ hæreditates in solidum adeuntium,
„ qualis erat Ioachimo Maria. Hæc Pos-
sinus & Bolandus.

LXXI. Sed neutra harum explicationum valet: Nam contra primam nostri Bacchonii, Francisci Lucæ, Cornelii à Lapide, & aliorum facit quod constat ex istis verbis Jeremiæ cap. 22. vers. ultim. contra Jechoniam ex Salomone descendentem. Hæc dicit Dominus; *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Israel.* Itemque ex pluribus aliis Scripturæ locis Regnum à stirpe Salomonicâ usque ad Christum ablatum, & ad Nathanitas translatum, ut proindè illud per Salomonidas ad Christum recto ordine pervenire nequierit.

LXXII. Contra secundam verò, præterquam quod falsum est quod aiunt Possinus & Bollandus citati, quod scilicet extincto Iechoniâ, quem vocant (nescio quomodò) Salomonidarum postremum, stirps Salomonica prorsus exaruerit, vel dicant mihi à quo sint illi qui post Iechoniam in totâ tertiâ Tessaradecade recensentur ut geniti ex se invicem à Matthæo? & concludant Matthæum vel mendacem vel deceptum. Contra hanc secundam, inquam, facit quod supra evicimus Christum, Mariam, & Iosephum non ex lineâ Nathan apud Lucam, ut volunt hi Authores, sed ex lineâ Salomonis apud Matthæum descendere secundùm carnem.

Ac deinde contra utramque facit LXXIII
quod ex utrâque necessariò & inevitabiliter sequeretur intolerabile absurdum quod scilicet inutilis esset prorsus ac vana alterutrius Evangelistarum respectu Christi & nostri tam operosè deducta Genealogia, qui tamen illam ad ipsum ex professo referunt sine dubio propter alicujus magni momenti rationem.

Probatur hæc sequela, quia in pri- LXXIV
mâ sententiâ non accepit Christus carnem propagatam ex Nathane, nec etiam Regni successionem per D. Iosephum, in quibus tamen duabus stabant repromissiones Abrahæ & Davidi factæ, & à Iudæis expectatæ, cùm ea Christus in hac sententiâ acceperit per lineam Salomonis à Matthæo extensam, ad quid ergò Lucæ Genealogia? An ut sciretur quod D. Iosephus erat filius legalis Heli, & consequenter ejus hæres & Christus per ipsum? Sed si Heli nullum jus habebat ad Regnum Davidicum commutandum à Christo, quid conferebat nobis scire quod Divus Iosephus & peripsum Christus alicujus glebæ terræ aut domunculæ per Heli hæres erat? certè nihil prorsus, ergò inutilis prorsus fuisset ac vana Lucæ genealogia. Reversa & torque hoc idem argumentum eodem modo reversabile in Possinum & Bollandum, qui dicunt Christum & Iosephum per lineam Nathan (quam deducit Lucas) carnem & regnum accepisse, & invenies pariformiter Matthæum inutiliter respectu Christi & nostri suam pertexuisse Genealogiam: sed nihil potest esse absurdius tali sequelâ ex utraque istâ sententiâ æqualiter necessariò inferendâ: ergò neutra potest esse vera.

Atque hoc etiam argumentum simi- LXXV.
liter præmit eos qui dicunt per Mariam Matrem suam Regnum istud accepisse: vel enim illa, à quâ solâ etiam Christus accepit carnem descendit à Davide per lineam Salomonis, vel per lineam Nathan: si per lineam Salomonis deductam à Matthæo: ad quid ergò

Genealogia

Genealogia Lucæ? Si verò è contra per lineam Nathan deductam à Lucâ, ad quid Genealogia Matthæi?

LXXVI Dicendum ergò, viâ quasi mediâ inter utramque incedendo, Christum jure hæreditario in Regnum Davidicum successisse per D. Josephum ex hoc quod cùm Josephus à Salomone descendat secundùm originem carnis eodem fermè passu cum B. Virgine, ad cujus nuptias pervenit uti propinquus ex præscripto legis Numer. cap. ult. præcipientis, ut puella hæres paternorum bonorum, nubere volens, accipiat virum de Tribu & cognatione Patris sui: sicq; factus est D. Josephus Pater Christi in Sponsâ suâ, de tempore conjugii sui cum illâ, Spiritus Sancti virtute concepti, & reciprocè Christus ejus hæres necessarius longè strictiori jure quàm filii legales ex lege Deuteronomii.

LXXVII. Cùm ergò D. Josephus licet descendens ex Salomone secundùm originem carnis, esset filius legalis Heli descendentis recto ordine ex Nathane altero Davidis Regis filio, hinc Regnum Davidicum à Salomonidis ob eorum peccata translatum ad Nathanitas delatum est ad Heli, & eo mortuo sine liberis ex se progenitis devolutum est ad Divum Josephum uti filium ejus legalem & hæredem; & consequenter D. Josepho mortuo ad Christum strictius filium suum quàm ipse Joseph esset filius Heli.

LXXVIII Nec possibile est ut aliter Christus ex lineâ Salomonis descendens Regnum ad lineam Nathan translatum hereditario jure obtinere potuerit quàm hoc modo: Et verò si non rediisset hoc modo ad Christū nonita pateret veritas eorum quæ refert Lucas c. 1. v. 32. & 33. ubi ait: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis*: quod in hac nostrâ sententiâ verificatum invenitur, dum sedem seu regnum Davidis per Patrem suum D. Josephum accepit, & ita extulit, ut de corporali fecerit spirituale, de humano divinum, de temporali æternum: Istud quippè Lucæ *Dabit illi, &c.* non significat simpliciter Christum regnaturum in domo Jacob in æternum, sed etiam super sedem David quam facturus est æternam, illam scilicet commutando in se ab humanâ in divinam: debuit ergo illa à Nathanitis ad eum rediisse ut ipse eam ita evehere posset & commutare. Quocirca cùm hoc ita pronuntiasset Lucas, ipsius partes erant probare, quod fecit, Genealogiam illorum per quos regnum ad ipsum pervenit prosequendo, & Genealogiæ Matthæi quæ tantùm originem ejus secundùm carnē attigerat assuendo: sicque patet quomodo utraque Genealogia spectet ad Christum, quod non ita se habere in aliis sententiis manifestum est.

Regnum ergo à Salomonidis translatum ad Nathanitas rediit ad Salomonidas in Christo descendente ex his, & regnum adepto per lineam legalem D. Josephi Patris sui, penes quem jus illius erat: ut sic in Christo utraque linea regalis tam Salomonidarum quàm Nathanitarum benedicteretur, & relevaretur, & utraque in Christo reunita regnaret in æternum. LXXIX.

Confirmatur hæc doctrina ex propheta Jeremiæ c. 22. contra impium Iechoniam à quo cœpit regni translatio & qui ille est quem ponit Matthæus in Genealogiâ suâ in capite tertiæ Tessadecadis: de hoc dicitur ibi v. ult *Hæc dicit Dominus scribe virum istum sterilē, virum qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David & potestatem habeat ultra in Iuda*, ubi istud, *Hæc dicit Dominus scribe*, significat sententiam & decretum Dei contra ipsum, eum privantem & posteros suos non tantùm usu ut volebat supra noster Bacchonius, sed etiam omni jure regni. Non itaque Nabuchodonozor impium istum adducendo captivum in Babylonem cum filiis suis spoliavit regno, sed Deus, qui usus est Nabuchodonozore tanquam instrumento ad exequendum sententiam suam contra ipsum: Cùm verò in istis verbis: *Non erit de semine ejus vir*, particula ista *vir* juxtà Glossam & D. Hieronymum sit taxativa & per hanc Propheta intelligere voluerit eum qui sit vir seu homo tantùm, per quod exceptus est ille qui est homo & Deus simul: profectò sonavit propheta regnum rediturum ad istam lineam in Christo, qui non fuit homo tantum, LXXX.

sed homo & Deus simul, prout de facto rediit, dum Christus existens de lineâ Salomonis secundùm originem carnis, factus est hæres regni per D. Josephum pertinentem secundùm legem ad Heli ex lineâ Nathan, ad quem Heli recto ordine devolutum erat regnum revolvendum in Christum filium D. Josephi.

LXXXI Ex his inferes, primò, contra Possinum & Bollandum nuptias D. Iosephi cum Mariâ non tantùm fuisse utiles, sed etiam absolutè necessarias inserendo in successionem regni Iudaïci Christo: cùm enim ut toties dictum est regnum istud esset à Salomonidis ad Nathanidas translatum ex decreto Dei ob peccata priorum, & ex his Christus carnis originem traheret per Mariam, unde ad illud jure hæreditario pervenire potuisset nisi per D. Iosephum? At si D. Iosephus uti Heli ex Nathane descendentis filius legalis, & consequenter regni ad ipsum per eosdem Nathanitas successivè & recto ordine delati hæres, Matri ejus dum conceptus est nō fuisset conjugatus, quomodo eo mortuo Christus regnum ab ipso jure hæreditario accepisset? Certè manifestum est quod si D. Iosephus non nupsisset, non ad filium Virginis quamvis sibi secundùm carnem propinquissimæ, sed ad proximiorem secundùm legem, ad quorum lineam per eandē legem translatus erat, Regnum revolutum fuisset: si verò nupsisset alteri quàm B. Virgini, & mortuus fuisset improlis sicut Heli, filius ei per propinquum ex lege Deuteronomii suscitandus, in ejus jura hęreditatem & regnum successisset, vel si proles suscitata non fuisset masculus, rediisset ad propinquiorem Heli Patris sui legalis, cùm ad hunc maximè quod spectat hęreditatē, non ad Patrem carnalem, pertineret.

LXXXII. Inferes secundò, contra eosdem, frigidam esse nimis & indignam Christi ad D. Iosephum, cùm privigno ad vitricum comparationem, cùm enim Christus esset in Virgine uxore D. Iosephi, non ante nuptias cùm illâ ut privignus, sed de tempore illarum sine illius injuriâ virtute Spiritus sancti conceptus, ideo omni jure hic D. Iosephi hæres erat necessarius, qualis non est privignus rēspectu vitrici, quare si non esset alius Christus respectu D. Iosephi, quàm privignus respectu vitrici, ab ipso non ad Christum, sed ad proximiorem Heli Patris sui legalis reversum fuisset Regnum.

## CAPUT XIII.

### *Fuit tamen D. Josephus conditione Faber.*

I. CIves Nazarethani Concives Christi eum noverant ab ipsis vitæ primis unguiculis: Sciebant hinc ipsum nunquam studiis litterarum operam dedisse: Illinc tamen eum videbant admirabiliter concionantem, Scripturas profundissimè & clarissimè qualiter nullus explicantem: *Nunquam enim sic locutus est homo*, Joann. cap. 7. v. 46. Miraculorum quæ in dies & horas operabatur famam audierant, nonnullorum & ipsi testes oculati erant: propterea stupentes & attoniti inquirunt, ut scribit Matthæus c. 13. vers. 55. *Unde huic sapientia hæc & virtutes? nonne hic est Fabri filius?* Et Marci c. 6. *Nonne hic est faber?* Utrumque enim dixerunt, alii hoc, alii illud.

II. Fabrum ergo fuisse D. Josephum & Christum ejus filium ex his locis manifestum est, & hoc est quod videtur multis durum, & propter quod fidē doctrinæ à nobis præcedenti capite traditæ vix dare possit: quæ enim apparentia, inquiunt, quod homo Faber, tam tenuis ut ex opificio victitare debuerit, fuerit hæres istius Regni?

III. Sed qui ita ratiocinantur non advertunt distinctionem esse inter usum regni, & jus ad regnum. Et posse facile fieri ut ex Progenitoribus diu usu regni privatis nascantur posteri tenues, etiam regni hæredes, seu jus præcipuum & plenum ad regnum habentes: & ut vidimus Davidem ex pauperculo opilione, & alios ex vili casâ ad solium, Dei (per quem Reges regnant) nutu evectos, ita eodem nutu & Reges & eorum posteros tandem prostratos & ad tenuem fortunam dejectos: pleni sunt libri hujus & illius versatilis fortunæ ludis & revolutionibus: tanta

est

est rerum humanarum inconstantia & vanitas.

IV. Audiendus hac de re differens Philo Judæus lib. de Joseph: *Quid aliud*, inquit, *res corporis, nonne somnia sunt? Nonne pulchritudo momentanea penè prius marcescit quàm floreat? ..... Ingentes opes sæpè una dies abstulit: multi honoratissimi antea, versis rerum vicibus in contemptum venerunt cum ignominiâ: Imperia Regum maxima brevi temporis momento subversa sunt. Dionysius Siciliæ Tyrannus pulsus Corinthum fugit, & è tanto Principe litterator effectus est. Cræsus Rex Lydiæ ditissimus Regum, sperans se deleturum Persarum potentiam, non modo proprium regnum amisit, sed & ipse vivus in potestatem hostium redactus minimùm abfuit quin ureretur.* Quasi ipsa fortunæ superbia auspicium fuerit calamitatis. Quod si ità est in istis quid mirum ergo in nostro casu?

V. Ergo, inquit, rectè Seneca, lib. 6. de Beneficiis cap. 33. *Non parùm in illum* (id est fortunatum) *contuleris, si illi stultam fiduciam permansuræ semper potentiæ excusseris, docueris, mobilia esse quæ dedit casus, & majori cursu fugere quam veniunt: nec his portionibus quibus ad summum perventum est, retro iri, sæpè inter fortunam maximam & ultimam nihil interesse.*

VI. Quod verò Patrem Fabrum Salvator habere voluerit, uti divinæ ejus sapientiæ tribuendum, ita nec ratione, nec mysterio, nec exemplo vacare ostendam Sect. 2. postquam prius viderimus qualis Faber fuerit.

## SECTIO PRIMA.

### *De Arte D. Iosephi, seu cujus artis fuerit?*

VII. QUalis Faber fuerit D. Ioseph inter Doctores non ita convenit: illud certum est quod cùm Pictores, Pistores, Sutores, Sartores, Vinitores, & id genus artium exercentes non veniant intelligendi sub nomine Fabrorum, utpote qui non Fabri, sed opifices vocari soleant, hinc nullus est (quod sciam) qui D. Iosephum similis artis fuisse existimet. Quæstio igitur est de aliis artibus à quibus homines Fabri vocari solent.

Cardinalis Caietanus in illud Matthæi c. 3. *Nonne hic est Fabri filius?* VIII. censet incertum qua Fabri specie Faber fuerit D. Josephus: ratio est quia tam nomen latinum *Faber*, quam Græcum *tecton* ex quo omnes colligunt fuisse Fabrum, extenditur ad Fabros omnis generis, & ex se non unum potius importat quàm alterum.

Propter eandem tamen rationem IX. alii volunt fuisse non Fabrum trivialem, seu communem, sed Architectum: quandoquidem non alicujus determinatæ artis in particulari sed generaliter Faber dicatur in Evangelio, confirmant ex eo quod hoc magis congruat, primò, ejus origini & nobili extractioni. Secundò, paritati seu similitudini maritali cum Virgine cui conjunctus fuit, quam certum est fuisse ingenuam & parentum satis divitum hæredem.

Sed hęc opinio mihi displicet & meritò, quia nec Evangelio consonat, X. nec antiquitati. Non Evangelio, primò, quia qui Christum Fabri filium fabrumque vocabant, Matthæi c. 13. & Marci c. 6. sic loquebantur partim ex contemptu, partim ex admiratione. Ut ex locis illis patet: at quomodo tam contemptibilis Christus si non Fabri fuisset filius seu operarii, sed nobilis Architecti ut illi volunt? Et certè cùm Nazarethani ejus concives ad quos ex Judæa reversus cum eorum stupore prædicabat, conferant tantam quam ex ejus ore percipiebant scientiam cum conditione Patris ejus, quem noverant tantùm fuisse Fabrum, proculdubiò illud quod dicunt: *Unde huic sapientia hæc? nonne hic est Fabri filius?* sic debet explicari: Quomodo potest hic tantam scientiam habere qui nequidem litteras discere potuerit? utpotè filius tenuis Fabri, cui satis fuit familiam suam modicè sustentare, nec potuisset invenire unde præterea prolem in scholis, ubi scientia acquiritur aleret: non ergo nobilis Architecti filius.

Deinde constat ex Evangelio, parentes Christi Iosephum & Mariam in Præsentatione ejusdem in templo, die ab ejus Nativitate quadragesimo, non aliud quàm quod pauperes, præ XI. tenuitate

tenuitate pro eo offerre potuisse; *par scilicet Turturum*, ut ait Lucas, *aut duos pullos Columbarum*, non ergo D. Iosephus Architectus nobilis.

XII. Quod etiam hæc opinio non consonet Antiquitati patebit ex dicendis infra opinione ultimâ.

XIII. Alii verò censuerunt fuisse Auri-fabrum, ut Gonsalvus Durantus Episcopus Foretranus in notis super caput 58. libri 6. Revelat. S. Brigittæ. Pro hâc sententiâ citatur Hugo Cardinalis in c. 4. Lucæ ad illa verba, *nonne hic est filius Ioseph*? Sed malè, nihil enim simile habet ibi Hugo, potest tamen hæc opinio fulciri hac ratione: quia scilicet univocum vel analogum nomen absolutè prolatum, cum non potest sumi universaliter, stat semper & accipitur pro principaliori seu famosiori univocato seu analogato: Auri-faber autem videtur inter omnes fabros principalior & famosior: sed faciunt contra hanc opinionem quæ adduximus contra præcedentem.

XIV. Alii ferrarium fuisse volunt, inter quos est D. Hilarius in Matth. ad illa verba, *Nonne hic est Fabri filius? Fabri*, inquit, *erat hic filius ferrum igneâ vincentis ratione, &c.* D. Ambrosius lib. 3. in Luc. Beda in c. 6. Marci, Leander Hispalensis de Instit. Virgin. c. 23. Isidorus in Reg. Monach. c. 5. Chrysolog. serm. 48. Anselmus in c. 13. Matthæi, Ericius serm. feriæ 2. post Dominicam 3. Quadragesimæ.

XV. Alii Cementarium fuisse volunt non absque singulari mysterio, ut Christus qui secundùm divinam generationem filius ejus erat, qui ex nihilo Mundi fabricam erexerat, idem secundùm generationem humanam filius esset Fabri Cementarii, qui & ipse pulchram adeò domum, qualis est Ecclesia, ab imis fundamentis usque ad fastigium erat erecturus. Pro hac sententiâ citatur D. Augustinus serm. 5. de Nativit. Sed nec hæ duæ sententiæ arridenti. Etenim licet Christi Domini nostri dignatio nullam harum abhorreret artium, cùm ad humillima quæque sese dimittere voluerit; Ars tamen ferraria cujus & instrumenta cariora & portatu difficiliora sunt, & exercitium maculans atque conspurcans, quemadmodum & artis Cementariæ, in Salvatoris Patrem, Matris Sponsum, utriusque Tutorem, & præsertim ad fugam in Ægyptum & victum fabrilibus operis ubique quærendũ minùs conveniebat.

XVI. Secundò, videtur indubitatum quod Christus (qui Marci cap. 6. dicitur quoque Faber ut D. Iosephus) in eâdem arte se exercuerit in quâ D. Josephus; & cum eo ut filius cum Patre collaborarit: ut quid enim Christus qui ad tempus tantùm erat fabrilem exerciturus, donec scilicet hora se manifestandi mundo adveniret, apud extraneum aliam artem discere voluisset relicto Patre amantissimo, quem juvare poterat in suâ arte, ex quâ vivere poterat, quod illi sufficiebat? At quis adduci possit ut credat Christum non minùs decentiæ & nitiditatis amantem quàm honestatis, ferrariam aut etiam cementariam quæ maculant & conspurcant exercuisse? licet enim humilitatem Christus semper amplexatus sit, ab indecoro tamen semper abhorruit.

XVII. Ultima eaque vera sententia mihi videtur illorũ qui dicunt Fabrum fuisse Lignarium, ita D. Iustinus Martyr qui fuit vicinus Apostolorũ in dialog. cum Tryph. Iudæo, D. Irenæus lib. 1. contra hæres. c. 17. D. Augustinus & D. Chrysostomus apud D. Thom. & ipse D. Thomas in c. 13. Matt. D. Ambrosius citatus, noster Imperfectus in Matt. hom. 32. D. Bonaventura, Alex. de Ales, Nicolaus de Lyra, Arias Montanus, Gerson, Estius, & infiniti alii: Atque antiquissimã fuisse in Ecclesiâ sententiam istam colligitur ex libro licet aliundè apocrypho de infantiâ Salvatoris, ubi miraculum à Christo in officinâ Josephi lignariâ factum refertur: ex Sozomeno item lib. 6. cap. 2. ubi hæc ille. *Cùm Iulianus esset bellum contra Persas facturus, & minatus fuisset se post bellum Ecclesiam graviter afflicturum, & petulanter insultaret filium Fabri, nihil illis afferre posse subsidii: Vir quem dixi hanc de eo pronunciavit sententiam. Iste Fabri Filius arcam ei ligneam ad mortem parat.*

XVIII. Theodoretus verò in eandem rem: *Antiochiæ*, inquit, *vir quidam optimus, qui longo tempore puerorum Pedagogum ageret, familiaris erat, quippe eruditior quàm vulgus Pedagogorum esse cõsuevisset.*

*Princeps*

*Princeps Doctorum temporis illius Libanius, fuit ille apud Sophistas nobilis, qui impius & in expectatione victoriæ Iuliani imaginans minas quærit de Pedagogo illo per derisionem nostrorum quid faceret Fabri Filius? At ille repletus divinâ gratiâ quod paulò post eventurum esset prædixit. Respondit enim Sandapilam (seu arcam funeream) concinnare fabricatorẽ hujus universi, quem tu, inquit, Sophista perrisum Fabri Filium nominasti. Nec multis post diebus nuncium de morte furiosi Imperatoris, ipsegq; in Sandapila allatus est, & jactantia minarum cum maximâ Dei gloriâ evanuit.*

XIX. Hanc ergò sententiam & nos eò libentius amplectimur quod antiquissima sit in Ecclesiâ, quod communi consensu recepta consuetudo Sanctissimum Patriarcham manu serram tenentem, aut unà cum JESU ascià lignum scindentem, non verò cum aliarum instrumentis artium depingendi. Quod Historia Orientalis apud nostrum Hieronymum Gratianum fabrum lignarium fuisse tradat & carpentarium, quod hæc sententia careat incommodis aliarum quæ supra tetigimus, & ferè frustra, cùm illæ nullum unquam in Ecclesia cursum habuerint, quod ipsum etiam *Fabri* nomen Doctissimo Estio in cap. 13. Matthæi observante, per se & absque determinatione positum cõmunius accipiatur pro fabro lignario quàm pro alio: Denique quod de hujus artis non ignobili nomine non pauca cùm ex sacris tùm ex prophanis litteris proferri possint, propter quæ minimè dedecuerit D. Josephum & Christum ejus filium pauperes voluntarios & ex labore manuum victitabundos illam exercere. Siquidem Genes. cap. 6. ante diluvium Patriarcha Noë arcam de lignis, & post diluvium Altare Domino fabricasse legitur; & 1. Paralip. cap. 9. vers. 15. Non sine honore inter Principes familiarum numeratur Bacbacar Carpentarius: In prophanis verò, Homerus lib. 5. Iliad. laudat Harmonydam fabrum lignarium, quod Paridi naves fabricasset. Et idem Homerus libro Odyss. c. 23. ut & Elianus lib. 7. variar. histor. Ulyssem insignem Græciæ Regem ab ejusdem artis peritiâ commendant: & Plutarchus in Pericle refert Arthemonem fabrum lignarium ob hujus artis peritiam in lecticâ vectum fuisse: ut meritò propterea Franciscus Patricius lib. 1. de Instit. Reipub. tit. 9. hanc fabricæ architecturam ut Reipublicæ pacis belliq́ue tempore pręcæteris necessariam aliis omnibus anteponat; Lege etiam Chassanæum Catal. de gloria mundi part. 11. Consider. 42. & Tiraquell. Jurisconsul. de Nobilit. cap. 34. num. 40. & 41. §. *Fabri quoque.*

Vide quoque P. Suarez ad 3. part. D. Thomæ tomo 2. quæst. 3. disp. 17. sect. 3. ubi hanc quæstionem fusè tractat. Hinc Lignarii in urbe Româ fabri ut scribit Octavius Pancirollus Region. 1. Ecclesiam 12. Sancto Josepho dicatam describens, huic ut suo imprimis Patrono anno 1596. (57. scilicet annis postquam in unum Sodalitium coaluerat) novi operis Ædem fabricandam locarunt supra illam quæ Sancti Petri in carcere dicitur, quam à vicinarum Sancti Lucæ & Sanctæ Martinæ juribus eximendam curarunt, atque ex Indulto Gregorii Papę XIII. quotannis reum unum periclitantem de capite è vinculis eximunt Festo S. Josephi die, quando etiam orphanas pauperesq́ue lignariorum filias collatâ stipe in matrimonium collocant. XX.

Dubium autem non est quin multò etiam priùs alibi ejusdem opificii Professores tali se Patrocinio commendarint. Antuerpiæ certè jam indè à primâ ejusmodi Collegiorum fabrilium divisione Lignarii patronum agnovêre Divum Josephum, eique in Basilica istius Urbis primariâ, quæ nunc est Cathedralis, Altare & Sacellaniam habuêre fundatum. XXI.

Neque ingenitæ veræq́ue nobilitati quali fulgebat D. Joseph, utpotè Davidis Regumq́ue sequentium filius derogat honesta mediocritas vel virtuosa paupertas, adeoq́ue nec artis honestæ & decentis exercitium, modò talis paupertas non ex vitio procedat, quamvis mundanus splendor, pomposusq́ue luxus non adluceant. Non enim minùs Job nobilis in sterquilinio & miseriis ex ejus vitio minimè procedentibus, quàm in abiatarum rerum opulentiâ? Aut Jacob minus filius Magnorum Patriarcharum XXII.

charum ex causis occurrentibus in alieno servitio, quàm in Paternâ domo? An minùs noster Nunnius Alvarez Dux Bragantinus ex cujus sanguine Reges Lusitaniæ moderni, magnus aut nobilis in habitu & ministeriis humilis conversi in Conventu nostro Ulysipponensi anno 1431. cum opinione sanctitatis defunctus, quàm in Mundialibus purpurâ, paludamento & herminiis. Vide P. Lezanam tom. 4. Ann.

XXIII. Rectè igitur Maximilianus Imperator cuidam summâ pecuniæ ingenti nobilitatem affectanti, respondit. *Ditare te possum, sed nobilitare nonnisi te propriâ virtus potest.* Et idoò Cardinalis Baronius in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos: Deligitur, inquit, in maritum „ Virginis Vir justus Joseph, ejus contribulis ex stirpe David oriundus, sed opificio faber: neque enim ad pecuniam, „ neque ad honores inspicere, sed ad genus per antiquam lineam ductum atque probatum in contrahendis nuptiis „ penes Judæos fuisse consuetudinem, testatur Josephus contra Appionem lib. 1. „ cùm agit de matrimonio Sacerdotum: „ ut non mireris si viro fabrilis ætatis, Sacerdotum consilio, quorum esset officium de his quæ semel Deo essent oblata, disponere, nuptiis traditam audias. Hæc Baronius.

XXIV. Addo pro Coronide quod tanta fuit D. Josephi claritas ut ne vel à fortunâ, vel à parentibus nobilitari videretur, sed ipsam paupertatem & artes ab ipso nobilitatas, oportuerit talem ipsum esse & ipsius Patres, ut licet veterem prosapiam non detriverint, fuerint tamen sine dignitate & opibus.

## SECTIO II.

### *Cur Patrem Fabrum Salvator noster habere voluerit?*

XXV. SEd esto Ars lignaria quam exercuisse D. Josephum & cum ipso filium ejus JESUM constat ex dictis Sectione præcedenti, non fuerit ita ignobilis ut ipsos dedecuerit tam nobiles, an non tamen mirandum & valdè mirandum Salvatorem nostrum Æterni Patris Filium, Patriique per omnia æqualem, eum, inquam, qui habet in fœmore suo scriptum, *Rex Regum & Dominus dominantium*, Fabri filium esse voluisse? voluisse, inquam, ut ille quem elegerat habere Patrem in terris faber esset tenuis? Hujus rei causas hic inquirimus, eas maximè quæ ad ædificationem nostram spiritualemque nostrum profectum quem hoc opere intendimus conferunt, satis enim hactenus in curiosis hæsimus.

Dico ergò pro primâ, non tantùm XXVI.
Salvator voluit esse filius mediocris fabri, sed etiam Deus infinitâ ac incomprehensibili suâ providentiâ res ita disposuit ut D. Josephus ex Regibus descendens, Regum ac Regni hæres verus ac legitimus, & Regno destitutus & modicus nasceretur, & procedente ætate fabrilem ad quærendam vitam discere debuerit & exercere, quia futurum erat ut esset Pater Verbi sui incarnandi: Cùm enim filius Dei in hunc mundum venerit, ut vanitatem mundi damnaret, ut contemptum rerum perituraram & voluntariam paupertatem mortalibus persuaderet, debuit certè ipse exemplo suo id præstare quod à nobis obtinere volebat: præstitisset-ne autem illud exemplo si Patrem elegisset ex Regibus, Regno, Regnique divitiis & opulen[illegible] orientem.

Hinc Gers[illegible]m. de Nativit. Ma- XXVII.
riæ Considerat. 1. ait. *Cùm Maria & Joseph fuerint de Regiâ stirpe progeniti, quo pacto voluit Deus, quod ipse Joseph ejus Nutritius servilibus intenderet? Fuit enim Faber lignarius. Et similiter dicit Hieronymus Mariam operi textrino operam dedisse. Mirandum certè non est, quia Prædicator & Amator paupertatis honestæ IESVS voluit in paupertate honestâ nasci, & laboriosissimus cum laborantibus educari. Unde de ipso Sancto Joseph verificatum est.* Beatus es & benè tibi erit, labores manuum tuarum quia manducabis, *ut dicitur psalm. 127.*

Egebat ergò Christus Dominus pro XXVIII.
nobis pauper factus, egebat & Sanctissima Mater ejus Virgo honestissima provido in terris Nutritio: Nec Patrem opulentum sibi, nec Sponsum Matri contra paupertatis sanctæ propositum & exemplum, sed laboriosum ac industrium voluit, qui & sibi & Matri

in

in itinere ſtabuloque Bethleemitico, & in Ægyptum exulibus, ibique diu commorantibus, & inde regreſſis, ſuâ arte de victu ac tegumento provideret. Ad quæ quidem omnia hanc lignariam artem maximè conveniſſe jam paulò ante oſtendimus.

XXIX. Pro ſecundâ ratione voluit Deus in eo quem extremis his temporibus (quando vanitas & ſuperbia vitæ divitiis inflata omnes limites exceſſit) maximè ſuſpiciendum propoſiturus erat Eccleſiæ ſuæ, inconſtantiam rerum humanarum oſtentare, ut eas ejus exemplo ſpernere, & ab iis animum avocare diſceremus.

XXX. Fortunæ improbitatem varii variis expreſsêre modis. Sedentem finxit Apelles, & cauſam rogatus reſpondit, *quod ſtare nequiret.* Sed non rectè meo videri, non enim ei quæ ex ſe habet ſtare non poſſe, ſeſſio, ſed potiùs conſtans cõvenit fluxus. Melius ergò ſi reddidiſſet quia in ſuâ volubilitate firma eſt, habet namque in ſuâ levitate & inconſtantiâ magnam conſtantiam, quod ſcilicet ſemper & firmiter fluxa ſit & inconſtans. Quare rectè Boëtius lib. 2. de Conſolat. *Si putas erga te mutatam eſſe fortunam, erras: hi ſemper mores ejus ſunt, ea naturam ſervavit erga te propriam, potiùs in ſuâ mobilitate conſtantiam manifeſtavit.* Et ante ipſum Ovidius.

*Paſſibus ambiguis fortuna volubilis errat*
*Et manet in nullo, certa tenaxq; loco,*
*Sed modo læta venit; vultus modo ſumit acerbos*
*Et tantum conſtãs in levitate ſuâ eſt.*

Et Horatius lib. 3. Oda 29.

*Fortuna ſævo læta negotio*
*Ludum inſolentem ludere pertinax,*
*Tra[illegible]utat incertos honores,*
*[illegible] nunc aliis benigna.*

XXXI. Hinc [illegible] Philoſophus ut lego apud Pat[illegible]nimbricenſes lib. 2. Phyſicor. [illegible] quæſt. 1. art. 1. fortunam effinxit mulieris formâ cœcæ; furenti ſimilis, Rotæ pedibus inſiſtentis: ſpecie quidem muliebri ad inſtabilitatis indicium: ut enim perbellè quidam de muliebri levitate.

*Quid levius vento? fulmen: quid fulmine? fama:*
*Quid famâ? Mulier: quid Muliere? nihil.*

Furenti ſimilem effinxit, quia fortuna nec modo, nec menſurâ, nec ordine ſervatis, facit omnia perturbatè: Et enim ut Seneca in Agamemn.

*Non ſic Lybicis Syrtibus æquor*
*Furit alter nos volvere fluctus.*
*Non Euxini turget ab imis*
*Commota vadis unda, nivali*
*Vicina polo, ubi cærulæis*
*Immunis aquis lucida verſat*
*Plauſtra Bootes.*
*Vt præcipites Regum caſus*
*Fortuna rotat.*

Pes in rotâ, ſive rota ipſa cui inſiſtebat, & quæ illam verſabat, effectus ejus denotant: in hac nimirùm rotâ ejus impulſu circumaguntur homines qui eam ſequuntur, quorum alii in ejus faſtigio cernuntur, alii moliuntur aſcenſum, nonnulli deorſum vergunt agunturque precipites, alii depreſſi ſub rotâ gemunt, dum ipsâ damni expers elabitur ad quiritantium vota precesque ſurda & immitis.

Cœca fingitur propter ejus operandi modum: ſæpè enim ſæpius indignis ſua largitur munera, ut Seneca in Hercule

*Iniqua rarò maximis virtutibus*
*Fortuna parcit.*

Et Laërtius lib. 5. cap. 5.

*Iuſtos illa viros pauperie gravat*
*Indignos eadem divitiis beat,*
&
*Quod dignis adimit transfert ad impios*
*Nec diſcrimen habet, rectaq; judicat.*

*Sed fortuna opes auferre non animum poteſt*, inquit Tragœdus: & Salluſtius *Probitatem, induſtriam, bonas artes, neque dare, neque eripere cuipiam fortuna poſſit.*

An hęc ullibi clarius patuerunt quàm XXXII.
in Sãctiſſimo Patriarcha noſtro Joſeph? vix credo: habuit enim ille progenitores Reges, & hos regni totius mundi primarii: non ignoravit regnum recto ordine ad ſe devolutum: Interim tamen vidit ſe cum tali jure ad ultimam uſque conditionem fabri ſcilicet lignarii redactum, dum mortalium peſſimus Herodes Sceptrum & Regnum ſuum occupabat: An propterea inde turbatus? minimè gentium, immò nec etiam ſi repoſuiſſet uſurpator, voluiſſet cùm illo aſciam aut ſecurim ſuam commu-

tare. Deus illi fortuna tota, & quis illo ditior JESUM habente & Mariam, hanc sponsam, illum filium?

XXXIII Elegerat olim Davidem Josephi nostri Progenitorem Deus, *Et de post fœtantes accepit eum, pascere Iacob servum suum, & Israel hæreditatem suam*? Sed interim eundem Saülis mox vexatum invidiâ ad institas penè redactũ depressérat mirâ quadã vicissitudine, & utriusq; fortunæ commixtione singulari. Animum advertit David, ac tum hujus tum illius momentis pensiculatè libratis, neque illa efferri se, neque hâc dejici unquam passus est, sed geminâ velut temperatiâ fortior, recto calle processit dicens, *Bonum mihi quia humiliasti me.*

XXXIV Ut Davidi Patri ita Josepho nepoti unus idemque Regis titulus, & honoris ac exaltationis materiam & demissionis abundè ministravit. Cùm ergo Davidici celsitudo imperii, atque omnis sublimitas tam glorioſi stemmatis in fabrum desinat, discamus hinc non esse terrena culmina magni æstimanda, cùm diu magnitudinem suam perennare nequeant. Humanis oculis diademata & sceptra facile imponunt, videntur magna & non sunt: vera celsitudo virtutis est, inanis illa est quæ extimâ quâdam specie humanos oculos perstringit & decipit.

XXXV. Pro tertiâ ratione: voluit Deus nobis in hoc sanctissimo Viro maximum virtutis modestiæ & constantiæ exemplum proponere, & porrò hic talis fuit: Hic etenim cum ei tantum Regnum deberetur, tamen ita se continuit, ita sibi imperavit, ut fabrilibus operibus vitam suam quærere non erubuerit: quin immò etiam ex amore sanctæ paupertatis oblatas à Magis divitias vel recusavit, vel erogavit, & sua sorte contentus delitescere elegit, ut soli Deo cui se probaverat placeret: ut discant hinc nobiles, si fortè aliquo casu ab avitâ opulentiâ deciderint, timere Deum, ut ne ad illicita media quo resurgant, ut assolent, extendant manus vel animum: quam rectè dixit D. Hieronymus, *Affatim dives est qui cum Christo est pauper*: Mundi sapientes nihil intentatum relinquunt ut paupertatem fugiant, hic illam ex mentis opulentiâ omnibus prætulit Regnis; illi utrâque ut aiunt manu rectâ sinistrâ capiunt, hic erogat; isti cõgregant, hic dispertitur; isti omnia habere volunt, hic nihil, divitias suas, ut Socrates ex iis quibus carere dedicerat rectè metiens.

*Non possidentem multa vocaveris*
*Ritè beatum: rectius occupat*
*Nomen beati, qui Deorum*
*Muneribus sapienter uti*
*Duramq; callet pauperiem pati.*

Pro quartâ hujusce rei ratione: In ferrâ securique Patris sui sicut in acu & stamine Matris vitiorum parentem otiositatem damnare voluit Dominus, & humilitatis, temperantiæ, industriique laboris operâ nos docere salvator dignatus est, in laboribus & ipse à juventute sua: faciens scilicet ante quam doceret; immò quod verbo docuisse non legitur exemplo monstrans, opere nimirùm aliquo honesto victum quærendum esse, pastus & ipse pane suo in sudore vultus sui. Et quia excusurus erat aliquando crastini curam salvator, præproperam scilicet & nimis ex divinæ providentiæ diffidentiâ anxiam sollicitudinem: ne quis ex inde otiosorum laboresque fugitantium hominum, patronum eum per hoc fortè existimaret, proponere voluit suum & parentum suorum exemplum planè diversum & adversum. XXXVI.

Pro quintâ, non mirum quidem est inter aratra, secures, incudes, cæmenta, forfices, ligones, interque alia hujusmodi mechanicarum artium quotidiana exercitia, virtutes ad commumen justitiam pietatemque inveniri: sed ad nonnullarum virtutum specialiorum puta devotionis, orationis, meditationis, aut cœlestium contemplationis, vitæque sanctioris ac Religiosioris cultum, adeò ineptæ æstimari solent ejusmodi manuales artes, ut earum professores, vel sibi impossibiles, vel à se alienas putent: verùm & hæ ipsæ & aliæ præstantiores inter fabrilia sanctissimi Patriarchæ nostri quotidiana opera sic emicant, ut & ipsum in cœlestioris hujus vitæ celsitudine mirabilem inter omnes ostendant, & cùm manualibus similibus operariis, tum quietioris etiam vitæ cultoribus in harum virtutum exercitio negligentio- XXXVII.

ribus

ribus, non mediocriter oculos perstringant; ut & hoc præsertim Sancti Josephi exemplum, & alia aliorum non paucorum similia, nullum excusationi locum eis relinquant. Has porrò virtutes specialiores in decursu hujus operis suis locis demonstrabimus.

XXXVIII Sexta & ultima hujus rei ratio ut D. Josephus exinde amplius mererctur: sine dubio enim D. Josephus incomparabiliter plus meruit alendo Christum & Matrem ejus ex laboribus & sudoribus suis, quàm si id feciſſet ex superabundanti & superfluis, eique ex hoc & Christus & Beata Virgo plus obstricti sunt, nobisque omnibus magis proderunt pro eisdem alendis ab ipso susceptis labores, & sudores desudati. Non possunt satis Sancti Patres exaltare meritum charitatis & misericordiæ erga pauperes eo quod sint membra Christi moralia, vide hujus virtutis encomia apud illos. Sed quanta hęc si cùm illa quam D. Josephus erga Christum & ejus Matrem exercuit comparetur? Excedit hæc illum in quatuor, primò, in eo quod ipse non membra Christi ut divites, sed Christum ipsum in personâ propriâ & ejus Matrem quam plus se diligebat, imò plusquã omnes creaturas simul, pavit. Secundò, in eo quod illos non ex superfluis, sed ex laboribus suis eos paverit, quod, inquam, corpus suum fatigaverit, quod sudaverit ut eos aleret: ut proinde sudores ejus in sanguinem quem pro nobis Christus effudit, in lac quo Beata Virgo ipsum lactavit, conversi sint. O beati labores! ô pretiosi sudores! Tertiò, ratione affectus & amoris majoris, pietatis & sollicitudinis intensioris qua eos aluit: quam quis dubitat fuisse maximam & intensissimam? quantò enim cùm affectu amore, pietate, sollicitudine pro eis laboraverit & sudaverit, quis concipere, quis edicere possit? Quartò, ratione continuationis, fuit enim ipsius charitas, providentia, pietas cum intensissima intensione, erga illos quotidianâ imò horariâ, cùm non cessarit à labore sollicitudine & vigilantiâ, ut eos aleret; adeò ut propter hæc infinitè ferè meruerit. Quam ergo aptè de eo pronunciave-rim cum Psalmista: *Pavit eos in innocentia cordis sui.*

## CAPUT XIV.

### *De Patriâ & Parentelâ Divi Josephi.*

QUÆSTIO hæc de Patriâ & Parentelâ pertinet ad hominis natales, & post majores ex quibus quisque natus est, nullam habemus majorem conjunctionem quàm cum consanguineis ex quorum majoribus ut illi nati sumus, & cum concivibus ex quorum Patriâ ut illi oriundi sumus. Quocirca & consanguineus & concivis dicitur frater, idest ferè alter: hic, quia ex eadem gente, ille quia ex eodem communi Parente progenitus, & vocantur frater ille gente hic cognatione: sic ut infinita alia exempla omittamus Abraham Patruus & Loth nepos dicuntur fratres. Sic Paulus Judæus vocat Judæos fratres suos ad Rom. cap. 9. v. 1. Disceptationi igitur de Progenitoribus D. Josephi satis aptè & consequenter quæstionem de ipsius Patriâ ac parentelâ assumus in duas Sectiones partitam. Quarum prima erit de Patriâ, secunda de Parentelâ. I.

### SECTIO PRIMA.

### *De Patria Divi Josephi.*

QUod etiam magni Oratores summorum Virorum quos laudare aggrediuntur encomium non solùm à majoribus ex quibus progeniti sunt, sed etiam à loco in quo nati sunt & educati, & ab aëre quem hauserunt solent exordiri, tam mihi semper mirum visum est, quàm hoc frequentissimum esse video. Et meritò, *Nonne enim videmus*, inquit Seneca lib. 7 de beneficiis, *ferrum ex iisdem antris proferri quibus aurum & argentum*? Quid ergo loca in quibus vel nati sumus vel degimus possunt ut nos meliores reddant? nimis extrinseca sunt & extranea à nobis ista, ut quidquam bonitatis vel justæ laudis adjicere possint; quamvis non diffitear tempetiem climatis, vel exempla & II.

consuetudines eorum cum quibus vivimus adjuvare posse ad probitatem vel improbitatem.

III. Quare quod Scriptura Natale Solum Divi Josephi non exprimat bene est, hoc enim significat eum non inde mores hausisse, quod in aliis ut plurimùm evenire docuit Divus Hieronymus lib. 1. in epist ad Galat. c. 3. *Certus mos est*, inquit, *Scripturarum Patrium solum consignare, ut eo quasi indicio communia vitia aut virtutes intimentur*, Ionæ cap. 1. Prophetam istum transfugam interrogant nautæ, quæ terra tua? & quo vadis? & ex quo populo es tu? ubi Theodoretus, *Iubent*, inquit, *hæc dicere ut ex communibus gentis studiis & institutis hominis vitam agnoscant.*

IV. Sed quamvis verum sit homines excellentes maximè verò in Sanctitate, aut nihil, aut ferè nihil à loco in quo nati sunt trahere, certum tamen est loca ab hominibus qui in eis nati & educati præclara gesserunt nobilitari. Quem enim Aristoteles Peripateticorum Princeps Philosophorum dictus Stagyrites à Stagyrâ potuit trahere splendorem, quæ ante ipsum urbecula erat Græciæ obscura? Non ergò Aristoteles ideò Stagyrites dictus quod ei Stagyra ut nativitatem ita splendorem aliquem contulerit, sed quod è contra hic ei pro nativitate, quam ab ea acceperat, gloriam rependerit & ornamentum. Sic de Bethleem Oppidulo Judæ aliàs ignobili, dicitur per Micheam Prophetam. *Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Israel.*

V. Hinc D. Isidorus Ægyptius lib. 1. Epistol. quæst. 281. de Sanctis Fratribus Basilio Magno Cesarienſi, & Gregorio Nysseno Episcopis loquens. *Ego*, inquit, *Sanctos illos è Cappadociâ extitisse assentior, atque hoc potissimum Cappadocum improbitatis argumentum est: nam si isti ex illis minimè effulsissent, malè feriata natio generalem improbitatem tanquam à naturâ sibi inditam suis vitiis prætexere potuisset.* Econtra Themystius orat. 19. *Ridiculi*, inquit, *planè visi fuissemus, non Dei causâ locum honorantes, sed propter locum etiam Deum ipsum injuriâ afficientes. Ego & Amuletum, & Colophonem veneror propter veterem inibi Apollinis habitationem. Cæterum si propius nunc aliâ quâpiam in urbe Deus oraculum aperiat, eò proficiscar, imò Hercule ad quemlibet vicum, agrum, lucum, arborem, si quæ fortè illi arbor cara sit ut olim Iovi in Dodonâ Quercum fuisse fama testatur.*

VI. Certum est secundò, etsi loca nihil possint ut nos meliores reddant, faciunt tamen illustriores. Hinc dum patientissimi Job justitia narratur, patriam ejus enuntiat Scriptura, Job. cap. 1. vers. 1. dicens. *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille simplex, & rectus ac timens Deum & recedens à malo.* Majus enim fuit esse bonum inter malos quales erant Hussitæ Gentiles, infideles, Idololatræ & brutaliter viventes, quàm inter bonos; hinc idem Job sibimet attestatur dicens: *Frater fui draconum, & socius Struthionum.* Hinc Paulus dicit ad Philippenses cap. 2. vers. 15. *In medio nationis pravæ & perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Hinc Angelo Pergami Ecclesiæ dicitur Apocal. cap. 2. vers. 13. *Scio ubi habites, ubi sedes est Sathanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Hinc Sancta Ecclesia Sponsi voce laudatur, cùm ei in Amoris Cantico c. 2. v. 2. dicitur. *Sicut lilium inter spinas sic Amica mea inter filias.* Benè ergò justus memoratâ terrâ inter iniquos vixisse describitur, ut juxta Sponsi preconium inter spinas lilium crevisse monstretur. Vide D. Gregorium lib. 1. moral. in Job c. 1.

VII. Noster ergò Sanctissimus Patriarcha tantus cùm sit, ut nulla illustri patriâ aut loco egeat ad sui commendationem. Sed quemadmodum Homerus Ductorem exercitus Salaminæ educatum atque agresti ritu in montibus institutum Mycenæo simul & Græcis ac Barbaris antepositi. Sic D. Josephus licet in ultimo orbis angulo, licet in extremis mundi recessibus conceptus fuisset & natus, præferendus semper esset mortalibus universis: dum ergò Patriam ejus hic inquirimus, non eò id facimus quod ipse ab illâ, sed è contra quod illa ab ipso gloriam & nomen comparârit; comparatura etiam si voluerit à tanto cive Mecenate Protectore salutem & fœlicitatem. Neque enim cives poterit non amare qui amat omnes nisi ipsi se charitate

ritate Patriæ abdicare perseveraverint. Igitur ad rem.

VIII. De Patriâ Sancti Josephi duplex est sententia. Una est illorum qui volunt ipsum fuisse Bethleemitem. Fundantur in eo quod dicit D. Justinus Martyr in Dialog. ad Tryphonem Judæum, ubi loquens de D. Iosepho, ait: *Perrexit ex Nazareth ubi habitabat in Bethleem antiquam suam Patriam ut ibi describeretur.* Sed hæc ratio levis est. Nam D. Justinus dicens Bethleem antiquam Divi Josephi Patriam, non ideò dicit quod velit ibi natum, sed quia ejus Majores ex eâ oriundi essent, & quia, ut ibi dē cit D. Justinus, erat de domo & de familiâ David, qui fuit Bethleemites. Deindè quia Civitas illa ex quâ erat Caput cujusque familiæ vocabatur Civitas omnium qui erant de eadem familiâ ubicumque tandem nati essent, & ideò sub Cæsare Augusto ad illam quisque debuit accedere ut describeretur. Et notandum de D. Josepho proficiscente in Bethleem ut ibi describeretur, dici quod profectus est in Bethleem Civitatem, non suam, sed David; eo quod esset de domo & de familia David.

IX. Igitur dico, Civitas ex quâ D. Josephus est oriundus, in quâ vixit & obiit est Nazareth, Patria est Galilæa. Probatur prima pars, quia in Nazareth habuit domicilium sine dubio à parentibus suis acceptum ad quod duxit Beatam Virginem postquam ipsi desponsata fuit. Nam Christus Dominus ideò dicitur Nazarenus & Galilæus: quod scilicet in Nazareth Civitate Galilææ conceptus vixit usque ad tempus manifestationis suæ, non alibi quam in domo quæ spectabat ad D. Josephum, ad quam ipse traduxerat Virginem post desponsationem. Confirmatur ex Divo Epiphanio hæresi 79 ubi ait: *Christus in Civitate Nazareth quæ nunc vicus est, educatus est in domo Ioseph.* Sed clarius in Evangelio. Nam primò missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galileæ cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam Viro cui nomen erat Ioseph, & ergò ibi Christus conceptus. Tum deindè Lucæ cap. 2. Ascendit Ioseph à Galileâ de Civitate Nazareth in Iudęam in Civitatem David, ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante. Tertiò, ibidem vers. 39. Et ut perfecerunt omnia secundùm legem Domini reversi sunt in Galileam in Civitatem suam Nazareth. Et vers. 40. sequitur: Et ibant, scilicet ex Nazareth parentes ejus per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschæ, & cum factus esset annorum duodecim ascendentibus illis Ierosolymam secundùm consuetudinem diei festi, cùm redirent scilicet in Nazareth, remansit puer Jesus in Ierusalem: tandem ibidem adhuc vers. 51. Iesus ab eis repertus in templo sedens inter Doctores actione finitâ descendit cum eis & venit Nazareth, & erat subditus illis. Ergò Christus Nazarethi conceptus, educatusque est, & vixit usque ad manifestationis suæ tempus: utique in domo Divi Iosephi ad quam Virginem post desponsationem traduxerat.

Sed ad hoc inquiunt nonnulli, domicilium quod Nazarethi incoluerunt D. Josephus & Maria usque ad manifestationem Christi, eis obtigit ex hæreditate parentum Beatæ Virginis, non igitur benè arguitur ab isto domicilio Divum Josephum fuisse Nazarethanum. Sed X.

Respondeo, primò, qui hoc aiunt faciunt D. Josephum adeò pauperem & tenuem, ut ne domum quidem habuerit, quod nec probabile, est nec credibile, nam D. Josephus fuit filius legalis Heli & successit in ejus bonis. At quintus avus Heli ut ex Josepho lib. 2. de bello Judaïco cap. 35. & Philone in Breviario temporum habemus, omnem gubernavit Judæam & Galilæam: tanta igitur gloria non adeò potuit esse detrita in Heli, ut ne domum quidem unam haberet, in quam filius ejus Joseph succederet. XI.

Respondeo secundò, qui hoc aiunt, aiunt quoque Beatam Virginem in eâdem domo natam: Sed hoc non habet probabilitatem, primò, quia nulla inibi extat aut extitisse scitur memoria, unde constet ibi locum fuisse nativitatis Beatæ Virginis: quod eo magis admirabile quò prisci fideles, Imperatores, Imperatrices, nobilissimæ fœminæ, & Sancti Patres etiam ignobiliora conquirebant monumenta locorum XII.

rum, ut tradit S. Gregorius lib. 3. epist. 43. in quæ excelso spiritus impetu ferebantur, nihil tamen extruxerint in Nazareth pro ortu Mariæ.

XIII. Porrò qui hanc sententiam tenuerunt sequuti sunt historiam de Ortu B. Virginis, cujus cum incertus sit author & valdè singularis sit; ista opinio parùm habet firmitatis: in his sunt Gerson 4. part. serm. de Concept. S. Vincentius Ferrerius serm. de Nativ. Mariæ. Onuphrius in Chron. Ludolph. 1. part. vitæ Christi cap. 2. Pererius de benedictionibus Patriarcharum proph. 4. Rutilius Benzonius lib. 6. de Iubilæo, qui huic adhæsere, existimantes illius historiæ authorem esse D. Hieronymum, eo quod extet inter opera ejus, quod tamen falsum esse constat.

XIV. Respondeo tertiò, Beatam Virginem natam esse Hierosolymis in domo parentum, quæ erat ad templi valvas fœlici omnine ut cujus uterus futurus erat aliquando templum Dei. Hanc veritatem his mihi persuadeo documentis. Primo ex Synesio in hymnis qui Mariam Solymitanam pangit; & ex Sancta Brigitta lib. 5. Revelat. cap. 13. ubi sic illa. *Qui ad locum istum*, Ierusalem, *venerit ubi Maria nata & educata est, non solum mundabitur, sed erit vas in honorem meum.* Clarissimæ huic sententiæ adhæret noster D. Damascenus qui Loca Sancta visitavit ut testatur Ioannes Patriarcha in ejus vitâ. Forsan in eâ profectione habuit orationem priorem de Nativitate Virginis, quandoquidem per apostrophem ad probaticam piscinam quæ nascentem excepit Virginem, hæc dedit. *Fausta tibi sint omnia ô Matris Dei probatica! Patrum Reginæ domicilium. Fausta tibi sint omnia ô probatica! feminum Ioachim vetus fanum, nunc autem ovilis ratione præditi Ecclesia cœlum imitans, atque olim quidem semel quotannis Angelum Dei excipiens, nunc cælestium virtutum copiosum agmen habens miraculorum abyssum.* Ejusdem coloris sunt quæ habet idem 4. de fide orthod. cap. 15. *In lucem editur Virgo in domo probatica Ioachim, atque ad templum adducitur.*

XV. Sed verbis paulò post in Damasceno sequentibus. *Editur partu Maria in domo ovilis Ioachim.* Decepti nonnulli Mariam in solitudine inter greges & pastores natam existimarunt: sed malè. Cùm domus ovilis Ioachim dicatur quæ erat Hierosolymis Ioachimo ad forum pecuarium in quo oves & pecudes pro sacrificiis servari solebant: vel quod ut ait S. Hieronymus lib. de locis Hebraicis sacrificandæ oves ibi lavarentur: vel quia propè esset illam portam quæ dicitur porta gregis. Porta enim erat Ierosolymis quâ in templum greges sacrificandi inducerentur, tandem Latinè idem est domus ovilis, quod Græcè domus probatica à voce *probaton*, quæ ovem significat.

Confirmatur ex sensu Ecclesiæ quæ XVI. in officio Nativitatis & Conceptionis Beatæ Virginis canit, *sicut Spina Rosam gennit Iudæa* (non Galilæa,) *Mariam*, vide Hugonem à S. Victore serm. 65. vide etiam Guillelmum Baldensel, qui vixit anno 1300. & accuratè suis oculis lustravit & indagavit Palestinæ monimenta qui Hodeporic. ad terram sanctam, hæc habet: *Ecclesiæ Beatæ Annæ Aviæ Christi satis pulchra est, contigua probaticæ Piscinæ, ubi Beata Virgo nata fuisse dicitur.* Vide item Bredembachium 26. Julii, Saligniacum, tom. 8. cap. 6. Vitriacum cap. 58. Guillelmum Tyrium 11. belli sacri, nostrum Joannem Pascha D. 197. qui anno 1527. librum edidit de confecta à se peregrinatione ad loca sancta, qui iterùm excusus est Lovanii anno 1663.

Firmius adhuc solidatur hæc doctri- XVII. da ex constanti traditione quam decem aut undecim Rom. Pontifices probaverunt, qui ut in ordinario terræ sanctę legitur, & ex itinerariis probatis cõvincitur, plures cõcesseruut Indulgentias & criminum remissiones probaticæ Piscinæ juxta Templum sitę eo quod in ea sit orta Deipara; quod nullus Pontifex fecit pro Nazareth, vel alio quovis loco. Ideò Cotovicus lib. 2. Itinerarii dum locorum sanctitatem exprimit quæ sunt propè Templum Salomonis, hæc habet: *Ad lævam*, inquit, *reliquimus fanum vetusti operis Sanctæ Annæ Virginis Matri quondam dicatum Nativitate Virginis per celebre. Ædes namque Ioachimi & Annæ eo loci quondam extitisse, ibique natam esse Virginem à veteribus acceptum est.*

His

XVIII. His adde illam descriptionem Palestinæ quæ habetur ad finem Itinerarii Leonis de Rosmital, ubi post consignatas Beatæ Annæ Ædes prope piscinam probaticam Jerusalem, refert plenariam criminum remissionem illis sacris locis adnexam à Sancto Papa Sylvestro Constantini Magni & Divæ Imperatricis Helenę matris ejus rogatu, quod ibidem Beatissima Deipara fœlici ortu edita fuisset.

XIX. Cùm igitur ex dictis hactenus tam firmiter constet Beatam Virginem non Nazarethi, ut ex deceptione à libro de Ortu Beatæ Virginis falsò D. Hieronymo adscripto & inter ejus opera cõpilato, censuerunt illi, qui à nobis supra citati num. 13. unde quæso Beata Virgo statim à desponsatione sua cum D. Josepho transmigravit in Nazareth, ibique usque ad manifestationem Christi omnes permanserunt (propter quod JESUS dictus est & dici debuit secundùm Prophetas Nazarenus) nisi ex eo quod Beatam Virginem D. Joseph sibi desponsatam traduxit in domum suam ibi? & ita fieri voluit Deus ut sicut à Patre suo æterno habet quod vocetur Christus, ita à D. Josepho quod vocetur & Nazarenus & Galilæus, Nazarenus à bonis, Galilæus à malis Juliano Apostata & aliis illi similibus.

XX. Objicies si parentibus Beatæ Virginis fuissent ædes Jerosolymis, cùm illi jam mortui essent quando illa nupsit, & consequenter illis in bonis successisset, sine dubio potius elegisset manere in domo in quâ nata fuisset, in quâ parentes vixissent & obiissent, quàm in Nazareth, maximè ut esset vicinior Templo cui in eo triennis Deo oblata, ita afficiebatur, ut ab eo nunquam discessisset, nisi ei constitisset voluntatem Dei esse ut Josepho se traderet: & sine dubio Josepho tam cara erat, ut pio ejus desiderio ipse etiam tam pius & sanctus nunquam obstitisset: Respondent aliqui propter hoc argumentum dicendum esse Beatæ Virginis parentes necdum tunc fuisse mortuos maximè cùm contrarium aliundè probari nequeat: & ideò à D Josepho conjuge suo in domum suam, quam Nazarethi habebat fuisse abductam; & per hoc magis confirmari hanc sententiam de Patriâ D. Josephi. Respondeo secundò, cùm decrevissent uterque ex Dei motione speciali sanctam paupertatem servare, & ex re familiari necessaria tantùm reservare; elegit B. Virgo & D. Josephus ex bonis ad se pertinentibus & devolutis ea vendere, ex quorum venditione melius paupertatem istam servare poterant, & plura in pauperes erogare: quare cùm ea quæ possidebant Jerosolymis ex hæreditate SS. Joachimi & Annæ ampla essent, & domus Nazarethana D. Josephi conformior paupertati sanctę, ibique Divus Josephus, ut civis & incola suas haberet habitudines, ut ex arte sua sibi & sponsæ suę victũ quęreret, ideò B. Virgo quæ humilis erat & subdita, prętulit virum suum sequi & Nazarethum venire.

XXI. Et hæc D. Josephi domus Nazarethana illa est quam Deus elegit pro conceptione suâ, illa est quam Christus sanctificavit in habitatione sua usque ad tẽpus manifestationis suæ, illa est quam super omnia loca quæ suâ sanctissimâ consecravit præsentiâ dilexit, quam ideò ne cum cæteris in manus inimicorum fidei caderet, singularissimo, stupendissimo ac inaudito omnibus sæculis portento per aëra Nazaretho in Dalmatiam, à Dalmatiâ in agrum Picenum, inde in prædium cujusdam Lauretæ seu Laurentiæ, unde Lauretana jam dicitur, transtulit: tandem illa est, ut paucis multa complectar, totius orbis primum ac maximum sacrarium, non à christianis tantùm orthodoxis, sed etiam à Sarracenis in pretio & veneratione habitum, quæ non minùs justè Nazarethana à Nazaretho, aut Josephina à D. Josepho, quàm Lauretana à Laureta vel Laurentia, in cujus prædio collocata est diceretur: Et hæc de Civitate D. Josephi.

XXII. De Patria seu Provincia in qua sita est Nazareth, certum est esse Galileam. *Missus est* enim *Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilææ cui nomen Nazareth*, Hæc Provincia est in Asiâ, de qua ita Hypocrates opusc. de aëre & aquis. *Longè pulchriora & majora omnia nascuntur in Asiâ, estq; Regio ipsâ Europâ mansuetior, sunt enim hominum mores benigniores & cultiores. Causa verò horum est, temporum anni temperies, siquidem*

*in medio solis ortu sita est, ad auroram, à frigiditate & caliditate omni remotior.*

XXIII. Galilęa ipsa in eâ mũdi plagâ ideſt Asia inter cęteras ejus Provincias, utpote ferè in ejus meditullio posita, ut à situ, ita à natura optima est: ut enim ex Iosepho Iudæo, aliisque multis colligimus fontibus est perennibus atque torrentibus irrigua, frumenti, vini & olei feracissima: omnes illius oræ scatent omnigenâ fructuum ubertate: pratorum herbescens viriditas, floribus innumeris vernat, fontes purissimis labuntur aquis. Crederes Carmelum, & Thabor, & Hermon, & terram Naid, aut fortunatas Insulas, si ibi essent Conventus Philosophorum, Theatra Poëtarum, Exultantium Coronæ, Musici concentus, & Genialia Convivia, quæ Plato in suis describserat. Non frigus in Galilæâ, non æstus est gravis, sed temperatus aër funditur, & mitibus solis radiis illustratur. Et Isidorus lib. 4. de orig. cap. 3. Galilæa candidiores gignit homines quàm Palestina, terra opima, ferax & fructibus satis fœcunda.

XXIV. Sed ut à natura & situ optima est Galilæa, ita à moribus contemptibilis, imò Ioannes Major in cap. 1. Lucæ scripsit nihil apud Iudæorum Proceres eâ Provinciâ fuisse contemptibilius. Contemptibilitas ejus videtur indicari Ioan. cap. 7. vers. 41. *Nunquid à Galilæâ venit Christus?* Et propterea Nicodemo videtur objectum esse, ibidem versu 52. *Nunquid & tu Galilæus es? Scrutare & vide quia à Galilæâ Propheta non surgit.* Quæ opprobria, ut patet, non in solum, sed in homines conjecta sunt, vel ob inculta ingenia, vel in contemptum non benè observatæ Religionis, vel forsan quod Gentilibus vicina odium incurrerit Hebræorum.

XXV. Porrò duæ sunt Galilęæ in Asiâ, vel dividitur una in duas partes: quarum prima confinis est Iudææ, altera verò Phœniciæ juxta nostrum S. Cyrillum Alexandrinum lib. 2. contra Iulian. quas Iosephus lib. 3. de bello Iud. cap. 2. superiorem & inferiorem nominat. Superior quæ est posita in Tribu Nephtali, ea est, quæ Isaiæ cap. 9. & Matth. cap. 4. dicitur Galilæa Gentium, tùm quia hæc, ut etiam inferior, & longè amplius gentibus cingebatur, tùm quia Salomon maximam ejus partem Hiram Regi Tyriorum cesserat. Posterior autẽ est in Tribu Zabulon circa Tiberiadem & Stagnum Genezareth, ut tradit D. Hieron. lib. de locis Hebraïcis in qua est Nazareth de quâ nobis hic sermo: & per hoc patet bonitas divisionis Galilææ, quandoquidẽ Nazarethani ipsi dicentes Domino: *Quanta audivimus facta in Capharnaum* (quæ est Civitas in Galilæâ) *fac & hic in Patria tua.* Distinctionem Galilææ manifestè innuant.

In hâc ergò secundâ partæ Galilęæ, XXVI. quæ est inferior posita in Tribu Zabulon, est nostra Nazareth, quæ cùm interpretatur florida, denotat hunc locum summè participare bonitatem soli totius Galilææ; sed ut bonitate soli hęc pars Galilęæ commendabilis ut tota Galilęa, ita à moribus contemptibilis ut reliquum Galilææ. Hinc illæ voces: *A Nazareth potest quid boni venire?*

Sed dices, hæc Nazareth non perti- XXVII. nebat ad Tribum Judæ ex quâ tamen fuit D. Joseph, sed ad Tribum Zabulon ut diximus: non potuit ergò D. Josephus possedisse domum extra propriam sortem. Respondeo, rediisse tantùm è captivitate Babyloniæ Tribus Juda, Levi & Benjamin, alias verò Tribus remansisse in terrâ Medorum & Persarũ: unde tres illę Tribus reduces totam terram Judęorum possidebant, nè esset deserta. Vide plura apud Abulensẽ in c. 2. Matt. q 87. & 88. & Sylveirã tom. 1. in Evang. lib. 2. c. 9. in exposit. illorum verborũ Matt. c. 2. v. 23. *Et veniens habitavit in Civitate quæ vocatur Nazareth.*

Quare cùm è Nazaretho à moribus XXVIII. ita contemptibili tantus civis fuerit Divus Josephus oriundus, imò & Jesus ibidem conceptus, & per tot annos incola. Meritò propter hos contra Nazarethanos & Galilæos torqueo quod hic supra num. 5. D. Isidorus Ægyptius lib. 1. epistolar. epist. 281. contra Cappadoces improbos ob Sanctos Fratres Basilium & Gregorium ex eâ etiam oriundos. *Ego Sanctos illos*, Josephum & Jesum, *è Nazaretho & Galilæa extitisse assentior, atque hoc potissimum Nazarethanorum & Galilæorum improbitatis argumentum est: Nam si isti ex illis minimè effulsissent, malè ferata natio generalem improbitatem tanquam à natura sibi inditam*

*tam suis vitiis prætexere potuisset.*

XXIX. Et hæc de Patriâ D. Ioſephi realiter & hiſtoricè, moraliter dicere poſſumus D. Ioſepho nullam hîc fuiſſe patriam, ſed quod de Sapiente dixit ſapienter Seneca epiſt. 102. *Illi patria eſt quodcumque ſuperne univerſa circuitu ſuo cingit, hoc omne connexum, intra quod jacent maria cum terris, intra quod aër humanis divina ſecernens etiam conjungit, intra quod diſpoſita tot numina in actus ſuos excubant.* Vel quod idem Seneca de ſe lib. de Vitâ beatâ. *Patriam meam eſſe mundum ſcio, & Præſides Deos ſupra me, circaq. me.*

XXX. Plutarchus lib. de exilio. *Naturâ*, inquit, *nulla eſt Patria, ut nec domicilium, neque prædium, neque officina æraria, ut Ariſtoteles dixit, vel medica: ſed fit, imò appellatur & nominatur horum quodcumque quantum ad habitationem & virtutem: Homo enim, ut eſt apud Platonem, non eſt ſtirps terræ infixa, neque immota:* Stirpes ſunt & ſtipites qui Patrii ſoli amore capti ita loco uni adhærere videntur, ut vi nulla poſſint ab eo avelli aut alienos tractus peragrare, non ut Socrates qui ſe non Athenienſem, non Græcum, ſed mundanum appellabat. Non ita Sanctiſſimus Patriarcha Ioſephus, qui ut in Galilæa, ita in Iudæa, ita in Ægypto degere, ut Deo placuiſſet, paratus fuit, & patet ex Evangelio.

XXXI. De ſe dicebat Magnus ille Paulus Oroſius Sancto Auguſtino familiaris, lib. 5. contra Paganos. *Inter Romanos Romanus, inter Chriſtianos Chriſtianus, inter homines homo, legibus imploro rempublicam, Religione conſcientiam, communione naturam: utor temporariè omni terrâ quaſi patriâ, quia quæ vera eſt, & illa, quam amo, patria, in terra penitùs non eſt: nihil perdidi ubi nihil amavi: totumq. habeo quando quem diligo mecum eſt; maximè quia & apud omnes idem eſt, qui me non modò notum omnibus, verùm & proximum facit, neque egentem deſerit, quia ipſius eſt terra & plenitudo ejus, ex qua omnibus omnia juſſit eſſe communia.* Hæc ille: eadem tantò juſtius & rectius ſibi uſurpare potuit Sanctiſſimus Patriarcha Ioſephus, quantò certius & ſtrictius ubique ſecum habebat quem diligebat.

Sed cur non etiam de ipſo verè dicere poſſim domum D. Ioſepho fuiſſe, urbem, fuiſſe illi & Patriam, adeò ſolitarius erat & abſconditus: ibi, non de illorum numero erat de quibus loquitur Seneca epiſt. 60. *Qui latitant & torpent*, inquit, *ſic in domo ſunt, quaſi in conditivo: horum licet in limine ipſo nomen marmori inſcribas, mortem ſuam anteceſſerunt.* Et omnis & nullius loci fuit filius aut debitor D. Ioſephus, ubique Dominus, ubique peregrinus. XXXII.

## SECTIO II.

### *De Parentelâ Divi Ioſephi.*

DE Progenitoribus D. Ioſephi ſupra fusè ſatis diſceptavimus, hîc de fratribus & collateralibus conſanguineis ejus. De quibus XXXIII.

Dico primò, quod ſupra c. 3. num. 6. Mariam & Ioſephum fuiſſe conſanguineos inter ſe, & ita propinquos ut Genealogiam D. Ioſephi per Matthæum deductam, fuiſſe etiam Genealogiam Mariæ & Chriſti Domini ex eâ ſolâ nati, omnibus indubitatum fuerit: fuit enim Chriſtus in ſuâ patriâ perſona nimis publica ut ejus natales quemquam latuerint: unde factum ut nec ullus ex Judæis qui tunc vivebant quando Matthæus Genealogiam ipſius edidit, in dubium revocarit quod intendit per illam Matthæus, illam nimirùm licet ad D. Ioſephum terminatam, probare tamen Chriſti ex Abrahamo & Davide deſcenſum ſecundùm carnem.

Quare aſſerunt hodie Interpretes qui rem penitius examinarunt, quod & nos cum illis credimus, Jacob Patrem carnalem D. Ioſephi, & Ioachim Patrem Beatæ Virginis fuiſſe fratres ex eodem Patre Mathan de lineâ Salomonis & Matre Eſtha genitos; atque adeò Ioſephum & Mariam fuiſſe Patrueles, & habuiſſe eundem Avum & Aviam Mathan ſcilicet & Eſtham; quod verò addunt alii, quos ſequitur Poza in Elucid. Deiparæ lib. 2. tract. 13. c. 6. Joachim & Annam eundem etiam Avum Paternum habuiſſe, ſcilicet Eleazar vel Eliud, qui omnes continentur in ſerie Matthæi; ac ſic Sanctam Annam fuiſſe etiam conſangui- XXXIV.

neam D. Iosephi in tertio vel quarto gradu, non approbo: quia mihi certum est illam ex Patre non fuisse de Tribu Iudâ, sed de genere Sacerdotali: fuit tamen amitta per affinitatem ut nupta Ioachimo Patruo suo, ac deinde superveniente matrimonio cum Beata Virgine, socrus.

XXXV. Ex his colligimus, quod cum D. Iosephus & Deipara conveniant in uno & eodem Avo Paterno seu communi utrique stipite scilicet Mathan, sintque ideò ambo ut ex duobus fratribus geniti patrueles & consanguinei in secundo gradu: colligimus, inquam, quod etsi D. Iosephus non esset Pater Christi, ut conjux Matris ejus, esset tamen consanguineus Christi in gradu medio inter secundum & tertium, & certissimè propinquiori quàm vel D. Ioannes Baptista, vel alii qui dicuntur in Evangelio ejus fratres & sorores, idest cognati.

XXXVI. Ex quo ita infero, si Christus, quia apprehendens semen Abrahæ factus est aliquo modo de cognatione Iudæorum, eos ita prætulit aliis nationibus in suis gratiis, ut ipse dixerit mulieri Chananeæ Matthæi, cap. 15. *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Et *non est bonum sumere panem filiorum & mittere illum omnibus*, & alia id genus: si veræ ac strictæ jura cognationis, majoribus adhuc favoribus prosecutus est, majori studio promovit, ut patet tum in Sancto Præcursore suo, tum in pluribus Apostolis de cognatione sua ut Iacobo & Iuda & altero Iacobo & Ioanne filiis Zebedei, quos ad sacros Magistratus in regno suo evexit: an inter illos neglexisset D. Iosephũ sibi propius illis sanguine conjunctum, nisi illum ad titulum omnibus celsiorem evexisset, majoribusque & selectioribus gratiis & reservasset & dignum effecisset?

XXXVII. Nomen Matris D. Iosephi quæ fuit uxor Heli, & in qua Iacob hujus uterinus frater eum suscitavit, juxta legem fratri suo sine liberis defuncto, ignoratur, bonam tamen fuisse conjicitur, primò, ex eo quod tali homini qualis fuit & debebat esse D. Joseph non alia mater quàm bona obtingere debuerit, quis enim credat tam boni fructus malam fuisse arborem? etsi enim subinde contingat quod non diffiteor, ex malis parentibus bonos quandoque nasci filios, & è contra, id tamen rarum est, & præcipuè in filiis adeò conspicuis & insignibus qualis fuit D. Iosephus. Secundò, quia ut docet Aristoteles, *Filii frequenter matrizant*, quod jam transiit in proverbium: idest proles matrem frequenter referunt, non tantùm in specie vultus, & totâ corporis habitudine, sed maximè in indole, moribus & complexione: quod ex quintuplici capite provenit, primò, quidem quia corpus prolis ferè ex toto decisum est ex substantiâ matris. Secundò, quia satis lõgo tempore in utero matris corpus prolis formatur & organizatur, ut illud suo charactere notet, suasque ei imprimat affectiones & passiones, ac temperamentum. Tertiò, quia ibi ex ejus substantiâ coagmentatur per novem menses. Quartò, quia indè educta primam suam nutritionem ex eâdem illius substantiâ, sanguine scilicet ejus in lac conversõ, accipit, quod multùm confert ad indolem: dùm enim egredimur utero materno complexionem quidem habemus aliquam, ast valde imperfectam, sed absolvitur in manibus ejus cujus lac sugimus: hoc adeò verum est, ut etiam observatum sit quod si hinnulus Capreæ ovem sugat, pilus ejus lenior evadit, & è contra si caprea agnum lactet, hujus lana erit asperior. Proptrea Commodus Imperator nihil habuit indolis Parentum suorum, sed illam traxit, & quoad vixit retinuit à nutrice quam suxit: mulier illa pilosa erat & barbata ut vir, & ideò Commodus illi traditus, quia credebatur cum lacte nutricis, animum fortem, martialem & generosum hausturum; sed secus accidit: hæc enim per lac suum ex Principe fecit gladiatorem, ex Imperatore monstrum, hominem dico ferinum, trucem, & barbarum. Tandem filii *frequenter matrizant* propter educationem, in quâ matres potiorem habent partem. Cùm ergo videamus D. Iosephum tam bonæ indolis, tam honestum, mitem, modestum, & tranquillum, cur non ex hoc conjiciamus probabiliter matrem ipsius ex

cujus

cujus substantiâ compactus est, in cujus matrice totis novem mensibus formatus est, cujus substantiâ & lacte tamdiu nutritus est, sub cujus manu adolevit, honestam fuisse & optimam? Tertiò, principaliter quia aliquo modo fuit Avia Christi, utpote mater Patris sui D. Josephi; ergo aliquo modo propter istam ad Christum proximitatem à Divâ Annâ ad illam, argumentandum, licet non omninò pariformiter.

XXXVIII Præterea pro certo assigno D. Josepho Fratrem ex eodē Patre & Matre genitum nomine Cleopham: & huic asserto standum statuit Baronius in Apparatu propter authoritatē Hegesippi antiquissimi qui fuit vicinus temporibus Apostolorū: & confirmatur iterùm authotate D. Epiphanii qui hęres. 66. ait: *Præterierunt Sancti omnes & cum ipsis Simeon filius Cleophæ fratris Ioseph.* Et hæres. 78. *Hic Ioseph frater fuit Cleophæ, erat autem filius Iacob qui Panther cognominabatur.* Idemque docent Eusebius lib. 3. histor. Ecclesiast. cap. 11. Cedrenus in Compend. histor. Nicephorus lib. 3. histor. cap. 9. Ven. Beda in cap. 6. Lucæ & in cap. 1. Actuum Apost. Theophylactus in cap. 19. Joan. & alii innumeri. Confirmaturque secundò efficacissimè ex Joan. cap. 19. ubi una ex mulieribus stantibus juxta Crucem Jesu cum Matre ejus dicitur Maria Cleophæ, non utique à Patre, sed à marito suo, more Judæis aliisque usitato, simulque dicitur Soror Beatæ Virginis, (*Stabat juxta Crucem IESV Mater ejus, & Soror Matris ejus Maria Cleophæ:*) undè autem hæc Soror Mariæ, nisi quia erat Uxor Cleophæ Fratris Sancti Iosephi Sponsi Mariæ?

XXXIX. Consequenter Nepos ejus fuit Simeon, ille de quo ita Eusebius, & Historia Ecclesiast. in Breviario ad 18. Febr. *Simeon Filius Cleophæ post Iacobum proximus Ierosolymis ordinatus Episcopus, Trajano Imperatore apud Atticum Consularem est accusatus, quod Christianus esset, & Christi propinquus: (comprehendebantur enim omnes eo tempore quicumque ex genere David orti essent.) Quare multis cruciatus tormentis, eodem passionis genere, quod Salvator noster subierat, afficitur, mirantibus omnibus quod homo ætate confectus (erat enim centum & viginti annorum) acerbissimos Crucis dolores fortiter constanterq; pateretur.*

Dico tertiò, constat ex Matth. cap. 13. circa finem & Marci cap. 6. in initio, Iacobum Minorem, Ioseph, Iudam & Simonem seu Simeonem fuisse dictos fratres Domini: quod quo pacto verum sit hîc inquirendum, quia facit ad præsentem materiam. Respondebat spurcissimus Helvidius ita dictos, quod ex eâdem Matre quâ Christus essent nati, negabat enim Matrem Christi perpetuò mansisse Virginem; sed cum iste nequam vapulaverit D. Hieronymo lib. contra ipsum, cum hîc dimittimus. XL.

Respondent secundò, Græci passim cum Eusebio lib. 2. histor. cap. 1. & è Latinis S. Hilarius & Ambrosius apud Baronium in Apparatu cap. 46. fuisse filios D. Iosephi ex priori matrimonio quod inierat antequam Beatam Virginem duceret: verùm Divum Iosephum non habuisse aliam uxorem quàm Beatam Virginem, ac perpetuam coluisse Virginitatem, res est quam clarè probabimus infra Parte 2. Tractatu 1. cap. 3. XLI.

Respondent alii tertiò, hos fuisse ex Sanctâ Annâ Virginis Matre progenitos. Volunt enim Annam prætet Ioachimum ex quo concepit Beatam Virginem Deiparentem duos alios successivè habuisse maritos, ex quibus illas proles conceperit. Hujus sententiæ fuit Hugo de S. Victore quæst. 5. de nuptiis. Glossa & Strabo in cap. 1. ad Galat. Haymo lib. 2. de Christianar. rer. memoria cap. 3. Ludolphus part. 1. cap. 3. Ekius serm. de S. Annâ, Franciscus Ximenez Patriarcha Ierosolymitanus lib. 2. cap. 14. Adrichomius in Chronico, & Theophilus Lebbæus in suo Onomastico Theolog. & alii. Hancque sententiam docet Azorius lib. 2. Moral. institut. cap. 15. fuisse communiorem. XLII.

Sed esto illa esset communior, quod non, contraria est verior, imò certa: constat enim ex Sancto Hyppolito antiquissimo apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. Sanctam Annam unius Viri fuisse uxorem & unicæ prolis Matrem, Uxorem Ioachimi, Matrem Deiparæ, XLIII.

idque multis probant, Christophorus à Castro lib. de Deipar. cap. 1. Baronius in Apparatu ad Annales cap. 46. & seq. Suarez part. 3. quæst. 28. art. 1. disp. 5. sect. 4. & innumeri alii. Et confirmatur authoritate Patrum Sancti Ioannis Damasceni orat. 1. de Nativit. Virgin. ubi ait: *Te unigenitam & primogenitam hodierno die ex sterili Matre produxit.* Eusebii Emisseni homil. in Nativ. Mariæ. *Maria*, inquit, *nec fratres habuit nec habuisse legitur.* Euthimii in cap. 19. Ioan. ad illa verba vers. 25. *Stabant autem juxta Crucem IESV Mater ejus & Soror Matris ejus Maria Cleophæ. Vnigenita*, inquit, *erat Dei Mater: Moris autem erat apud Hebræos fratrum quoque uxores appellare sorores propter virorum fraternitatem: Ioseph quidem & Cleophas, viri Deiparæ & alterius Mariæ* (id est Cleophæ) *naturâ fratres erant, ipsæ autem eorum uxores affinitate sorores.* Idem quoque docet Theophilactus in eundem locum. Et certè si cùm in Divinis Scripturis fratres & sorores nominari inveniuntur, inquit Baronius, velint hi germanas intelligere, in portentosos eos labi errores necesse est, cùm apud Matthæum & Marcum Christi sorores & fratres nominentur, quos quidem nullus unquam Catholicus ex Deiparâ Virgine natos (cùm sit horrendum nefas vel cogitare) præsumpserit.

XLIV. Confirmatur idem ex Sanctis Patribus, Gregorio Nysseno serm. de Christii Nativit. Damasceno orat. 2. & 3. de Nativit. Virg. Andreâ Cretensi Encom. 1. de dormit. Virg. Germano sermon. de oblat. Mariæ in templo. Epiphanio orat. de laudib. Mariæ, S. Thomâ in 1. ad Galatas lect. 5. Metaphraste de vitâ Virg. Nicephoro lib. 1. histor. cap. 7. Cedreno in Compend. histor. Ildephonso serm. de Nativit. Deipar. qui omnes cùm asserant S. Annam in senectute concepisse Mariam, sequitur non credidisse adeò fuisse avidam matrimonii, ut iterùm iterumque in eâ ætate, præsuppositisq; præsupponendis nupserit.

XLV. Confirmatur iterùm, quia S. Anna per Virginis natalem veteris acceperat Testamenti benedictionem, nec quidquam cogebat ut post fœmineam sobolem tentaret nova connubia, ut masculus nasceretur. Quis autem credat nihil ad hoc cogente, & præterea impediente senectute, adeò fuisse incontinentem aut levem Annam sanctissimam fœminam, ut ad secundum & tertium thalamum inhiarit.

XLVI. Igitur dicendum hos quatuor, Iacobum, Iosephum, Iudam & Simonem seu Simeonem non fuisse propriè fratres Christi, nec etiam ex D. Iosepho, aut Sanctâ Annâ progenitos, sed dici fratres id est consanguineos phrasi Hebræis familiari, & ut expressius loquamur fuisse filios præfati Cleophę fratris D. Iosephi, & istius quæ dicitur Maria Cleophæ & Soror Matris Iesu, quæ unà cum ipsa stabat juxta Crucem Jesu.

XLVII. Nam constat istos quatuor fuisse fratres, & quidem de Iacobo Minore & Ioseph patet ex Marci cap. 15. vers. 4. ubi assignatur una utriusque Mater: patet etiam de Iuda, quia hic initio epistolæ suæ vocat se fratrem Iacobi, intellige hujus, id est Minoris: quare ergò Simonem sive Simeonem illis admixtũ ab Evangelistis Matth. c. 13. & Marc. c. 6. ab illis separaremus? Atqui patet ex dictis hic suprà num. 39. Simeonem fuisse filium Cleophæ, ergo dicuntur fratres Christi quia fuerunt nepotes D. Iosephi, nimirùm filii Cleophæ fratris Ioseph. Nec refert quod iste Iacobus minor dicatur Alphæi, id est filius, quia Cleophas utroque nomine nuncupatus est.

XLVIII. Negat tamen Baronius in apparatu ad Annales eandem fuisse Mariam quæ dicitur Cleophæ Ioan. c. 19. v. 35. & illam quæ dicitur Iacobi & Ioseph mater Matth. c. 27. v. 55. eò quod hanc Mariam Iacobi & Ioseph matrem à longè stantem & aspicientem cum aliis mulieribus, tradant Matthæus c. 27. & Marcus c. 15. Ioannes verò c. 19. de Mariâ Cleophæ sorore Matris Iesu loquens, eam statuit cum Matre Iesu stantem juxta crucem Iesu: sed non animadvertit Baronius, quod iisdem locis Matthæi & Marci Maria Magdalenæ dicitur etiam stetisse & aspexisse à longè, & tamen Ioannes eodem etiam capite dicit, *Stabant juxta Crucem IESV Mater ejus soror Matris ejus Maria Cleophæ*

&

*& Maria Magdalenæ.* Quod ergo respondebit Baronius, ut hæc duo quæ putat diversa conciliet pro Maria Magdalenæ, hoc ego Baronio reponam pro Mariâ Cleophæ.

XLIX. Pro Coronide nescio an non possim dicere ad commendationem sanctissimi nostri Patriarchæ D. Iosephi, quod omnes illi ejus propinqui propter illius considerationem à Deo eam quâ præditi fuerunt sanctitatis prærogativam acceperint, eodem modo proportione servatâ quo docent authores & inter eos Victor Serm. de Purificat. Parentes & propinquos Beatæ Virginis propter ipsam, gratias accepisse quas aliàs accepturi non erant. Non quod ego existimem carnem vel sanguinem posse mereri sanctitatem aut esse dispositionem ad illam; absit hoc à me, sed quod Christus Dominus occasionem acceperit ob amorem dilectissimi Patris sui Iosephi ejus cognationi benefaciendi, eamque propter illius considerationem gratiis præveniendi; cum quibus ad eum quem adepti sunt sanctitatis gradum pervenêre.

L. Nec hoc (ut ramen arbitror) temerè dictum: confirmor in hac opinione meâ exemplo quod occurrit in Scripturâ Tobiæ cap. 13. ubi in gratiam viri istius Sancti, quotquot filii & cognati tunc erant & fuerunt longo post tempore justi, Deoque ac hominibus charissimi extiterunt & extitisse pronunciantur, sic enim ibi Scriptura: *Tobias abscessit ex Ninive cum uxore suâ, & filiis & filiorum filiis, & reversus est ad soceros suos, invenitq; eos incolumes, in senectute bonâ, & curam eorum gessit, & ipse clausit oculos eorum, & omnem hæreditatem domus Raguelis ipse percepit, vidítq; quintam generationem filios filiorum suorum, & completis annis nonaginta novem in timore Domini cum gaudio sepelierunt eum,* Deinde addit statim quod sequitur. *Omnis autem cognatio ejus, & omnis generatio ejus, in bonâ vitâ & in sanctâ conversatione permansit, ita ut accepti essent tam Deo quam hominibus, & cunctis habitantibus in terrâ.*

LI. Quare non debet videri durum quod dico in gratiam D. Josephi, qui non Tobiæ solùm, sed etiam omnium hominum merita apud Christum filium suum superavit, quod gratiam ad cognatos suos ut Tobias transmittere potuerit, seu potius quod illâ Christus intuitu quod ejus cognati erant concesserit, cum illud fecerit non tantùm generationi Tobiæ, sed etiam cognationi intuitu ejus.

## CAPUT XV.

### *De Nomine Sanctissimi Patriarchæ, quod est Ioseph.*

NEMO negaverit, ut credo, I. omnes semper in eo convenisse nationes, ut filiis suis nomina imposituri, præclarum aliquod, & non nisi fausti ominis eligerent; & hoc quantum consequi possum duplici fine: primò, quidem ut filii hâc ratione admonerentur, & quando ad ætatem perveniissent intelligerêt, spem de eorum probitate conceptam, ut eam studiis suis implere satagerent. Secundò, ut hoc pacto in eis desiderium excitarent, & adderent animum non minora pro virtute & honore gerendi, quam fecerant illi qui ante eos idem gestaverant nomen, & quorum recordatione istud eis nomen erat impositum: inde tot Alexandri, tot Aristobuli, tot Constantini, tot Theodosii, tot Chrysostomi, inde etiam Sanctissimo Patriarchæ nostro nomen Iosephi.

Neque id cuiquam mirum videatur II. quando etiam turpissimi turpia habere nomina semper abhorruerint: Hinc apud D. Augustinum, lib. de Hæresibus cap. 42. & lib. 18. contra Faustum c. 22. Impii Manichæi & hæretici tetrimi considerantes vocabulum *Manian*, ex quo nomen Manichæi, manifestè significare stultitiam seu ineptiam, addiderunt ad nomen suum, alteram litteram N. & pro *Manichæi* quod sonabat *manian seu stultitiam fundentem* dixerunt *Mannichæi*, quasi manna fundentem ex ore, hoc est puram cœli doctrinam, *Xheo* enim Græcis *fundo* sonat.

Hinc etiam, ut mille alia his si- III. milia præteream, Luther apud Florimun-

mundum Raymundum lib. de Ortu hæres. c. 4. postquam infamem nominis sui *Ludder*, vel ut alii volunt *Lauther*, quo primitùs nuncupabatur, etymologiam advertisset, quorum primum irrisorem & furem denotat: alterum verò numerum bestiæ Apocalypticæ hoc est Antichristi 666. referebat, ut infortunatum illud infamis sui nominis præsagium evitaret & probrum, vertit in *Luther*, quod linguâ Saxonicâ hominem purum significat.

IV. Quod si tantus fuit semper nominum delectus apud omnes, etiam apud turpes, non potest non esse laudabilis mos fidelium, apud quos invaluit non alia prolibus suis nomina imponendi, quam quæ Sanctorum quos sancta Ecclesia Religiosè veneratur sanctitate illustrata fuêre: quare omninò impediendi nobiles & divites nonnulli, & damnandi cum illis eorum Presbyteri Curati, qui parvulis quos vel genuerunt vel sacro fonte expiant nomina gentilia Scipionis, Hannibalis Assueri, &c. non sine scandalo imponunt, ac si jam apud nos Christianos major habenda esset ratio vanitatis, quàm sanctitatis; virtutis militaris quàm moralis, & omninò tollendus talis abusus contra receptam in Ecclesiâ & introductam per sacros Canones consuetudinem.

V. Porrò nominum imponendorum causa & necessitas à pluralitate in specie profluxit. Cùm enim verbi causâ in specie humana plura essent individua, hinc ut unus ab altero distingui posset, quod necessarium fuit ad vitanda in societate humanâ infinita incommoda, oportuit ut diversa diversis, idest huic unum, alteri nomen imponeretur alterum.

VI. Undè insignis Christi Martyr S. Attalus apud Eusebium lib. 5. hist. c. 5. tyranno suo per contemptum ab eo quærenti quo nomine Deus ipsius vocaretur, intrepidè & sapientissimè respondit. *Qui plures sunt nominibus discernuntur, at nobis Deus unus est, & idèo non indiget nomine.* Parem in modum Mercurius Trismegistus apud Lactantium lib. 1. institut. cap. 6. Deum *Anonimum* esse prounciavit, idest sine nomine. Addit ipse Lactantius, *Deo igitur nomen non est, quia solus est, nec opus est proprio vocabulo, nisi cum discrimen exigit multitudo, ut unumquemque suâ notâ & appellatione designet, Deo autem quia semper unus est, proprium nomen est Deus.*

Viderat id ante Sanctus Cyprianus lib. quod idola Dii non sint, & expressérat acutè his verbis. *Nomen Dei ne quæras: Deus nomen est illi. Illis vocabulis opus est ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo qui solus est, Deus vocabulum totum est.* Fuit ergo pluralitas causa imponendorum nominum ad distinguendum unum ab altero. Fontes verò ex quibus nomina desumuntur ex Sacrâ Scripturâ & apud populum Dei tres invenio. VII.

Primò, enim nomen acceperunt ab aliquo eventu maximè fœliciori. Sic Eva Genes. 4. primogenitum suum vocavit *Cain*, quod significat *possessum*, dicens, *possedi hominem per Deum.* Sic alterum vocavit *Seth*, quod sonat *positum*, dicens, *Posuit Deus semen aliud pro Abel quem occidit Cain.* Genes. cap. 41. v. 25. Sic qui natus est Saræ uxori Abrahæ filius dictus est *Isaac*, idest *risus*, à lætitiâ quæ post tantam sterilitatē ei & Abrahæ contigit accepto filio ex Dei oraculo & repromissione. Sic Moyses filium vocavit *Gersam* idest *Advenam*, dicens, *Advena fui in terra aliena.* Sic Anna uxor Elcanæ filium suum vocavit Samuelem ducto nomine à Divino præsenti beneficio. Nam Samuel idem est quod Author nativitatis ejus Deus, ut interpretantur Rabanus, Angelomus, Hugo Cardinalis, & Montanus in Elencho. VIII.

Secundò, solebant prolibus nomina imponi quæ ante Majores gestaverant ad Prædecessorum memoriam perennandam: hoc colligo ex Lucæ cap 1. Nam cùm Elizabeth filium peperisset, Amici & propinqui volebant eum vocari nomine Patris sui Zachariam. Quibus respondens Mater dixit: *Nequaquam sed vocabitur Ioannes.* Ad quam iterùm Amici. *Quia nemo est in cognatione tua qui vocatur hoc nomine.* Invenientes per hoc, hanc regulam & usum fuisse receptum, nec ab eo facile recedendum, ut observarunt Toletus & Maldonatus. IX.

Tertiò, alium non minùs celebrem X.

nomi-

nominum fontem apud veteres Patriarchas frequentatum reperio, bonum scilicet omen ac præsagium futurorum, cùm ea liberis suis nomina imponebant quæ illis earum memoriam virtutum refricaret & ingereret, in quibus eos excelliere quàm maximè volebant aut ominabantur & præsagiebant excelsuros. Sic Lamech vocavit filium suum *Noe*, quod significat *requiem*, dicens: *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum.* Genes. cap. 5. Hinc D. Chrysostomus homil. 21. in Genesim recensitis Patriarchis qui ea filiis nomina imponebant quibus non tam de Avitâ nobilitate quàm de exercendâ pietate admonerentur subnectit, *A principio erudiebant pueros, qui ipsis nascebantur, admonentes appellationibus quas ipsi imposuerant ut virtutem exercerent.* Sic Micheas, Abdias, Zacharias, cæteraque his similia nomina liberis à parentibus ex virtutum vocabulis imposita: sic D. Hieronymus in proœmio in Michæam dicit votiva apud nos poni vocabula, v. g. Victoris, Pii, Casti, Probi, Modesti, quasi ob virtutis auspicium.

XI. Unum ex præclarioribus nominibus eorum qui Sanctissimum Christi Patrem præcesserant, est nomen Patriarchæ Joseph filii Jacob ex Rachele tot nominibus illustris. Hebraice dicitur *Iehoseph*, sed contrahendo dicûr *Ioseph*, quemadmodum pro Iehoiachim dicunt Joachim, pro Jehouda dicunt Jouda, fortè propterea quod nomina ista abundarent litteris quibus componebatur nomen ineffabile Dei Tetragrammaton *Iehovah*: Cùm enim Judæi istud nomen *Iehovah* ineffabile esse dicerent, & ideò ob reverentiam nonnisi rarissimè illud pronunciarent, potuit contigisse quod cum valdè superstitiosi essent Culicem excolentes, & Camelum deglutientes, ut propter istam causam nomina illa quæ litteris istius ineffabilis nominis abundabant contraxerint, quæ conjectura est plurium Authorum, & de qua syncope aliquid tetigimus in superioribus.

XII. Sed quidquid sit de hoc more Judæorum, dico mihi videri Sanctissimum Patriarcham nostrum octavo die quando ut filius verus Abrahæ circumcisus est, nomen istud præclarum *Ioseph*, & nescio qua suavitate perfusum (quod etiam cupierim & suaserim à Parentibus filiis suis in baptismo imponi) ex triplici illo fonte omninò sortitum fuisse.

Vocatus est enim primò Joseph, & XIII.
ut arbitror præcipuè ab eventu fœlici. Hoc mihi videtur ita probabile ut credam neminem qui meam circa hoc mentem ponderarit illud negaturum. Joseph siquidem significat augmentum, *sive addat mihi Dominus*, primus enim qui vocatus est hoc nomine, sic dictus est quod Matri Racheli naturaliter sterili, quæ nonnisi adoptivos ex ancillâ suâ genitos habebat filios præter spem additus sit. Eodem ergo modo cùm Heli ex serie Nathan, apud D. Lucam, sine liberis esset defunctus, Iacob ejus frater uterinus ex serie Salomonis superstes ei semen suscitavit ex lege Deuteronomii cap. 25. scilicet nostrum Joseph ut diximus suprà. Cùm ergo quod huic Heli natura negaverat, matri lex addiderit, nonne verisimile est filium sic à lege vel potius à Domino legis conditore additum propterea *Ioseph*, dictum, quod interpretatur *addat mihi Dominus.*

Potuerunt secundò Parentes istud XIV.
nomen imponentes secundariò, attendisse ad majores, qui nomen istud gestaverant, ad conservandam scilicet eorum memoriam, & ut ille grandior effectus eorum in se virtutes quodammodò resuscitaret.

Quatuor invenio in Majoribus San- XV.
ctissimi Patriarchæ nostri hujus nominis. Tres in lineâ rectâ in Genealogia apud Lucam c. 3. sed hos legales utpotè Progenitores Patris sui legalis Heli. Primus est Pater Janne & filius Mathatiæ: Secundus est Pater Semæ & filius Judæ. Tertius est Pater Judæ & filius Jonæ. Vide Genealogiam apud Lucam, De his nihil habemus memorabile. Quartus est quidem naturalis sed in lineâ collaterali scilicet Joseph ille filius Jacobi ex Rachele, qui fuit frater Judæ Patris Pharez & Zaram, à quo rectâ lineâ noster descendit, & qui fuit omnium primus hoc nomine insignis. Cujus mores noster de quo hic non tan-

tùm imitatus est, sed in tantùm superavit, ut iste quantumvis magnus & mirabilis sæculis antiquioribus, nostri tamen tantùm figura fuerit: adeòq; noster istum tantùm excedat, quantùm veritas picturam, corpus suam umbram; ut si primus fuit prior tempore, noster sit prior meritis & dignitate. *Quis & quantus homo fuerit Beatus Ioseph vis scire?* inquit D. Bernardus hom. super *Missus est. Conjice ex appellatione, quâ Pater Dei dictus est & creditus: Conjice ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubites interpretari: & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & scito ipsius istum non solùm vocabulum fuisse sortitum, sed castimoniam fuisse adeptum, innocentiam assecutum & gratiam.* Addo longè superasse, ut patet ex dictis, & amplius patebit ex dicendis.

XVI. Tertiò, tandem etiam boni ominis fuit & præsagii in Sanctissimo Patriarchâ præclari ac suavissimi Nominis *Ioseph* impositio. Equidem ei nonnisi cœlitùs inditum quis dubitet? & Deo saltem nomen istud potiùs quàm aliud quodcumque inspirante, si non revelante. Quod non facilè asseruerim, tùm quia de hoc non constat, & incerta non profero, tùm quia minimè necessarium, cùm non minus efficaciter Deus per inspirationem internam in secreto agere possit & soleat, quàm in aperto per revelationem externam.

XVII. Bonum nomen, bonum omen, nulla decrementa novit, semper in virtutibus crevit, semper & ubique in illis adolevit, adeò ut etiam inter malos fieret semper melior: sævire Herodes potuit, non potuit à virtutum progressu illum remorari. In Ægypto diu fuit ubi iniquitas sedem fixerat, ibi quoque à sanctitate non abiit, quin eam ipsis etiam inhalavit Ægyptiis. Richardus à S. Victore de primo Josepho Ægypti Pro-Rege, vim nominis ejus expendens, ita scribit. *Hic est igitur ille Ioseph qui à Patre plus cæteris diligitur, qui novit non solùm cum crescentibus virtutibus crescere, cum proficientibus virtutibus proficere, verùm etiam ex fratrum defectu ad profectum tendere, & ex aliorum detrimentis prudentiæ lucra acquirere, quare merito Ioseph, idest augmentum, & filius accrescens, à patre vocatur.* Ut ille umbra fuit nostri Josephi tantùm, sic perfectius omninò hæc omnia noster habuit. Joseph dictus est, Josephum se præbuit, virtutibus enim semper crevit, sanctior semper evasit, & inter malos etiam impiosque majora semper exhibuit incrementa virtutis. Hinc Albertus Magnus super *Missus est. Proprietas nominis ac significatio quæ incrementum sonat, ipsi optimè congruit, qui per hanc dispositionem quantum ad se ipsum, & quantum ad proximum, & quantum ad Deum sublimatus fuit, videlicet virtutum augmentatione, famæ celebritate, hominis Dei reverentiâ & dilectione, & Matris Dei familiaritate.* Et Simon de Cassiâ lib. 2. de Virg. Mariâ cap. 1. *Ioseph nomen ejus cui sponsata erat Virgo, nomen augmenti erat, virginali sponso sibi congruum, magisq; mysterio, quoniam omnia erant augmentanda per gratiam, & mundi detrimenta jam ad incrementa revolvebantur.*

Cardinalis Toletus super cap. 1. XVIII. Lucæ ad illa verba, *Cui nomen erat Ioseph.* Postquam dixerat cum D. Bernardo nomen *Ioseph* augmentum significare, sic ait: Ad hanc significationem alludens Jacob Genes. c. 49 quando filio suo Joseph benedixit, sic locutus est: *Filius accrescens, Ioseph filius accrescens;* quasi diceret, verè ô fili Joseph! auctus es & accrevisti sicut nomen tuum significat; nam excelluisti, & in dignitatem provectus es tantam, ut fratrum tuorum sis supremus, & qui natu penè ultimus eras, effectus sis primus honore. Hoc idem nomen Sponsus Beatissimæ Virginis ex divino consilio sortitus est, ut potiori jure de eo dicere possimus *Vir accrescens Ioseph.* In tantam enim exaltatus est dignitatem, ut Matris Dei (cui inter puras creaturas sanctitate & dignitate nihil est æquale) meruerit esse verus Sponsus, & unigeniti Fili Dei Pater nuncupari. Quibus duobus privilegiis & titulis auctus est super omnes Patriarchas & Prophetas, qui ante eum fuerant: Quibus si adjungas quod quem Reges & Prophetæ desideraverunt videre & non viderunt, audire & non audierunt, ipse non solùm vidit & audivit, sed in ulnis sæpè portavit, frequenter amplexus & osculatus est, per plures annos cibavit, vestivit,

&

& paternis officiis ipsi ministravit, jure profecto hoc nomen adeptus videbitur. Si verò virtutem animi spectes non inferiorem aut æqualē illi Patriarchæ Filio Jacob, sed longè superiorem invenies. In illo enim Joseph castitas mirificè commendatur, qui ut refertur Genes. cap. 39. Dominæ sollicitanti ad peccandum non solùm non acquievit, sed etiam elegit potiùs iram Domini sui pati & peccator reputari, quàm crimen contra Deum committere: Verè magna castitas hæc est. At quis non admiretur nostrum Joseph, qui per plures annos cum Virgine pulcherrimâ Sponsâ suâ ita cōversatus est, ut tamen neque ullo verbo, neque cogitatione, neque motu interiori, qui minùs cum summa puritate conveniret, quique solet in sanctissimis Viris ex aliquâ levi causâ surrepere fuerit inquinatus. Hæc Cardinalis Toletus.

XIX. Non fuit ergò in D. Josepho nostro magni istius nominis *IOSEPH* umbra, sed veritas; nec nomen vacuum aut inane portavit: Cœlitus siquidem inditum nomen suâ omninò significatione, & quantùm impleri potuit, implevit, & incomparabiliter meliùs quàm ille cui primò impositum fuit.

XX. Et verò nomen *Ioseph*, ut diximus, quod & omnibus satis notum est, Augmentum significat, & ad illud alludens Jacob antiqui Josephi Pater, dum ei moriens benediceret, dixit: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens*, Genes cap. 49. quâ verborum geminatione duo insinuare voluit.

XXI. Primò, magnitudinem futuri ejus augmenti, habet enim emphasim magnam illa geminatio, nec eâ phrasi solet uti Scriptura nisi ad significandam rei magnitudinem cum immobilitate Decreti Divini eâdem super re: Ergò Jacob eâ phrasi utens, dum prædicit incrementum filii sui, non solùm significat firmitatem prædictionis suæ propter certitudinem divinæ voluntatis, sed etiam excitat admirationem, quod scilicet illius augmentum tantùm sit futurum, ut cùm verba quibus dignè exprimi possit non inueniantur, illud per repetitionem illam exprimere coactus sit, & admirationi relinquere. Et certè nonne admirabile est eum per tot adversa & contraria ad tantum gloriæ gradum ascendisse? Nonne inquam admirabile eum ex tantâ contemptibilitate, ex servitute, ex carcere, ad tantum, & quidem in terrâ alienâ fastigium assurrexisse, ut in Regno Pharaonis Princeps, Principes omnes sub se, Regem solum supra se videret?

Sed videri posset hoc non ita con- XXII.
venire Sanctissimo Patriarchæ nostro, qui potius visus est decrescere, quàm accrescere: hic enim cùm esset ut diximus de domo & de familiâ Regiâ Davidis, immò Regni hæres, ad eam redactus est inopiam & vilitatem, ut arte fabrili panem sibi modicæque familiæ suæ comparare debuerit, à sceptro ad malleum projectus.

Et quidem si de fortunæ bonis agi- XXIII.
tur, hic noster Joseph non tam accrescens & fructificans dici potest quàm decrescens. Sed hæc bona, umbra sunt tantùm verorum bonorum: vera bona sunt quæ animum ornant & ditant, gratia scilicet, sapientia, virtus, sanctitas. Creverit ergo in bonis fortunæ ad stuporem primus Josephus, decreverit è contra in iisdem etiam ad stuporem secundus; parùm est hoc, crevit hic in gratiâ, virtutibus, & cæteris veris bonis longè mirabilius, quàm ille antiquus in inanibus illis: siquidem ex imo inter homines, ex fabro, inquam, lignario ita ascendit & evectus est, ut inter Cœlites Principatum teneat, constitutus in ordine unionis hypostaticæ.

Secundò, insinuare voluit Jacob per XXIV.
geminationem verborum quæ augmentum filii sui antiqui Josephi significabat, quod hic antiquus Joseph dupliciter augendus erat, Primò in seipso. Secundò, in progenie ac posteritate. In se, quia à servitute & furcâ, ut ita loquar, evectus est ad Principatum non modò fratrum suorum, sed etiam totius Ægypti. In suâ progenie, quippe quæ duas numerosissimas Tribus, Tribum dico Manasse & Tribum Ephraim complexura erat, quarum postrema sola Regnum aliquando super decem alias Tribus possessura erat; ut patet ex divisione Regni Salo-

monici in filio suo Roboam ex Scriptura. Sed hæc temporalia sunt & caduca. Auctus est autem noster verè dupliciter in seipso, quia provectus est ad sanctitatē per maximam & tantam, ut Principatum teneat inter omnes post sponsam suam, sublimis residens supra Cœligenas Ætheris omnes. Auctus est secundò & in prole sua, quippe filium Deum & hominem accepit, lapidem illum angularem, qui duos in se populos, Judæos & Gentiles, ut lapis angularis duos parietes, in se copulavit.

XXV. Sed restant consideranda duo aut tria verba quę Jacob Patriarcha loquens de filio suo addidit ad præcedentia, hæc enim non parùm faciunt ad rem nostram: Ergo Jacob ad præcedentia illa *filius accrescens Ioseph filius accrescens*, addit, *& decorus aspectu*, sed hæc secundùm versionem nostram latinam: at hæbrea habet loco istorum *super*, vel, *juxta fontem*, vel ut alii legunt *juxta oculum*: ita ut hæc verba cum præcedentibus conjungantur, & cum illis unicam faciant sententiam non duas, ut faciunt secundùm latinam: Atque adeò significent Ioseph auctum iri ad instar arboris plantatæ juxta fluenta aquarum, vel juxta oculum. Vide Interpretes.

XXVI. An hoc ita quadret in antiquum Josephum hîc non disputo, sed omninò convenire Sanctissimo Patriarchæ nostro, cujus ille tantùm figura fuit, & ad quem tanquam ad figuratum Patriarcha certò certius extendit oculum Propheticum, nullum potest esse dubium: hic enim verè crevit juxta fontem, vel juxta oculum: Nonne enim infans ille, cujus ipse Pater Cœlitus factus est, quem amplexabatur, cujus pedes sæpè osculabatur, juxta quem sedebat, dormiebat, vigilabat, laborabat, omnium erat fons ubertimus bonorum? quid mirum ergo si ut arbor, juxta tantum fontem & creverit & fructificarit tam admirabiliter? Et si Sol oculus dicitur mundi, & ad ejus præsentiam terra adeò dives est, tot producit herbas, fructus, metalla, &c? Nonne Christus est mundi Sol spiritualis? *Sol Iustitiæ Christus Deus noster*: nonne illi Christi oculi quando in aliquem figuntur, cum spiritualibus cumulant divitiis? quàm benè ergo iterùm Joseph noster est & dicitur *filius fructifer vel crescens juxta oculum.*

Quod si velis nomen Joseph, signi- XXVII.
ficare *Addat mihi Dominus*, juxta dictum Rachelis Genes. cap. 30. hoc iterùm maximè congruit Sanctissimo Patriarchæ, Mariæ sponso, cui additum est omninò & Privilegium concessum quale nulli alteri, inquit Osorius tom. 3. Conc. 1. de S. Josepho, sed quid est quod D. Iosepho additum? Audi. Omni homini generanti filium aliquid Deus addit: Etenim si eum omninò solùm sineret Deus generare, nec ipse aliquid adderet, non nasceretur filius rationis capax: Anima enim, per quam fit homo rationis capax, de potentiâ materiæ educi non potest. Brutum ergo omninò generat filium: ut verò generetur homo, oportet ut Deus, superaddat aliquid (animam scilicet rationalem quam creat) positis dispositionibus, ex pacto naturali quo cum agentibus concurrit: Ecce primam ut ita dicam additionem, quam Deus efficit cum omni homine. Quando verò Parentes sunt steriles ut Pater D. Joannis Baptistæ, ut Sara uxor Abrahæ, non solùm tunc Deus addit animam, sed insuper aliquam virtutem ut possint per ipsam parentes ponere dispositiones requisitas, quas non poterant per naturam: Sed in Christi generatione, ut posset D. Josephus esse illius Pater, à Deo additum est adhuc aliud, præter quod nihil ampliùs addi potest, creavit enim animam Christi, insuper omne quod opere viri efficiendum erat Spiritus Sanctus implevit: Et tamen Spiritus Sanctus nomen Patris sibi non usurpat, sed illud Divo cedit Josepho: in hâc ergo generatione D. Josepho superadditum est à Deo omne quod superaddi poterat, ut posset esse verè Pater ejusdem filii, qui est & Dei: Quare meritò nomen ejus est *Ioseph*, idest *addat mihi Dominus*.

Finio hanc materiam per ea quæ XXVIII.
observavit satis curiosè Doctissimus Homiliographus P. Joannes Carthagena ex ordine Minorum tom. 4. de Sacr. Arcan. Deip. & Josephi lib. 18. homil.

homil. Magna & ult. §. 2. non sine magnâ & peculiari Dei providentiâ factum quod nullus hujus nominis Joseph appellatione fuerit cooptatus vel admissus ad Apostolatum : constat enim Actor. cap. 1. quod Apostoli agentes de substituendo in locum proditoris altero : *Statuerunt duos, Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est justus, & Matthiam* : & quod per divinam sortem designatus est non Ioseph, sed Matthias ultimus ex istis duobus: dicitur enim *dederunt sortes eis & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.* Ambo Joseph scilicet & Matthias, erant Christi discipuli, ambo servi Dei, ambo probatæ virtutis, Ioseph tamen ab Apostolis primò nominatus : *Statuerunt duos, Ioseph qui cognominatus est Iustus, & Matthiam :* Primo autem loco nominatus solet cæteris paribus præferri, ut habetur in l. *quoties* ff. *de usufructu*, & ex pluribus juribus & Doctoribus resolvit Tiraquellus, lib. *de Iure Primogenitorum*, Unde Divus Laurentius Iustinianus in Conc. Sancti Matthiæ Apostoli post medium dixit, *Quis non prætulisset ex his duobus Ioseph Iustum cognomento & vita ? & tamen aliter judicavit Omnipotens, cujus judicia ab humanis longè dissimilia sunt.*

XXIX. Quod si dicas ex duobus propositis adhuc liberam esse alterutrius electionem. Respondeo primò, in primum tamen videbatur debuisse inclinare. Respondeo secundò, non in unius tantùm Apostoli electione id contigisse, nam ut dicitur Actor c. 4. Barnabas, cùm antea Ioseph nominaretur, vocatus ad Apostolatum nomine Barnabæ retento, Iosephi appellationem reliquit : sanè ni fallor hoc, ut singularitas & excellentia hujus nominis Ioseph in Beato solùm Iosepho Mariæ Sponso & Christi Patre vero effulgeret, vel ut ait P. Escobar tom. 3. lib. 2. tit. *Maria nupta*, sect. 1. Panegyr. 1. observ. 11. num. 96. præmens Carthagenæ vestigia, *Ne nomen Beati Iosephi Sponsi Deiparæ à fastigio supremæ dignitatis caderet.*

XXX. Neque hoc mirêre, ait enim Isidorus Isolanus 3. part. cap. 18. Sunt quatuor proprietates Apostolicæ dignitatis : Prima Annuntiatio Evangelii : *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ :* Secunda Illuminatio. *Vos estis lux mundi :* Tertia Reconciliatio : *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis :* Quarta, per Spiritum sanctum locutio, *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis :* Hæ proprietates dignissimæ sunt, inquit Isolanus, quia sunt immediatè à Christo, & sub Christo, & propter Christum. Proprietates verò D. Iosephi fuêre desponsatio Reginæ Angelorum, nomen Patris Regis Angelorum, defensio Messiæ promissi in lege Iudæorum, educatio Salvatoris omnium : Et hæ proprietates sunt immediatè super Christum, ad Christum, & propter Christũ. Quisquis ergo, idem addit author, ingenio polles rerum divinarum præmissâ veritate discurre, argue, conclude ab Apostolicę comparatione Majestatis ad cælestem Iosephi dignitatem, quanta sit illi præstita dignitas, sanctitudo ac virtutum inexplicabilis perfectio. Accede ad cor altum & non deprimetur aut humilior erit apud te Majestas Apostolici culminis, sed exaltabitur Deus in latentibus donis Patris sui Iosephi. Quamobrem mens contemplationi dedita ingrediatur locum quem calamus refugit, intelligat animus quod verba exprimere declinant, admiretur ingenium quod scripta non attingunt; veneretur denique homo quod cælesti tectum gloriâ latet. Hæc Isolanus.

Ex quibus conclude si Deus tantis vel nudum Iosephi nostri nomen auxit prærogativis quantò magis ipsum ? Jure ergo quod D. Ambrosius de Sanctâ dixit Agnete Virgine & Martyre lib. 1. de Virginit. hîc ipsi applico : *Quid dignum de Deo loqui possumus, cujus ne nomen quidem vacuum est luce laudis ?* XXXI.

Quod si, ut ait Cassiodorus lib. 6. variar. cap. 7. *Grata sunt nomina quæ designant actiones, ubi in vocabulo concluditur quod geritur*, conclude quàm aptum, quàm acceptabile, quàm gratum, quàm amabile sit suavissimum nomen Sanctissimi Patriarchæ nostri, de quo verè dici potest quod de Iosue Ecclesiastic. c. 46. v. 4. *Magnus fuit secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei.* XXXII.

XXXIII. Tu verò Christiane Lector, qui idem vel alius quodcumque nomen præclarum gestas, & illum cujus gratiâ tibi impositum est non imitaris ut potes; Audi quod D. Hieronymus Epist. 100. Bonasium quemdam obtrectatorem arguens dicebat: *An ideò tibi bellus videris, quia fausto vocaris nomine? quasi non & Lucus ideò dicatur quod minimè luceat, & Parcæ quod nequaquam parcant, & Eumenydes Furiæ quod non sint benignæ, & vulgò Ethyopes argentei minimè tales.* Quare aures præbe bene monenti D. Chrysostomo, apud Sanctium de Avilâ Episcopum Placentinum in vitâ Eximii Patris Nostri Petri Corneio tom. 2. Theologiæ ejusdem Patris præfixa. *Sumpsisti nomen ex meritis? Custodi, ut semper lateris veritate vocabuli: Nam cùm omnis appellatio ad delineandas res videatur imposita, nimis absurdum est nomen alienum portare, & aliud dici quam possit in moribus inveniri.*

## CAPUT XVI.

### *De Formâ & Pulchritudine externâ D. Josephi.*

I. NOn ineptè Tacitus in Julio Agricol. *Ut vultus hominum, ita simulachra vultus imbecilla ac mortalia sunt: formamentis æterna, quam tenere, & exprimere, non per alienam materiam & artem, sed tuis ipse moribus possis.* Hinc Seneca epist. 66. laudans Condiscipulum suum Claranum corpore quidem deformem, sed animo venustum & vigentem dixit in hoc viro, *voluisse naturam ostendere posse ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet cute latere. Nullo enim honestamento eget virtus, ipsa & magnum sibi decus est, & corpus suum consecrat.* Ac deinde paucis interjectis subdit. *Potest ex casâ vir magnus exire, potest & ex deformi humiliq. corpusculo formosus animus ac magnus. Quosdam itaque videtur mihi in hoc natura tales generare, ut approbet virtutem omni loco nasci. Si posset per se nudos edere animos fecisset, nunc quod amplius est facit: quosdam enim edit corporibus impeditos, sed nihilominus perrumpentes obstantia: Claranus mihi videtur in exemplar editus, ut scire possemus non deformitate corporis fœdari animum sed pulchritudine animi ornari.* Hæc ille.

II. Quæ quidem verissima existimo, & in eis optimè philosophatum censeo: ipsum tamen non approbo ibidem, ubi immeritò reprehendit Virgilium lib. 5. Æneid. dicentem:

*Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.*

Quid enim ibi reprehendendum? nam etsi possit esse virtus in deformi corpore, possit esse in vili & humili corpusculo formosus & celsus animus: Cùm tamen celsus animus est in celso & formoso corpore, an non meliùs habitat? Certè nemo inficias ibit virtutis ac formæ societatem esse amabilem, accedente nescio quâ alteri ex alterius contubernio gratiâ & venustate.

III. Immò corporis deformitas morum arguit deformitatem juxta Rhasen Medicum lib. 2. ad Almans. ubi ait: *Cujus facies est deformis vix potest habere bonos mores.* Non dicit absolutè non posse, sed vix, idest, hoc difficilius & rarius contingere: & verè, nam ut inquit Galenus lib. 11. de usu part. *Natura membra componit prout moribus animi convenit.*

IV. Sed quid contra Senecam nostris dimicamus armis qui seipsum enecat suis, ibidem enim quasi sui immemor excusans sui Clarani deformitatem, accusat naturam dicens, *quod in illo iniquè se gesserit, & talem animum*, qualis erat Clarani, *malè collocaverit.* Ergò si animum Clarani in corpore collocasset formosiori, justitiâ virtuti ejus fecisset, quod nimirùm meliùs collocatæ, exinde nonnihil decoris & splendoris, quem non habebat, accessisset, ergò ex Senecâ contra Senecam:

*Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.*

V. Neque dicas, frons, oculi, vultus, persæpè mentiuntur: non id pernego; sed aio sæpius longè verum dicere, & de indole ut plurimùm pronunciare: Hinc Galenus librum integrum scripsit de mutuâ animi morum & corporis constructionis consequutione. Hinc etiam Aristoteles, Plato, Polemon, Hypocrates, Plinius, Aphrodiseus, Adamantius, & alii tot & tanta observarunt

varuntin lineamentis & Physiognomiâ, ad conjectandum explanandumque animum & ingenium hominum.

VI. Et nè in immensum abeam, cur amabo virtutes depingi solent sub specie speciosissimarum virginum? Cur in libro Canticorum adeò accuratè describitur totum corpus, forma tota Sacratissimæ Sponsæ? Neque enim ibi Spiritus Sanctus minùs exactus est & diligens in describendis Sponsæ lectissimæ partibus, membris, & lineamentis, quàm Plutarchus in depingendâ Alcibiadis pulchritudine, aut Xenophon in Cyri vultu, vel Homerus in Achillis, Patrocli, Hecubæ, & Andromachæ facie & corpore delineandis; aut Poëtæ in Veneris, Helenæ, Atalantæ, Ariadnæ, Antiopæ, & reliquarum specie celebrandâ. Vin' scire eccur hæc? Procul dubio ut intelligamus, ut objiciat Spiritus Sanctus, latentem Sponsę suę intrinsecus virtutem & dignitatem ab exteriori istâ vultus & corporis specie & dignoscendam. Quæ cùm ita sint non erit omninò inutilis labor, quem hîc impendam, ut exteriorem corporis D. Josephi pulchritudinem detegam.

VII. Porrò non illam in D. Josepho laudo pulchritudinem, quæ præ se ferat lasciviam, mollitiem, nequitiam, quam D. Gregorius Nazianzenus in Carm & orat. 29 eleganter vocat, *Brevem gratiam temporis ut morbi ludibrium*, in quâ gloriari solent Adolescentuli, Comptuli, Bellulis ut ille de quo Martialis: *Insigni formâ nequitiâq; puer*. Quo nomine Apollo, Narcissus, Nisus, Paris, Ganymedes, Hyppolitus, à profanis Scriptoribus laudari solent: sed pulchritudinem gravem, dignam, honestam, quæ consistit in integritate & proportione membrorum & colorum, quam nec anni alterant, nec jejunia expungunt, nec labores obfuscant, nec vigiliæ corrumpunt, qualis fuit in Christo Jesu Filio suo, qui in continuis laboribus vivens, jejunans, vigilans & orans, venustatem illam & elegantiam cutis non habebat, propter quod forsitan grandior ætate quàm verè erat judicabatur ab illis qui dicebant Joannis cap. 8. *Quinquaginta annos necdum habes?* quo tamen nonobstante semper fuit *Speciosus formâ præ filiis hominum*, ut dicitur Psalm. 44. vers. 3. Quæ verba de corporis pulchritudine intelligenda esse docent gravissimi Patres, D. Augustinus & Cassiodorus in illum locum, D. Bernardus serm. 1. de omnibus Sanctis, D. Chrysostomus homil. 18. in Matth. D. Hieronymus epist. 60. ad Principiam, & alii innumeri.

Pro hâc pulchritudine corporis externâ D. Josephi illud imprimis statuere possumus, fuisse in illâ similem valdè Mariæ Sponsæ suæ, & in illâ habuisse aliquam proportionem cum Conjuge suâ, ne inepta foret conjugatio: undè dicendum quod quemadmodum illa superabat & superavit, nullo abnuente, in gratiâ vultus, in formâ & majestate corporis omnes quotquot fuerunt mulieres, sic etiam D. Josephus Sponsus ejus omnes viros. An enim ei qui tali Sponsæ à Deo præparatus est Sponsus quidquam deesse potuit quod faceret non tantùm ad perfectionem, sed etiam quod ad ornamentum & corporis & animæ? An cogitare possumus Deum Matri suæ, de quâ Scriptura dicit: *Tota pulchra es Amica mea & macula non est in te*, conjunxisse Sponsum in quo aliquis defectus fuisset aut nævus inventus? aut qui gratiâ ullâ caruisset? id nunquam mihi veniet in mentem. VIII.

De antiquo Josepho filio Jacob & Rachelis dicitur Genes. cap. 49. *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens & decorus aspectu; filiæ discurrerunt per muros.* In quæ verba sic Origenes: *Quando Ioseph erat in Ægypto, cùm mulieres sciebant quod transiturus erat per callem, ponebant se ad fenestras, vel ascendebant super muros ad contemplandam speciem ejus.* Quod si tanta fuit illius Josephi pulchritudo, quanta, amabo, fuit nostri? Certè existimo illum Ægypti Pro-Regem tantâ pulchritudine præditum, & eam in Scripturâ commendatam, ut scilicet Spiritus Sanctus per hanc illam D. Josephi delinearet, nosque colligeremus quanta fuerit hæc, cùm tanta fuerit illius qui solùm hujus umbra fuit. IX.

De hâc D. Josephi mirabili pulchritudine & formositate D. Justinus Martyr contra Tryphon. Jud. & Lexicon Theologicum verbo *Ioseph*. Gerson X.

serm.

serm. de Nativit. Beatæ Mariæ, & in suâ Josephinâ, Author Summ. Margar. Confess. docent tantam fuisse, ut nullus post B. Virginem fuerit similior Christo: idem quoque docent Bernardinus Bustensis, Isidorus Isolanus, estque jam ut commune receptum.

XI. Cùm Sorori Joannæ ab Angelis Ordinis Sanctæ Ursulæ Julioduni, vulgò *Loudun*, Moniali professæ, D. Josephus ab eâ in morbo quo afflictabatur devotè invocatus apparuisset, eamque miraculo è sanasset, vehementer percupivit illa sospitatoris sui imaginem juxta idæam illius, prout in visione illâ ei se exhibuerat, efformare: futurum enim ut eam intuentes in illius amores exardescerent, quod ipsi vehemēter cordi erat: quare advocatis eum in finem Pictoribus peritioribus, illis faciem, frontem, genas, oculos, supercilia, nasum, mentum, barbam, cæsariem & cætera prout in visione observarat expressit, quam quantùm ex ea assequi potuerunt imitari conati sunt: sed illa inter omnes ejus repræsentatio excelluit quam eximius sculptor *Huret* ex omnibus aliis simul collatis excerpsit, ut miraculum sanationis & liberationis ejusdem monialis adumbraret: Quam imaginem cùm hęc virgo Parisios transiens vidisset, asseruit teste R. P. Paulo Barry Jesuitâ cap. 2. lib. cui titulus est Gallicè, *La Devotion à Saint Ioseph*, illam valdè ei esse similem sub quâ Divus Iosephus ei apparuerat eam sospitaturus, cujus propterea copiam exhibet præfatus P. Barry in fronte ejusdem libri. Sed cùm illa gratiam vultus, & Majestatem staturæ tanti hominis non exhauserit, licitum erit Pictoribus ad illam addere quidquid voluerint. Et neque tunc ad veram ipsius pulchritudinem accedēr, ut inquiebat prędata monialis Religiosissima, opus enim fuit, in quod meliori pollice incubuit Deus; ut esset cum prædilectâ sponsâ suâ in arce rerum humanarum positum, quod omnibus suspiciendum proponeretur.

XII. Tandem omnibus ex causis pulchritudo hæc D. Josepho accedere debuit: Primò, ex parte materiæ: de puro enim & defœcato Regum & Majorum Nobilissimorum sanguine cretus fuit, unde corpus ejus puritatem & claritatem maximam mutuasse debuit: Quare Albertus Magnus super Missus est, & Divus Antoninus part. 4 tit. 15. cap. 10. 2. asserunt implicitè in Evangelio D. Josephi pulchritudinem commendari, in eo quod præcelsa ac Regia ejus nobilitas ac prosapia prædicatur: solent enim nobiles saltem ordinariè esse aliis speciosiores & gratiosiores: Inerat ergo D. Josepho species digna Imperio. Et quod Pacatus in Panegyr. ad Theodosium, hoc longè meliori titulo de nostro Iosepho dixerim: *Virtus tua meruit Imperium, sed virtuti addidit forma suffragium.*

Secundò à causâ formali, nam tam XIII.
excellens anima, qualis fuit anima Divi Josephi, perfectissimum corpus exigebat: nec ullo modo dubitandum quod Deus tantæ animæ dignum aptaverit & præparaverit receptaculum, tum ut esset proportio inter utramque portionem, inter receptaculum & receptum, ne de Sanctissimo Deiparæ Sponso, & Jesu Christi Domini nostri Patre vero ac legitimo dici posset quod de Galbâ Imperatore: *Ingentum Galbæ malè habitat*, aut quod de Clarano hîc supra num. 4. *In illo iniquè se natura gessit, & talem animum male collocavit*: tum ut ipsa species corporis simulachrum esset mentis, figura expressa probitatis, cùm hoc in tot aliis effecerit Deus.

Tertiò à causâ efficiente, siquidem XIV.
licet per viam naturalem quemadmodum cæteri genitus sit D. Josephus, quia tamen nunquâ fuisset, ut docuimus supra tract. 1. prolud. 6. à n. 26. nisi Christus venturus fuisset, specialem sine dubio Deus in ejus productione adhibuit influxum: ac deinde cum nonnisi ex lege Deuteronomii (quæ propter ipsum principaliter ac primariò lata videtur, ut monuimus, tract. 1. prolud. 6. n. n 32. & 33.) genitus sit, sequitur quod cùm, ut dicit D. Petrus Chrysologus serm. 88. de S. Ioanne Baptistâ, non tam concupiscentiæ voluptas quàm obedientiæ & virtutis amor ipsum creaverit, quod corpus sic elaboratum, sit magis corpus virtutis quam naturæ. Ut proinde de eo longè justius dici possit, quàm quod de D. Thomâ Aquinate

Clemens

Clemens VI. Pontifex Maximus dixit in Sermone de illo. *Fuit exemplar virtutū omnium, earumq; exempla erant membra ejus singula: In oculis ejus relucebat simplicitas, in vultu benignitas, in auribus humilitas, in gustu sobrietas, in lingua veritas, in odoratu suavitas, in formâ honestas, in visceribus pietas, in intellectu claritas, in affectu bonitas, in mente sanctitas, in corde charitas; sic ut species decorque corporis fuerit effigies animæ & imago virtutis.*

XV. Quartò à causâ finali: Nam primò D. Iosephus ab æterno prædestinatus est, ut esset sponsus Beatæ Virginis: Debuit ergo huic par sponsus conjugari, fœdum enim esset mulieri venustissimæ hominem defectuosum copulare. Secundò, electus est non tantùm ut esset Pater Christi verus ac legitimus, sed etiam ut reputaretur illius dum vixit Pater naturalis: sic quippe necessarium fuit ad tempus; ergo ut hic finis melius haberetur, & facilius Christus filius ejus existimaretur, debuit esse inter ipsum & Christum super omnes homines speciosum, aliqualis similitudo.

XVI. Adstipulatur mihi Gerson Cancellarius Parisiensis in suâ Iosephinâ dicens:

*Personas inter similes est nexus Amoris:*
*De Iosephi ast ratio suadet, sua quod facialis*
*Forma IESV formæ similis reputanda fuisset:*
*Si non: quo pacto pater ejus creditus esset?*
*Qualiter omnimodo Matris servasset honorem*
*Disparitas vultus Prolis cum Patre putato?*

*Et* alibi idem, *Domino*, inquit, *nostro IESV Christo erat similis Ioseph in facie & in cæteris dispositionibus corporalibus: quod Deus esse voluit, quia nisi inter Staturam & effigiem Christi & Ioseph fuisset similitudo, non esset reputatus à Iudæis ejus filius: & consequenter reputassent Beatam Virginem adulteram.*

XVII. Roboratur hæc ratio ex juribus: in dubio enim cujus quis sit filius, illius putatur cujus faciem formamque refert, sic defendunt Dynus l. 3. §. *Si duobus ff. de adimendis legatis*, Alberius l. *Septimo Mense* ff. *de statu hominum*. Iason & Doct. l. Gallus ff. *de liberis & Posthum.*

Facit etiam in hanc rem Doctissimus P. Salmeron tom. 3. tract 30. ubi sic ille, *Verè*, inquit, *IESVS Christus Iosephi ingenium ac proprietates referebat, quia similes effectus à causâ superiori & increatâ iis quæ à secundâ producuntur.* Ubi hic Author manifestè insinuat Spiritum sanctum, cui peculiariter adscribitur arcana Christi Dei generatio in Mariæ Virginis utero, veluti Vicarias Iosephi vices egisse in Christi productione: & ideò cùm secundùm naturæ ordinem filius ex utero gignendus, Mariti operâ procreandus sit; & Spiritus sanctus vi supernaturali operatus sit, quod vir erat naturaliter operaturus, produxit Christum, etsi non Iosephi imaginem, saltem valdè Iosepho similem, & in staturâ & in effigie, qualis secundùm cursum naturæ futurus erat si cum Ioseph ipse produxisset: nam cùm Deus aliquid naturale supernaturaliter producit, illud producit non absimile ei quod natura producit quando ipsa operatur. XVIII.

Denique eo nomine optimè mihi videtur posse commendari Beatissimi Viri eximia forma externa, quod eadem quæ fuerit in viâ, futura sit in Patriâ, quod in universum de beatis omnibus docent D. Augustinus lib. 22. de Civit Dei cap. 19. & D. Anselmus lib. de Similitudinib. cap. 50. Quare ne quid supplendum videretur in corpore D. Iosephi post resurrectionem, talem debuit hîc habuisse formam externam, cui nihil ibi præter gloriæ dotes addendum supereset: Quanta ergo est species illius in Patriâ qui ibi unà cùm IESU & Mariâ unam constituit Hierarchiam? Et hæc de specie Divi Iosephi externâ & aliis ut fuit filius Davidis in esse naturali consideratus. Nunc ad tertium & ultimum Tractatum hujus primæ Partis transeamus, eundemque Davidis filium in esse supernaturali consideremus. XIX.

# TRACTATUS TERTIUS.

## Divus Josephus Filius Davidis Regis in Esse Supernaturali.

TRactatum præcedentem de Naturalibus Divi Josephi Filii Davidis Regis Prærogativis finivimus per dissertationem de ejus Pulchritudine externâ & naturali: præsentem instituimus, prosequemur & absolvemus in consideratione pulchritudinis ejus internæ & supernaturalis, non inconsequenti nexu & ordine. Qualis ergò fuerit hic filius Davidis corâ Deo in esse supernaturali, hoc est in gratiâ & sanctitate, non omni & totali, sed eâ solùm quâ ornatus est antequam ad desponsationem Deiparæ perveniret, hîc differendum: Quatuor autem omninò hæc materia complectetur. Primum, An Divus Josephus cum gratiâ ex utero Matris processerit, seu an in utero Sanctificatus sit? Secundum, An ei usus rationis acceleratus? Tertium, An in gratiâ confirmatus? Quartum, An etiam in eo peccati fomes extinctus seu ligatus? Quæ eodem ordine prosequemur.

### CAPUT PRIMUM.

### *An D. Josephus fuerit in utero Matris Sanctificatus.*

I. MIHI (aiebat Parasytus quidam apud Treviros corâ Constantino Magno de Constantino Magno perorans) *Deorum immortalium munus & primum videtur & maximum, in lucem statim fœlicem venire.* Fœlicem ille existimabat, & existimant omnes, beatitudinem ex oculis metientes, illum qui inter purpurea tapetia in spem Regalis seu Imperialis tituli prodibat: Fœlices Cæsares, olim à Græcis Porphyrogenitos appellatos scimus, quod illos inter Aulæa aurea in Porphyrio & Margaritis, velut ad futuræ præjudicium fortunæ obstetricum manus excipiebant: Quod si illi fœlices, qui etiam plorantes & ejulantes, ut cæteri, in argumentum & præsentium & futurorum dolorum nascebantur: Si fœlices fortunæ fortè ludibrium, & grande miseriarum spectaculum futuri, quia Porphyrogeniti: Si fœlices, futuri fortè vitiorum servi, quia Gentibus dominaturi: quantò fœliciores illi quibus obtigit, ut nascentes in divinæ brachiis gratiæ, in cœlesti flagrantissimæ charitatis purpurâ molliter exciperentur? Obtigit porrò id certò certius Virgunculæ Mariæ, Magnæ Dei Genitrici: sed an aliis etiam Divis? an D. Josepho Virgineo ejusdem Virginis Sponso. & Christi Patri amantissimo, Custodi, Nutritio sedulissimo? Hîc inquirimus, de aliis quidem ex occasione, & quantùm ad intentum nostrum conferet, de Divo Josepho verò specialiter & ex professo.

### SECTIO PRIMA.

### *Sensus hujus Disputationis.*

PRiusquam de hâc materiâ disputemus, Materia ipsa de quâ disputaturi sumus dignoscenda est, ut aptè, congruè, & clarè ad rem loquamur. II.

Observandum ergò duplicem esse in utero Sanctificationem: unam quæ supponit peccatum in subjecto, à quo per illam emundatur: Alteram quæ III.

nullum

nullum ſupponit peccatum, ſed ſolam importat gratiæ ſeu ſanctitatis infuſionem, quæ fit in eodem ipſo inſtanti in quo materię in matrice perfectè diſpoſitæ anima unitur: Prima acceptio ſanctificationis eſt communior, cùm enim omnes naturaliter in peccato concipiantur, nullus ſanctificatur, qui non à peccato, quo erat infectus, expurgetur. Secunda tamen Sanctificationis acceptio eſt magis propria, quia Sanctificatio præcisè & formaliter non importat peccati deſtructionem, ſed tantùm gratiæ & ſanctitatis poſitionem.

IV. Primo modo, plures Sancti dicuntur à nonnullis ſanctificati in utero (an omnes rectè? poſtea videbimus) quia ibi à peccato originali, in quo concepti fuerant, emundati ſunt ſpeciali Dei gratiâ & beneficio: Secundo modo, B. Virgo Deipara, quia hæc nequaquam ab illo mundata, ſed ne in illud caderet ſingulari privilegio præſervata: quod ita nunc certum eſt ut Summus Pontifex Alexander VII. è cathedra pronuncians per Decretum ſuum die 11. menſis Decembris anni milleſimi, ſexcenteſimi, ſexageſimi primi, ſtatuat eſſe veterem pietatem fidelium ſententium Animam Beatæ Virginis in primo inſtanti creationis, atque infuſionis in corpus, fuiſſe ſpeciali Dei gratiâ ac privilegio, intuitu meritorum Jesu Chriſti ejus Filii humani generis Redemptoris à maculâ originali præſervatam immunem: atque in hoc ſenſu ejus Cõceptionis feſtivitatem ab Eccleſiâ ſolemni ritu coli. Et infra pronunciat eandem Eccleſiam eſſe in poſſeſſione iſtius ſententiæ & cultus, à quâ conabantur eam deturbare illi contra quos Bullam iſtam edidit. Hanc refert ad longum noſter Franciſcus Bonæ Spei tomo 2. ſuæ Theologiæ, pagina mihi 224.

V. Baſilius à Poncio Leone Salmanticenſis Magiſter Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, ſui temporis Doctor celeberrimus, & ab ingenii ſui & magnæ litteraturæ fœtibus toto orbe notiſſimus, anno 1605. in feſto Sancti Joſephi coram confertâ multitudine è ſacro ſuggeſtu de laudibus ejuſdem Sanctiſſimi Viri perorans, pronunciare non dubitavit, Patre Carolo Veron ejuſdem Ordinis teſte auriculari, & in ſuo Opere Gallico, cui titulus, *Triomphe de Saint Ioachim & de Sainte Anne*, lib. 4. cap. 12. Relatore. Si quinque vel ſex Doctores ſeu Theologi alicujus meriti inveniremur, qui Sanctiſſimum Joſephum ſecundo ſanctificationis modo donatum, ideſt à peccato originali præſervatum fuiſſe aſſererent, ſe eis indubitanter adjuncturum, ejuſmodique aſſertum tot tantique ponderis rationibus fulturum, ut omnis æqui Judicis aſſenſum eſſet obtenturus.

VI. Joannes Carthagena ex Ordine Minorum & ipſe celeberrimus tomo 1. de Arcan. lib. 4. homil. 12. poſtquam aſſeruit eſſe opinionem Authorum ſine numero, quod Divus Joſephus fuit in utero ab originali mundatus, addit *Immò Eruditiſſimus noſter Bernardinus de Buſto Marial. 4. part. ſerm. 12. poſtquam retulerat opinionem cujuſdam dicentis divinitùs præſervatum fuiſſe ab originali culpâ, non audens illam damnare ait, utrum autem Ioſeph ab originali maculâ præſervatus fuerit, ipſe Deus novit qui talem in Patrem Putativum ſibi, & Gubernatorem ſuæ Humanitatis, & dilectiſſimæ Matris ſuæ Conjugem ſuper omnes homines elegit.*

VII. Pater quoque Iacobus Lobbetius è Societate Jesu Leodienſis tom. 3. quæſt. Evangelicar. quæſt. 1. de ſancto Ioſepho aſſerit quoſdam fuiſſe inventos qui idem aſſeruerint, conceptionem ſcilicet D. Ioſephi fuiſſe immaculatam uti ſponſæ ſuæ, ut ſic ſponſus ſponſæ fieret conformis.

VIII. Hanc opinionem tamen approbare non poſſum: primò, quia cùm Beatiſſima Virgo Deipara longè altiori titulo ſit Mater Chriſti, quàm D. Ioſephus ſit ejus Pater, non debet hic ſponſæ ſuæ ita in omnibus æquiparari, ut ſit per omnia ei par: Quare hoc privilegium quod Divæ Deiparenti tanto labore Doctores vindicarunt, & in cujus poſſeſſione eſt apud piam Eccleſiæ fidem ex Decreto citato Alexandri VII. debet illi eſſe ita ſpeciale, ut nulli alteri ſit communicabile, propter ſpecialem quam habet ad Chriſtum affinitatem: ex quo ſcilicet Chriſti caro, ut ait D. Auguſtinus eſt caro Mariæ. Cùm ergo aliqua pars carnis Mariæ ſit quaſi

per identitatem pars carnis Christi, adeò ut eam portionem carnis quam Divinum Verbum ex Virgine Matre assumpsit, & cum quâ ex ejus utero prodiit, nunquam dimiserit, non debuit certè illa caro adeò aliquando saltem secundùm aliquam sui partem elevanda, fuisse unquam caro peccati, ut fuisset, si B. Virgo originale contraxisset.

IX. Neque tantùm non approbo istiusmodi opinionem, sed etiam improbo, nec tutam esse censeo : & quidem P. Lobbetius citatus quæst. 2. Moral. de Sancto Iosepho scribit Urbanum VIII. prohibuisse eam è pulpito jactari, in scholis doceri, & libris impressis vulgari, & si quid emanasset ejusmodi supprimi : cui, si extat, nihil Ecclesiæ filiis addendum : sed volvi & revolvi Bullarium Magnum Cherubini in hoc Pontifice, & nullam apud eum talem istius Pontificis Constitutionem reperire potui : cùm verò hæc ad intentum meum faceret, Lobbetium mihi notissimum accessi : ex eo sciscitatus sum de isto Urbani à se in isto opere adducto decreto, qui nihil mihi respondere potuit nisi se certò legisse istud decretum, sed non posse recordari apud quem Authorem. Credo tamen ei ut candidissimo ex opinione meâ viro.

X. Sed sive extet, sive non extet, istud Urbani VIII. Decretum, tuta non est ista sententia post determinationem Sacri Concilii Tridentini, Sess. 5. in Decret. de pecc. orig. in fin. in hæc verba statuentis : *Declarat tamen sancta Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem.* Cùm enim omnes ex Adamo descendentes per carnalem propagationem in Adam peccasse sine ullâ exceptione pronunciet Scriptura, & Adæ peccato inquinari in Conceptione dicat Concilium, itaut nonnisi Virginem solam hoc suo decreto absolvat, satis ostendit temerarium fore ullum alium velle hoc Decreto generali eximere.

XI. Quare hanc Sectionem finio per lepidum quorumdam Rabbinorum Commentum, quod aliàs me legisse memini. Hi finxerunt *Og* Regem Basan, gigantem illum quem Moyses interfecit, natum ante diluvium, usque ad Moysen vitam produxisse, idest ad annos mille & multos supra : Aquas porrò evasisse diluvii, quod tantæ fuerit proceritatis, ut altissimis quibusque altior Montibus esset, unde non mirum quod omnibus aquis diluvii supereminuerit : quàm ridiculum istud Commentum ! Cùm ergo nullus sit qui illud non exsibilet, cavebo, & omninò cavendum, ne qui Sanctissimum Christi Patrem Divum Josephum in sanctitate gigantem credimus, ejus ideò magnitudinem ita protendamus, ut eum aquis peccati originalis, quibus omne humanum genus immersum est, supereminuisse credamus, aliisque ut credant suadeamus, sicque ridiculi fiamus, & vel falsa, vel minus certa de eo affirmando, ut eum magnum faciamus, vera & certa, quæ sufficiunt ad hoc, & porrò dicturi sumus, dubia reddamus. Itaque quæstio proposita procedit solùm de sanctificatione in utero primo modo sumptâ, idest de illâ quæ peccatum originale in subjecto supponit, quod adveniendo expulerit.

## SECTIO II.

### *Quid sentiendum de illis qui aliquos Sanctos asserunt in utero sanctificatos.*

CErtum est primò, & de fide omnes homines ab Adamo per viam seminalem descendentes, prævaricationis illius participes ( utpote in eo tanquam in capite contentos ) in peccato naturaliter concipi, & naturâ esse filios iræ. XII.

Certum est secundò, ac etiam de fide, sequiturque ex præcedenti, omnes in eodem pecato naturaliter extra uterum nasci : quæ duo Hæretici Pelagiani præfractè negabant, asserentes peccatum Adæ nullum posterorum ejus reum constituisse, sicque omnes homines, & intra uterum concipi, & extra uterum naturaliter nasci immaculatos. XIII.

Propter

XIV. Propter hoc quidam Claudius Dausquius Canonicus Tornacensis, in libro cui titulus *Binoctium*, quem edidit expresè contra D. Ioſephi in utero ſanctificationem, non dubitavit omnes illos dicere Pelagianorum Congreges, & alterius partis hæreſis illorum Conſortes, qui D. Joſephum ex uteri materni latebris ſanctitate donatum prodiiſſe aſſerunt: verùm cùm illud impetiginis nullus hactenus affricuerit eis, qui tot ſanctos in utero ſanctificatos aſſeruerunt, nimis temerarius fuit Dausquius hoc affricuiſſe illis qui id dicunt de D. Joſepho ut conſtabit ex dicendis. Et certè, ut prætermittam quo animo hæc Dausquius ſcripſerit, hi quoad hoc diſcrepant toto cœlo à Pelagianis: nam Pelagiani docebant, primò omnes homines naſci immaculatos: hi verò tantùm perpaucos, eoſque inſignioris notæ ſanctos, ac ſingulariter prædeſtinatos: Secundò, Pelagiani docebant naſci immaculatos naturaliter: hi verò tantùm Dei ſpeciali gratiâ & beneficio: Tertiò, docebant Pelagiani ideò omnes naſci naturaliter immaculatos, quod illorum conceptio eſſet naturaliter ſine maculâ, negabant enim illi abſolutè peccatum originale: hi verò docent omnes eſſe naturâ filios iræ, & in peccato conceptos, & ideò naturaliter naſcituros in peccato in quo concepti fuerant, niſi fuiſſent à Deo ex ſpeciali privilegio ab illo in utero purgati propter inſignem ſuam ſupra cœteros electionem & prædeſtinationem. Quartò, Pelagiani reducebant ſuum dogma ad fidem divinam, hi ſuam doctrinam tantùm ad fidem piam & liberam.

XV. Ut tamen quod verum eſt fatear, cenſeo non ſine aliquo temeritatis periculo ſpeciale illud privilegium in pleriſque Sanctis etiam inſignioris ſanctitatis præſumi, niſi id ita probetur, ut nihil rationabiliter opponi poſſit: quia ſub prætensâ illâ gratiâ ſanctificationis in utero, inducerentur ſine fundamento tot propoſitiones particulares contradictoriæ univerſalis, quæ eſt ex Verbo Divino, ut enervarent propoſitionem univerſalem, quod nullâ ratione debet tolerari. Ut igitur aliqua particularis propoſitio talis inducatur, debet iis fulciri rationibus, ut exemptionem à regulâ generali rationabilem evincant. Confirmatur exemplo Divi Auguſtini tomo 2. epiſt. 57. quæ eſt ad Dardanum, ubi Sanctus Doctor revocat in dubium an Jeremias Propheta, & D. Joannes Baptiſta fuerint in utero ſanctificati, cùm tamen de primo expreſsè dicat Scriptura: *Priuſquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulvâ ſanctificavi te.* De ſecundo verò, *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero Matris ſuæ.* Si enim Sanctus ille Doctor timuit etiam cum illis Scripturis in iſtorum ab illâ univerſali lege exceptionem conſentire, an non temerarium dixeris ex quibuſlibet ſignis in ſpeciem tantùm apparentibus hunc vel illum ab eâ ſubducere?

## SECTIO III.

### *An qui à nonnullis dicuntur in utero ſanctificati, ſint tales?*

CUm nullus ferè ſit hodie Doctorum, qui D. Joſephum in utero ſanctificatum volunt qui non duxerint argumentum à ſanctificatione plurium aliorum, quos graviſſimi Authores voluerunt fuiſſe in utero ſanctificatos hoc modo: Hi, iſti, & illi fuerunt in utero ſanctificati, ergò à fortiori Divus Joſephus, ex eo quod ſecundùm omnem rationem ipſe, ut Chriſti Domini Pater eo modo quo infra Part. 2. Tractat. 2. videbimus, majorem habens affinitatem & proximitatem ad Chriſtum omnis ſanctitatis fontem, potiora mereatur ſanctitatis inſignia; ideò, ut nihil omittamus, videndum an ſolidum ſit illud fundamentum: id eſt an qui à nonnullis dicuntur in utero ſanctificati ſint tales, ut argumentum ab eis ductum pro ſanctificatione D. Joſephi ſubſiſtere poſſit. XVI.

Dixi Sectione præcedenti non ſine aliquo temeritatis periculo ſpeciale illud privilegium Sanctificationis in utero prætendi, niſi ita probetur, ut nihil rationabiliter opponi poſſit: ut verò ita probetur, non eſt neceſſe quod particularis propoſitio per quam dicitur XVII.

aliquis exceptus à regulâ universali, quæ dicit omnes ex Adamo descendentes nasci cum peccato, eo modo probetur quo universalis, ideſt per aliam Scripturam, quemadmodum existimarunt nonnulli magis apparenter quàm verè. Sed ista est legis quantumvis universalis natura, ut non ita universaliter intelligatur, quin juxta antiquam paroëmiam ex se, sine ullâ aliâ expressione, admittat exceptionem quando subest causa rationabilis. Porrò ut exceptio sit ex causâ rationabili, sufficit quod per prudens judicium colligi possit, mentem Legislatoris talem casum particularem noluisse comprehendere sub lege universali. Confirmatur evidenter, quia legis essentia est quid morale, unde illa non debet accipi nisi moraliter, ideſt secundùm rectam & prudentem rationem. Cùm ergò ex eâ aliquid sequeretur dissonum illi, non debet admitti, nec ullam in eo casu habet vim, quia non fuit mens Legislatoris casum illum comprehendere sub lege: Hinc *Epicheia* Theologorum: Hinc illud Photii Constantinopolitani in Responsione ad Amphilochium communiter receptum: *Sæpè in Scripturâ figura est universalis, non tamen sententia universaliter accipienda.* Quod mirificè probat Cantip. lib. 6. Hypotiposeon cap. 3. Hinc denique illa Jurisconsultorum regula approbata, quæ habetur ex cap. *solito*, in princip. *de Majorit. & obedient. Terminus universalis non distribuit universaliter quoad illos, ex quorum distributione resultaret dissonus intellectus.* Secundùm quam doctrinam Ecclesia ab antiquo tenuit Beatissimam Virginem in utero fuisse sanctificatam, quandoquidem ejus diem Natalem à multis sæculis celebraverit; quam sanctificationem his temporibus explicans, extendit, & docet esse sanctificationem secundo modo acceptam, ut hîc sect. 1. in notando: ideſt quæ nullum supponit in subjecto peccatum, esto nihil de hoc in Scriptura inveniatur expressum, quia rectissimè præsumitur nunquam fuisse Dei mentem, quod purissima Mater sua sub lege communi peccati cum aliis concluderetur.

XVIII. Igitur ut videamus an qui à nonnullis dicuntur in utero sanctificati sint tales, examinanda est illorum à communi lege exceptio, an sit sufficienti ratione fundata.

XIX. Colligunt nonnulli aliquos in utero sanctificatos ex sequentibus: Primò, à signis extraordinariis quæ illorum Nativitatem præcesserunt: Secundò, à signis quæ in ipso eorum Ortu effulcerunt: Tertiò, ab operationibus rarè & insolitæ virtutis, quas ab ipsis ferè incunabilis produxerunt, & in quibus ad mortem usque sine interruptione perseverarunt. Primo modo D. Ambrosius lib. 4. de fide cap. 4. & Petrus Comestor cap. 68. Histor. in Genes. & alii post ipsos, colligunt Jacob Patriarcham in utero sanctificatum, quia ibi supplantavit Esaü fratrem suum natu majorem. Secundo modo alii apud Divum Antoninum 3. part. Summ. tit. 18. cap. 5. §. 6. Sanctum Nicolaum Episcopum Mirensem, ex eo quod, ut ibi refert Sanctus Antoninus, natus stetit rectus. Tertio modo, alii Sanctum Dominicum Sacri ordinis Prædicatorum Fundatorem apud eundem D. Antoninum ejusdem Sanctissimi Fundatoris dignum filium, quia eodem D. Antonino referente, ab ipsis cunis lectulo suo egrediens, humi jacêre gestiebat. Ita de aliis, alii: & omnes ex iisdem tribus capitibus.

XX. Sed duo priora signa, ideſt quæ eorum ortum præcesserunt, & quæ comitata sunt, non fuerunt signa præsentis, sed præsagia futuræ aliquando sanctitatis: & ideò non sufficiunt ad statuendum aliquid certum contra legem & regulam generalem: similiter nec illæ operationes insolitæ virtutis & anticipatæ ætatis, quia sunt tantùm signa & effectus insignis illorum prædestinationis, cujus Deus voluit acceleratam esse executionem ad majorem eorum æstimationem, & Dei accelerantis finem intentum.

XXI. Non sufficiunt etiam Scripturæ ex quibus colligunt aliqui quosdam fuisse similiter sanctificatos, ut de Sampsone ex matre sterili nato, quia de eo dicitur Judicum cap. 13. *Erit Nazareus Dei ab infantiâ suâ, & ex utero Matris suæ.* De Davide Rege propter verba illa psalm. 70. vers. 7. *In te confirmatus sum ex utero,*

*utero, de ventre Matris meæ tu es Protector meus.* De D. Paulo Apostolo, quia ille de se dicit ad Galat. cap. 1. v. 15. *Cùm autem placuit ei qui me segregavit ex utero Matris meæ.* De Jobo quia ille de se dicit cap. 31. *Ab infantiâ meâ crevit mecum misericordia, & de utero Matris meæ egressa est mecum.* Nam quoad primum: dicitur Sampson Nazaræus ex utero Matris suæ, non quod ibi sanctificatus sit, sed, ut bene textum ponderanti patebit, eò quod etiam ipsa Mater ejus eo gravida, jubente Deo prohibita sit uti illis quę prohibebantur Nazareis, ne filius ejus Sampson eam fugendo, succum ex vino, vel sicerâ, quę Nazareis à Deo prohibita leguntur provenientem fugeret, ut sic excellenter Nazaræus ostenderetur, non autem ut sanctificatus in utero probaretur: Quoad secundum, Respondeo primò, vel hoc debet intelligi de beneficio naturali ex quo tamen resultat etiam supernaturale, ut vult Dionysius Carthusianus & alii in illum locum, quia nimirùm nisi Deus conservaret infantem ab utero & deinceps, non evaderet pericula quæ undique occurrunt, & quæ nimis longum esse retexere.

XXII. Respondeo secundò cum nostro P. Michaële à Bononiâ vulgò Incognito in psalmos hunc locum ad litteram sic debere explicari, *In te confirmatus sum ex utero*: idest quod sim in gratiâ tuâ in eâque ita perseverem, ut in eâ moriar, hoc ô mi Deus! habeo à te & prædestinatione tuâ, quæ non potuit non esse gratuita, quandoquidem fuerit antequam utero materno egrederer, & inter homines homo apparerem: atque adeò antequam quidquam mereri possem.

XXIII. Confirmatur hęc ut primarii Psalmorum Interpretis ita humillimi explicatio: Nam verbum illud *confirmatus* si ad litteram accipias, non significat simpliciter sanctificationem, sed in sanctitate confirmationem, nec hanc adhuc strictè, sed tantùm ut significat perseverantiam in illâ quâ ab egressu ex utero matris, quando scilicet circumcisus est, accepit: Nam manifestum est Davidem in gratiâ, quam in egressu ex utero dum circumcisus est accepit, non semper stetisse, lapsus est enim, Scripturâ attestante, in adulterium & homicidium & alia peccata: intelligitur ergo illud verbum, *In te confirmatus sum*, de gratiâ illa perseverantiæ finalis de quâ noster Incognitus ibi.

Quoad tertium: nihil aliud vult ibi XXIV. Apostolus nisi se ab utero & ante ullum meritum suum per Dei misericordiam prædestinatum, electum, segregatum (quæ omnia sunt Sinonyma) ut ei Deus post illa sua demerita quæ ibi dinumerat, revelaret filium suum, & faceret tandem ex persecutore Apostolum, ut eundem Christum aliis evangelizaret, & annunciaret: ita Divus Ambrosius, D. Anselmus & Theophylactus, quæ si significarent sanctificatum in utero, omnes prædestinati ante prævisa merita (quos ego censeo prædestinatos insigniter) possent dici sanctificati in utero. Cùm ergo hoc consequens esset nimis absurdum, imò heterodoxum, illud ex quo hoc sequeretur non est admittendum.

Quoad quartum Respondeo cum XXV. Divo Thomâ 3. part. quæst. 27. art. 6. ad 3 miseratio de qua loquitur Job non significat virtutem infusam, sed quandam inclinationem naturalem ad actus istius virtutis, eodem modo quo illud Ecclesiastici cap. 1. *Initium sapientiæ timor Domini & cum fidelibus in vulvâ concreatus est.* Hoc enim debet accipi secundùm quod aliqui ex naturali dispositione, atque ingenitâ indole, apti sunt, & inchoationem aliquam habent ad Dei timorem.

## SECTIO IV.

### *An ergo nullus omninò in utero sanctificatus?*

ETsi nulla sit difficultas, apud benè XXVI. sensatos, quod quamvis nulli essent alii de facto in utero sanctificati, posset tamen adhuc fieri quod in Divo Josepho tot essent rationes, adeóque relevantes, ut propter illas id illi privilegii denegari non posset: quemadmodum Divæ Deiparæ non potest negari prælervatio à peccato originali, esto nihil de hoc inveniatur in Scripturâ, vel ullum produci possit ex illâ ejusmo-

ejusmodi præservationis exemplum: quia tamen argumentum quod à sanctificatis aliis trahitur à Doctoribus ad D. Iosephum tanquam à minori ad majus, non est leve aut contemnendum, ideò postquam tot & tantos sanctificatorum classi à nonnullis assertos ab eâ exclusimus Sectione præcedenti, operepretium duxi operosius inquirere, an nulli sint omninò in utero sanctificati?

XXVII. D. Augustinus tom. 2. epist. 57. quæ est ad Dardanum videtur negare, quia ibi ut adhuc diximus supra num. 14. dubitat etiam de Jeremiâ Propheta, & de D. Joanne Baptistâ, an hoc privilegio donati fuerint: De quibus duobus, exclusis aliis, restare videtur difficultas. Et quidem D. Augustinus, ubi supra ratione quâdam in speciem plausibili contra istorum duorum & omnium in utero sanctificationem argumentatur hoc modo: Quia sanctificatio quâ homo efficitur templum Dei nonnisi renatorum est: Nemo autem potest renasci nisi priùs natus fuerit, ergo nemo priùs sanctificatur quàm utero nascatur.

XXVIII Verùm argumentum illud D. Augustini etsi valeat ad probandum neminem secundùm communem legem sanctificari nisi jam natum ex utero, non tamen ad probandum neminem posse in utero sanctificari ex privilegio, quamvis enim hi, inquit D. Thomas 3. part. quæst. 68. art. 11. ad 1. necdum prodierint in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant, sicque non possint subjici actioni hominum, ut per eorum ministerium Sacramenta recipiant ad salutem, possunt tamen subjici operationi Dei apud quem verè vivunt, ut quodam gratiæ privilegio sanctificentur.

XXIX. Igitur licet concederemus neminem sanctificari nisi per regenerationem, nec regenerari sivè renasci posse quemquam qui priùs non sit natus, ut vult in argumento D. Augustinus: Attamen nasci aliquis etiam dicitur, quamvis ex utero non sit egressus, ut patet ex Scripturâ Matth. cap. 1. de Christo Domino, de quo solùm in Virginis utero concepto dicit Angelus Divo Josepho. *Ioseph noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, quod enim ex eâ natum est de Spiritu Sancto est.* Quia nimirùm puer accipit vitam in utero Matris, ibique verissimè vivit. Datur ergò duplex nativitas, una in utero, altera ex utero: atque ita qui in utero jam natus est, etiam in utero renasci potest, non quidem ut ille qui natus est ex utero, per operationem hominis seu Baptismum, sed ut vivens apud Deum, qui huic legi Sacramentorum potentiam suam non alligavit, ut non possit per se quod potest per illa, quando & cum quibus voluerit.

Dico ergo certum est Hieremiam XXX Prophetam, & D. Joannem Baptistam fuisse in utero sanctificatos: de hoc nullus est relictus ambigendi locus: Scriptura enim est nimis clara & expressa pro utroque. Pro Hieremiâ namque sic ait: *Priusquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulvâ sanctificavi te.* Jerem. c. 1. Pro D. Joanne Baptistâ verò Luc. cap. 1. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris suæ.* Quid clarius? quid expressius? Pro hâc non citò Authores, quia est ita communis omnium Patrum, Doctorum, Interpretum & fidelium, ut vix ullum sciam præter D. Augustinum qui de illis dubitet: imò cùm tempore Divi Augustini maximè urgerent Pelagiani qui negabant peccatum originale, & docebant homines nasci immaculatos, ut monuimus hic supra: Probabile est D. Augustinum ita docuisse, non quod ita sentiret, sed ut ostenderet quàm maximè ab illâ nefariâ hæresi recedendum.

Sed sivè ita censuerit D. Augustinus, XXXI sivè non, respõderi posset ad istas Scripturas, illas convenienter intelligi non de sanctificatione reipsâ, sed secundùm Dei prædestinationem: ut sit sensus quod Jeremias antequam exiret de vulvâ prædestinatus fuerit ut esset Sanctus: & Joannes ut repleretur Spiritu Sancto.

Sed contra hanc explicationem au- XXXII diendus D. Bernardus epist. 154. paulò post init. ubi nostram sententiam defendit his verbis. *Icremiæ dictum est, Priusquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulvâ sanctificavi te. Quàm pulchrè inter figurationem in utero, & parturitionem ex utero Divinum distinxit oraculum! ut illam tantum*

*cantùm præcognitam, illam & Sanctitatis munere præornatam ostenderet, ne quis Prophetæ prærogativam de solâ præscientiâ seu prædestinatione putaverit æstimandam.* Ita de Jeremiâ D. Bernardus. Cujus argumentum ita reducitur: Cùm in illis verbis, *Priusquam te formarem in utero novi te*, significetur præscientia, seu prædestinatio istius Prophetæ, procul dubio in eo quod sequitur, *Et antequam exires de vulvâ sanctificavi te.* Aliud quàm Prædestinatio seu præscientia illa intelligitur, ergò sanctificatio ipsius reipsâ: quid apertius?

XXXIII. Tum deindè Bernardus à Jeremiâ Prophetâ progrediens ad D. Joannem Baptistam sic prosequitur. *Esto tamen ut hoc de Ieremiâ concedamus, quid respondebitur de Ioanne Baptistâ: quem Angelus pronunciavit Spiritu Sancto repletum iri adhuc in utero Matris suæ? Prorsus hoc ad prædestinationem præscientiamve referri posse non arbitror: verba nempè Angeli (sicut ipse prædixit) completa absque dubio sunt in tempore: & quem prælocutus est Spiritu Sancto replendum, non est fas credere non repletum, idq. loco & tempore quo prædixit. Certissimè autem Sanctus Spiritus quem replevit sanctificavit.*

XXXIV. Sed quid his immotor Sanctæ Ecclesiæ (quæ columna est & firmamentum veritatis, & cujus sensus omnibus prævalet) præcepto festum Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ solemnissimè celebratur, ita ut teste D. Augustino isto die tres Missæ antiquitus celebrarentur, ergò D. Joannes Baptista in suâ Nativitate Sanctus extitit: ex eo namque Ecclesia aliorum Sanctorum celebrat mortem non Nativitatem, quia illos die mortis, non verò Nativitatis, Sanctos fuisse existimat: ergò D. Ioannis ortum celebrat, quia illum Sanctum fuisse credit. Validissimum est hoc argumentum, quia non sine magnæ periculo censuræ, aut gravi Ecclesiæ offensione asseri potest, Ecclesiam in festorum celebratione errare posse. Cùm autem illam non errare in illorum celebratione, pendeat ex eo quod tale festum verè sit sanctum & veneratione dignum, quod non esset, si ejus objectum esset non sanctum & in peccato; nullo pacto licet dubitare Nativitatem Sancti Ioannis Baptistæ ab Ecclesiâ semper celebratam non fuisse sanctam.

XXXV. Eodem modo ex celebratione Nativitatis Beatæ Virginis colligit Sanctus Bernardus natam Sanctam epist. 174. in initio. *Sed & ortum Virginis*, inquit, *didici ab Ecclesiâ indubitanter habere festivum atque sanctum, firmissimè cum Ecclesiâ sentiens in utero accepisse ut Sancta prodiret.* Vide etiam in hanc rem P. Vasquez 3. part. disp. 114. cap. 2. & nostrum Franciscum Bonæ Spei tomo 4. tract. 2. disput. 12. de peccato orig. dub. 5. ad finem in Appendice.

## SECTIO V.

### *Sanctus Iosephus fuit in uterò Sanctificatus.*

XXXVI. IN mundi hujus aspectabilis opificio nonne hoc inter admirabilia mirandum, quod terra creatur inanis & vacua sine plantis, Cœlum rudis sine Planetis, lux etiam ipsâ imperfecta sine radiis, quarto enim tantùm die creatus est Sol, à quo perfectio luminis omnis. Aqua verò sola, observante gravissimo & antiquissimo Doctore Tertulliano lib. de Baptismo, statim ab initio cum totius suæ plenitudine perfectionis producitur? Hujus differentiæ causam si ab illo requiris? reddit illam sic ille tibi: *Solus liquor*, inquit, *semper materia perfecta, læta simplex, de suo pura, dignum Dei vectaculum subjiciebat.* Hoc ille non minùs subtiliter quàm benè. Etenim Genes. cap. 1. versu 2. *Spiritus Domini ferebatur super aquas* Quare verò a quam solam, ex eo quod futura erat Divini sedes Spiritus, voluit Deus statim ab initio creationis suæ esse cum totâ suâ perfectione? nisi ut per hoc symbolum intelligeremus quod si res ita se haberet in corporalibus, quanto majori ratione in spiritualibus?

XXXVII. Ergò si hæc collectio non inepta est, sequitur quod inter omnes creaturas illæ ab initio & quàm primùm gratiæ plenitudinem acceperint, quæ probantur fuisse Dei hominis (qui fons est indefectibilis omniũ gratiarum) vectaculum.

culum: Quapropter cùm Maria Diva Deipara, quæ Deo de carne suâ corpus aptavit, quæ eum in utero gestavit, primum sit & præcipuum ejusdem vectaculum, ideò illa ut talis statim in primo sui esse gratiæ plenitudinem accepit: Sed post illam longè Beatissimam, quis secundùm ejusdem Dei nostri gestatorium? Nonne D. Joseph, ejusdem purissimæ Virginis Sponsus Virgineus? quoties enim ille illum in sinu molliter fovit? quoties in ulnis gestavit? quoties oscula fixit? quoties ipse JESUS ex Matris brachiis exiliit in Josephi collum, eique reddidit basia? Tandem nonne ille illum adhuc in utero Matris illatebratum, & deinceps, de labore suo, de sui sudore vultus sustentavit? Ergò ille uti secundum Dei hominis post Virginem Sponsam vectaculum, ita secundum post illam gratiæ privilegium obtinuit; & ut in dignitate nullo dato inter medio suppar, ita supparem gratiam, ideſt sanctificationis in utero accepit: Ecce sub hâc umbrâ nostram de Sanctissimo Christi Patre, Custode, Altore, mentem & omnium jam ferè Fidelium.

XXXVIII Lorinus & alii in hanc quoque mentem, Benedictionem quam Deuteronomii cap. 33. moriturus Moyses dedit Josepho Ægypti Pro-regi, accomodant D. Josepho, cujus ille fuit prima ac præcipua figura. Hæc benedictio talis est. *Joseph quoque ait de benedictione Domini terra ejus, de pomis cæli, & rore, atque abysso subjacente. De pomis fructuum Solis & Lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum ea de frugibus terræ & de plenitudine ejus. Benedictio illius qui apparuit in Rubo veniat super caput Joseph, & super verticem Nazaræi inter fratres ejus.* In quæ verba sic Lorinus. „ Aliqui non ineptè accomodant „ istam benedictionem ad Sponsum Ma„ riæ Joseph, cùm Christus Mariæ natu„ ralis Filius, dicatur etiam Filius Joseph, „ qui fructus cœli est solis & lunę, quoniã „ Christus dicitur Sol, Maria Luna; & „ Cœli ac roris, quia Christus operâ Spi„ ritus Sancti, & irroratione cœlesti geni„ tus est. Quidam hinc inferunt ob simi„ litudinem inter Sponsum & Sponsam „ decuisse ut Joseph suo modo particeps „ esset privilegiorum Sponsæ, & ut be„ nedictio ejus qui apparuit in Rubo, ideſt in Maria, quæ per Rubũ significatur, sicut venire super caput Josephi Pro- « Regis Ægypti Moyses hoc loco paulò « post precatur, sic veniret super Sponsum « Mariæ præfiguratũ in illo; esseteq, bene- « dictio hujus de pomis Solis & Lunæ, id- « est Christi ab originali peccato prorsus « immunis, & Mariæ ab eo præservatæ, « ut saltem ipse in utero sanctificaretur. « De vertice antiquorum montium, & de « pomis collium æternorum, ideſt illu- « strium Sanctorum qui sunt in utero san- « ctificati, ut Jeremias & D. Joannes Bap- « tista. Hæc Lorinus in cap. 53. Deute- « ron. Aliam longè aptiorem expressioremque hujus rei figuram vide infra.

Quod si dicas nihil in Scripturâ de hâc XXXIX D. Josephi in utero sanctificatione haberi aut ex eâ posse evidèter educi: Respondeo cum Gersone serm. de Nativit. B. Virginis Consider. 2. nihil ibi mirum: Nam nihil in eadem Scriptura habetur, aut ex eâ educi potest de Beatę Virginis in utero sanctificatione, hoc est, Conceptione immaculatâ, nihil etiam de multis aliis utriusque excellentiis, prærogativis, gratiis & virtutibus. *Sunt enim multa, quæ fecit IESVS, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.* Joann. cap. ultimo Non putarunt Evangelistæ necessarium verba jactare hic, ut alibi, ubi res ipsa per se loquebatur: Cùm enim illam Christi Matrem, istum Patrem (utrumque suo modo) asseruerunt, omnia quæ de illis magna dici poterant satis insinuasse censendi sunt: Nam in his continetur quidquid verâ ratione de illis magnum excogitari potest, & ex his colligendum sine ulla hæsitatione Deum in illos contulisse vel formaliter vel eminenter quidquid aliis Sanctis collatum fuisse invenitur.

Nititur ergò hoc assertum de Divi XL. Josephi sanctificatione in utero, ratione: Porrò ratio fundatur immediatè in ipsius Paternitate ad Christum, sicut immaculata Conceptio Beatæ Virginis in ipsius Maternitate: Mediatè verò in Sacrâ Scripturâ licet non ita clarè: Nam & huic & illi, debitum pro vinculi obligationisque filialis ratione reddendum honorem, ut natura & ratio, ita

ita Divina docent eloquia. Et argumentamur eodem modo proportione servatâ de Paternitate D. Iosephi in ordine ad ipsius in utero sanctificationem, quo de Maternitate Divæ Deiparæ in ordine ad ipsius præservationem à peccato, ut scilicet quia hæc altiori titulo est Mater Christi, quàm D. Iosephus ejus Pater, ita ipsa propter altissimam Maternitatem, altissimo gratiæ privilegio, justitiæ scilicet originalis & præservationis à peccato, condecorata sit: Ille verò quia in ratione Patris proximè ad illam accedit, ut infra ostendetur part. 2. tract. 2. gratiæ proximæ illi privilegio, quod est sanctificationis in utero, donatus sit.

## CAPUT II.

### *Probatur hoc nostrum Assertum rationibus.*

I. PRIMUM & commune argumentum ducitur ab exemplo aliorum qui fuerunt in utero sanctificati: si enim Jeremias Propheta & D. Joannes Baptista fuerunt in utero sanctificati, ut probavimus cap. præcedenti sect. 4. Cur hoc Privilegii negatum fuisset Patri JESU D. Josepho? Hoc argumentum supponit D. Josephum non esse minorem illis, quod partim constat ex dictis supra tract. 1. magisque patebit ex dicendis in decursu operis.

II. Non acquiescunt aliqui huic argumento: volunt enim totam rationem illorum quæ fecit Deus ad extra esse ipsius voluntatem: unde, inquiunt, non sequitur quod si supradicti fuerunt in utero sanctificati idem sit dicendum de D. Josepho, eo quod ejus dignitas eminetior sit, & ordinatio ad Christum omnis sanctitatis fontem longè strictior dignitate vel ordinatione illorum; quia ratio cur supradicti fuerunt in utero sanctificati non est eorum dignitas futura, ut supponitur in argumento, sed sola Dei voluntas.

III. Mihi tamen certissimum est & indubitatum illud argumentum: quia & si omnium quæ fecit Deus ad extra ratio à priori sit voluntas Dei, atque verum sit quod omnia quæ fecit Deus, ideò fecerit quia voluit: in illis tamen quæ non habent rationem finis, fuit etiam aliquod illorum motivum ex parte creaturæ: verbi gratiâ, Beata Virgo fuit immunis à peccato originali in suâ Conceptione, &c. hujus rei ratio quidem à priori est quia Deus voluit, sed quia hæc immunitas à peccato originali, &c. non habet rationem finis, verissimum esse constat quod hæc immunitas illi collata sit quia futura erat Mater Dei: quod autem futura erat Mater Dei, cùm habeat rationem finis, nullam habet rationem ex parte Virginis, sed tota ratio est voluntas Dei: similiter D. Joannes Baptista fuit in utero sanctificatus, & hoc ideò quia Deus voluit: sed hoc voluit Deus quia ita conveniebat, ut aptus fieret & idoneus ad eminentem gradũ, & excellens illud munus subeundum, ad quod illum elegerat: Quare currit primum nostrum argumentum, & omninò dicendum cum communi Doctorum, quod omnis ratio sanctificationis in utero ex parte creaturæ est propter sanctificati futuram excellentem dignitatem: unde cùm quæcumque tandem sit aliorum Sanctorum qui in utero sanctificati sunt dignitas, minor sit semper Paternitate D. Josephi, de quâ part. 2. tract. 2. sequitur manifestè quod si illi sanctificati, & hic: idque à fortiori.

IV. Et certè si hoc olim de illo asseruerunt tot nobiles Theologi, qui tamen leviter tantùm attigerant rationem Paternitatis ejus ad Christum, vixque illum arbitrati sunt amplius quàm Patrem Putativum, Nutritium, & Custodem, quid jam dicendum, cùm eandem Paternitatem tam strictam videmus, quam ostensuri sumus infra part. 2. tract. 2.

V. Deinde si D. Iosephus fuisset Pater Christi per generationem, ut potuit esse ex Doctrinâ Patris Suaris tom 2. in tertiam partem Divi Thomæ quæst. 32. disputat. 10. Sect. 3. ubi etiam censet hanc assertionem adeo esse certam, ut contraria nec probabilis nec verisimilis videatur, nonne eodem prorsus modo de illo argumentaremur, quo de Beatissimâ Virgine ejus Matre per

generationem ob easdem rationes? certissimumque nobis esset de illo consequenter, ut de illa quod gratiam originalis justitiæ accepisset? quis inficiabitur? Quare cùm ipsius Paternitas ad Christum non longè absit ab hâc Paternitate per generationem, sed illam proximè & immediatè attingat, quemadmodum dicturi sumus part. 2. tract. 2. sequitur quod illa gratiæ privilegia acceperit, quæ proximè accedunt ad prærogativas Patris per generationem: Atqui gratiæ privilegium proximè accedens ad illud Patris per generationem (quod est gratia justitiæ originalis) est gratia sanctificationis in utero, illam ergo abs dubiè accepit.

VI. Et verò cùm Christus Dominus sit verè filius D. Josephi, certè cum hic respectus filii, quem habet ad D. Josephum tanquam Patrem, sit incomparabiliter major quocumque alio, quem habet ad alias creaturas, exceptâ solâ Beatissimâ Virgine, debet quoque pluris ab eo æstimari & haberi: sed quædam inter illas hoc privilegio sanctificationis in utero honoratæ sunt, ut diximus, ergo hoc D. Josepho non est denegandum: adeò enim naturalis est filiorum erga parentes honos, *ut lex ista*, inquit Cicero pro Milone, *Non tam sit nobis data, quam nobiscum nata, eam non didicerimus, verùm ex ipsâ naturâ hauserimus, ad eam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti simus.*

VII. Neque dicas D. Josephum non esse Patrem Christi generatione: Respondeo enim hujus locum tenere per gratiam, ideò si non paris, supparis saltem est meriti in ordine ad istum honorem: quare cùm, si Pater esset Christi per generationem ei deberetur gratia justitiæ originalis: ita ex quo hujus locum tenet ex Dei electione, non potest ei negari privilegium huic suppar, quod est privilegium sanctificationis in utero.

VIII. Quod si SS. Patres & non infimæ notæ Doctores docent plures alios non in lege gratiæ solùm, sed etiam scriptâ & naturæ, fuisse in utero sanctificatos, vide Egesippum lib. 5. Comment. D. Hieron. in epist. ad Galat. cap. 1. D. Ambrosium lib. 4. de fide cap. 4. S. Ephrem orat. de Transfigurat. Metaphrastem serm. de Sancto Jacobo, D. Bernardum epist. 174. S. Anastasium Nicen. in quæstion. Sac. Script. q. 59. apud Bibliothecam SS. Patrum tom. 6. S. Antoninum 3. part. summ. tit. 18. cap. 5. §. 6. Petrum Commestor. in Genes. cap. 66. Dionys. Carthus. in Genes. cap. 28. Jacobum Christopolitan. in Cantic. Magnificat, Carthagenam lib. 4. de Arcan. hom. 3. & alios, an pluribus verbis opus erit, ut hoc idem de D. Josepho apud Deum, tanto, idem nobis persuadeamus?

IX. Tandem cum peccatum sit servitus sub diabolo, ut constat, certumque sit ex præcedenti capite: Divum Joannem Baptistam & Jeremiam Prophetam ex ipso utero ab illa fuisse erutos, quâ ratione credibile esse potest Divum Josephum Christi Domini tam strictè Patrem, diutius in eâ servitute quàm illos fuisse relictum? Aristoteles in problem. sect. 29. quæst. 13. ait: *Etsi iniquum est liberum asservisse eum qui servus est, longè tamen iniquius servum sanxisse eum qui liber est.* Quare absit à me, absit ab omnibus piè de observantiâ Christi Jesu erga Patrem suum sentientibus, ut segnius se erga Patrem suum quam erga servos gessisse sentiant.

X. Postremò, prima sanctificatio quam Deus per se præstat est longè uberior & efficacior illâ quam præstat per hominem mediante Sacramento: quia hæc quam præstat per hominem mediante Sacramento est ordinaria & cómunis, illa verò quam per se præstat est extraordinaria, quia est ex ratione & motivo supra commune. Sed uberior & efficacior debebatur Divo Josepho prima sanctificatio, ut Patri Christi Domini quam cæteris omnibus, ergo illam de facto accepit.

XI. Concludo per ea quæ Nicolaus Abbas Discipulus & Secretarius D. Bernardi Abbatis Clarevallensis lib. 9. ep. 9. de Divâ Virgine, ea applicando ejus suppari & sponso D. Josepho, *Præsumuntur multa* de D. Josepho *quæ nusquam leguntur, & præsumptionibus standum est donec probetur in contrarium.*

CAPUT

## CAPUT III.

### *Alia hujus asserti nostri munimenta ab Authoritate.*

I. SI suos quondam Scythę Principes cùm nascebantur extulerunt in clypeis ad belli præjudicium: si suos Athenienses Sacerdotalibus ornarunt infulis ad pacis auspicium: Si suos Persæ adverso soli opposuerunt ad Religionis mysterium: si suos Romani humi straverunt ad miseriarum exemplum: si suos Turcæ militari vexillo circumvolverunt ad jactantiam: si suos Græci purpurarunt ad pompam: si denique suos Parthi cassidè exceperunt ad militarem gloriam, quomodo à nobis excipiendus Sanctus Joseph nascens verè Princeps noster, quia Cœli terræque Reginæ Conjux & Sponsus: quia Dei nostri verè Pater? quem cùm Deus ad tantam evexerit dignitatem, credimus vestitu sanctitatis deaurato amictum, omnigenarumque virtutum varietate circumdatum prodiisse ex utero in hanc lucem, longè meliori quam illi præsagio, quia totius mundi bono.

II. Devexerint formicæ frumentum ad Mydæ cunas singulari numinis beneficio, quæ rerum omnium præsagiebant copiam sub eo Rege futuram: quid hoc est si conferas cum subjecto quod tractamus? nonne pensandum futurum huncqui tanto splendore nascitur longè fœliciori auspicio servatorem frumenti & panis electorum? Platonis cunabula mille apes respersérint aut in D. Ambrosii vagientis labiis sessitarint in argumentum aliquando futuræ eloquentiæ: sed D. Josephus futurus est Pater Verbi verba vitę æternę habentis, & illa de corde suo proferentis, quanta inter hunc & illos distantia?

III. Illius ergo cunas Sol solus dignè depingat, cujus ut ortus est in lumine, sic D. Josephi in splendoribus sanctitatis: quod aliis iterùm argumentis probatum imus: ac primò quidem à Revelationibus quas peculiaribus quibusdam personis notæ sanctitatis, & in ejus opinione mortuis, à Deo factas esse scimus, quales etiam in aliis materiis multas esse, & fuisse, & antiqua historiarum monumenta, & nova etiam experientia comprobat: quæ si Doctorum virorum approbatione firmentur, magnum semper in Ecclesiâ pondus habuerunt: Cùm etiam illis uratur pro Canonizatione Sanctorum ut patet in Sancto Paulo primo Eremitâ, quem ex solâ Sancti Antonii Abbatis depositione, cui revelatio de ejus gloria facta est, fastis Sanctorum adscripsit: & in Beato Aloysio Gonzagâ Societatis Jesu Religioso pro cujus Beatificatione & Canonizatione magni illius Societatis Patres, Revelationem de ejus summâ gloriâ Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzi Ordinis nostri Monialis factam, in Processu informativo pro eodem Beato Viro, inter probationes robustissimas non omiserunt, etiam antequam illa esset solemni ritu Sanctorum Albo adscripta.

In his Revelationibus pro hâc Divi IV.
Josephi sanctificatione in utero illam produco quæ facta est venerabili sorori Margaretæ à Sanctissimo Sacramento Ordinis nostri, & Reformationis S. Matris nostræ Theresiæ, cui ob eximiam vitæ sanctimoniam arcana multa, præcipuè de Beatâ Virgine & D. Josepho Deus patefecit: inter quæ hæc refert Author ejus vitæ lib. 8. cap. 13. Gallico idiomate conscripto, quæ sic latinè reddo, primò, *Mox*, inquit venerabilis illa Monialis, *ut Divus Josephus fuit Deiparæ in sponsum propositus, sanctitas ejus ipsi innotuit. Secundò, infusa in materno sinu divinitus sanctitas, eum originali maculâ expiavit. Tertiò, sicq; Deo consecratus antequâ natus, dum vixit omni mortalium amicitiæ, quæ non ex Deo est, æternum valedixit. Quartò, Virgo solâ sine D. Josepho cognatâ Elizabetham visitatura, in Montana perrexit, eam quàm paucis affata. Quintò, potissimùm illarum colloquium fuit cum mutuis salutationibus mysteria in se patrata conferrent, invicemq; adgratularentur, in orationibus Divinisq; laudibus celebrandis. Sextò hanc solam dum vixit parentibus suis visitationem exhibuit, ab omni mortalium omnium amicitiâ & familiaritate abjuncta. Septimò, in eâ ne unus quidè gressus ne actio unica, imò ne verbulum indifferens. Octavò, nihil*

*ei præter Nazarethanã domunculam. Nonò, in verbi æterni homini uniti contemplatione & veneratione rapta totos novem menses impregnationis suæ exegit. Decimò, vix in lucem editus cœlestis pusio Josephi amoris objectum fuit, cujus pedibus manibusq; divinis basia mille dedit. Undecimò, Angelorum Phalanges in terras descendere infantiq; verbo laudes canere & venerationem adhibere vidit. Duodecimò, illum ipsum ipse octavo die circumcidit. Decimo-tertiò, Deipara Virgo per 40. Purificationis dies ita divinissimo filii sui in cunis ante oculos vagientis conspectu rapta fuit ut illos omnes insomnes ac sine cibo & potu duxerit. Decimoquartò, Pastores qui semel tantùm stabulum Bethleemiticum adierunt & infantem in Spiritu & veritate adoraverunt non est allocuta. Decimoquintò, illi nihil præter corda & voluntates obtulerunt. Decimosextò, sacra Regis æterni stabula quæ spreverunt alii Judæi Magorum pietas stratis ad adorationem pueri humi corporibus subivit. Decimoseptimò, alternis allata munera (quæ fuerunt in quantitate mediocria utpote clientelaria) in spiritu & veritate Regem Regum sub nostrâ infirmitate latentem agnoscentes, ad ejus pedes litavêre. Decimo octavo, neque hic institutum solvit Deipara silentium, cui & Magi obsecundarunt, cùm nemo ex tam copioso eorum Comitatu sacra tecta subierit. Decimononò, sacram ad templum deferentes prolem proficiscuntur taciti Joseph & Maria, in templo, ne Simeonem vel Annam allocuti. Vigesimò, per Josephum didicit virgo abscedendum cùm prole in Ægyptum. Vigesimo primò, eo in itinere maduerunt sæpè eximio frigore pueri ocelli, quos in piam Matrem identidem refigens cor ejus doloris gladio transfixit. Vigesimosecundò, in Ægypto refulgens in facie pueri divinus splendor, tantum extorsit respectum, ut nullus eum accedere ausus sit nisi cum reverentiâ, quamvis nihil de ejus divinitate suspicarentur. Vigesimo-tertiò, Ægyptiorum Nazarethanorumve nullus ausus est vel eum osculari, vel manus cõtrectare, cùm hoc privilegii soli Mariæ & Josepho videretur deberi. Vigesimo-quartò, nunquam Maria & Joseph ab Ægyptiis ut cæteri Concives tractati, ab illis tamen tribus sacratissimis personis, quas suspiciebant, secretâ vi omnis illorum semper dispulsa tristitia. Vigesimo-quintò, decimo quinto mense ablactatus infans, qui firmatis paulatim pedibus incedere tentans, modò in Mariæ, modò in Josephi, ruebat amplexus. Vigesimo sextò, Ægypto excessere tacitinon sine vicinorum mœrore. Vigesimo-septimò, præterquam quod vix de rebus necessariis colloqui soliti erant, in ipsis etiam divini infantis mirabilibus enarrandis admodùm parci erant. Vigesimo octavò, Perpauca filius illis loquebatur, filio pauca illi, & nonnisi summè reverenter. Vigesimo-nonò, in utriusque corda sanctiores emittere non cessabat igniculos, exterius etiam in eorum oculos divinitatis suæ tot evibrabat radios, ut toti exestuarent divini incendiis amoris. Trigesimò, operas suas aliquando Joseph foris elocabat, non tamen in arduis, quamvis cœlitus omnes artes calleret, ne nimium distraheretur. Trigesimo primò, suppeditabatq; Deus laborem humilitati, orationi, atque silentio, aliisq; virtutibus ejus congruum, vulgariq; ac modesto familiæ suæ victui sufficientem.* Hæc Venerabilis illa Carmelitissa: ubi puncto 2. habentur quæ hîc affero de D. Josephi in utero sanctificatione, quibus tamen cætera adjeci, quia aliis à nobis aliàs de illo dicendis fulcro futura.

V. Probatur secundò authoritate Ecclesiæ Jerosolymitanæ quæ in Officio de Sancto Josepho hanc sententiam ab antiquo recepit, ut docuit in Concilio Constantiensi Joannes Gerson Cancell. Paris. in Serm. ibi habito de Nativit. B. Virg. Consid. 2.

VI. Probatur tertiò Authoritate antiqui Breviarii Ordinis Carmelitarum in Officio de eodem S. Josepho ab illis ubiq; terrarum celebrari solito, ut observavavit P. Leo à S. Joanne, ejusdem Ordinis & Provinciæ Turoniæ, Christianissimi Regis Ecclesiastes ordinarius, in serm. de S. Josepho: quod Officium licet in recentioribus ejusdem Ordinis Breviariis mutatum sit in aliud, non tamen id ex eo cõtigisse putandum, quod sententiam illam abjiciendam esse sit existimatum, sed quia judicatum illud ad normam Breviarii Romani pro uniformitate esse redigendum.

VII. Probatur quartò, quia hanc sententiam à Ioanne Gersono ut supra in Concilio Constantiensi prædicatam, & ut præfertur authoritate Ecclesiæ Jeroso-

Jerosolymitanæ roboratam, Patres dicti Concilii piè receperunt, cùm ei non contradixerint, permiserintque sermonem illum typis mandare cum annotatione quod ille in eorum publico consessu prædicatus fuisset, quod certè nunquam erant toleraturi, si hæc sententia eis displicuisset, quin etiam Jacobus de Valentiâ Episcopus Christopolitanus in Expositione Cantici *Magnificat*, ad illa verba: *Quia fecit mihi magna qui potens est*, ante finem: Asserit sermonem istum fuisse pergratum & acceptum totius Ecclesiæ ibidè congregatæ faciei, & quod propterea ab indè cœperit celebrari Festum Sancti Josephi in pluribus Ecclesiis Galliarum, & specialiter solemnizari in Ecclesia Valentinâ Hispaniarum.

VIII. Probatur quintò, ex Decreto Urbani VIII. hîc supra mentionato cap. 1. sect. 1. num. 9. quo vetat è pulpito jactari, in scholis doceri, aut libris impressis vulgari nascentem opinionem asserentium D. Josephum à culpâ originali fuisse præservatum, ut tenet Ecclesia de Sponsâ ejus, & præcipit si quid emanasset ejusmodi omninò supprimi: Atqui Urbano non potuit non esse notum, hanc sententiam de ejusdem D. Josephi Sanctificatione in utero, à multis sæculis in Ecclesiâ Jerosolymitanâ receptam; à tempore Concilii Constantiensis in dies magis & magis invalescere: Cùm ergò contra hanc nihil dixerit, cùm tamen daretur occasio, ex quo hæc illi maximè affinis est, profectò argumentum est efficacissimum & manifestissimum, Pontificem voluisse relinquere libertatem hujus piæ sententiæ, nec censuisse illi esse contradicendum.

IX. Probatur sextò, quia ex communi proloquio in similibus, *Vox populi, vox est Dei*: sed hæc sententia est vox populi, ergò Dei: Neque dicas cum Seneca, *Argumentum pessimi est turba*, quia nimirùm turba cœca movetur potiùs passione quàm ratione; inclinatione quàm veritate: Respondeo enim hoc effatum non intelligi de turbâ sed de multitudine, ubi non minùs docti quàm indocti, magni quàm mediocres & parvi, nobiles non minùs quàm ignobiles, uno verbo ubi omnes in idem conspirant ex solis rationis motivis, in quo casu non est dubium quin vox populi vox sit Dei: hic autem ita res se habet: Nam non tantùm turba, sed omnium Ordinum, & statuum Viri prudentissimi & doctissimi, Episcopi, Sacerdotes, Religiosi, Doctores, Concionatores celeberrimi, Interpretes perspicacissimi, Scholastici profundissimi sine numero hanc tenent, & docent, & credunt piè, & si unum Dausquium demas, vix quemquam reperies qui contra hanc velitarit apertè: ergò hæc est vox Dei: quare abscedat Dausquius.

X. Probatur septimò, Præsumptio probat plenè in iis quæ sunt consona veritati, Bartold. in l. 2. in princip. in 2. col. versu *quærit Glossa* 1. in lect. Nicolai de Neapol. ff. *de excus. Tutor.* Bertachinus in Repert. Sed est præsumptio pro D. Josepho ipsum fuisse ita sanctificatum, Ergò, &c.

XI. Certè Paternitatis dignitas quæ reperitur in D. Josepho respectu Christi Domini in se sola spectata, illud privilegii jure exigere videtur: Est enim adeò excellens illa, ac præcelsa, ut citra hypostaticam unionem, & Beatæ Virginis Maternitatem, nihil detur sublimius: Ergò quemadmodum Christus propter unionem hypostaticam fuit per se & naturâ suâ à peccato originali immunis: Et Beata Virgo ob Maternitatem per privilegium ab eo præservata, ita omninò dicendum est D. Josephum ob istam Paternitatem ab eo quamprimùm fuisse liberatum.

## CAPUT IV.

### *Diluuntur argumenta contraria ex Sacrâ Scripturâ petita.*



Ura inter propositiones oppositas, quantùm de unâ decedit, tantùm alteri videtur accedere, genus quoddam probationis est unius sententiæ, ea quæ pro contraria facere videntur, infringere & ostendere nullius esse ponderis vel efficacitatis. Quare ut nostra de Divi Josephi in utero Sanctificatione sententia jam communiter recepta firmius subsistat

subsistat, postquam eam nostris argumentis stabilivimus, contraria dispellendo amplius muniamus, inconcussamque ostendamus: ac quidem hoc capite ea quæ ex Sacris Scripturis educuntur diluamus, idem facturi in sequentibus de iis quæ aliundè.

II. Dausquius Canonicus Tornacensis, quo nullus hanc nostram de D. Josephi in utero Sanctificatione sententiam vehementius impetivit in suo Binoctio, primò objicit illud Iob c. 14. vers. 4. ex versione Septuaginta Interpretum. *Nemo mundus est à sorde, ne infans quidem, cujus est unius diei vita super terram.* Undè consequens est, inquit Dausquius cap. 2. & 46. ejusdem sui Binoctii, ut Iosephus Mariæ Vir, cùm esset infans unius diei super terram non fuerit mundus à sorde originariâ, ergo neque in utero; si enim in utero fuisset sine sorde, fuisset etiam exiens utero: Est enim D. Bernardi effatum. *Non potest non nasci sanctus, qui in utero Matris est sanctificatus.* Ex hoc verò sic suscipit Dausquius. Quemadmodum Cælestio, Iuliano, Pelagio, Pelagianisque adserentibus omnes absque Adami peccato nascuntur, qui sub illâ universali affirmante suscipiunt hanc, Ioseph natus est absque Adami peccato, suscipiunt propositionem singularem universali subalternam ac in eandem professionem involant: sic qui dicunt Iosephus cùm esset infans unius diei super terram, fuit mundus à sorde, opponunt Iobi dictioni contradictoriam, seque à sacrorum Librorum authoritate quàm longissimè submovent. Ita Dausquius: addens pro colophone hunc aculeum: *Ego Pelagium & ei congregem turbam abominor, Sacrisq; Codicibus & Iobo adhæreo: eâ propter Iosephum sanctificatum in utero credere mihi nefas est: ac si qui sanctificatum dicant, de turba Pelagiano congrege sint.* Ecce fulmen irati in nos Dausquii quod extinximus supra cap. 1. hujus Tractatus Sectione 2. num. 13. & cap. præcedenti num. 7. & 8. quò Lectorem remitto.

III. Cæterùm ad istud argumentum & alia similia, sive ex Scripturâ sive ex Patribus, à Dausquio congesta una est responsio, eaque facilis, dicendo per hanc & similes propositiones, quibus videtur significari quod omnes homines nascantur cum peccato, non excludi privilegia singularis electionis. Sed accipiat Dausquius ad hoc suum palmare argumentum, ast elumbe, duas alias responsiones quibus iram suam excoquat.

IV. Respondeo ergò secundò, Scripturâ istam etiam juxta illam quâ voluit uti Dausquius versionem Septuaginta Interpretum, nihil facere contra nos, quia non dicimus in assertione D. Josephum ex utero prodeuntem mundum à sordibus, sed mundatum: inter quæ magna est differentia. Primum namque significat eum qui ita est absque sordibus, ut etiam nunquam fuerit in illis: Secundum verò significat illum qui fuit in sordibus, sed ab eis est purgatus. Ultimum asserimus de D. Josepho, non primum: non enim mundus potuit esse D. Josephus semper quem dicimus mundatum: Atquè adeò nihil dicimus contra istam universalem. *Nemo mundus est à sorde, ne infans quidem cujus est unius diei vita super terram.*

V. Ridebit suo more Dausquius hanc nostram distinctionem inter mundum & mundatum à sordibus, sed ridendus ipse qui in re tam clarâ non intelligit, cùm nullus sit qui non videat, quod ut quis sit mundus, non sit necesse quod fuerit inquinatus, sit verò ut possit dici mundatus.

VI. Confirmatur hæc responsio, & urgetur contra Dausquium; nam in hoc textu & juxta hanc versionem duo dicit Propheta: primùm quod nemo sit mundus à sorde: secundùm, quod hoc sit universaliter & distributivè verum, ut nec infans quamvis tantùm unius diei sit mundus à sorde. Cùm ergò Propheta ex hoc probet neminem omninò esse mundum à sordibus, quod nec infans unius diei sit ab illis mundus omninò necesse est, quod *li mundus à sorde* quomodocumque accipiatur, sumatur eodem modo in secundo membro istius propositionis, quo in primo: sed in primo, *mundus à sorde* non potest sumi pro purgato à sorde, quia constat plures esse purgatos, ut infantes octo dierum circumcisos in antiquâ

lege,

lege, imò unius diei aut horæ baptisatos in novâ, aliosque adultos, vel contritos in vetere, vel pœnitentiæ Sacramento expiatos in novâ; ergo per ly mundus à sorde debet necessariò intelligi aliud quàm mundatus aut purgatus à sorde quibus erat priùs inquinatus. Ergò per secundam consequentiam ille qui nunquam fuit inquinatus.

VII. Cæterùm sensus verus istius sententiæ Jobi est in versione nostrâ vulgatâ solâ ab Ecclesiâ receptâ, quæ loco verborum illorum habet hæc. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* In quâ quia satis vidit Dausquius nihil sibi, omnia D. Josepho favere, ideò confugit ad Septuaginta Interpretes: Sensus itaque verborum citatorum ex nostrâ vulgatâ genuinus hic est: Cùm omnis homo sit conceptus ex immundo semine, ex quo etiam in ipsâ suâ conceptione peccatum, & ad omne malum proclivitatem traxit; non est in ullius potestate nisi solius Dei ita naturaliter corruptum reparare, ita immundum mundum facere: ita omnes Sancti Patres, & Interpretes qui hunc locum Jobi tractarunt. Quid quæso ibi pro Dausquio contra D. Josephum quem in suo Binoctio verè binoctio infectatur? hanc nos Dei potentiam agnoscimus & exaltamus in D. Josepho, cùm dicimus ex immundo conceptum semine mundasse à peccato originali in utero, & amplius exaltabimus dum tam copiosam fuisse illam gratiam uterinam dicemus, ut per eam ab actualibus præservatus fuerit extra uterum.

VIII. Ex his porrò responsionibus patet, quàm parùm ex hoc textu per Dausquium adducto concludatur inquinata omnium nativitas hominum: quare cùm sit unicus, qui pro illâ videbatur posse adduci, manifestum sit quod illa debeat aliundè peti: unde verò nisi ex inquinatâ omnium conceptione, quâ nihil in Scripturâ clarius, ex quâ naturaliter & necessariò sequitur inquinata nativitas, quam tamen Deus ex singulari amore prævenire potest.

IX. Cùm ergo ex nullâ Scripturâ evidenter & expressè probari possit omnium maculata nativitas hominum, sed tantùm sequatur naturaliter ex maculatâ omnium conceptione, quæ est ex Scripturâ, hinc est quod nullo jure à nobis exigere possit Dausquius D. Josephi privilegiatam nativitatem per scripturam expressam probari; cùm sufficiat illam ad summum eo modo probari quo ab ipso potest maculata nativitas, scilicet ex aliquo quod sit in Scripturâ cum quo habet naturalem connexionem: quod quidem facimus dum ejus Paternitatem ex Scripturâ ostendimus, & honorem Paternitati debitum.

Objicit secundò, Dausquius illud X. Apostoli ad Ephesios c. 2. v. 3. *Eramus naturâ filii iræ*, ex quo sic ille argumentatur cap. 38. sui Binoctii: Hic Paulus nativitatem cujusque primore crimine inquinatam intellexit per *to naturâ*, ut peroptimè Duacenæ Academiæ decus singulare *Estius* exposuit: *Phisis* enim græcè est generatim rerum productio, ortus, nativitas: At qui dicit Josephum in utero sanctificatum, negat eum natum filium iræ contra Apostolicum oraculum: Et deinde Pelagianorum errorem supra retulimus asserentium Adami posteros surgere sive nasci immaculatos; qui autem dicit in utero immaculatum, nexu necessario dicit immaculatum ex utero surgere seu nasci: sic non est Pelagiano propinquus, sed in Pelagianorum gremio conquiescit, qui dicit D. Josephum sanctificatum in utero. Hæc iterùm Dausquius.

Cui Respondeo primò, manifestum XI. esse ex antecedentibus, quibus verba objectionis cohærent, Apostolum hîc agere de peccatis actualibus, quæ committimus ambulantes in desideriis carnis, quæ pullulant ex naturâ, non secundùm se, ut volebat Illyricus (aliàs cùm Deus sit author naturæ, secundùm esset author peccati) sed consideratâ in eo statu in quo est per peccatum, idest corruptâ: sic enim D. Augustino Doctore, *vitium pro naturâ inolevit*. Nihil ergo aliud vult hic Apostolus, quàm quod peccata nostra quotidiana ex naturâ nostrâ corruptâ pullulent tanquam rami ex radice. Ex quo quid quæso pro Dausquio? an sequitur hujus oppositum, ex hoc quod dicitur D. Iosephus sanctificatus in utero,

& à peccato originali mundatus?

XII. Respondeo secundò, demus Dausquio quod arripit ex Estio, quod scilicet Græcum *Phisis* significet rerum productionem, Ortum, Nativitatem, atque adeò quod per illam fiamus filii iræ: Cùm duplex sit hominum productio, Ortus, Nativitas, ut monuimus suprà: una in utero, quæ vocatur prima: altera extra uterum, quæ dicitur secunda: quam de duabus illis hîc ab Apostolo expressam putabimus? secundam vult Dausquius: sed quàm ineptè? an nesciebat ille nos in secundâ Nativitate non aliud peccatum habere quam quod in primâ contraximus? an non sciebat secundam illam Nativitatem sine peccato futuram, si prima immaculata esset?

XIII. Objicit tertiò Dausquius illud ejusdem Apostoli ad Rom. cap. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ex quo loco sic ille ratiocinatur, peccatum in hunc mundum intravit, quando? inquit: cùm verum fuit dicere natus est homo in mundum: at in eorum opinione qui volunt Iosephum in utero sanctificatum, tunc cùm Ioseph natus est in mundum, non est verùm dicere peccatum intravit in mundum, quia Ioseph in utero illatebratus nondum venerat in mundum, atque eâ ratione peccatum non in omnes homines pertransiit, ut dicit Apostolus, non enim in D. Josephum.

XIV. Respondeo primò, ad hominem. Hic aliquid simile mihi videtur contingere Dausquio quod homini insano qui cum alio luctatur secus foveam, in quam dum elumbis, pedibus firmum abripere nititur, evanescentibus viribus ipsemet in illam toto impetu proruit, etiam non impulsus, Ita Dausquius non tam contra Gersonem, Carthagenam, Marchantium & alios quàm contra Divum luctatur Josephum in utero sanctificatum, eumque toto nisu tanquam Pelagianismi simulachrum in cœnum protrudere conatur: sed vana est mi Dausqui, tua sine viribus ira, dùm enim illius firmitatem, in quâ Deo dante æternùm stabit, excutere tentas, evanescis in cogitationibus tuis & in impietatis symplegadas, totum dico Pelagianismi cœnum ipse miserè abriperis. Vis videre? audi: Si tunc tantùm peccatum intravit in mundum quando verum est dicere homo natus est in mundum, ut ais, ergo antequam homines nascantur non est peccatum: ergo in utero imò etiam in conceptione omnes immaculati: jam sic; si in utero omnes immaculati, ergo etiam dum nascuntur: Aiebas enim tu ipse in secundo tuo argumento hîc suprà n. 10. *Quia dicit in utero immaculatum, nexu necessario dicit immaculatum surgere seu nasci.* At nonne hoc est totum Pelagianismi cœnum? sic tecum ipse in tuam ruinam collisus es, dùm noluisti videri pius in D. Josephum, quem nec Gerson, nec Carthagena, nec Marchantius, nec ego dicimus in utero immaculatum, aut immaculatum surrexisse, sed à maculâ purgatum singulari Dei privilegio ei ob eminentem dignitatem debito.

XV. Nec te hinc emersurum putes si dicas fuisse in homine peccatum antequam nascatur, sed non intrasse in mundum, sicut nec homo, nisi quando homo nascitur: Nam licet fortè possit dici tunc tantùm hominem visibiliter intrare in mundum quando nascitur in mundo, non tamen intrare in mundum absolutè verè & realiter: absolutè enim intrat in mundum, & est in mundo, quando accipit esse & intrat in matris uterum: quare cum peccato originali non possit competere intrare visibiliter in mundum, absolutè & omninò intrat in mundum quando verum est dicere de illo, est peccatum: & sic nulla est comparatio tua Dausqui.

XVI. Nisi fortè velis peccatum naturæ seu originis esse hominem ipsum, ut ipso intrante visibiliter in mundum, peccatum etiam tanquam ei identificatum in eum intrare dicatur: sed tunc cadis in hæresim Illyrici de quâ hîc n. 11. & ab uno cœno revolveris in aliud.

XVII. Respondeo secundò ad rem, *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*, idest per Adamum. Vis scire quando? an quando ego, tu, vel D. Joseph natus est in mundum? quis nisi insanus hoc dicat? intravit ergò quâdo ille

Adamus

Adamus contra Dei præceptum extendit desiderium & manum ad pomum vetitum, antea enim justus erat: quid inde? *Et per peccatum mors*: supple intravit in mundum, exindè enim audiit ille, *Pulvis es & in pulverem reverteris*. Et ita *in omnes homines pertransiit*, ideſt peccatum & mors: quandonam verò peccatum & mors in omnes homines pertransiit? an quando nascuntur illi in mundum seu intrant in mundum visibiliter? minimè gentium: sed quando ex damnato semine concipiuntur in utero. *In quo omnes peccaverunt*. Rationem continent hæc verba quare, & peccatum, & mors, ab illo uno homine in omnes pertransierit: Nimirùm quia *in illo omnes peccaverunt*. Hic est planus & perspicuus sensus verborum Apostoli: undè ergò aut quomodò ex his suum cudit Dausquius intentum.

XVIII. Neque dicat iterùm Dausquius quod illud Adæ peccatum, quod in omnes homines pertransiit, tunc intravit in mundum, quando homo natus est in mundum; nam non dicit hoc Apostolus, quod mihi satis est, nec etiam ullatenus verum est: Vin' ergò scire quando peccatum istud intravit in mundum? quando peccavimus: Peccavimus autem diu ante quàm essemus, quomodò hoc? in persona Adami, in quo tanquam in capite morali & physico continebamur, dicente Apostolo in objectione *in quo omnes peccaverunt*. Unde D. Anselmus lib. de Concept. B. Virg. cap 7. *Omnes*, inquit, *in Adam peccavimus quando ille peccavit non quia tunc peccavimus ipsi qui nondum eramus, sed quia de illo futuri eramus, & tunc facta est illa necessitas, ut cum essemus peccaremus*. Ergo inchoativè quodammodo seu activè peccavimus quando Adam peccavit; ultimatè verò & passivè, quando esse, & in utero Matris vivere accepimus: quia tunc peccati, quod in Adam peccavimus, maculam contraximus.

XIX. Ultimò tandem tam ad præcedentes quàm alias, si quæ sint, Scripturas, (idem dico de Sanctorum Patrum testimoniis) quæ generaliter enunciant omnes ex Adamo progenitos nasci, seu exire utero cum peccato, unicam ad omnes adhibeo responsionem: non posse intelligi universaliter & cum distributione ad singulos, sed intelligi debere & explicari quod omnes naturaliter nascãtur tales, quam explicationem habemus etiam ex Apostolo ad Ephes. cap. 2. vers. 3 *Eramus naturâ filii iræ sicut & cæteri*. Cui non contrariatur quòd Deus hunc, vel illum, Jeremiam Prophetam, D. Joannem Baptistam Præcursorem, maximè verò Mariam & Josephum ex singulari privilegio, vel ab eo contrahendo præservaverit, vel à contracto maturius, utpote in utero liberaverit.

## CAPUT V.

### *Diluuntur argumenta ab authoritate SS. Patrum.*

CUM Dausquius in suo Binoctio ubique nostræ sententiæ de Sancti Josephi Sanctificatione in utero à R. P. Marchantio Ord. Min. Recollectorum fortiter assertæ, infame Pelagianismi stigma inurat: ut huic tantæ injustitiæ velum obtendat; Prænotat ex SS. Patribus tria Pelagianæ hæresis capita. Primum, quod gratiam Dei præcipuè internam negabant: quam hæresim frangit Divus Augustinus lib. de Nat. & Grat. & alibi locis penè infinitis, & D. Hieronymus epist. ad Ctesiphontem, & in lib. adversus Pelag. de quâ re hic nihil. Secundum, negabant homines in suâ conceptione peccato infici. Tertium, negabant nasci in peccato.

Erant ergo duæ hæreses Pelagianorum quoad peccatum originale, una quæ tangit fœtum in utero exorientem: altera, quæ ex illo exeuntem: ac quidem dicimus in D. Josepho non conceptionem, sed tantùm exitum ex utero fuisse sine sordibus peccati. Sed quia hoc non placet Dausquio, hinc congerit quæ invenit dicta à Patribus contra tertiam partem hæresis Pelagianæ, asserentis homines nasci sine peccato, quibus hanc Divi Josephi uterinam Sanctificationem succuti nullatenus dubitat.

III. Patres quos adducit Dausquius hanc in rem ad tres classes reduco ad vitandam prolixitatem & tædium: in primâ sunt illi, qui affirmant universaliter omnes homines nasci cum peccato originali contracto in conceptione, qui omnes idem dicunt in re quod Divus Augustinus lib. 2. de fide ad Petrum, cujus hæc sunt ipsissima verba. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci impietati subditum, mortiq. subjectum.* Ex quo sic argumentatur Dausquius: Atqui D. Josephus per concubitum Viri & Mulieris conceptus est, ergò cum peccato originali natus est.

IV. Respondeo primò, terminus universalis non distribuit universaliter quando ex distributione ad aliquos resultat dissonus intellectus, ut docuimus supra. At dissonum esset Patrem Christi Domini tam strictè, tam diu mansisse sub potestate diaboli, quam diu alii de trivio, maximè verò quod aliqui qui longè minorem illâ habent ad Christum affinitatem, in utero ab eâ liberati fuerint: Et certè nisi hanc nostram explicationem admittat Dausquius, quid ni similiter subsumeremus ex propositione Divi Augustini? atqui Beata Virgo per concubitum Viri & Mulieris concepta est, ergo cum peccato originali nata est: quæ nec in eo concepta nunc ab Ecclesiâ existimatur.

V. Respondeo secundò, omnem hominem quantum est ex vi conceptionis, & ut loquitur Apostolus, naturâ esse filium iræ, idest naturaliter nasci in peccato in quo conceptus est etiam naturaliter: Hoc autem non impedit quin per gratiam specialem præveniri possit à Deo, ut in eo non nascatur, ut patet in Jeremiâ Prophetâ & D. Joanne Baptistâ ex Scripturis.

VI. In secundâ Classe sunt Patres illi qui solum Christum sine peccato natũ asserunt, inter quos duos affero, Divum Augustinum de Nat & Grat cap. 26. ubi hæc habet. *Solus sine peccato natus est, quem sine viri li complexu, non concupiscentiâ carnis, sed obedientiâ mentis virgo concepit.* Et D. Leonem Magnum serm. 5. de Nativit. ubi sic loquitur. *Solus itaque inter filios hominum Dominus IESVS innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus.*

VII. Respondeo ad hæc aliaque similia loca Catholicum quemque teneri aliquam explicationem Patribus istis adjicere, aliàs & sub illis comprehenderetur & Beata Virgo Deipara, & Jeremias Propheta, & S. Joannes Baptista, cujus oppositum tenet Ecclesia. Dicendum ergo illos Patres ita loquutos, quod solus Christus ex se, & naturâ suâ ratione scilicet unionis hypostaticæ, ad Verbum, naturalem habeat in conceptione innocentiam; cæteri autem etiam Beata Virgo, etiam D. Josephus, etiam Jeremias, etiam Joannes Baptista noxam, quâ naturaliter inquinari debebant, & in quâ certissimè ut omnes nascituri erant, nisi illam Deus singulari privilegio elegisset in Matrem, & ob id ab illâ noxâ eam præservasset, Josephum verò ob eminentem suam post illam dignitatem citissimè ab eâ liberasset, & Ieremiam, ac Ioannem Baptistam ob alias rationes.

VIII. In tertiâ Classe sunt Patres illi, qui docent omnem hominem nascentem egere remedio quo tollitur originale peccatum. Hoc enim si esset ante sublatum, eo remedio non egerent, aut si egent omninò necessarium est non esse sublatum: qui omnes consentiunt Augustino lib 1. contra Pelag. cap. 4. 23. 27. & 28. ubi Sanctus Doctor primo loco dicit: *Hinc Pelagiani in parvulis nolunt credere per Baptismum solvi originale peccatum, quod in nascentibus nullum esse contendant.* Atqui inquit Dausquius in Divo Iosepho nascente nullum esse contendunt Gerson, Carthagena, Marchantius & alii illis congreges. Secundo loco, idest cap. 23. *Nulla igitur*, inquit D. Augustinus, *ex arbitrio nostro præter baptismum Christi salus æterna promittatur infantibus quam non promittit Scriptura divina humanis omnibus ingeniis præferenda*, & tertio loco c. 27. *Quoniam ergo de ovibus esse non incipiunt parvuli nisi per baptismum: profectò si hoc non accipiunt, peribunt*: & iterùm ibidem, *Non solùm igitur Regnum cælorum, sed nec vitam parvuli habebunt*

*bebunt, si filium non habebunt, quem nisi per baptismum ejus habere non possunt,* Tandem quarto loco c. 28. *Constitue igitur quemlibet parvulum, si jam cum Christo est, ut quid baptizatur? Si autem, quod habet veritas, ideò baptizatur, ut sit cum Christo, & quia non est cum Christo adversus Christum est: neque enim ejus tam manifestam debemus aut possumus infirmare, vel mutare sententiam: unde igitur adversus Christum nisi ex peccato? neque enim ex corpore & animâ, quæ utraque Dei creatura est. Porro si ex peccato, quod in illâ ætate nisi originale & antiquum? una est quippe caro peccati, in quâ ad damnationem omnes nascuntur.* Ex quo sic Dausquius: Constitue hîc parvulum Josephum natum, baptizaturne? aut circumciderur an non? si non? non est cùm Christo, sed adversus Christum de mente Augustini: quod si cum Christo est, ut quid baptizaretur vel circumcideretur?

IX. Respondeo his locis D. Augustinum loqui de peccato originali in quo omnes omnino naturaliter concipiuntur, & consequenter naturaliter nascuntur, deque ejus unico remedio, scilicet baptismo secundùm legem communem & ordinariam, non verò secundùm legem extraordinariam, secundùm quam potest & impedire ne quis cadat in peccatum originale, ut impedivit Beatam Virginem, vel in eo lapsum quando & quomodo voluerit relevare, ut fecit Divum Josephum, contra quam doctrinam nihil faciunt loca illa ex D. Augustino à Dausquio racemata.

X. Secundò, Dausquius integrum opponit agmen Patrum in Synodo Carthaginensi contra Pelagium & Cœlestium coactorum, dicentium in Photii Bibliothecâ, *Infantes recens natos, quod culpâ proavitam ex Adam non trahant dicentibus non egere baptismo, Anathema sit.*

XI. Respondeo idem profitemur nec dicimus D. Josephum non eguisse baptismo aut circumcisione; multò minùs dicimus non eguisse quod culpam proavitam ex Adam non traxerit: asserimus enim seu supponimus traxisse: sed dicimus in utero sanctificatum fuisse, quare non eguisse circumcisione ut ab illâ culpâ mundaretur, à quâ jam erat mundatus per infusam singulari privilegio sanctificationis gratiam, eguisse tamen hoc nonobstante adhuc circumcisione, uti egeret nunc baptismo si quis daretur in utero sanctificatus, ad consequendum characterem quo Christo configuraretur, cæterisque Ecclesiæ membris conformaretur. Vide Divum Thomam 3. part. quæst. 66. artic. 1. ad 3.

## SECTIO VI.

### *Diluuntur argumenta à ratione.*

PRIMUM sic proponit Dausquius Binoctii cap. 2. Omnes qui illuminantur, nati illuminantur, non antequam nascantur; patet ex Joan. cap. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non antequam veniat: ergo Josephum Christus non illuminavit in utero, & antequam in hunc mundum aspectabilem veniisset. Joannis autem testimonium ad primam gratiam certò certius redigi debet: Hæc ille. I.

Quis non rideat hoc puerile argumentum & Theologû pueriliter grammatizantem? Audi enim Dausqui, me jure reconventionis te justè reposcentem, illuminat Christus omnem hominem venientem in hunc mundum: tu ex hoc sic arguis, dicit venientem non antequam veniat, ergò justè ego retorqueo, similiter: dicit venientem non posteà quam advenit: sed unusquisque advenit, nec est amplius adveniens, primo instanti post nativitatem, ergo ante illud instans omnes jam à Christo illuminati sunt; ideò ex te, primam gratiam receperunt (intelligitur enim inquis testimonium illud Joannis certò certius de primâ gratiâ.) Ergo mi Dausqui ad expurgationem à peccato originali non necessaria Circumcisio, aut est Baptismus, qui subjectum jam illuminatum invenient: vide ergo an non jure in hortum tuum rejiciam quem in nostrum projecisti lapidem, ex Calvino in antidoto Concil. Trident. Sess. 6. cap. 5. hic infrà ad object. 5. II.

III. Sed missis his nugis ex puerilibus crepundiis, Respondeo homines venire in hunc mundum quando in utero concipiuntur, atque adeò Divum Josephum, D. Joannem Baptistam, & Jeremiam Prophetam, qui in utero sanctificati sunt, vel Beatam Virginem quæ Ecclesiæ sensu à peccato originali in suâ Conceptione præservata fuit, esse de numero illorum, qui venientes in mundum à Christo illuminati sunt, cùm non nisi ab illo & propter illum gratiam sanctificationis acceperint: quin immò illi sunt capita istorum, & primum inter eos tenent locum, magisque ideò Christo tenentur: *Cùm enim augentur dona rationes etiam crescunt donorum*: & sicut *ille plus amat qui plus donavit*, Lucæ cap. 7. ita vicissim ille plus redamare tenetur cui plus donavit.

IV. Objicit secundò Dausquius. Joseph aut ad vetus pertinebat testamentum aut ad novum: si ad vetus, ergo non fuit sanctificatus in utero ante nativitatem, nam circumcisio quæ erat tunc unicum sanctificationis primæ instrumentum tantùm die à partu octavo perficiebatur: si ad novum, nonnisi natus potuit renasci, nec aliam viam ad sanctificationem aperuit Christus. Respondeo hoc argumentum æquè noceret sanctificationi Deiparæ ac Divi Josephi, quare dico non fuisse in veteri Testamento aliud instrumentũ sanctificationis commune & ordinarium quàm circumcisionem, aut in novo quàm renascentiam, seu Baptismum. Divum autem Josephum, Ioannem Baptistam, Ieremiam Prophetam, & Beatissimam Virginem singulariter electos, singulari beneficio viâ extraordinariâ à Deo gratiam sanctificationis accepisse.

V. Objicit tertiò, Dausquius ibid. & cap. 47. ex hâc doctrinâ de D. Josephi in utero sanctificatione, fenestra aliis erroribus aperitur; atque ex visibili Ecclesiâ prope itur ad invisibilem, cùm sanctificatio invehenda signis exterioribus Sacramentorum ad uteri invisibiles latebras modo incognito revocatur.

VI. Sed ad hoc tuum in hâc materiâ Achillem Dausqui audi meam Responsionem. Ecclesia docet cum baptismo in voto vel contritione internâ morte præoccupatos certissimè salvari: atque adeò nexu necessario docet per baptismum illum in voto, vel contritionem illam internam fuisse mundatos: Hîc mi Dausqui ubi signum sanctificationis externum? Quod si plus tibi sunt uteri latebræ, quàm voti vel mentis; dic amabo, nonne in utero Matris illatebrati infantes, quos ob Christum in Matre Catholicâ insecutũ, persecutorum manus impiè præfocavit ex receptissimâ Theologorum sententiâ sanctificati? Quot verò omnium exempla? contra hos nihil habet Dausquius quod objiciat, contra unicum Divum Josephum totus spumat: Sed Respondetur Dausquio efficacissimè, quod quemadmodum per illas insolitas in mentis vel cordis recessu sanctificationes nullus dixerit præjudicium inferri Ecclesiæ visibili, aut propè iri ad invisibilem, ita nec per D. Josephi in utero sanctificationem, quem nec Circumcisionis cultro ob id substractum volumus, imò eguisse asserimus, non quidem ut mundaretur, sed ut suscepto per signa Sacramenti externa fidelium charactere Christo configuraretur, cæterisque Ecclesiæ membris conformaretur & Sacramentis aptaretur.

VII. Objicit quartò Dausquius, ea opinio prono lapsu fertur ad spiritum erroris, spiritum soporis, spiritum vertiginis, qui spiritus sacris monimẽtis sunt prædamnati. Nam totam hanc de D. Josephi Sanctificatione tractationem ad suam credulitatem & pietatem redigunt homines supercilioſi, quasi minùs sit in reliquis Ecclesiæ artubus pietatis aut veritatis. Et cum cæteris non minùs liceat quàm istis opinatoribus, nonne quisque fidei suæ faber erit?

VIII. Respondeo, eorum quæ à fidelibus creduntur ex communi Theologorum placito, duplex est classis. Prima est illorum quæ necessariò sunt ad salutem credenda, qualia sunt omnia illa, quæ ex Scripturâ vel Traditione ab Ecclesiâ proponuntur. Secunda Classis est illarum rerum quæ liberè quidem creduntur, utiliter tamen, quatenus scilicet ex inde fideles ad pietatem inducuntur, qualia sunt illa quæ vel ex historiis Ecclesiasticis receptis, vel ex

Revelationibus

Revelationibus & Apparitionibus approbatis, vel ex validissimis rationibus Scripturæ non adversantibus, vel populorum consensu, Ecclesiæ tacito vel expresso nutu, Authoritate Pontificiâ, miraculis, aliisque similibus firmitatem habent, quorum fides dicitur pia, quia ad pietatem inducit; dicitur libera, quia sine illâ possumus consequi salutem: De utrâque hâc scilicet & illâ differit Apostolus 1. ad Timoth. cap. 6. vers. 3. dicens: *Si quis aliter docet, & non acquiescit sermonibus Domini nostri IESV-Christi, & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ, superbus est nihil sciens.* His positis:

IX. Dicimus doctrinam quam hîc tradimus de D. Josephi in utero sanctificatione, spectare non ad primam classem, sed ad secundam, & hoc non ignorat Dausquius, quomodo ergò potuit dicere (etiam posito quod esset falsa) illam inducere ad spiritum erroris, soporis & vertiginis, quem manifestum est esse spiritum errantium contra primam fidem, & necessariam ad salutem? Et quidem cum ubique circumferatur, in libris infinitis approbatis doceatur, resonet in omnibus Christiani Orbis pulpitis, sciente & non contradicente Ecclesiâ? Cùm ei in pleno Concilio Constantiensi applausum sit, & Pontifex sciens taceat, in aliâ illis affine locutus, ut supradictum est? Quid est quod ille solus in illam zelatur Dausquius? ac si minùs sit in reliquis Ecclesiæ artubus, quàm in ipso pietatis & veritatis? Nonne tu ipse superciliosus Dausqui, vel judicio Apostoli superbus & nihil sciens, qui non acquiescis, imò tam irreverenter contradicis ei quæ secundùm pietatem est doctrinæ?

X. Cæterùm cùm hæc fides quâ credimus D. Josephum fuisse in utero sanctificatum sit libera, unicuique licitum est talis fidei suæ esse fabrum, & tibi etiam erit Dausqui dum supercilium tuum deposueris.

*Ite domum Saturæ, venit Hesperus; ite Capellæ.*

XI. Objicit quintò Dausquius quod hæc doctrina de D. Josephi in utero Sanctificatione, alteri quæ est hæreticorum modernorum colludat, qui docent infantes fidelium ob prædestinationem esse in utero sanctificatos; ita Calvinus in Antidot. Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. ubi sic fatur novator iste. *Verùm infantes à regno Dei arcere libuit qui ante crepti sunt ex hâc vitâ, quam afferri ad Baptismum potuerint: quasi verò de nihilo dictum sit eos nasci Sanctos, qui ex fidelibus nascuntur. Immò quo jure ad Baptismum eos admittimus, nisi quod promissionis sunt hæredes: nisi enim ad eos pertineret vitæ promissio, Baptismum profanaret quasquis illis daret. Quod si Deus in regnum suum eos adoptavit, quanta injuria fit promissioni, quasi per se ad eorum salutem non sufficiat?* Et infra. *Inclusa est infantium salus in promissione, quâ Deus fidelibus suis testatur se fore illis, & semini eorum in Deum: Hâc ratione sibi nasci pronunciabat qui ex Abraham ducebant originem: Hujus promissionis beneficio recipiuntur ad Baptismum quia censentur Ecclesiæ membra. Non à Baptismo igitur initium habet eorum salus, sed quæ jam in verbo fundata erat Baptismo obsignatur.* Hæc Calvinus.

XII. Ut Dausquii cavillatio in hâc objectione appareat, facienda est anatomia, seu dissectio exacta Doctrinæ Calvinianæ in illis verbis contentæ. Ergò ad rem. In his verbis sex docet Calvinus: Primò, Promissionem illam, *Ero Deus tuus, & seminis tui post te*, factam Abrahæ Genes. cap. 17 pertinere ad omnes omnium temporum fideles, eorumque successivè filios. Secundò in illâ promissione includi illorum omnium, non tantùm prædestinationem, sed & salutem, non quocumque modo, sed ita ut illa promissio per se sufficiat, ad dictam salutem, illamque de facto efficiat. Tertiò, itaque omnes filios fidelium vi illius promissionis statim ac sunt capaces illius participandæ, fieri sanctos, filios Dei, & æternæ vitæ hæredes. Quartò, undè si contingat illos in utero mori, vel ex hâc vitâ alio modo eripi antequam possint ad baptismum afferri, hoc non obstare quin salventur vi istius promissionis. Quintò, non enim baptismum esse institutum ut per illum baptizandi efficiantur justi; sed ut eorum justitia, quam jam vi promissionis acceperunt, obsignetur. Sextò, ut proinde baptismus nihil aliud sit quàm publicum sigillum,

quo

quo testantur eos qui ex fidelibus nati sunt, sanctos esse, & in fœdere promissionis comprehendi: Hæc sunt puncta doctrinæ Calvinianæ in verbis citatis, ut illa ad trutinam justam appendenti patebit, quæ non solùm ibi Calvinus, sed & alibi sæpè repetit.

XIII. Jam videamus an nostra de D. Josephi in utero sanctificatione sententia cùm illâ Calvini colludat, ut placet Dausquio.

XIV. Nostra sententia docet. Primò, D. Josephum in peccato conceptum, & certò; non obstante illâ promissione, quemadmodum cæteri homines nasciturum, nisi ex singulari privilegio in utero præventus fuisset & sanctificatus. Secundò, sanctificatum non per istam promissionem aut ex vi illius. Tertiò, immò nequidem ex vi suæ prædestinationis quamvis singularissimæ, quasi illa per se sufficerit ad illius sanctificationem. Quartò, sed quia cùm tam singulariter prædestinatus esset Pater Christi Domini, meruit propter hoc illo privilegio donari. Quintò, undè hæc prædestinatio singularis D. Josephi, in ordine ad sanctitatem ejus uterinam, non habuit rationem causæ efficientis, quemadmodum dicit de suâ promissione Calvinus, sed tantùm causæ simpliciter moventis. Vide ergo quàm nobis illudat Dausquius.

XV. Ultimò, Dausquius cap. 39. ejusdem Binoctii petit sibi designari tempus istius sanctificationis: & interrogat an ante Conceptionem? non potest inquit: in ipsa? ergo Dei Matri putatitium Patrem æquiparas? & quis tecum? Ab ipsâ Conceptione? quando? primâ horulâ? primulo Mense? Secundo? Tertio? quando? tùm irrisoriè subdit: Respondet Marchantius fortè in sexto, ne Baptistæ inferior sit: sed cur non in septimo? septimus sexto numero faustior est in ratione numeri apud Philonem Judæum & Platonicos: septimus ubi de nativitate agitur sexto lôgè ominatior est Plinio & Censorino authoribus: fortè in sexto mense? conjectura est: quid si dicam fortè in nono aut ineunte decimo, cùm gratiæ ob majorem naturæ perfectionem aptior infans videri potest? Quid dicam? fortè in mense sexto, verius Xisto, hoc est derasò ab aliis & nullo mense. Hoccine est cùm opiniones novas mundo invulgas adversus receptissimam Ecclesiæ doctrinam docere? est universitati Christianorum illudere: Hæc ille irrisor: sed ô mi Dausqui? *Risum tuum* cum Ecclesiaste cap. v. 2. *reputavi errorem*, & emunge nasum. Seriò interim ad quæsitum tuum respondebimus infrà cap. 8.

Pro superpondio adjicio quod docet XVI. Ulpianus Jurisperitus Consultissimus, lib. 1. §. 2. ff. de Constit. Princip. *Privilegium ad exemplum non trahi: nam quæ Princeps alicui ob merita indulsit, veluti cui sine exemplo subvenit, personam non egreditur.* Atqui sanctificatio accelerata in utero, privilegium est Divo Josepho concessum ob rationes & motiva tanti ponderis, qualia in nullo alio reperiri erunt: quare nullum subest periculum, quod ab hoc ad alios possit trahi valitura consequentia.

## CAPUT VII.

### *De Qualitate hujus nostræ Sententiæ.*

DIco primò quod dixi hîc I.
suprà capite præcedenti, respondendo ad objectionem quartam n. 8. & 9 hæc sententia non est de credibilibus, ex necessitate, piè tamen & utiliter creditur ad salutem: Probatur primò Nam quò quis sanctior esse comprobatur, eò etiam potentior esse creditur apud Deum: quò autem Sanctus potentior esse creditur, eò magis crescit fiducia impetrandi per ipsum.

Hæc doctrina evidens & ex illo psal- II.
mi 138. vers. 16. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus*: quare enim nimis honorati? nimirùm inquit consequenter Psalmista, quia *nimis confortatus est principatus eorum.* Ex quibus verbis colligitur ea proportione crescere apud nos Sanctorum reverentiam & devotionem, quâ crescit illorum apud Deum Principatus, idest authoritas & potestas: Hæc autem crescit juxta mẽsuram sanctitatis. Porrò ex sanctificatione in utero hęc omnia

crescere

ereſcere non ineptè concludimus ut manifeſtum eſt ex illo Angeli ad Zachariam de Joanne Baptiſtâ Luc. cap. 1. *Multi*, inquit, *in nativitate ejus gaudebunt*. Ecce honorem illius apud nos. Audi illius cauſam & fundamentum; *Erit enim magnus coram Domino*, quod ſignificat poteſtatem & authoritatem: unde hoc? *Vinum & ſiceram non bibet; & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero Matris ſuæ*, ecce ſanctificationem in utero.

III. Dico ſecundò, certiſſimum eſt hanc ſententiam, affirmantem Divum Joſephum fuiſſe in utero ſanctificatum, eſſe oppoſitâ longè probabiliorem: nam ſententia aliqua dicitur probabilior alterâ dupliciter: Primò, probabilitate intrinſecâ: Secundò, probabilitate extrinſecâ. Probabilitas intrinſeca ſumitur à motivis quæ ſe tenent ex parte rei. Probabilitas extrinſeca ſumitur ab opinantium multitudine & authoritate: ita ex Ariſtotele primo Topicor. cap. 1. Doctores: prima authoritas movet doctos, ſecunda trahit imperitos: utroque modo noſtra ſententia eſt oppoſitâ probabilior: primo modo, quia robuſtioribus rationibus innititur, noſtras habes, hic ſupra cap. 2. oppoſitas cap. 6. Secundo modo, quia omnes docti moti rationibus peremptoriis quibus innititur, illam recipiunt & docent: & ſimplices moti exemplo Doctorum, illam amplectuntur, dùm interim oppoſita vix præter Dauſquium, ullum habeat defenſorem.

IV. Dico tertiò, mihi non videtur ſufficere ſi dicamus hanc ſententiam eſſe oppoſitâ probabiliorẽ: ſed omninò dicendum hanc eſſe certam: primò, quia ex argumẽtis à nobis adductis hîc ſupra c. 2. & 3. videtur proximè accedere ad eam certitudinem in quâ eſt doctrina de Immaculatâ Beatæ Virginis Conceptione. Secundò, quia hæc ſententia eruitur ex principiis ſeu præmiſſis certis & infallibilibus: Eſt enim certum & infallibile omninò quod filius ut minimùm debet Patri quod non recuſat aliis, cum quibus non habet tantam proximitatem & affinitatem. Atqui eſt etiam omninò certum & infallibile ex dicendis poſtea Parte 2. Tract. 2. Divum Joſephum eſſe verè Patrem Chriſti, & Chriſtum eſſe verè ejus filium: Ergò ut minimùm illi ab eo præſtitum quod certò ſcimus exhibitum Jeremiæ Prophetæ & D. Joanni Baptiſtæ, ſcilicet Sanctificatio in utero, idque à fortiori, cùm ille hos affinitate ad Chriſtum, dignitate & meritis antecedat. Tertiò, quia ſi hæc eſſet tantùm probabilis, eſſet cum formidine partis oppoſitæ & falſitatis. At nullo modo eſt probabile quod ulla Eccleſia eam cum iſtâ formidine in ſuis officiis publicis recepiſſet; quæ nonniſi certa & indubitata conſuevit in illis recipere. Quare exiſtimo hanc ſententiam eſſe in eo ſtatu, in quo nonniſi temerariè inſultari poteſt, ut fecit Dauſquius.

## CAPUT VIII.

### *Quandonam fuerit in utero Sanctificatus D. Joſephus.*

NUDUS egreſſus eſt Job de utero Matris ſuæ, & nos omnes nudi egredimur: Nudi, inquam, corpore, animáque nudi. Corpus etenim abſque veſte, ulloque operimento; anima (quod pejus eſt) ſine gratiâ in hunc mundum ſubit: ſed Sanctiſſimus Joſeph noſter etſi corpore nudus, ut reliqui, prodierit in lucem, non tamen animo: pretioſâ namque gratiæ veſte, omniumque virtutum varietate circumdatus, utero egreſſus eſt, & Spiritum Sanctum prius animo hauſit, quàm ore ſpiritum mundi: Hoc fusè hactenus probatum eſt, reſtat ut quo tempore breviter definiamus, ac ridiculæ Dauſquii interrogationi in verbis hîc cap. 6. num. 15. contentæ ſeriò reſpondeamus.

Dico ergò illum fuiſſe ſanctificatum ſtatim à ſuâ Conceptione. Ratio eſt, quia tanta eſt Paternitatis ipſius eminentia, adeòque excellens & præcelſa dignitas, ut citra unionem hypoſtaticam hominis & Beatæ Virginis Maternitatem, nihil detur ſublimius: Quid enim? Ergo quemadmodum Chriſtus propter unionem hypoſtaticam fuit per ſe & naturaliter à peccato originali immunis, & Beata Virgo ob Maternitatem per privilegium nulli alteri

concessum præservata, ne in illud prolaberetur, ita omninò dicendum Divum Josephum ob istam Paternitatem ad Christum, fuisse abeo quàm primùm liberatum, hoc est statim à suâ conceptione. Non enim fuit ulla ratio diutiùs differendi, quin è contra magna fuit tunc illam ei conferendi. Quid enim excogitari potest tam magnum, modò non sit manifestè contra æquitatem, quod non est tantæ Paternitati qualis illa est tribuendum? Asserta autem illi huc usque Sanctificatio uterina, & collata, ut hic asserimus, statim à conceptione, nec diutiùs dilata, nihil continet contra æquitatem, imò est secundùm omnem æquitatem, ut consideranti à nobis huc usque tradita de hac sanctificatione ejusque motivis patebit, ergo illi sine ullâ difficultate tribuenda.

III. Hoc ut amplius & clarius pateat, observo triplicem esse mali cujuscumque circumstantiam secundùm quam possunt aliqui diversimodè eripi. Prima, antequam quis in illud cadat. Secunda, statim atque in illud cecidit. Tertia, postquàm in illâ aliquamdiu hesit. Primo modo ereptus dicitur *præliberatus*: secundo modo dicitur *liberatus*: tertio modo dicitur *postliberatus*: & vicissim ille qui eripit primo modo dicitur *Præliberator*; qui secundo modo, *Liberator*; qui tertio *Postliberator*: Cùm ergo Christo, ut summo ac perfectissimo Salvatori, omne salvationis genus indubitanter concedendum ratio suadeat, dicendum quod sicut Beata Virgo fuit præliberata, cæteri postliberati, Christus verò illius Præliberator, & horum Postliberator: ita D. Josephus, ut Christi Pater Liberatus, & Christus ejus Liberator.

IV. Hanc doctrinam fateor me traxisse ex Eminentissimo Cardinali Cusano à Doctrinâ & pietate famosissimo lib. 8. Exercitat. ubi adaptans Virgini Matri illud Cantic. cap. 2. vers. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Dicit, *Præliberatorem Virgo habuit, cæteri Liberatorem, imò Postliberatorem.* Ubi advertè illud *imò Postliberatorem*, per quod Vir Doctissimus non ineptè se corripuit, dum respectu cæterorum ait Christum meliùs dici Post-liberatorem quàm liberatorem: Nam Christo propriè loquendo erga nullum competit Liberatoris nomen, nisi erga Divum Josephum, quem solum indilatè & statim à conceptione eripuit, ut sic in illo tripartita salvationis divisio absolveretur.

V. Hoc ipsum quod hic intendo, colligo ex D. Anselmo in Officio particulari Beatæ Virginis quod inter ipsius opera reperitur, ubi hæc habet lect. 4. loquens de Divâ & Immaculatâ Deiparâ. *Vas electionis Sanctus Paulus omnes homines in Adam peccasse fatetur: Vera utique sententia cui contradici nefas esse pronuncio sed cùm eminentiam gratiæ Dei in te ô Maria! considero, sicut te non intra omnia, sed supra omnia quæ facta sunt, ineffabili modo contueor, ita & te non lege naturæ aliorum in tuâ conceptione devinctam fuisse opinor.* Ubi Sanctus ille Pater, ex hoc quod Beata Virgo non intra omnia, sed supra omnia sit, nimirùm propter eminentiam prædestinationis suæ, infert non fuisse devinctam communi lege aliorum in suâ Conceptione.

VI. Pariformiter argumentor de D. Josephi sanctificatione, nam cùm ex hoc quod prædestinatus est ut esset Pater Christi Domini, verè elevatus sit supra omnium ordinem creaturarũ, & collocatus in ordine unionis hypostaticæ, in quo soli sunt cum ipso Homo-Deus & Maria, atque adeò non sit intra omnia, sed supra omnia cum Christo & Maria, non fuit devinctus communi lege aliorum in sua sanctificatione: quare si D. Joannes Baptista intra ordinem cæterarum creaturarum consistens, sexto mense sanctificatus probatur, proculdubiò D. Josephus, qui fuit non intra omnia, ut ille, sed supra omnia in ordine illo superexcellenti constitutus, debuit priùs illo sanctificari: quando autem, nisi statim à conceptione suâ?

CAPUT

## CAPUT IX.

### *An D. Josephus fuerit confirmatus in illâ gratiâ quam in utero accepit?*

I. DIVUM Josephum perseverasse usque ad mortem in eâ quam semel accepit gratiâ, ita ut ei datum sit desuper nunquam peccare mortaliter, & hâc ratione gratiam in utero acceptam non perdere, docuerunt S. Augustinus, lib. de Naturâ & Gratiâ, Gerson serm. de Nativit. Beatæ Virg. in Concil. Constantien. habito, & in suâ Josephinâ: noster Gratianus lib. 5. de S. Josepho, c. 5. tit. 1. Carthagena Ord. Min. tom. 3. de Arcan. l. 18 homil. Magn. & ult. §. 1. estque jam ita communis ut nullum reperias qui aperte neget: Probatur triplici argumento. Primò, ex Divi Thomæ doctrinâ 3. part. quæst. 27. art. 6. ad 1. ubi ait: *Sanctificatis in utero creditur præstitum, ut de cætero mortaliter non peccarent*, unde Abbas Guarricus serm 1. de S. Joanne Baptistâ vocat Joannis sanctitatem penè originalem, quia quam in utero accepit gratiam nunquam amisit.

II. Probatur secundò: Quia etsi non fuisset in utero sanctificatus, cùm tamen pluribus sanctis in utero minimè sanctificatis id doni concessum sit, quantò ergo fortiori jure D Josepho in Patrem Christi electo, & ob id supra illos in utero sanctificato?

III. Probatur tertiò, quia etsi nulli prorsus Sanctorum concessum fuisset, nonne tamen D. Josepho propter eminentem illa ejus supra omnes dignitatem concedendum?

IV. Ex his, ut arbitror, satis manifestis, sequitur quod si donum perseverantiæ converteretur cum dono confirmationis in gratiâ, esset decisa quæstio proposita in argumento hujus capitis: sed cùm de hâc re disceptatio sit inter Theologos Tractat. de Grat. Negotium est majoris halitus: quod frangendum est, ut quod proposuimus resolvamus: Quare sit;

## SECTIO PRIMA.

### *An confirmatio in gratiâ differat à perseverantiâ in illâ.*

NEgant aliqui, affirmant alii: Qui negant differre, fundantur in hoc quod finis doni confirmationis in gratiâ detur Sancto seu prædestinato, ut per illam confortetur, & retineatur ne peccet mortaliter, sicque in acceptâ gratiâ indefectibiliter stet: Atqui per donum perseverantiæ datur similiter non amplius peccare mortaliter, ergo idem sunt donum confirmationis & donum perseverantiæ in gratiâ. V.

Qui affirmant illa dona inter se discrepare, Respondent primò, quod licet verum sit illa duo dona in hoc convenire, quod dent justis, ut non sint deinceps peccaturi mortaliter; in multis tamen aliis discrepare, ut constabit ex dicendis Respondent secundò, quod alias omnibus prædestinatis concederetur donum confirmationis in gratiâ, quia illis datur donum perseverantiæ, sine quo non salvarentur: juxta illud Matthæi cap. 10. vers. 22. & cap. 24. vers. 13. *Qui autem perseveraverit usque in finem salvus erit.* At falsum est hoc consequens, quia certum est donum confirmationis in gratiâ esse singularissimum Dei beneficium paucis tantùm concessum Sanctis, iisque nonnisi eximioribus, ut Beatæ Virgini, D. Joanni Baptistæ, & Sanctis Apostolis in die Pentecostes: Differunt, ergo inter se confirmatio & perseverantia. Restat videndum quomodo, seu in quo differant. VI.

Respondet Pater Arriaga Jesuita in primam secundæ D. Thomæ, tract. de Justificat. disp. 52. sect. 5. donum confirmationis in gratiâ ita figere hominem in bono, ut non possit aliud agere quàm quod Deus præcipit, donum verò perseverantiæ, relinquere ut homo possit ei resistere juxta illud D. Prosperi lib. 2. de vocat. gentium cap 27. *Deus ab obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis illam potestatem quæ potest nolle non auferat*: efficere VII.

tamen ut non sit restiturus, quia Deus illud ei providit, ex quo prævidit consensum secuturum: Pro hâc suâ sententiâ citat Arriaga Valentiam, Valentia D. Thomam, S. Bonaventuram, Alensem, Victoriam, Richardum, Sotum, Vegam, & alios.

VIII. Si objicias: ex hâc doctrinâ confirmati non fuerunt liberi circa præcepta Dei, ergo in istorum Authorum sententiâ non meruerunt: quomodò ergo ista confirmatio erit beneficium Dei? Respondet Arriaga, rarissima esse Præcepta quæ obligent sub mortali ad actum undequaque honestum: unde etsi circa illa rarissima, non fuerint liberi, fuisse circa alia. Deinde quoad hæc rarissima, rarissimè etiam contingere quod obligent pro determinato instanti: unde licet redacti ad instans in quo ursisset præceptum non fuissent liberi, fuisse tamen in aliis casibus ratione temporis. Tandem in eo casu quo fuissent redacti ad ultimum instans pro adimplétione præcepti, cùm ad summum essent obligati ad unicum gradum, operati sunt in intensiore gradu: unde licet quoad primum gradum, propter illam fixionem voluntatis, non fuissent meriti, meruerunt tamen per gradus intensionis ad quos libertatem suam extenderunt: vide Arriagam loco citato.

IX. Sed hæc responsio Arriagæ non placet; nam primò extenditur tantùm ad præcepta affirmativa quæ obligant ad actum: qui actus non est semper debitus pro determinato tempore, & potest intendi & remitti, ut aiebat Arriaga: Sed quid dicet de præceptis negativis, quæ sunt in longè majori numero? quæ per non actum adimplentur, quæ obligant pro semper, & quorum adimpletio, utpotè negatio non recipit majus & minus? Secundò, ex hâc Arriagæ responsione sequitur donum confirmationis non esse tantùm quantùm hactenus omnes arbitrati sunt, imò nullum. Nam si rarissima est, ut ait Arriaga, obligatio sub mortali, rarissima quoque est transgressio mortalis, consequenter rarissimè serviet istud donum, quod datur tantùm ut vitetur casus in peccatum mortale: Quando autem servit in istis rarissimis casibus, cùm tunc confirmatus non agat cum libertate, nihil facit ad laudem vel meritum ejus quod tamen posset augere, si operaretur cum auxilio alterius gratiæ quàm confirmationis. Tertiò, tandem licet daremus Patri Arriagæ pro præceptis affirmativis, pro quibus solùm servit hæc ipsius responsio, rarissima esse illius generis præcepta quæ obligent sub mortali, (in quo tamen censeo illum non rectè loqui) quod rarissimè contingat illa obligare pro instanti aliquo determinato: in illis tamen circumstantiis in quibus illa urgebunt (quod sæpè occurrere potest) quid dicemus? Certè cùm in doctrinâ P. Arriagæ non fuerit in potestate confirmati in gratiâ, illa præcepta non implere, nihil tunc meruit, quale ergò erit istud Dei donum Confirmationis in gratiâ?

X. Nec valet si replices quod Arriaga tertio loco, mereri scilicet ex gradu intensiori, ad quem se liberè extendunt: Nam si, ut vult P. Arriaga, gratia illa, seu auxilium Confirmationis, non relinquat in confirmatis libertatem ad non agendum, certè cùm illa gratia uti agens necessarium determinat confirmati voluntatem ad unum, necessariò agit secundùm totam suam entitatem: & sic non est tunc potestas in voluntate ad ullum gradum intensionis ultra vel infra illum qui est ex ipsa entitate & virtute gratiæ confirmationis.

XI. Denique etiamsi omnia concederemus Patri Arriagæ, sequeretur ex ejus doctrinâ quod donum Confirmationis in gratiâ, esset longè minus dono Perseverantiæ, quod nemo concedet. Probatur sequela, nam cum dono perseverantiæ removentur justi à peccato ut in illud non cadant, sicque in justitiâ stent, sicut cum dono confirmationis, & insuper cum dono perseverantiæ in omnibus sine dubio mererentur, meritò tamen privati in tot casibus cum dono confirmationis in gratiâ. Et omnia ex doctrinâ Arriagæ ut patet.

XII. Alii volunt impeccabilitatem quæ reperitur in confirmatis in gratiâ provenire partim ab intrinseco, partim ab extrinseco: Ab intrinseco scilicet, ab

uberiore

uberiore aliquâ gratiâ & præpotenti aliquo auxilio, quo confirmatus ita inclinatur in bonum ut ab illo non possit de facili deflecti: per quod tamen non ita retrahitur à malo ipsi opposito, ut absolutè non possit peccare. Ab extrinseco verò, scilicet protectione singulari & custodiâ Divinâ submovente occasiones & impediente tentationes, præcipuè vehementes, in quibus succumbere posset. Ita Didacus Alvarez lib. 10. de Auxiliis disp. 104. & alii: Ex quo consequenter infert post probatam conclusionem quartam, differentiam inter donum confirmationis & perseverantiæ in gratia, in hoc consistere, quod donum confirmationis duo supradicta complectatur: donum verò perseverantiæ ultimum tantùm, ut proindè differant inter se sicut excedens & excessum.

XIII. Sed nec hæc doctrina placet, primò quia falsum est illos quibus Deus dedit donum secundum quod est perseverantiæ, nullis unquam opponi tentationibus vel occasionibus gravioribus; nisi addat Alvarez in quibus Deus prævidit fore, ut succumberent si illis exponerentur: quod non facilè dicet, ne cogatur admittere scientiam mediam: ergo donum perseverantiæ non consistit in illo extrinseco, quandoquidem plures etiam uberiores gratias afferat quibus graviores illas tentationes, (quibus quandoque opponuntur) superent.

XIV. Hæc doctrina est ipsissima D. Augustini lib. de Corrept. & Grat. cap 12. ubi sic Sanctus Doctor. *Si in tantâ infirmitate vitæ hujus, in quâ tamen infirmitate propter elationem reprimendam, perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possunt, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideò perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, non vellent.*

XV. Secundò, quia nimis absurdum est, & à ratione alienum quod si in confirmatis in gratia requiratur, ut removeantur ab extrinseco tentationes & occasiones peccati graviores, requirantur abhuc ab intrinseco uberiores gratiæ & auxilia fortiora ut stent in eâ gratiâ in quâ dicuntur confirmati: quinam enim erunt illi qui in gravioribus tentationibus & peccati occasionibus stabunt, si confirmati in gratia eis objecti casuri sint ut propterea illis exponi non debeant?

## SECTIO II.

### *Vera utriusque doni Confirmationis in gratiâ & Perseverantiæ in illâ differentia.*

XVI. NOta primò ex D. Thoma lib. 3. contra gentes cap. 155. quod illud quòd naturâ suâ est variabile, ad hoc quod figatur in uno, indiget auxilio alicujus moventis immobilis: sed liberum arbitrium etiam hominis existentis in gratia habituali, adhuc manet variabile & flexibile à bono in malum, ergo ad hoc quod figatur in bono, & stet in illo usque in finem, indiget speciali Dei auxilio, quod est Confirmatio in gratia.

XVII. Nota secundò, per istud autem auxilium Dei speciale quo figitur voluntas in bono, non ita debet figi in eo, ut det ei necessariò stare necessitate antecedente: sic enim non esset confirmatio potentiæ liberæ, sed ipsius eversio: sed oportet quod gratia illa, seu speciale auxilium illud per quod confirmatur, ex vi suâ ita statuat eam in bono, ut non adimat libertatem: ita verò relinquat libertatem, ut talem tribuat firmitatem, quod nihil illam inflectet ad malum.

XVIII. Nota tertiò ex D. Augustino lib. de Dono Persever. cap. 6. & communi Theologorum doctrinâ, donum perseverantiæ nullatenus posse interrumpi per peccatum mortale, licet admittat secum veniale. Ratio est, quia eo ipso quo quis peccat mortaliter, deflectit à bono inceepto, & sic non perseverat: implicat ergò quod donum perseverantiæ per peccatum mortale interrumpatur.

XIX. Nec obstat quod prædestinati multi sæpè cadant à gratia, sæpè resurgant, qui tandem moriuntur in gratia, ac consequenter cum perseverantiâ. Non

enim indè sequitur perseverantiam posse interrumpi: quia horum perseverantia non sumit initium ab illa gratia quam primò acceperunt, vel ad quam in suâ conversione resurrexerunt, quæ fuit interrupta: sed ab illâ à quâ non ampliùs ceciderunt, & in quâ finaliter decesserunt. Undè quod alii in gratia quam vel in utero, vel in Baptismo acceperunt perseverarint, ita ut nunquam peccarint mortaliter: Alii verò in ea quam in prima conversione sua: Alii denique in illa quam post plures lapsus & plures resurrectiones, v. c. circa finem vitæ acceperunt, quæ connectitur cum gratia consummata, idest gloria, quæ durabit in æternum, perseverantia eadem est essentialiter, & differt tantùm accidentaliter secundùm magis & minus.

XX. Nota quartò, quòd gratia perseverantiæ sit in interruptibilis, id non semper provenire ab intrinsecis viribus ipsius gratiæ, sed plerumque ab extrinseca etiam Dei providentia speciali, per quam modò removentur à prædestinato tentationes & occasiones peccandi graviores, in quibus succubuisset si illis expositus fuisset: Vel certè ipsemet removetur ab illis per mortem acceleratam: hinc illud Sapient. cap. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius: Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.*

XXI. Nec facit contra quod habet Sacr. Concil. Trid. sess. 6. can. 12. dicens: *Si quis dixerit justificatum sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare posse anathema sit.* Nam & remotio tentationum & occasionum peccati graviorum à prædestinato, in quibus succubuisset si illis fuisset expositus, & substractio prædestinati ab illis per mortem immaturam, antequam malitia mutaret intellectum ejus, aut fictio deciperet animam illius ut pervertetur, quod eveniisset si diutius vivere permissus fuisset, singularis est Dei favor, & numeratur inter specialia Dei auxilia, quia nec dantur omnibus justificatis, nec huic dare tenebatur, sed ei à Deo datum fuit ex singulari ejus in ipsum benevolentiâ. His positis,

Dico, magna est inter utrumque donum confirmationis & perseverantiæ in gratiâ differentia, licet enim videantur convenire in notando tertio, quod scilicet donum perseverantiæ figat justum in bono, ut ipsius justitia per peccatum mortale interrumpi non possit, uti nec confirmati in gratiâ: Differunt tamen quàm maximè inter se utraque ista gratia, quia non est necesse justum cum dono confirmationis rapi ne malitia mutet intellectum ejus, aut ab illo averti tentationes graviores, aut occasiones peccandi majores, ne illis expositus cadat, ut diximus notando quarto de justo cum solo dono perseverantiæ, cùm supponatur in gratiâ confirmatus, quin è contra majoribus & vehementioribus objiciendus, ut confirmatus & stabilis in gratia accepta appareat. Quemadmodum enim columna vel pyramis, verbi gratiâ, non dicitur firma & solidata, quæ vento vel impulsui etiam utcumque gravi resistit, sed quæ vehementioribus, adeò ut à nullo disjici possit, ita non solùm ille in gratia dicendus confirmatus, qui ut stet vehementioribus est subducendus tentationibus, aut occasionibus, sed ille cui datum est in quibusvis perstare, & contra quem etiam fortissimæ quæque vires suas experiri possent. XXII

Quare breviter dico & concludo donum confirmationis cõsistere in gratia specialissima quam Deus confirmato confert ex singulari benevolentiâ ita commensuratâ ad libertatem & omnes occasiones, ut cum illâ confirmatus sit liberè, immobiliter tamen & invictè restiturus. In quo distinguitur à dono perseverantiæ quæ id non habet ex se & ab intrinseco, sed indiget has tentationes ab illo removeri, vel ipse ab illis substrahi. XXIII

Probatur hæc doctrina efficacissimè ex loco citato Sapientiæ cap. 4. *Justus si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit, & vivens inter peccatores translatus est, raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius: fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.* Ubi vides justum hunc rapi antequam malitia mutasset intellectum ejus, aut fictio decepisset XXIV

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pisset animam illius, ac sic habuisse donum perseverantiæ, non fuisse verò confirmatum in gratia, quandoquidem futurum erat ut fascinatio nugacitatis obscurans bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertens sensum sine malitia, mutaret intellectum ejus, & deciperet animam illius. Igitur donum perseverantiæ est omnium prædestinatorum & salvandorum, donum confirmationis in gratia est valdè paucorum.

## SECTIO III.

### *Divus Josephus fuit in illâ gratiâ quam in utero accepit, & quam ex utero attulit, confirmatus.*

XXV. MIrè Seneca perfidiam Alexandri Magni, qui Callisthenem virum probum & sine noxâ ullâ interfecerat, insectatur: mirè sceleris istius magnitudinem aperit lib. 6. quæst. natural. cap. 23. ubi sic ille in hâc causâ. *Hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla Bellorum fœlicitas redimet: Nam quoties quis dixerit occidit Persarum multa millia, opponetur & Callisthenem. Quoties dictum erit occidit Darium penes quem tunc magnum erat Regnum; opponetur & Callisthenem: Quoties dictum erit omnia Oceano tenus vicit, ipsum quoque tentavit novis classibus, & Imperium ex angulo Thraciæ usque ad Orientis terminos protulit: dicetur sed & Callisthenem occidit: Omnia licet antiqua Ducum, Regumq. exempla transierit, ex his quæ fecit, nihil tam magnum erit, quàm scelus occisi Callisthenis.* Hæc Seneca contra Alexandrum & Magnalia Alexandri.

XXVI. Tam atrum est nigri alicujus sceleris atramentum, tantus ejus nævus, teste etiam infideli illo ex solo naturæ lumine judicante Philosopho, ut unicum plus nocere possit homini, plus eum obscurare valeat quàm præclara quævis facinora prodesse vel illustrare. Quare & hoc etiam infidelis istius opinamento adducor, ut arceam ab electo in Patrem Jesu Magno Josepho omne peccatum, maximè verò grave & mortale per totam ejus vitam.

In hoc etiam conspirant illi qui asserunt (quibus ego me adjungo) ipsum fuisse in illâ gratiâ quam in utero accepit, & quam ex utero attulit, confirmatum: ita Joannes Gerson serm. de Nativ. Beatæ Virginis habito in Concil. Constant. & in suâ Josephinâ, noster Hieronymus Gratianus lib. 5. de Sancto Josepho cap. 5. tit. 1. Carthagena tom. 3. de Arcan. lib. 18. homil. magn. & ult. §. 1. Est hodie communis & ab omnibus recepta, videturque sequi ex ipsius sanctificatione in utero: ut quid enim sanctificatio præter ordinem usitatum, & tam singulariter anticipata, nisi ut firmiori potentiorique manu fundata, ideſt Dei per se immediatè illam operantis, perfectior illa ac solidior per omnia assurgeret? XXVII.

Et certè cùm non solùm sanctificatis in utero id doni concessum sit, ut patet in Joanne Baptistâ, & ex doctrinâ D. Thomæ 3. part. quæst. 27. art. 6. ad 1. ubi ait: *Sanctificatis in utero creditur præstitum ut de cætero mortaliter non peccarent, divinâ eos protegente gratiâ*, sed etiam aliis ut de Sanctis Apostolis à recepto in die solemni Pentecostes Spiritu Sancto docent communiter Theologi; quis illud D. Josepho tam eximiè præ illis electo, tam singulariter præ illis inaugurato denegâre poterit? XXVIII.

Probatur secundò, quia certum est stetisse in gratia usque ad mortem: & abundè constat mortem ejus non fuisse immaturam, & ipsum tantis tentationibus expositum quales nullæ fortè similes, in quibus tamen non tantùm invictus perstitit, sed etiam virtutes plures in summo exercuit, ut patebit ex dicendis postea, ergo, &c. XXIX.

Objicies, gratia justitiæ originalis est major gratiâ sanctificationis in utero. Sed gratia justitiæ originalis non advexit secum donum confirmationis in gratiâ, ut patet in Adamo & Evâ, qui fuerunt creati in gratiâ & justitiâ originali, qui tamen ab eâ ceciderunt: ergo nec gratia sanctificationis in utero illud donum advehet: Respõdeo negando majorem, si agatur de vi & virtute XXX.

utriusque

utriusque gratiæ: etsi enim originalis esset cum exclusione omnis peccati, gratia tamen sanctificationis in utero operatur in naturâ lapsâ quod non potuit originalis in integrâ: sanat enim illa à peccato, à quo hæc non præservavit: quid mirum ergo si illa statuat in bono quod hæc non potuit? Porrò gratia sanctificationis in utero uberior fuit illâ gratiâ originali Adæ, quia fuit ex meritis Christi infinitis non hæc: nam in Doctrinâ D. Thomæ & sequacium ejus, hæc Adamo destinata fuit ante decretum Incarnationis mysterium: si enim Adam non peccasset, inquit D. Thomas, Christus non venisset.

XXXI. Confirmabitur amplius hæc sententia ex dicendis Capite sequenti.

## CAPUT X.

### *Per eandem gratiam fuit Divus Josephus etiam contra venialia confirmatus.*

I. DIco ergo non tantùm per illud donum confirmationis in gratiâ, id assecutus est D. Joseph quod alii confirmati, ut scilicet nunquam abinde peccaverit mortaliter; sed præterea, quandoquidem eo excellentiorê per omnia acceperit gratiam, quo præ cæteris ad altiorem gradum & ordinem ascendit: probabilissimum censeo cum aliis quàm plurimis, fuisse in sanctitate tunc ei divina manu immediatè & largissimè infusâ, ita firmatum & fixum, ut nemo, (si solam ipsius sponsam exceperis) sic fuerit ut ille: atque adeò nec etiam ad veniale unquam deflexisse, ut hoc credam adducor. Primò, ex eo quod idem docent de D. Joanne Baptistâ Ven. Beda homil. de illius decollatione, Galatinus lib. 7. cap. 9. & alii tam multi ut Abulensis in cap. 14. Matthæi quæst. 40. dicat id communiter credi; cui opinioni concinit Ecclesia columna veritatis, in his verbis:

*Antra deserti teneris sub annis*
*Civium turmas fugiens petisti,*
*Ne levi saltem maculare vitam*
*Famine posses.*

Si enim hoc de Divo Joanne Baptista communiter creditur, cur non idem & à fortiori credatur de D. Josepho, uti de vero Christi Domini Patre?

II. Et certè licet hoc privilegium non fuisset D. Joanni Baptistæ concessum, adhuc tamen Sanctissimo Josepho non esset denegandum. *Ea enim*, ut ait Textus in l. finali de probationibus, *quæ veniunt ex bona conjectura, vera esse dicuntur.* At Patrem Jesu verum, hoc dono donatum fuisse bona conjectura est, ergo res vera.

III. Tertiò, idem probatur ex illo Concil. Trident. sess. 6. canon. 23. *Si quis dixerit hominem justificatum posse totâ vitâ suâ omnia peccata, etiam venialia vitare nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beatâ Virgine tenet Ecclesia, Anathema sit.* Pro cujus intelligentia,

IV. Nota, non tantùm intelligit Concilium ut vitentur peccata venialia totâ vitâ requiri speciale auxilium gratiæ, prout contra distinguitur ab auxilio tam reprobis quàm electis communi, quo sensu donum perseverantiæ dicitur ab eodem Concilio Canon. præcedenti citato hîc cap. 9. sect. 2. num. 21. auxilium speciale: sed intelligit tale ut nec ipsis prædestinatis communiter concedatur, quale fuit concessum Beatæ Virgini: & ideò Concilium non vocat illud auxilium quo illa vitantur *speciale Dei auxilium*, quemadmodum Canone præcedenti vocavit donum perseverantiæ, sed vocat illud *speciale Dei privilegium.*

V. Dico ergo ex Concilio, prout sine illo *speciali Dei privilegio* non possunt omnia peccata venialia totâ vitâ vitari, ita cum illo possunt, ut patet: Cùm ergo cæteris prædestinatis *speciale auxilium* istud concedamus, cur hoc speciale Dei privilegium Divo Josepho adeò supra illos omnes ratione eminentissimæ suæ dignitatis evecto denegaremus.

VI. Probatur quartò, cùm aliis innumeris Sanctis datum sit rarissimè venialiter peccare, immò verò D. Augustinus lib. 2. de Peccat. merit. cap. 6. doceat non esse obsistendum eis qui affirmant esse posse hominem in hac vita sine peccato, intellige (ut sanè intelligas) cum limitatione Concilii

cilii Tridentini loco mox citato versu 3. Cur hoc Divo denegaremus Josepho.

VII. Nec valet quod contra objicit Arriaga in 1. 2. tractat. de Justificat. disp. 51. sect. 6. concl. 2. temerarium esse præsumere quod non audet Concilium Tridentinum : Sed Concilium non audet illud asserere nisi de Beata Virgine, ita res ista est rara & miraculosa, ergo, &c. Respondeo enim etsi res sit rara & miraculosa esse tamen possibilem cum singulari Dei privilegio ex Concilio Tridentino : hoc autem Divo Josepho concessum fuisse, ipsius supra omnes Electos electio suadet.

VIII. Respondeo secundò, Concilium adduxisse Beatam Virginem in exemplum, quod cum *speciali Dei privilegio* omnia peccata etiam venialia totâ vitâ vitari possint : quod autem illam solam adduxerit, id non ideò fecit quod nulli sint alii præter ipsam, sed quia non fuit necesse, sufficiebat enim unum adduxisse.

IX. Probatur quintò ex doctrina Sancti Clementis, Alexandr. lib. 1. Pedag. cap. 2. Francisci Suarez tomo 3. de Gratia lib. 9. cap. 8. num. 25. Alvaris de Paez tomo 2. de Extermin. mali lib. 1. part. 1. cap. 9. ubi docent Justos aliquos valdè perfectos, qui toti student puritati & sanctitati, posse totâ vitâ vivere sine peccato etiam veniali qvod sit plenè voluntarium, & cum deliberatione certa : idque non videtur negandum Sanctis Apostolis post receptum in die Pentecostes Spiritum Sanctum : Unde Divus Chrysostomus in eandem cum illis conspirans sententiam homil. 20. in Matth. ad illud *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* ait : *Nihil est quod propter terrenarum rerum habitaculum ad supernarum virtutum perfectionem homines prohibeat pervenire. Est quippè possibile ut in terrarum adhuc regione degentes quasi jam in cœlis habitent ita cuncta perficiant.*

X. Peccarunt ergo tantùm illi ex quadam subreptione, sed D. Josepho ex dicendis infra Cap. sequenti extinctus aut certè ligatus fuit fomes peccati, ut nunquam appetitus ejus rationem prævenerit: ergo ex hac ratione nec venialiter peccavit, quandoquidem semper sibi & Deo præsentissimus, nihil ex subreptione fecerit.

XI. Objicies primò, Proverb. c. 24. vers. 16. *Septies in die cadit Justus* : quid ergò de totâ vitâ, præcipuè verò quando ad longum protenditur ut vita Divi Josephi ? Respondeo Scriptores plures ita hunc Scripturæ locum citare ex Authore Catenæ Græcæ, Cassiano lib. 2. Collat. 22. cap. 13. nonnullisque Codicibus manuscriptis, & esse jam vulgare : illud tamen *in die*, non haberi nec in Originali Hebræo, nec apud Septuaginta Interpretes, nec in nostrâ vulgatâ, nec in aliis impressis saltem alicujus fidei, quos si mihi non credes consulere poteris.

XII. Objicies secundò, illud Ecclesiastæ cap. 7. *Non est homo justus in terrâ qui faciat bonum & non peccet*, intellige venialiter. Respondeo ad illa & alia similia loca, hæc intelligi de Justo justitiâ ordinariâ. Respondeo secundò, si velis etiam intelligi de Justis justitiâ extraordinariâ intelligendum cum solo *speciali Dei auxilio*, prout contradistinguitur ab illo qui est in omnibus justis communi, inter quos sunt aliqui reprobi, non de Justo justitiâ summè extraordinariâ, & cum gratiâ illâ, quam Concilium Tridentinum vocat *speciale Dei privilegium.*

XIII. Instabis, nulla datur talis gratia. Contra, si nulla talis datur, quomodò ergò Concilium dixit sine tali non posse peccata venialia vitari ? Quod si datur talis, an amabo, negabitur Divo Josepho cui tot titulis debetur ? Ergò tam singularis fuit Divi Josephi Sanctitas, tanta vitæ & morum ejus innocentia & puritas, ut eam nulla peccati mortalis caligo obfuscare & extinguere, nulla venialis umbra vel minimùm obscurare potuerit.

## CAPUT XI.

### *An in Divo Josepho fuerit peccati fomes extinctus vel ligatus ?*

I. REPUGNARE primæ & summæ sanctitati qualitatem infundere, vel virtutem quæ per se & naturâ suâ hominem vel Angelum inclinet ad peccatum, nihil certius: sicut enim summa perfectio primæ sanctitati postulat ut non possit ipsa facere malum, sic nec facere ut alius faciat: nam si Deus hoc faceret mediante tali qualitate aut virtute à se immediatè productâ, non minus ipsi quàm creaturæ tribueretur malum, quia nec aliam ob causam dicitur Author boni, nisi quia ad illud movet per internum impulsum: imò magis ipsi malum quàm creaturæ imputaretur, hæc quippe illud non operaretur, nisi ad illud determinata à Deo.

II. Aliundè verò dari fomitem in homine inclinantem ad peccatum, est certum de fide. Cùm ergo ille fomes, utpote ipse appetitus sensitivus ut fertur in bonum sensibile, quod est rationi contrarium (ex quo dicitur inclinare ad malum) sit immediatè a Deo in homine, quia fuisset ille in naturâ purâ; quomodò verum est quod Deus non sit author peccati? & quâ ratione hoc cum præcedenti quadrare potest?

III. Dicendum ergo quod appetitus sensitivi objectum totale & adæquatum in quod naturâ suâ & per se fertur, est præcisè bonum naturæ sensitivæ conveniens: quod bonum non est per se contrarium rationi, cùm sæpè contingat ut quod est commodum naturæ sensitivæ, sit licitum & conforme rationi; licet etiam sæpè eveniat è contra, ut quod est conveniens sensui, sit disconveniens rationi, quando scilicet est immoderatum: unde cum appetitus sensitivus catenùs tantùm dicatur fomes peccati, & inclinare ad malum, quatenùs fertur in illud bonum sensibile in particulari, quod est immoderatum; cùm non feratur in illud quatenùs est immoderatum, & disconveniens rationi, quæ cùm illum regulare deberet, ab illo se dominari permittit, sed quatenùs est bonum naturæ sensitivæ, non potest dici per se & naturâ suâ inclinare ad malum: & sic, etsi Deus sit author appetitus sensitivi, non tamen est author mali.

IV. Porrò fomes iste dicitur à Theologis modò extingui, modò ligari: Ligatur, inquiunt aliqui, quando per extrinsecam Dei providentiam substrahentem, sive elongantem objecta & occasiones, providetur ut nulla ejus operatio insurgat contra rationem: extinguitur, quando per aliquid intrinsecum idem impeditur: Alii putant melius sic dicendo quod extinguitur quando per qualitatem aliquam intrinsecam ita subjugatur appetitus sub ratione, ut non possit in illam insurgere: ligatur, quando per extrinsecam illam Dei providentiam impeditur tantùm motus manente potentiâ ad insurgendum.

V. Aliis non placet hæc divisio, ex eo quod cum fomes reâpse idem sit quod appetitus sensitivus, prorsusq; illi identificetur, non possit fomes extingui, quod significat ipsum omninò destrui, quin extinguatur & destruatur appetitus, at in Adamo appetitus ille non fuit extinctus seu destructus, ut constat, ergo nec fomes.

VI. Admittunt ergo hi solam fomitis ligationem, extinctionem negant, & dicunt per illam appetitum sensitivum prohiberi ne contra rationem moveatur, idque fieri vel per Divinam providentiam quâ appetitus ab omni inordinato motu coercetur, vel quod est connaturalius per qualitatem infusam v. c. justitiam originalem in Adamo, præbentem vires animæ quibus motus ejusmodi in inferiori appetitu cohibeat.

VII. Sed quidquid sit de istâ difficultate, & relictâ cuique prout voluerit hujus vel illius opinionis electione; cùm idem sit effectus seu extinctionis, seu ligationis fomitis, scilicet impeditio motus inordinati in appetitu contra rationem, quo posset ratio inclinari ad malum: mihi hîc sufficit inquirere, an hic seu extinctionis seu ligationis fomitis effectus fuerit D. Josepho concessus?

Pro

VIII. Pro quo animadverto aliquos caruisse fomite isto, non tamen fuisse in gratiâ confirmatos, ut patet in primis Parentibus Adamo & Evâ, in quibus non fuit ista appetitûs inferioris rebellio quam sentimus, cohibente eum præsentiâ & efficaciâ justitiæ originalis in qua creati sunt: non tamen steterunt in gratia, & ideò donum illud amiserunt: Alios verò è contra fuisse in gratia confirmatos, non tamen caruisse fomite, ut patet in D. Paulo qui fuit in gratia confirmatus, ut cæteri Apostoli, sensit tamen in membris suis aliam legem repugnantem legi mentis suæ, ad Roman. cap. 7. vers. 23. Alios denique qui & in gratia fuerunt confirmati & fomite caruerunt, ut Beata Virgo, cui Divum Josephum ejus Sanctissimum Sponsum & supparem subjungendum censeo cum Doctissimo Gersone Cancellario Parisiensi serm. de Nativit Beatæ Virg. toties in hoc Opere citato, Jacobo de Valentia Episcopo Christopolitano in Cantic. Magnificat, Joanne Ekio serm. de Sancto Josepho. Bustensi in Mariali 4 part. serm. 12. Andræâ de Soto lib. de Joseph cap. 10. Canisio lib. 2. de Deip. cap. 13. post med. Salmerone tom. 3. tract. 9. Carthagenâ Minoritâ tomo 3. de Arcan. lib. 18. homil. mag. & ultim. §. 1. P. nostro Sylveira tomo 1. in Evang. lib. 1. cap. 10. quæst. 2. num. 8. Justino Miechovienſi Dominicano super Litan. Lauret. tomo 1. disc. 101. num. 10 & 11. P. Lobbetio è Soc. Jesu Leodiensi tomo 3. Quæstion. in Evang. Dominic. & Festor. totius anni quæst. 2. Moral. de S. Josepho Virginis Sponso, & aliis innumeris: & ita omninò decuisse docent, ut munus ad quod à Deo electus erat, ritè obiret cum Virgine speciosissima domi forisque, diu noctuque, per tot annorum curricula, castè & tutè versari & familiarissimè convivere posset, & carnis illecebris & titillationibus qui ex ejusmodi tam familiari diuturnoque convictu suboriri potuissent, omninò vacaret, sicque rectius ad omnem vitæ usum Matri simul & Proli inserviret.

IX. Igitur credendus est inquit Carthagena citatus totidem verbis, Joseph „ ligatum habuisse fomitem peccati originalis, ne etiam naturaliter & absque deliberatione in quempiam concupiscentiæ appetitum prorumperet ejus sensus, dum in consortio Virginis versaretur: Etenim appetitus operatur circa objectum, nisi per actualem motionem à superiori potentia contineatur, quam naturalem inclinationem & efficaciam non videntur soli habitus posse impedire: Nam sicut vitia non sufficiunt ad tollendam inclinationem ad bonum, ita neque virtutes, licet alioquin perfectissimæ, possunt tollere naturalem inclinationem appetitus ad sensibilia, quæ interdum rationi repugnant, & ne ad illa nonnunquam moveatur nisi aliunde divinitus præpediatur. Igitur cùm Sanctissimum Josephum nullus prorsus unquam libidinis motus pulsaverit, manifestè efficitur ad hoc ut in eo suaviter omnis concupiscentia cessaret, fomitem in eo extinctum seu ligatum fuisse, non solùm per habitus & virtutes, sed & per divinam gratiam ad hoc aptam & congruam.

X. Etsi enim probabile sit quod ex Divo Bonaventura refert Gerson serm. citato de Nativ. Beatæ Virg. Consid. 3. *Quod nullus ex aspectu gloriosæ Virginis quamvis esset pulcherrima, urebatur aut inflammabatur ad fœdam carnis concupiscentiam, sed eam potius extinguebat ille divinus aspectus, quasi frigidus quidam ex oculis ros virgineus expiraret, vel efflueret à mente illius castissimâ.* Attamen ex hoc non habetur nullum prorsus motum suboriri potuisse ad quem impediendum non fuerit necessaria fomitis repressio, maximè quod etsi Virginis aspectus ex se castos afflaret amores, aliundè tamen ut ex aliis actionibus convictus & conversationis diuturnæ, ex dæmonis suggestione erumpere potuissent, uti odium ortum est in cordibus Judæorum contra Christum Dominum, ex cujus tamen facie non minor gratia scintillabat ad omnium corda ad se allicienda & attrahenda, quam ex Virginis conspectu ad extinguendos ignes illos impuros.

XI. Ex hoc tamen colligitur, quod cùm & intus per abundantiam gratiæ sanctificantis fomes fuerit in D. Josepho repressus, & exterius purissimæ Virginis Sponsæ adspectus castitatem adspi-

raret, Divum Josephum in suo matrimonio nec intus nec foris tentationem sensisse ad libidinem, sicque cum castissima Sponsa sua ita castè & tutè convixisse, ut non potuerint etiam Angeli castius vel tutius.

XII. Cæterùm ut quod de horum Theologorum rationibus censeo, proferam: dico ad summum probare in eo fuisse extinctum seu ligatũ fomitem partialem scilicet in materia carnis, seu libidinis, non verò totalem, idque tùm demùm cùm Virgini matrimonio junctus est propter Virginis ipsius reverentiam, ut docuit Cornelius à Lapide in cap. 31. Proverb. vers. 2. & alii sine numero: quod non est valdè extraordinarium, cùm idem pluribus aliis Sanctis fuisse præstitum legamus apud Authores fide dignos, & idipsum de Angelico Doctore D. Thomâ Aquinate referat ipsius legenda in Breviario ex Joanne Garz, & Sancto Antonino. Sed aliud est quod hîc intendimus, caruisse scilicet, idque semper, totali fomite per gratiam, quæ tanta plenitudine descendit in ipsum, ut talis esset dispositio virium animæ in ipso, quod inferiores vires nunquam moverentur sine arbitrio rationis.

XIII. Probatur igitur nostra Assertio primò iisdẽ rationibus quibus in superioribus probavimus ejus in utero sanctificationem, & confirmationem in gratia. Probatur secundò, quia ex mox dictis plurimis Sanctis datum est caruisse partiali fomite, aliis quidem in materia carnis, aliis in materia iræ, aliis in materia superbiæ, aliis in aliis: ita ut nullos amplius libidinis, iræ, superbiæ, &c. motus in se senserint. Cùm ergo D. Josephus, ut Christi Pater, sit incomparabiliter in omni dono gratiæ super illos elevatus, quis negabit ei deberi plenitudinem ejus, quod illis per partes datum est? Ergò talem gratiam accepit, quæ in eo totalem reprimeret fomitem.

XIV. Probatur tertiò ab effectibus per inductionem: Nam cùm esset Regni Davidici hæres, ut vidimus Tractatu præcedenti, saltem quod nullus negare poterit de Regio sanguine, & ad vitam obscuram delapsus non erubuit de sua conditione, nec quidquam cogitavit aggredi, quo inde emergeret, nullo avaritiæ motu commotus est ut ditior fieret, cùm & Magorum munera ad favorem pauperum abdicarit: nullo motu libidinis per totos triginta annos cum formosissima familiarissimè vivens uxore: nullo motu iræ vel zelotypiæ videns illam gravidam, non ex facto suo, nullo motu incredulitatis, salvare jussus eum quem mundi Salvatorem Angelus non ita pridem renunciarat. Ut constabit amplius ex infra dicendis suis locis. Cùm ergò nullo passionis motu pulsatus fuisse deprehendatur in diversis illis illarum occasionibus, quibus nullæ ferè violentiores dari potuerunt; ergò verè caruit fomite, & omnia apud ipsum ex recto rationis dictamine procedebant: imò ex his in eo non fomes tantùm, sed & ratio ipsa mortua fuisse videtur.

Probatur quartò, quia ut singulariter electus & ad supremum ordinem hypostaticæ scilicet unionis, in quo soli Jesus, Maria & Joseph, evectus, adeptus est singularem in gratiâ confirmationem, ut Capite præcedenti diximus; sed carentia fomitis ad hoc maximè confert, ut constat; ergò habuit. XV.

Probatur quintò, & ultimò, quia D. Josepho, Christo Domino gratiæ Authori & Consummatori ita ut est conjuncto, concedendum est quidquid facit ad perfectionem virtutis. Sed carentia istius fomitis conducit ad perfectionem virtutis, quia fomes facit propensitatem ad malum, & difficultatem ad bonum, ut docet D. Thomas 3. part. quæst. 27. art 3 in corp. Ergo carentia fomitis illi concedenda est. XVI.

Objicies primò 2. Corinth. cap. 12. *Virtus in infirmitate perficitur*. Ubi sermo est de infirmitate quæ est ex fomite, secundùm quam Apostolus patiebatur stimulum carnis, sed ex hac ultima probatione nihil quod pertinet ad perfectionem virtutis est subtrahendum D. Josepho, ergo D. Josepho non fuit fomes subtractus. Respondeo cum D. Thomâ 3. part. quæst. 27. art. 3. ad 2. quod infirmitas carnis ad fomitem pertinens, est quidem in Sanctis Viris perfectæ virtutis occasio, non tamen causa sine quâ virtutis perfectio XVII.

non

non possit haberi : sufficit autem nobis in Divo Josepho ponere perfectam virtutem ex abundantiâ gratiæ, nec est necesse eam ponere ex qualibet occasione virtutis; ut patet (taceo Christum & Beatam Virginem) in Angelis qui sine fomite per unicum actum intensum virtutis, plus meruerunt quàm Sancti cum fomite cui restiterunt per plures annos.

XVIII. Objicies secundò, illud ejusdem Apostoli ad Rom. cap. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati*, ubi cùm Apostolus ad summam gratiam elevatus, dicat se adhuc sentire rebellionem carnis, evidens est eam in cæteris etiam vigere. Respondeo ex hoc argumento sequi tantùm nullum ita posse crescere in sanctitate quod ex illa tandem sequatur fomitis extinctio: non verò quod Deus favorem illũ alicui tribuere non possit ex suâ benevolentiâ, quemadmodum pro fomite totali constat in Beatâ Virgine, Adamo, & Evâ: & pro partiali v. c. in materiâ libidinis, in D. Thomâ Aquinate, in materiâ, iræ, superbiæ, gulæ, & aliis vitiis, in aliis Sanctis ex relatione Authorum fide dignorum: in primò sensu namque videretur Hæreticum, quia D. Hieronymus in epistolâ ad Chtesiphontem, id tribuit Pelagianis ut unam ex eorum hæresibus, & in Concilio Viennensi id tribuitur Beguardis & Beguinis, ut refertur in Clementinâ *ad nostrum*.

XIX. Objicies tertiò & ultimò, ex Patre Arriagâ in prim. secund. tom. 2. disp. 51. tract. de Justificat. sect. 5. Cùm istud donum supponatur provenire à liberalitate Dei, non licet ullo modo asserere ulli esse concessum sine urgentissimo fundamento, quia miracula non debemus astruere, vel admittere sine gravissimâ causâ : unde tutius, ait Arriaga, hoc privilegium negatur omnibus aliis à Christo & Beatissimâ Virgine, quàm vel uni conceditur.

XX. Respondeo primò, an hoc Arriagæ argumentum pro negativâ præponderet nostris pro affirmativâ adductis, æquum posco Lectorem Judicem. Respondeo secundò, ne nostram assertionem tanquam dubiam relinquamus, dico urgentissimum esse fundamentum, & hoc, & ea quæ totâ hâc disputatione de ejus in utero sanctificatione, & extraordinariâ confirmatione in gratiâ diximus asserendi : nam ab æterno electus est, ut esset Pater Christi : electus est ut esset sponsus Virginis : & per hæc electus est ut cooperaretur quàtùm homini licuit Mysterio Incarnationis Verbi, & saluti generis humani : Cùm ergo istud Mysterium cui ita cooperatus est, sit totius fons gratiæ, debuit procul dubiò ex eo plus cæteris omnibus haurire. Quare cùm in eo reperiantur rationes tanti ponderis, quales nullæ similes in aliis Sanctis, urgentissimum est fundamentum illi hæc privilegia, quæ aliis denegantur, concedendi.

## CAPUT XII.

### *An D. Iosephus ut in utero sanctificationem, ita ibi Rationis usum per accelerationem acceperit ?*

ACCELERATIO usus rationis in sanctificatis in utero, est donum utendi gratiâ acceptâ in utero: quod donum quantùm sit, & quàm Divinum, per se patet: Nam ex eo sequitur, quod ex tunc sanctificatus cœperit ex gratiâ operari & mereri, aliàs enim gratiam & sanctitatem acceptam amisisset, quia peccat mortaliter homo in doctrinâ D. Thomæ, qui quàmprimum pervenit ad usum rationis, non eo utitur & gratiâ, ut se ad Deum convertat: unde fit ut sanctificatus ab inde gratiam gratiæ, meritum merito semper cumulando, tandem fœliciter ad illam eminentem perringat sanctitatem, propter quam ex destinatione Dei gratiam illam uterinam accepit.

Cùm ergo Divo Josepho debeatur quidquid melius est, modò nihil obstet : certè si ulli mortalium hoc donum concessum est, & illi utique sine ullâ hæsitatione concessum fuisse dicendum : idque à fortiori propter rationem toties à nobis tactam, eminentem scilicet illam præ cæteris electio-

nem, meritum, & dignitatem. Quis enim talis meriti & dignitatis ut Pater Christi? Porrò D. Joanni Baptistæ fuisse concessum communiter docent Sancti Patres, alii implicitè & interpretativè, alii expresè. Origenes Homil. 10. in Luc. D. Irenæus lib. 3. c. 18. S. Cyrillus Hierosol. Cateches. 3. S. Pater noster Cyrillus Alex. lib. de fide ad Regin. D. Hieronymus epistol. 7. ad Lætam & alibi, D. Chrysost. in Encom. D. Joan. Baptist. & alibi sæpè: noster Imperfectus in Matth hom. 27. D. Ambrosius, Theophilact. & Euthim. in Luc. Divus Leo serm. 10. de Nativitat. S. Maximus Homil. 1. de Nativit. S. Joan. Bap. Simeon Metaphrast. serm. de Vitâ & Dormit. Deip. Antipater Bostror. Episcop. Orat. de Baptistâ: Pantaleon serm. de Luminib. tom. 7. Mag. Biblioth. SS. Patrum, D. Petrus Chrysolog. Homil. 88. de venerab. Beda homil. de Visitat. D. Antoninus p. 4. Summ. Tit. 15. c. 20. §. 2. Dion. Carthus. serm 3. de S. Joan. Bapt. Clichtoveus lib. de Visitat. Mariæ, Caietanus in Luc. c. 2. & in Summam D. Thomæ 3. part. quæst 37. art 3. Barrad. in Evang. tom. 1. lib 7. cap. 12. Suarez in 3. part. quæst. 27. disp. 4. sect. 7. Didacus Stella, Maldonatus & Cornel. à Lapide in Luc. & ex nostris Thomas Beauxamis tom. 1 in Harmon. Evang. ad c. 1. Luc. & Joan. à Sylveira tom. 1. in Evang. lib. 1. c. 4. q. 25. & alii sine num.

III. Confirmaturque hæc præfatorum Patrum & Doctorum sententia de Divo Joanne Baptistâ ex vetusto officio festi Visitationis Beat. Virgin. ubi hæc habebantur.

*Acceleratur ratio in puero nondum nato,*
*Instinctu Sacri Pneumatis divinitus sibi dato,*
*Novit præsentem Dominum in Virgine clam latentem,*
*Adoravit cum tubilo ad servulum venientem.*

quibus satis consonant quæ de eodem Sancto Præcursore in ejus festo cantat Ecclesia.

*Ventris obstruso recubans cubili*
*Senseras Regem thalamo manentem;*
*Hinc parens nati meritis uterque,*
*Abdita pandit.*

IV. Confirmatur item ex Concilio Basilienſi Sess. 43. de Visitatione Virginis, ubi ait inter alia, Salvatorem à suo Præcursore in utero Matris suæ existente fuisse recognitum. Vide Barrad. citatum.

V. Verùm cùm Patres & Doctores præfati ex hoc solùm colligant acceleratum D. Joanni Baptistæ rationis usum, quod exultaverit in utero matris ad præsentiam sui Salvatoris & vocem Mariæ: Dices cum Cornel. Jansen. Gandav. in Concord. Evang. cap. 4. ex D. Augustino epist. 57. quæ est ad Dardanum, non sequi ex hoc ipsum in utero cognovisse salvatorem, sed exultationem istam seu subsiliationem factam fuisse, ut solent fieri miracula, scilicet divinitùs in infante, non humanitus ab infante, ut loquitur D. Thomas 3. part. quæst. 27. art. 6. in Corp. utique ut duo illi gemelli Jacob & Esau in utero Rebeccæ collidebãtur Genes. cap 25. & sicut asinæ Balaam contigit ut ore aperto loqueretur quæ non intelligebat numeror. c. 22. ita Joannes subsilierit novo quodam miraculo, etsi causam ipse non agnosceret.

VI. Confirmat Jansenius suam responsionem ex eo quod hic apud Lucam cap. 1. v. 41. pro *exultavit*, non est idem verbum quod postea cùm Maria dicit v. 47. *Et exultavit spiritus meus in Deo, &c.* ibi enim est *igalliaste*, hic verò *eskirtisten*, quod non significat lætatus est, sed saliit, aut exiliit: Nec obesse quod postea eodem c. 1. Lucæ v. 44. adjicitur quod exultavit *in* seu *præ gaudio*, quod non potuit esse sine cognitione? Nam, inquit Jansenius, Græcè pro *in gaudio* non est *en kara*, sed *en agalliaste*, quod gesticulationem magis significat, quàm gaudium seu lætitiam. Respondeo enim gratis negari quod Baptista cognoverit in utero Salvatorem, & quod ex istâ cognitione præ gaudio exultaverit: unde ad confirmationem dico cum Jansenio, Joannem Baptistam in utero equidem subsiliisse, juxta quod significat verbum Græcum ab ipso interpretatum, verùm tamen subsilitione istâ gaudium suum testatum fuisse, ita ut gaudium ac lætitia de Salvatoris præsentiâ ab eo fuerit ex cognitâ causâ gaudendi & subsiliendi.

Nec

VII. Nec nocet quòd dicit Jansenius Græcum pro *in gaudio* habere *agalliaſſe* quod ſignificat geſticulationem, nam ſignificat quoque gaudium quod geſtiendo & exiliendo ſe prodit : quare cum tale fuerit Sancti Joannis Baptiſtæ gaudium, ideò quod Græcè dicit Jansenius ſonare geſticulationem, Syrus & vulgata reddiderunt gaudium : ut proinde omninò hærendum ſit verſioni noſtræ vulgatæ & ſententiæ tot & tantorum Patrum.

VIII. Confirmatur adhuc evidentiſſimè & ad hominem, nam Janſenius ipſe ibidem obſervat quod cum Maria dicit : *Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*, pro *exultavit* ſit græcè *igalliaſſe*, ſed exultatio quæ fuit in Beatâ Virgine, non fuit geſticulatio ſine cognitione, ergo nec in Divo Joanne Baptiſtâ *igalliagis* derivatum ab eodem verbo, ſed ſignificat lætitiam & gaudium præ quo ſubſilit Joannes. Et optimè quidem, nam ut ait Euſtathius apud Cornelium. Hic *agalliao* dicitur quaſi *agazo*, ideſt admiror vehementer, quod ſupponit cognitionem. Maneat ergo ratum Divum Ioannem Baptiſtam, in utero accepiſſe uſum rationis : quod cum ita ſit, ergo idem de D. Ioſepho indubitatum eſto.

IX. Probatur ſecundò, quia acceleratio rationis videtur debere ſequi ex ſanctificatione in utero : nam cum ut ſupra oſtendimus ſanctificatio in utero ſit propter futuram eminentem ſanctificati ſupra cœteros ſanctitatem & excellentiam, quid ad hoc profuiſſet ſanctificatio in utero amplius quam ſanctificatio extra uterum, niſi uterina conjuncta fuiſſet cum dono utendi ibidem illâ, quod eſt uſus rationis ? ut ſic ex tunc ſanctificatus in utero aptus eſſet mereri & creſcere in gratiâ.

X. Nec valet ſi dicas gratiam uterinam fuiſſe uberiorem quàm fuiſſet extra uterina ex quo uterina eſt à Deo immediatè & extraordinaria, extra uterina verò ab eo mediante Sacramento, & ordinaria : Nam potuiſſet Deus gratiæ ordinariæ Sacramenti, augmentum addere prout fecit multis inſigniter prædeſtinatis, qui mox à cunis dederunt ſigna futuræ ſanctitatis.

XI. Non etiam valet ſi dicas uterinam illam ad aliud fuiſſe utilem, ſi nimirùm contigiſſet ſanctificatum in utero mori. Non, inquam valet, tum quia Deus non dat illam niſi intuitu futuræ ſanctitatis & excellentiæ eximiæ ad quam ſanctificatum prædeſtinavit, ac conſequenter omninò neceſſarium eſt, ut ita ſanctificatus exeat utero & vivat : tùm etiam quia nimis falſum eſt quemquam ſanctificari in utero ex aliâ cauſâ quam propter futuram aliquandò ſanctitatem excellentem : aliàs daretur occaſio dicendi omnes infantes in utero mortuos fuiſſe ibi ſanctificatos ne perirent, quod eſt contra doctrinam totius Eccleſiæ & omninò Pelagianum.

XII. Quod ſi *bonum eſt viro cum portaverit jugum ab adoleſcentiâ ſuâ*, Threnor. cap. 3. verſ. 27. nam proverbium eſt *adoleſcens juxta viam ſuam etiam cum ſenuerit non recedet ab eâ*, Proverb. c. 22. verſ. 6. quantò melius erit D. Ioſepho ſtatim à conceptione ſuâ incœpiſſe atque id quidem tam excellenti modo, cum gratiâ tam copioſâ, & remoto fomite ?

## CAPUT ULTIMUM.

### *Affertur aliud argumentum probans ſimul ſanctificationem in utero & rationis acceleracionem.*

QUÆSTIO non nova eſt quid cauſæ ſit, quod cum virtus ſit ſecundùm naturam rationalem, eaque dulcior & omnibus partibus melior vitio, non omnes tamen illius ſemitas terant ? hujus nodi ſolutio eſt quod homo depravatus eſt per peccatum, eumque appetitus inordinatus antequam ratio expergiſcatur duxit diu extra viam per abrupta ſenſualitatis.

II. Quod ut melius concipias, finge duos ſocios viam eandem peragere habentes : ſi illorum unus ſummo manè ante lucem ſurgens, viam ſuam arripit, alter verò interim dormit uſque ad multam lucem : nonne iſte prior tam multâ viam

viam perficiet antequam alter incipiat, ut illum ab hoc postea attingi sit impossibile ? Eodem modo in nostro casu: Ratio & appetitus duo sunt socii simulque junguntur dum homo generatur, sed appetitus statim viam arripit, & hominem post se abripit in devia vitiorum: nonne enim videmus infantes iracundos, superbos, invidos, &c? *Proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentiâ suâ*, Genes. cap. 8 Interim dum viam iste appetitus peragit, ratio obdormit multis annis, unde antequam evigilet tam multam viam appetitus emensus est, ut sit ferè extra potestatem rationis eum attingere ut cohibeat vel revocet.

III. Sed contrarium omninò D. contigit Josepho, nam in eo summo manè, idest statim à conceptione ratio evigilavit, quæ cum gratiâ quâ tunc donatus fuit, appetitum stitit, viamque tam citò virtutis arripuit ut appetitus semper ipsam sequeretur, nunquam anteiret, unde nunquam ab eo ne vel minimùm quidem extra viam abreptus est, ô quanta fœlicitas!

IV. Probatur hoc assertum ex illo Ecclesiastic. cap. 49 *Nemo natus est in terris ut Ioseph qui natus est homo*, pro cujus intelligentiâ.

V. Nota primò, antiquum Iosephum filium Iacob & Rachel fuisse figuram Sanctissimi & virginei Virginis Sponsi, ita communiter Sancti Patres & Doctores Catholici, & hinc est, meo videri, quod quemadmodum figura, imago, seu statua hominis communi omnium nationum loquendi modo vocatur homo, Leonis Leo, Cæsaris Cæsar, Petri Petrus, uti res ipsa cujus est figura vel imago, ita ille antiquus ex Jacob & Rachele Patriarcha Ioseph, vocatus est eodem vocabulo quo Sanctissimus Christi Pater, cujus figura extitit, & ad quem repræsentandum eum divina providentia præordinavit, vocandus erat quod cum paucis aliis ejusdem figuris in veteri testamento contigerit, ostenditur excellentia hujus in ratione figuræ ad Divum Josephum: unde sequitur quod Scriptura illa, *Nemo natus est in terris ut Ioseph, qui natus est homo*. Dicta sit primò quidem pro Joseph antiquo, præcipuè tamen pro secundo Josepho Virginis Sponso, cum ille tantum figura fuerit hujus.

VI. Nota secundò quod Scriptura semper impleatur aliquo modo excellentiori in figurato quàm in ipsius figurâ, quod quidem per se clarum est, quia figuratum debet habere expressionem & veritatem, figura verò tantùm adumbrationem.

VII. Nota tertiò, hoc potest contingere dupliciter: vel enim Scriptura quæ est de figura & pro figurato, verificatur in figura litteraliter, vel tantùm secùndùm aliquam accomodationem: Si primum, tunc oportet ut Scriptura impleatur in figurato in gradu perfectiori, vel ampliori eo, qui per ipsum sensum litteralem significatur. Si secundum, idest, si Scriptura verificetur tantùm in figura secundùm aliquam accomodationem: tunc illa debet necessariò impleri in figurato in sensu litterali, qui tunc altior erit, quando quidem figura tunc illam tantùm participet in aliquo sensu accomodatitio: sufficietque ad salvandum sensum litteralem illius Scripturæ (qui quantùm fieri potest semper salvandus est) quod sic verificetur in figurato: Cùm enim figura sit propter figuratum, totumque illius esse sit relativum & ad aliud, hoc est ad repræsentandùm & adumbrandum figuratum, satis est quod umbra Scripturæ sit in figurâ & expressio ac veritas in figurato. His prænotatis quæ sunt clara: Veniamus ad rem.

VIII. Quid ergò sibi vult Ecclesiasticus cùm ait: *Nemo natus est in terris ut Ioseph, qui natus est homo*? Nonne homines universi homines nascuntur? nonne omnes cum corpore & animâ rationali (in quo consistit tota ratio formalis seu essentia hominis) prodeunt ex utero matrum in mundum? Non ergò inde laus Josephi antiqui quod homo natus sit essentialiter, cùm inde non fiat quod nemo illi similis natus sit in terris: sic enim omnes nascimur: quare in hoc textu aliud sub nomine *homo* latet, quàm quod homo essentialiter sonat. Quid verò illud?

IX. Respondent D. Gregorius in Moralibus, D. Hieronymus in Michæam, Beda in Genesim, Arnobius in Psalmos

mos, apud noſtrum ex Congregatione Diſcalceatorum P. Eliam à Sanctâ Thereſiâ in Epiſt. Dedic. ad tom. 1. Legationis Eccleſ. Triumph. ad Milit. & alii Interpretes in hunc locum, per *li homo* ibi intelligi Juſtum, ſeu in gratiâ Dei conſtitutum: quia Eccleſiaſtes cap. ait: *Deum time & mandata ejus ſerva, hoc eſt enim omnis homo.* Senſus ergò eſt, nemo natus eſt in terris ut Joſeph qui natus eſt juſtus, & abſque peccato: peccator enim quantumvis appareat homo, non eſt homo juxta illud Pſalm. 48. v. 12. *Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Ratio eſt quia non vultus hominis facit hominem, ſed ratio hominis: at peccator non agit ex ratione ut homo, ſed ex paſſione ut brutum, ut jumentum; non ergo homo, ſed brutum, aut jumentum.

X. Quod etiam intellexit Diogenes Philoſophus, qui accenſâ lucernâ de die, hominem etiam in ipſo foro magnæ Civitatis quæritabat; per hoc indicans hominem æſtimandum, non ex eo quod appâret, ſed per id quod verè eſt: ut verò rectè agnoſci poſſit quid ſit in rei veritate, lucernam eſſe accendendam, quâ ubi latet aſpici poſſit. Ridebant Sapientem illum tanquam fatuum alii, ille alios melius rem intelligens quàm illi: oſtendebantur ab his illi, hominem unum quærenti mille & mille, & ille iis attentè perſpectis ne unum quidem inveniebat, quia nullus vivebat ut homo ex ratione, ſed ut bruta ex paſſione & inclinatione: Ergo peccator non homo quantumvis ex vultu & ſpecie appareat homo.

XI. Reſpondetur ſecundò, Textus Græcus pro *li homo* habet *anir* quod ſignificat virum, hoc eſt hominem perfectum in ratione hominis: hominem, inquam, non tantùm cum principio rationis, ſed etiam cum ejus uſu, ſine quo non differimus à bruto niſi ſecundùm ſpeciem externam. Duplex eſt enim rei perfectio ſecundùm Philoſophos, prima, & ſecunda: prima conſiſtit in ipſius forma, ex quâ ſpeciem ſortitur: ſecunda conſiſtit in ipſius operatione, per quam aliqualiter ſuum finem attingit. Prima hominis perfectio eſt ipſius anima rationalis, per quam eſſentialiter conſtituitur in eſſe hominis: Secunda eſt operatio animæ rationalis ſeu uſus rationis. Ex primâ, dicitur homo ſimpliciter: ex ſecundâ, homo perfectus: Natus eſt igitur ſecundùm hoc Joſeph *Anir*, ideſt homo perfectus & ratione utens.

XII. Sed, inquies, quomodò hoc verum eſt? An ergo Joſeph ille Antiquus ex Jacob & Rachele natus eſt Sanctus & ſine peccato? vel vir ſeu cum uſu rationis, ut poſſit de illo dici quod propter hoc nemo natus ſit ei ſimilis in terris? Nullus Patrum hactenus hoc invenitur dixiſſe. Dicunt ergò hujus Scripturæ litteram verificari in iſto Joſeph antiquo, non abſolutè & ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm aliquam accomodationem, ut dicatur natus Sanctus & homo perfectus, ſeu cum uſu rationis per *Auxeſin*, ſcilicet quia ferè ut natus eſt, fuit vir ſenſu; & quia à puero tantam ſcientiam & ſanctitatem præ ſe tulit, ut etſi à cunis incœpiſſet ſapere & ſemper profeciſſet, vix videretur talem maturitatis & judicii gradum aſſequi potuiſſe: ita Palacio in hunc locum & alii, quæ interpretatio eſt omninò amplectenda.

XIII. Ex hoc porrò manifeſtè ſequitur quod hic intendimus de D. Joſepho Virginis Sponſo. Nam cùm ex notando primò hîc ſit figuratus per iſtum Joſeph ex Jacob ex Rachele: Ex notando verò ſecundò id quod invenitur in figurâ, altiori modo debeat impleri in figurato, quod debet fieri per verificationem Scripturæ in ſenſu litterali in figurato, quando iſto modo non fuit verificatum in figurâ, ut diximus notando tertio, ſequitur omninò, quod cùm littera hujus Textus Eccleſiaſtici non fuerit impleta propriè & ſimpliciter in Joſeph Antiquo, qui fuit figura, ſed tantùm per aliquam accomodationem: neceſſarium ſit quod inveniatur propriè & ſimpliciter impleta in figurato, ſcilicet Divo Joſepho, atque adeò quod hic verè ex utero prodierit Sanctus, & Vir, ideſt, cum uſu rationis.

XIV. Quod ſequeretur etiam ſi quis vellet cum R.^mo P. Egidio Cammarto Ordinis PP. Minimorum S. Franciſci de

Paulâ Generali in Cõmentar. de Rebus gestis S. Eliæ Prophetæ cap. 3. sect. 16. ad finem, hunc Ecclesiastici Textum simpliciter & ad litteram impletum in Joseph ex Jacob & Rachele: quia cùm ex notando secundo id quod invenitur in figurâ debeat impleri in figurato, idque in altiori modo, manifestè sequitur quod si Joseph ex Jacob & Rachele figura nostri Josephi. fuit ex hoc Textu in utero & sanctificatus & usu rationis donatus, oportet nostrum D. Josephum etiam fuisse, idque in gradu longè perfectiori quàm ille, cùm ille fuerit tantùm figura, hic verò figuratum.

XV. Addo pro mantissa finxisse aliquos D. Josephum antequam Virgini Deiparæ nuberet fuisse seniculum, ut castitati castitatisque opinioni in hoc cœlesti conjugio provisum esset: hoc non placet propter rationes Parte 2 Tract. 1. cap. 14 sect. 2. afferendas: Placet aliis magis inter alios P. Antonio Escobari, cùm Beata Virgo tanta esset, multis annis opus habuisse D. Josephum ut se præparare posset, aptumque ac dignum reddere tantæ Virginis conjugio. Dico ergo nostro quem hîc versamus modo, provisum divinitùs: eum, inquam, statim à conceptione sanctificatum, simulque usu rationis donatum, ut sic posset maturius, quàm illi dicunt, & aptius disponi, ut statuto tempore, & congruenti modo, posset Virgini desponsari.

XVI. Ex his porrò tribus Privilegiis tam singularibus D. Josepho per totum Tractatum tam firmiter assertis: Quod scilicet primò fuerit sanctificatus in utero, & quidem quamprimùm à conceptione suâ, atque adeò quod tunc non gratiam tantùm, sed copiosam & eminentè acceperit; quia nimirùm à Deo immediatè sanctificatus, & ob tam eminentem electionem: Secundò, quod tunc etiam acceperit usum rationis, ut posset ex tunc gratiâ istâ uti, mereri & eam augere: Tertiò, quod fomes, qui facit pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum, fuerit in eo seu ligatus, seu extinctus, quanta resultet D. Josephi virginei Virginis Sponsi Sanctitas ex tunc incepta & usque ad senectam sine interruptione producta, ille exprimat qui capere potest.

Potuit Angelus actum virtutis, puta XVII.
amoris Dei super omnia tam intensum producere & de facto produxit, ut unico actu secundùm aliquos, duobus saltem secundùm alios (quia ejus via fuit brevissima) summum illum quem adeptus est, gloriæ apicem meruerit, quia nimirùm actum nobilissimæ virtutis exercuit cum summâ gratiâ, ex totis gratiæ & arbitrii viribus, & sine ullo impedimento. Cùm ergò D. Josephus statim à suâ conceptione cum summâ gratiâ incœperit & ex totis gratiæ viribus, utpote submoto fomite & impedimentis, operatus sit: nec hoc modo agere destiterit usque ad senium, quàm ille excedit Angelos! quantas, Deus immortalis, quàm immensas ille gratiarum & meritorum divitias congessit! tantas certè ut Virgini Sponsæ suæ (cui uti Sponsus quantùm fas fuit assimilari debuit) non quidem parem, sed omninò supparem, illum nemo inficias ibit: adeoque D. Josephus nihil supra se habens, nisi Filium & Sponsam, omnes alios Cœlicolas sub se aspicit.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

SYNOPSIS



# SYNOPSIS MAGNALIUM DIVI IOSEPHI

## PARS SECVNDA.

## JOSEPH PATER JESU.

HÆC secunda Pars ut præcipua Magnalium Divi Josephi, dividitur, ut Prima, secundùm quod præfati sumus in Consilio seu Ideâ hujus Operis, in tres Tractatus: quorum primus, quem nunc aggrediemur, est de eodem sanctissimo Patriarchâ ut est Beatissimæ Virginis Matris IESU Sponsus: Licet enim Tractat. 2. hujus partis cap. 10. dicturi simus non ideò Sanctissimo Patriarchæ istud Patris IESU nomen competere, quod fuerit Sponsus Virginis Deiparæ, sed potius è contra, ideò fuisse in tempore factum Virginis sponsum, quod ab æterno electus fuerit primariò ac directè ut esset Pater IESU: quia tamen non fuisset Pater IESU, nisi prius fuisset Sponsus Virginis Matris IESU: ideò ordo requirit, ut primo eum consideremus ut Sponsum Matris IESU; tum deindè Tractatu secundo ut Patrem IESU; ac demùm Tractatu tertio virtutes quibus ob istam præcipuè qualitatem Patris IESU copiosissimè donatus est.

---

# TRACTATUS PRIMUS.

## Divus Josephus Virginis Deiparæ Sponsus.

MEMINI aliàs me legisse apud Romanorum rerum historiographos, quod quãdo à Romanis inventum fuit Cybelis (quam omnium Deorum Matrem esse existimabant) Idolum, Decreto Senatus sancitum est, ut quo tempore magnificum ei extrueretur templum, ipsum interim idolum probioris totum Reipublicæ viri fidei & custodiæ committe-

retur, & ad hoc ab eodem Senatu electum fuisse Scipionem, qui Cybelem in domum suam asportavit, ac fidelissimè Religiosissimèq; asservavit. Quid sub hoc schemate? Audi: Beatissima *Theotocos*, idest veri ac unici Dei nostri Mater dignissima in cœlum, ubi verum gloriæ ejus templum, aliquando inferenda, non alteri quàm Divo Iosepho à Deo ipse committitur. Eligitur, inquam, ut sit Sponsus, & tamen custos & testis Virginitatis Mariæ veri & unici Dei nostri Matris, omniumque Divorum Reginæ: debuit ergo esse omnium hominum Sanctissimus: atque hoc ipsum est hujus Tractatus argumentum.

## CAPUT PRIMUM.

### *Cur Deus instituit matrimonium?*

I. MATRIMONIUM in suo conceptu duo omninò complectitur, unum implicitè, alterum explicitè: implicitè, dicit conjunctionem viri & fœminæ ad procreationem prolis: explicitè, conjunctionem determinatam talis cum tali: nam cùm homo possit considerari dupliciter, primo modo, secundùm rationem generis, hoc est secundùm rationem animalis, in quâ convenit cum equo, bove, leone, & cæteris bestiis: Secundo modo, secundùm rationem suæ differentiæ, per quam secernitur ab illis, in quantùm scilicet est rationalis: Hinc est quod secundùm quod est animal, habet quod sit generativus ut cætera animalia, & quod inclinetur ad conjunctionem & coitum, quod est illud quod matrimonium dicit implicitè: sed quia ista ratio animalis non eodem modo est in homine, quo in brutis (est enim in homine sub differentiâ rationalitatis, & sic determinata ad rationem) ideò in homine ista inclinatio naturalis ad coitum non est talis qualis est in brutis ex necessitate, sed completur movente ratione & libero arbitrio: Cùm ergo natura non tantùm intendat prolem, sed etiam illius productionem usque ad perfectum statum, qui in homine, quia rationalis est, est status virtutis, ad cujus acquisitionem tempus determinari nequit: hinc est quod ut in illis animalibus, quorum filii indigent utriusque parentis sustentatione & curâ ad aliquod tempus, invenitur determinatio maris ad fœminam à naturâ quantum ad illud tempus, sicut patet in quibusdam avibus: ita in hominibus quia indiget filius curâ parentum, ut perveniat ad perfectum illum suum statum, ad quem requiritur magnum tempus & indeterminabile, maxima debet esse, idest perpetua determinatio masculi ad fœminam, in quâ consistit matrimonium secundùm id quod dicit explicitè.

II. Ergo propositum dubium duo etiam complectitur: Primùm, cur Deus voluerit homines per generationem ex Viro & muliere propagari, & multiplicari, cùm aliter possent, scilicet per creationem ut Angeli? Secundùm, cur voluerit per conjunctionem determinatam, idest talium individuè inter se sociatorum?

III. Et quidem visum est nonnullis quod melius omninò fuisset homines à Deo creari, quàm per matrimonium procreari, ex rationibus sequentibus.

IV. Prima, quia sic major esset & strictior dependentia nostra à Deo, atque ita Amor noster in ipsum major, quia minus divisus, quandoquidem præter ipsum nullum agnosceremus nostri esse, vitæ & cæterorum principium. Equidem ex contrariâ dispositione, quot amabo personis alligamur? & quam illæ nobis intimæ? nonne hinc fit, & heu quam frequenter! quod propterea Dei obliviscamur? & quomodò vir in uxorem, uxor in virum, parentes in filios, filii in parentes distrahuntur? taceo de fratribus, sororibus & aliis.

V. Secunda ratio, quia sic magis assimilaremur Angelis, qui cum nec nubant nec nubantur, non habent nec Patrem nec Matrem: unde quemadmodum illi ab ipso suæ creationis instanti tam perfecti fuerunt, quàm post centum annos existentiæ, quia à Deo sunt, cujus omnipotens actio, est independens ab omni tempore, sic & nos minimè cogeremur per aliquot annos brutescere, & prima vitæ nostræ rudimenta

rudimenta à noſtræ nugis & ineptiis infantiæ auſpicari.

VI. Tertia ratio, non eſſemus illis obnoxii malis tam culpæ quàm pœnæ, non defectibus tam corporis quàm animæ, quos à parentibus hæreditamus. Nullus eſſet culpâ alienâ reus, nullus paternâ contagione amens, epilepticus, leproſus, &c. nullus maternâ impreſſione monſtruoſus, perfidia Patris filio, filiæ non præjudicaret & impudicæ laſcivia Matris, &c. & hæc ſunt præcipua contra inſtitutionem matrimonii, ex parte ejus quod dicit implicitè, machinamenta. Ex parte verò ejus quod dicit explicitè, faciunt contra, tot infauſta matrimonia, quorum mala enumerare ſupersedeo, tum quia illa infinita, tum quia omnibus nota, utpote ſingulis diebus, immò horis omnium ſenſibus ubique ſubjecta.

VII. Sed quamvis hæ rationes aliquid videantur habere apparentiæ, nihilominus cùm Deus ſecùs diſpoſuerit, indubitanter credendum eſt contrarium eſſe omninò verum, ac melius omninò fuiſſe quod homines per matrimonium multiplicarentur, quàm per creationem: ſi enim aliud melius fuiſſet cùm Dei providentia in ſui diſpoſitione non fallatur, illud utique feciſſet: quæ ratio etſi ſola ſuppeteret, nobis ſufficere debet: *Etenim judicia Domini vera juſtificata in ſemetipſa.* Pſalm. 18. verſ. 10. Sunt tamen hujus rei & aliæ rationes, quarum aliquas hîc proponemus, inter quas poſtrema faciet ad intentum noſtrum in hoc Opere, & propter quam movemus hanc diſputationem.

## SECTIO PRIMA.

*Sequuntur rationes aliquæ cur Deus matrimonium inſtituit & per illud propagationem hominum fieri voluit.*

VIII. PRima fundatur in ipsâ rerum naturâ, ſcilicet quia homo ex intrinſecis ſuæ naturæ principiis eſt, ut jam diximus, generativus, quemadmodum Ignis eſt calefactivus, Sol illuminativus, &c. Non debuit ergò ille, vel iſtâ facultate privari, vel facultas iſta in illo eſſe fruſtranea, & fine ac effectu ſuo carere. Deus enim etſi propriæ ſit zelotes gloriæ, non tamen eſt invidus alienæ, quare etſi omnia per ſe facere potuerit tam facilè, ac ſi cum omnibus totius naturæ brachiis, ut ita loquar, operaretur: licet, inquam, potuerit ſine Sole illuminare, ſine igne calefacere, ſine viventibus procreare, &c. noluit tamen, quia æquum fuit ut ſuis ſua ſervaret jura creaturis: æquum, inquam, fuit ut ſicut creaturas ad ſui eſſe participationem admiſerat, ita etiam ad potentiæ admitteret cōmunionem, atque adeò illis ejuſdem participatæ à ſe potentiæ uſum relinqueret: cùm ergo natura humana ex ſe ſit naturaliter fœcunda, propriiſq; ſe poſſit ſuſtētare viribus, non debuit Deus alias adhibere, & hominem illâ gloriâ deſtituere cujus erat capax. Atque hanc in rem facit, quod poſt Adamum à ſe conditum dixit Deus Gen. cap. 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum.* Et conſequenter adjutorium ſimile ſibi ei addidit: Enimverò per hoc oſtendit Deus, ideò hominem ſolum non fuiſſe bonum, quia in ipſo facultas ad generandum partialis & incompleta, fuiſſet inutilis, quæ per ſocietatem mulieris ei additæ perficitur, & fit potens exire in actum.

IX. Ex hoc verò quanta Dei gloria? Nonne enim hinc ejus potentia, bonitas, magnificentia maximè elucet, qui ſcilicet non tantùm per ſe talia potuerit, & voluerit; ſed etiam creaturis ſuis, ut & ipſæ talia poſſent, contulerit? Quale enim eſt illud quod homo, qui aliàs ne muſcam quidem producere poteſt, poteſt tamen ex Dei munere hominem totius naturæ breviarium?

X. Hinc etiam fit quod à magnitudine creaturæ poteſt Creator harum cognoſcibiliter videri: ex hoc enim quod creaturæ infirmæ tanta poſſunt, quæ oculis cernimus, & experimur ſenſibus; colligimus quid poſſit ipſe Deus, qui illis iſtud poſſe contulit, & diſcimus eum infinitè plus quàm illas ſeu timere, ſeu amare.

XI. Quare tantùm abeſt ut exinde amor noſter in Deum minuetur (quod erat

primum oppositæ sententiæ argumentum) quin potiùs multùm juvatur ut crescat: Nam primò cùm homo in se illud Dei donum considerat, quomodo non in tanti benefactoris amorem exardesceret? Secundò, cùm illicium amoris potentissimum sit amor, voluit Deus, ut homo ex seipso intelligeret, quantùm ipse nos amet, ut sic ad ipsum redamandum inflammaremur. Ita Salvianus lib. 4. de Providentiâ. *Ex hoc quoque affectu*, inquit, *quo amare nos fecit pignora nostra, intelligere nos voluit, quantùm ipse nos amet, totum enim genus humanum pignus est Dei Creatoris sui.* Cur verò voluit hoc, nisi ut modo maximè naturali, quemadmodum igne ignem, sic amore suo amorem nostrum suscitaret? Hinc illæ ejus voces per Prophetas suos. *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non miseretur filio uteri sui? sed etsi illa oblita fuerit, ego tamen non oblivisear tui: Ecce in manibus meis descripsi te.* Isaiæ cap. 49. vers. 14. Tertiò, & ipsi liberi amore quo in parentes suos naturâ pungente feruntur, manuducuntur quodammodo, ut intelligant illum quem Deo debent, à quo principaliter sunt: si enim me sentio tam fortiter, tam potenter à naturâ urgeri, ut amem parentes, qui corpus illud, quod mori debet, efformarunt, quos ex hâc consideratione æstus in me accendi non sentiam erga illum, qui vitæ spiritum mihi insufflavit nunquam moriturum?

XII. Ad hæc undè quis certò scire potest an Pater sit, an Mater qui corpus hoc meum ossibus & nervis compegit, an Deus? Certè hoc mihi saltem dicere fas sit, quod si illi qui dicuntur Parentes, essent corporum nostrorum principales opifices, (nam de animâ, quæ pars est nostri potior, certum est illos eam non attingere) non possent ignorare operis sui initium, progressum & perfectionem: scirent an filius futurus sit, an filia quæ matris alvo concluditur: quomodo & quando fœtus proditurus in lucem, &c. omnia tamen ista illis sunt mysteria: Mater uterum gestat, & nescit quid in illo gerit, sæpèque contingit, quod fœtus in eâ sit formatus antequam putet se impræg-

tam. Dicendum igitur manum aliquam potiorem in abdito operari, quæ nervos extendit, ossa indurat, carnem compingit, venas & arterias dividit, sensus fabricat, nempè Dei invisibiliter operantis: Illi ergo non tantùm de animâ tenemur, sed etiam de corpore, & quidem principaliter ne dicam ex toto: quod totum cùm homo cordatus recolit, colligit facilè ex amore quem naturaliter parentibus impendit, illum quem ei debet, à quo omnia habet.

Secunda ratio quare Deus matrimo- XIII.
nium ad hominum propagationem instituit est pulchritudo universi; quæ consistit in ordine, qui nullus fuisset inter homines, si, ut dicitur in argumento secundo pro oppositâ sententiâ, à Deo ut Angeli immediatè fuissent creati. Nam juxta Alensem in textu 16. lib. 5. Metaph. *Ordo est species quædam diversitatis, ideoq; Philosophus ibi agit de modis prioris & posterioris, qui in ratione ordinis continentur.* Et definitur à Divo Augustino lib. 19. de Civit. Dei cap. 13. *Parium disparium q; rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* Vel melius & generalius. *Debita dispositio plurium secundùm prius & posterius.* Ad quem proindè tria requiruntur, ut constat. Primùm, Pluralitas & multitudo rerum. Secundùm, harum comparatio ad aliquod principium certum, sub quo ordinata dicuntur. Tertiùm, diversitas cum aliquâ subordinatione seu ratio prioris & posterioris inter ea ex quibus constat per comparationem ad illud principium. Atqui si omnes homines à Deo immediatè creati fuissent, cùm tunc omnes nascerentur æquales, & nullus quidquam haberet supra alium, nullus ab alio dependeret; nulla consequenter esset diversitas, nullus ordo prioris & posterioris, ac sic esset multitudo hominum sicut acervus lapidum.

Nec est simile de Angelis, tùm quia XIV.
ex D. Thomâ singuli Angeli distinguuntur specie: tùm quia etsi plures essent ejusdem speciei, ac sic æquales inter se ut cohortes in aliquo exercitu, sunt tamen inæquales per respectum ad alios, ac sic benè stat inter illos ordo, idest diversitas cum relatione & comparatione ad unum principium: unde

licet

licet ex contrariâ dispositione esset similitudo inter homines & Angelos quoad modum productionis, esset tamen maxima dissimilitudo in modo essendi, quia inter hos esset ordo non item inter homines.

XV. Tertia ratio, non solùm voluit Deus inter homines naturæ similitudinem, sed adjecit etiam ejusdem sanguinis communionem, ut eos inter se arctiori amoris vinculo colligaret: Nam etsi diversitas omninò necessaria sit in multitudine ad ordinem, illa tamen diversitas si non adsit vinculum, quo inter se conveniant, & sibi invicem uniantur, majorem faceret confusionem: Quare unicum condidit Deus hominem, & ipsum deindè cæterorum constituit proto-parentem, ut ex uno omnes propagati, & eodem (qui per omnium fluit venas) sanguine creti, fraterno sese complectantur amore, atque unum inter se fiant, quemadmodum unum sunt in eo ex quo prodierunt: Hinc D. Augustinus de bono conjugali cap. 1. *Ob hoc ex uno Deus voluit omnes homines condere ut in suâ societate non solâ similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur.*

XVI. Quarta ratio, voluit Deus omnes ex uno propagari, ut sic omnes sibi in illo principio unitos in se summè exaltare posset: si enim Deus omnes immediatè per se creasset, procul dubio non venisset Christus: Cur enim tunc hominem potiùs assumpsisset Deus quàm Angelum? sed etsi venisset, tunc quidem natura illa in individuo unita Verbo fuisset summè elevata; nil tamen indè elevationis cæteris obtigisset, quia cùm tunc non essent omnes ex uno propagati, non essent illius naturæ à Verbo assumptæ, ut nunc consanguinei. Voluit ergò homines ex uno procreari, ut carnem ex eodem & ipse assumpturus, non tantùm homo fieret ut illi, sed etiam illorum frater & consanguineus juxta illud ad Ephes. cap. 5. vers. 3. *Membra sumus de corpore ejus, de carne & de ossibus ejus.* Quàm pium hoc in Deo! quàm magnum & gloriosum pro nobis! sed quàm utile quis edicat? quàm magnum motivum amandi! quàm magnum incentivum benefaciendi, fraternitas!

Hinc suppositâ Scoti sententiâ non improbabili, quod scilicet Verbum hominem assumpsisset, etsi Adam non peccasset; hinc, inquam, fit probabilissimum, quod si post Adæ peccatum carnem in quâ pati posset accepit, hominesque potiùs quàm Angelos redimere voluit, ad id principaliter permotus fuerit, quod incongruum videretur totam illam naturam, quæ ipsi adeò propinqua erat & consanguinea, quam liberare poterat, in damnatione, in quam misere culpâ alienâ lapsa fuerat, relinquere: hinc alia post istud (quod omnium origo est) infinita bona quæ ab eo accepimus, nunquam accepturi sepositâ illâ fraternitate, & sanguinis communicatione. XVII.

Ex quo facilis est responsio ad argumentum tertium oppositæ sententiæ: Nam quod spectat culpam alienam, quâ per generationem seu propagationem ex Adamo rei facti sumus (quod est omnium inconvenientium contra nos adductorum præcipuum,) dico culpam illam non esse malum ipsarum nuptiarum, ut argumentatur D. Augustinus libris duobus de Bono Conjugali, sed inobedientiæ & rebellionis Adæ. Quod si tamen contigit postea quod per viam generationis peccatum Adæ unà cum naturâ propagatum sit, & per illam tanquam per fistulam seu canalem in ejus posteros transfusum, hinc magis mirare sapientissimam Dei providentiam, quæ illud prævidens, non mutando consilium, invenit modum aptè eo utendi: ex eodem enim ipso remedium ipsi malo providit tale, quod malum suâ bonitate longè superaret, Christum scilicet ex ejusdem protoparentis carne propagatum, qui & ipsum peccatum delevit, & majorem gratiam, naturam extollendo, addidit. XVIII.

Quod verò spectat morbos, quos à parentibus hæreditamus, & defectus cum quibus nascimur, præterquam quod sunt tantùm mala pœnæ, & de cœtero materia virtutis, quod ex illorum oppositione bona opposita magis eluceſcant; & quod conferant ad pulchritudinem universi, ut umbræ in picturâ: dico illos abundè compensari per nostram elevationem ad fraternitatem & consanguinitatem Dei. XIX.

SECTIO

## SECTIO II.

### *Ultima hujusce rei ratio ad propositum nostrum.*

XX. QUod Sanctissimi Patriarchæ Josephi Deiparæ Sponsi singularis magnitudo, quam adstruere mihi propositum est in hoc opere, ex matrimonio cum eâdem Deiparâ proveniat, ita pervulgatum est, ut nemo jam inveniatur pius & fidelis, qui non ita sentiat. Cùm enim per illud matrimonium factus sit verus ejusdem Deiparæ Sponsus & Conjux, consequenter nexúque omninò necessario factus est Pater Christi Domini ex suâ Conjuge de tempore sui cum illâ Conjugii, nec ullatenus à se divisâ, concepti & geniti: vel ut melius ac congruentius loquamur, per illud matrimonium executus est Deus voluntatem suam, secundùm quam ab æterno decrevit D. Josephum elevare ad strictam Paternitatem respectu Filii sui: ex quâ Paternitate, summa ejus post Sponsam suam ad eundem Dei Filium Christum Dominum omnium fontem gratiarum copiosissimum propinquitas, & ex hâc earumdem participatio largissima gratiarum.

XXI. Verùm enimverò non illud est quod hîc volo: non enim hîc tantùm contendunt D. Josephum per matrimonium cum Virgine exaltatum, quasi Deus solùm ex præsuppositâ prius in mente suâ matrimonii institutione ansam arripuerit D. Josephum per illud exaltandi ad paternitatem filii sui: hoc enim etsi magnum sit, & hactenùs satis fuerit cæteris D. Josephi Encomiastibus, non tamen mihi & rei veritati: sed præterea aio ipsammet matrimonii institutionem ad multiplicationem generis humani ex hoc à Deo primitùs fuisse volitam, quia voluit per illud, non tantùm extollere totam naturam humanam, & singula hujus individua usque ad fraternitatem, & consanguinitatem cum Deo Incarnato, ut diximus Sectione præcedenti, sed maximè & priùs, quia hac viâ vidit duo ejusdem naturæ humanæ individua, Divam scilicet Virginem Deiparam, & Castissimum ejus Sponsum Divum Josephum posse summo quo poterat & fieri decebat modo, exaltari; illam quidem ad Maternitatem Dei; hunc verò ad ejusdem Paternitatem: ita ut ex hoc quod viderit Deus, si ad multiplicationem hominum instituere ret matrimonium, fore ut & tota natura in singulis individuis posset per Incarnationem Verbi exaltari ad fraternitatem & consanguinitatem cum eo (quomodo non fuisset exaltata si omnes homines creasset, etiamsi tunc hominem assumpsisset) & Virgo evehi usque ad Maternitatem Dei, & Divus Josephus usque ad ejus Paternitatem, motus sit ut vellet potius homines hâc viâ multiplicari, quàm per creationem: & quia Deus pluris fecit exaltationem istius Virginis & istius Viri, quàm cæterorum omnium, idcò dico maximè & priùs Deum voluisse instituere matrimonium ob illorũ exaltationem, Virginis ad Maternitatẽ, & D. Josephi ad Paternitatem, quàm ob cæterorum ad fraternitatem & cõsanguinitatem, quamvis & horum exaltationem per hoc voluerit, & omnia demum ad summam sui nominis gloriam ordinarit, ut proindè dixerim nos aliquo modo duabus illis excellentibus creaturis post Deum debere, quod ad Dei fraternitatem & consanguinitatem evecti sumus, quodque ea dona quæ nobis hujus intuitu propinquitatis divinitus collata sunt acceperimus: cùm ergò bona quæ ex matrimonio proveniunt tanta sint, ut multùm prævaleant omnibus infaustis, ut constat, satisfactum est quarto & ultimo oppositæ sententiæ argumento.

## CAPUT II.

### *De variis Beatissimæ Virginis Sponsis.*

NOMINA Sponsus & Sponsa dicuntur à spondere: Spondere autem secundùm aliquos est quasi sponte dare: secundùm alios sponte dicere, eo quod spondere ex institutione vocis sit idem quod promittere, quod fit non dando, sed

sed dicendo, quamvis futuram respiciat rei promissæ dationem.

II. Quoad rem Sponsus & Sponsa potissimum dicuntur de contrahentibus in ordine ad matrimonium: eoque potiùs nomine contrahentes in hac materiâ exprimuntur quàm alii, quia verbum spondeo, à quo derivantur explicitè, importat spontaneitatem; quæ si in ullo contractu requiritur, id maximè verum est in hoc, ubi contrahentes non de quolibet alio, sed de seipsis alteri tradendis contrahunt.

III. Usus propriusistarum vocum in Jure duplex est, idque secundùm utramque acceptionem prætactam nominis: primò enim sumitur pro illis inter quos est tantùm promissio futuri matrimonii: Secundò, sumitur etiam pro illis inter quos est matrimonium & traditio mutuò facta, ita cap. *Accepisti*, & cap. *tuas*, Extra. *de sponsa duorum*, & cap. *Conjuges* 27. quæst. 2. tum quia tunc maximè sponsus & sponsa se invicem, mutuò & sponte dant: tum quia hæc sponsio in celebratione matrimonii completur, adjectione etiam aliarum sponsionum, quæ ad ejus complementum faciunt, ornatur; qualis est sponsio perpetuæ fidelitatis, societatis, mutuorum obsequiorum, &c. Hisque duobus modis nullus præter Divum Josephum fuit Beatæ Virginis Deiparæ Sponsus; nulli enim alteri fuit vel promissa, vel tradita in matrimonium.

IV. Attamen quia matrimonium quod contrahitur inter virum & fœminam, signum est non tantùm illius unionis quæ est inter Christum & Ecclesiam, quæ est in carne; sed etiam illius quæ est in spiritu inter Deum & animam, ut notavit Hugo de S. Victore tomo 3. lib. de Mariæ Virginit. perpet. cap. 4. circa med. Dico Spiritum Sanctum alio excellentiori & diviniori modo fuisse ipsius Sponsum. Enimverò tunc ei desponsata est, non cùm Virgo esse proposuit, non enim ad desponsationem nisi Virginem admisisset, sed cùm per Virginitatis sponsionem seu votum se ei ita tradidit & addixit, ut nullum præter ipsum Amatorem esset admissura.

V. Porrò hoc spirituale Conjugium tam admirabile extitit, ut in eâ eum habuerit effectum, quod ipsum carnale, quia ex eo à Spiritu Sancto impræg-nata suscepit filium, Christum scilicet Dominum nostrum: Quare hæc sola propriè Spiritus Sancti Sponsa. Ne ergò quidquam timeas, ô Virgo Sacratissima! dum tibi ab Angelo dicitur: *Ecce concipies in utero & paries Filium qui Filius Altissimi vocabitur*, nevè quæras; *Quomodò fiet istud quoniam virum non cognosco? Sanè propter hoc ipsum fiet.* Ex Chrysostomo loquor homil. 49. in Genesim. *Quoniam virum non cognoscis, nam si cognosceres, non fuisses digna habita ut huic Mysterio servires.* Quia verò virum non cognoscis, sed animam & corpus tuum Spiritui Sancto consecrasti & tradidisti, ideò prior ille tuus Sponsus Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, & nascetur ex te qui vocabitur Filius Dei.

VI. Si fortè fuère aliqua conjugia majori cum pompâ, apparatu & solemnitatibus externis, quàm hoc, celebrata; nullum tamen hoc sanctius aut fœlicius: sive enim Conjuges spectes, sive causam, sive effectum Conjugii, quid hoc sanctius? Si Conjuges, quinam Sanctiores Josepho & Mariâ? Si causam? copulantur hi non ut commisceantur corpore, sed ut copulentur Spiritu: Si effectum? ex hoc prodiit Deus homo.

VII. Sponsos ergò duos simul & semel habuit Beatissima Virgo, unum è cœlo, è terrâ alterum: è cœlo Sanctum habuit Spiritum: è terrâ D. Josephum: & quidem quisque illorum in eo, quod in ipsâ operatum est, divinissimo Incarnationis mysterio suum habuit locum, quia enim in Conjugio duo sunt, Sacramentum Conjugii, & Sacramentum Conjugalis officii, seu quod idem est, Conjugium, & Conjugii officium, quorum primum est in fœdere dilectionis, secundum in productione prolis: hinc ut cuique illorum suum jus servaretur, illa duo inter eos ita divisa sunt, ut D. Josephus Virginem Sponsam possederit in fœdere dilectionis, in quo stat conjugii Sacramentum:

Spiritus sanctus verò in eâ filium altissimi produxerit, in quo stat conjugii officium.

VIII. Quare velut puella inquit noster Christophorus Avendano serm. de Sancto Joseph, quæ duos habet Amasios quorum alter est dives, alter tenuis; sæpè depilat opulentiorem, ut habeat quod det pauperi: ita Beatissima Virgo Deipara cum duos prædictos sponsos haberet sui amantissimos, quidquid à Spiritu Sancto habere potuit, ejus participem fecit Divum Josephum. Quid autem Beata Virgo à Spiritu Sancto non accepit? quantùm potuit ille? quantùm merebatur ista? Cùm ergo tanta acceperit, quid non contulit huic prædilectissimo sponso suo? In eo sensu dicebat D. Bonaventura in speculo. *Cùm ea quæ sunt uxoris sint & viri, ideò purissima Virgo totum thesaurum sui cordis, quantùm Joseph capere poterat, ei libentissimè effundebat.*

IX. His duobus purissimis purissimæ Virginis Deiparæ sponsis primariis non possum quin subnectam alios, qui & ipsi ejusdem purissimæ Virginis sponsi dicti sunt per aliquam similitudinem & analogiam: quemadmodum enim Christus Dominus nonnullas selectas Virgines post Matrem suam plus cæteris adamavit, atque in istius singularis signũ amoris aliquo sensibili signo, puta annulo, ciclade, torque, sive monili, eas sibi æterno fœdere copulavit, ut S. Agnetem, S. Catharinam Martyrem, S. Catharinam Ordinis Prædicatorum, S. Theresiam, & S. Mariam Magdalenam de Pazzi utramque Ordinis nostri, quarum ultimam adhibitis duobus testibus è cœlo, sancto scilicet Patre Augustino, & præfatâ Sancta Catharina Senensi annulo in ejus digitum illato desponsavit, cui deinde cor proprium contradidit, & stigmata sua impressit, ex ejus vitâ à Patre nostro Leone conscriptâ & aliis: ita idem privilegium suæ Sanctissimæ Matri communicatum esse voluit, ut scilicet aliquos sibi singulariter devotos simili ratione sibi desponsare posset in signum specialis amoris.

X. Ex illis fuêre plures, inter quos fuit S. Robertus primus Pater & Abbas Monasterii, & Ordinis Cistercienſis apud Surium ad 29. Aprilis: Beatus Alanus Ordinis Prædicatorum ab eâ electus ut collapsam Sacri Rosarii devotionem restitueret, quod & fecit apud Michaëlem Insulanum, Quodlibeto de Rosario, & Carthagenam tom. 4. & alii quàm plurimi.

Sed in his maximè enituit S. Hermã- XI.
nus Candidi Ordinis Præmonstratensis Canonicus & Religiosus, inde deinceps dictus Josephus: de quo Surius ad septimam Aprilis, & Author vitæ ejus cap. 22. & 23. hic Hermannus erat in Steinveldensi Monasterio non degener Divi Patris Norberti filius, Virginis cultor eximius, eximiusque amator & admirator: nihil eo castius, purius nihil: Placebat Dominæ servus, non jam servus, sed sponsus ei per Angelum Paranymphum, annuente cœlo, traditus: Quâdam ergo nocte apparens ei purissima Virgo, è duobus, Angelis, qui ei tunc aderant unus, dexteram Hermanni apprehendens, & Beatæ Virginis manui innectens, his eum illi despondit verbis. Hermanne, inquit, ecce hanc Virginem, eam tibi trado in sponsam, quæ olim fuit desponsata Joseph, ut nomen sponsi pariter cum sponsâ accipias, ac de cætero non aliter quàm Joseph voceris: & exinde non tantùm Joseph vocatus, sed insuper ei à Beatissimâ & Sacratissimâ Virgine jam sponsâ suâ sæpiculè concessus, & datus ad manus infantulus Jesus, ut eum Josephi more, Joseph jam factus, in ulnis deportaret, ac in gremio fovens in ejus amores totus exardesceret.

Hos si assequi non detur, licebit ta- XII.
men sequi alios, qui cum has Cœli blanditias sibi promittere non auderent, seque indignos existimarent, quibus similia concederentur, eam ipsi in sponsam spretis aliis terrenis delegerunt. In illis unus fuit Sanctus Eadmundus Cantuariensis in Angliâ Archiepiscopus apud Surium ad 16. Novembris.

Hic adolescens, hujus purissimæ XIII.
Virginis, ac sanctæ virginitatis captus amoribus, coram ipsius imagine prostratus, ei se devotissimè commendans & Deo castitatem vovens, eam sibi sponsam deligit, & ut hoc fœdus stabile

bile sit, novo modo eam annulo suo, quem eam ob causam præparaverat, sibi despondet, eumque annulum ejusdem imaginis digito infigit, in quo etiam erat inscripta Angelica salutatio. Atque ex eo tempore quoties Beatæ Virginis Mariæ expetiit opem, toties eam sensit: habuitque & ipse in digito suo alium priori similem annulum, cui itidem cunctis admirantibus Angelica salutatio insculpta erat, ut Beatissima Virgo ipsum suum sponsum & habere, & agnoscere dignaretur, cum quo cum sepultus fuisset, à quodam Abbate ablatus est, quo & plurima miracula patrata sunt.

XIV. Præteritis aliis quàmplurimis, adhuc unum accipe ex Vincentio Bellovacensi lib. 7. spec. cap 87. apud Henricum Engelgrave Cœlestis Panthcon part. 1. in Festo S. Josephi § 1. Adolescens cum inter suos prope Ædiculam Marianam in suburbio sitam pilâ lusitaret, paulò quàm cæteri tersior delicatiorque, cùm pilam semel iterumque non male redditam repulisset, sensit ab eo repercussu manū insordescere: ac fortè annulum in digito gestabat, quem auro faberrimè factum, & palâ gemmaque venustum à nescio quâ Parthenope incautus acceperat, eoque impensè charum, ne quâ in ludo rumperet, aut certè cum manu reliquâ macularet, vel excuteret, decrevit exuere, subiitque in sacello latebras quærere: quo dum è turba ludoque se proripit, conspicit in arâ virginis insigne, in cujus complexu divinissimus infans hiantibus labellis suavissimè renidens: Ergo adolescens dum inter manus gemmantem annulum versat creber rotatque, videt opportunè digitum indicem in Virginis effigie præter cæteros arrectum ita rigère, ut videretur ejus articulis gemmâ percommodè inseri posse, & in hoc ostentari. Ille hîc jam sui, & ludi, & sociorum oblitus, ab imaginis aspectu paulatim ad cœlestia meditanda abreptus, cœpit ibidem in genua procumbere, & alias curas de aliis amoribus versare. Equidem sic ipse secum: quem amo annulum? cui rei circumfero amens? & ne inquinetur hic, aut deperdatur, tam caute asservo, nisi ut vanâ me pulchritudine vanus ipse delectem. Nempe donum id puellæ est, & puellæ cujus? mecum utique, aut etiam ante me brevi morituræ: Quid si carnales nuptias cœlestibus commutem? & omnium Virginum speciosissimæ me Virginem hoc annulo desponsem?

*Dixit, & aspectæ miratus imaginis ora,*
*Hæc, ait, hæc auro est digna puella meo.*

Simul annulum sibi detractum expedit, eoque extentum Virginis digitum gaudens induit, nec annulum dumtaxat suum commendat, sed se quoque totum in custodiam ei clientelamque tradit.

Id autem donum Virgini gratum accidisse, eventus ostendit duplex. Primus, vix enim digito Virginis annulum indiderat, cùm ecce primores manus articulos cœpit paulatim imago velut adductis nervis contrahere, digitoque introrsum reflexo annulum acceptum sic includere, ut nisi vis fieret, indexque rumperetur, elabi manu, eximique porrò nequiret. Quod insigne spectaculum ut oculos adolescentis insperatò rapuit, facilè persuasit, ut in animum induceret donum Virgini placuisse. Igitur nihil ultra cunctandum ratus, hanc sibi Sponsam præ omnibus mortalibus formâ ac gratiâ longè excellentissimam acceptat, annulumque suum in æternum consignat, XV.

——*Serva aurum, ait, optima serva:*
*Pulchrior in digitis sit mea gemma tuis.*

quæ ipsa si prius gemma non fuisset, jam certè contactu tuo fieret.

Secundus eventus est ille quem addit P. Tossanus Bridoul Jesuita libro Gallicè conscripto, cui titulus *Triomphe Annuel de N. Dame*, (non enim Vincentium Bellovacensem primum hujus Historiæ Authorem habeo ad manum) quod scilicet ut lubrica est & versatilis voluntas humana, abinde mundo & diabolo ludificante prioris propositi oblitus, aliam partem accepit: Sed ipsâ nuptiarum nocte Virgo, cui se ut præfertur priùs tradiderat, ei apparens scisciatur quid ipsi in se displicuisset, quod ad eam spernendam & deserendam induxisset: quâ reprehensione totus in se confusus, & ad mentem reversus, eâ ipsâ nocte adinstar Sancti XVI.

Alexii clam se surripuit, ut fidem prius Virgini Deiparæ reposcenti datam servaret.

XVII. Horum exemplo vos qui hæc legitis, & adhuc liberi estis, proficite: liberi autem estis non tantùm quamdiu necdum de nuptiis cogitastis, sed etsi alteri mortali fidem fortè dederitis. Cogitate seriò & vobiscum ipsi perpendite antequam quidquam in re tam gravi agatis, quid vobis magis expediat: an non vobis melius futurum sit, si spretis carnalibus illis nuptiis, in quibus (quod de fide est) tribulationem inventuri estis, utinam non æternam, vos vestraque omnia, corpus & animam, affectus & amores omnes in Deum transferatis: quod si hoc arrideat, vos ô viri! Mariam exemplo Josephi Sponsam accipite: & vos ô virgines! exemplo Mariæ Josepho desponsari ne timete, utrique virginitatem vestram commendate, Viri Mariæ Virginum Reginæ & Protectrici: Virgines Josepho, cujus fidei & custodiæ Virgo Virginum commissa est. Utrumque annulo isto, quem nuptiis transituris fortè parastis, aut parare possetis, vobis despondete: cum eis spirituales nuptias agite, à Deo mille benedictionibus, utriusque intuitu & meritis cumulandas, & demùm æternâ beatitate coronandas.

## CAPUT III.

### *An Divus Josephus ante Beatam Virginem alias duxerat uxores? an verò Virgo fuerit quando ei nupsit?*

I. ANTIQUA est admodum hæc quæstio, & habuit suos olim utraque pars, affirmans & negans, fautores & assertores. Ita porrò quantùm quidem reor hâc in re primitùs discrepatum est quod cùm in antiquâ Lege non vellet Deus, nec etiam oporteret ordinariè homines esse castos, idest sine conjugio, constaretque Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moysem, Samuelem, & cæteros istius legis Patres & Prophetas, perfectionem animi etiam in matrimonio attigisse, non existimarunt tantopere curandum an Virgo extiterit, vel Viduus D. Josephus, quem sub antiquâ sciebant fuisse lege natum, quandoquidem omnimodam perfectionem in conjugio juxta illius temporis exigentiam assequi potuerit.

II. Verumtamen quia omninò certum est Divum Josephum licet natum sub antiquâ lege, ad novam perveniisse, imò ad Incarnationis mysterium (quod legis gratiæ uterus est) contribuisse, ac propterea ad ordinem unionis hypostaticæ evectum fuisse, Continentiam quoque virginalem Conjugali semper, etiam tempore legis antiquæ prævaluisse; hinc est quod difficultas hæc semper majori indagine digna fuerit: quæ initio non fuit adhibita, quia tunc omnium intentio in aliis magis necessariis seu ad fidem tunc novellam plantandam seu jam radices agentem, ab hæresibus defendendam, occupata erat: & ideò eam postmodum Patres & Doctores diligentius examinarunt, ex quorum sententiâ quid hâc in re sentiendum sit determinabimus.

## SECTIO PRIMA.

### *Innuptum eò usque fuisse probatur.*

III. BIgâmum qui dixerunt atque ex priore uxore plures suscepisse proles recensentur à Cardinali Baronio in Apparatu ad Annales cap. 46. Ex Græcis, D. Hippolytus Portuensis apud Niceph. lib. 2. cap. 3. D. Epiphanius hæres. 28. 51. & 78. & in Ancorato Euseb. histor. lib. 1. D. Gregorius Nyssen. homil. de Resurrect. Christi. D. Chrysostomus homil. de Annuntiat. Virg. Theophylactus in Matth. cap. 27. Euthymius in Matth. cap. 2. Et ex Latinis D. Hilarius in Matth. can. 1. & D. Ambrosius in epist. ad Galat. cap. 1. in fine.

IV. Duplex fuit hujus Sententiæ verius erroris fundamentum, primùm traditio quædam Hæbreorum sumptâ occasione ex Evangelio sub nomine Petri, & altero sub nomine Jacob, quæ olim

olim circumferebantur. Ita Origenes in Matth. cap. 13. ubi sic ille : *Fratres autem IESV putabant nonnulli esse (ex traditione Hebræorum sumptâ occasione ex Evangelio, quod titulum habet juxta Petrum, aut ex libro Iacobi) filios Ioseph ex priore uxore, quæ convixerat ipsi antequam duceret Mariam.* Ex hoc fonte Hippolytus Portuensis citatus potus est, qui ait: *Ioseph ex uxore suâ Salome, genuit quatuor masculos, Iacobum, Simonem, Iudam, & Ioseph: duas itidem & fœminas, Esther, & Thamar.*

V. Secundum fundamentum sumitur ex veris Evangeliis Matthæi & Marci, ubi fit mentio fratrum & sororum Domini: Cùm enim evidenter omnibus constaret, illos quos præmemorati Evangelistæ vocant fratres & sorores Domini, non esse tales ex Beatâ Virgine, interpretati sunt illi eos esse tales, per D. Josephum ex aliâ priori uxore. Atque ex hoc fonte Divus Epiphanius Hæres. 78. quæ est adversus Antidicomaritas, asseruit idem, quod Hyppolytus ex priore hauserat: ait enim, *Habuit hic Ioseph primam suam uxorem ex Tribu Iudâ, & peperit hæc ipsi liberos numero sex, quatuor masculos & duas femellas, quemadmodum Evangelium secundùm Matthæum, & secundùm Marcum declaraverunt*: non quod Matthæus aut Marcus dicant Joseph habuisse illam priorem uxorem, & ex eâ sex illas proles; sed quia existimavit Epiphanius cum aliis, eos quos fratres vel sorores Domini Evangelistæ illi nominant, esse ex Joseph & primâ, quàm putat habuisse uxore, progenitos.

VI. Sed seipsâ cadit tam ruinosis superædificata fundamentis opinio: ut non mirum videri debeat quod notavit citatus Baronius; cæteros Patres Latinos Orthodoxos, qui post D. Hieronymum & Augustinum vixerunt ei valedixisse, adeò ut Beatus Cardinalis Petrus Damianus suorum temporum scriptor nobilissimus epist. 11. cap. 4. ad Nicolaum Romanum Pontificem dicat magnâ fiduciâ, *Ecclesiæ fidem in eo esse, ut non modò Deipara, verùm etiam putativus Pater atque nutritius Virgo habeatur.*

VII. Refellitur ergo error ille à fundamentis quibus innititur: ac primùm quidem, quia ut ante nos notavit D. Hieronymus illius impugnator acerrimus & primarius in Matth. cap. 12. in fine, & constat etiam ex Origene citato, ex Cœnoso fonte Pseudo-Evangeliorum Petri & Jacobi minoris hausti est; quæ Evangelia ut adulterina, Ecclesia damnavit semper: nam illa non à Petro, aut Jacobo scripta, sed à Leucio quodam, seu Seleucio Hæretico fuisse, conficta comprobata sunt, & testatur Innocentius Papa epist. 3. ad Exuperium cap. 7. de quibus Gelasius Pontifex in Concilio Romano tit. de Script. Apocriph. pronunciavit, *Evangelium nomine Petri apocriphum, Evangelium Iacobi minoris apocriphum*: Quin etiam ipsi Centuriatores Magdeburgenses licet Hæterodoxi Centur. 1. lib. 1. cap. 10. admonent fabulosum videri Jacobi Protevangelion, ubi Ioseph viduum fuisse, ac plures habuisse liberos, antequam Maria ei desponsaretur, exponitur.

VIII. Secundum fundamentum penitus suffodit & subvertit observatio verissima ejusdem D. Hieronymi ibidem: sed maximè lib. adversus spurcissimum Heluid. hæreticum paulò ante finem, ubi observat ex Scripturâ sactâ quatuor modis aliquem dici alterius fratrem: scilicet naturâ, gente, affectu, & Cognatione. Naturâ dicuntur fratres, qui eisdem Patre & Matre, vel saltem illorum alterutro geniti, ut Esau & Jacob, ut Ruben & Joseph: gente, quomodò Judæi inter se fratres vocati sunt, ut Deuteron. cap. 15. vers. 7. *Si unus de fratribus tuis qui moratur intra portas Civitatis tuæ ad paupertatem devenerit, non obdurabis cor tuum*, & vers. 12. *cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus aut Hebræa, & sex annis servierit tibi in septimo anno dimittes eum liberum*, & c. 17. ubi decernitur de Rege eligendo, *constitues eum*, inquit Deus, *Regem, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum*: & Apostolus ad Rom cap. 9. vers. 3. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, cognatis secundùm carnem, qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, &c.* Dicuntur tertiò, fratres affectu, primò

spiritualiter, quomodò Christiani in Christo fratres dicuntur, quomodò Religiosi unius Ordinis: hinc illud, *Ecce quàm bonum & quam jucundum habitare fratres in unum*, & istud, *narrabo nomen tuum fratribus meis.* Secundò, etiam carnaliter, quomodo omnes homines fratres dici possunt, quia omnes uno proto-parente procreati, pari inter nos affectu conjungi convenit. Hinc illud *dicite his qui oderunt vos, fratres nostri estis*: tandem cognatione dicuntur fratres, qui sunt de unâ familiâ; cùm ex uno stipite non nimis remoto multa generis turba diffunditur. Sic Loth (quem filium fuisse Aram fratris Abrahæ constat ex Genes. cap. 11. v. 27. & 28. *Thare genuit Abraham, Nachor, & Aran: Porrò Aran genuit Loth,*) dicitur Genes. cap 13. vers. 8. frater Abrahæ: Laban frater Rebeccæ Matris Jacob Genes. cap. 28. v. 2. frater appellatur Jacob Genes. cap. 29. v. 15. imò morem fuisse apud Palestinos, ut omnes cognati fratres dicerentur notant Thomas Anglicus in Genes. cap. 24. vers. 37. & Canus de locis Theolog. lib. 11. cap. 5. apud nostrum Sylveyram in Evang. tom. 3. lib. 5. c. 25. expos. 1. num. 2.

IX. Itaque Jacobus & Joseph, Simon & Judas à Matthæo & Marco fratres dicuntur, non naturâ, quod fuerint eâdem Matre Mariâ, vel eodem Patre Josepho geniti, non etiam quod solùm fuerint gente fratres, quia absurdum est, inquit D. Hieronymus, quod illi pauci ex Judæis vocati fuissent hoc modo fratres, cùm omnes Judæi hâc ratione fuerint tales; non etiam solùm affectu, cùm sic spiritualiter omnes Apostoli, carnaliter omnes homines fuerint ejus fratres, restat ergo ut fuerint cognatione.

X. Nec mirum quod sacri Evangelistæ fratres dixerint illos, qui ejus cognati erant, seu consobrini, cùm eos ex vulgi more tunc locutos pateat, vel quia referunt ipsissima verba vulgi ut Matthæi cap. 13. vers. 55. vel quia eò tendunt ut referant interpellationem alicujus è vulgo, qui Christo adhuc ad turbas loquenti in Synagogâ nunciavit, *Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te alloqui*, Matth. c. 12. Marci cap. 3. & Luc. cap. 8.

Refellitur tertiò, hâc efficacissimâ XI.
& evidentissimâ Cardinalis Baronii demonstratione: quia usitata est in divinis scripturis consuetudo, ut nomini proprio filii nomen etiam proprium Patris subjungatur: sic Jacobus dicitur Jacobus Zebedæi, sic Petrus Simon dicitur Simon Ioannis: ex quâ regulâ mille exemplis in Scripturâ roboratâ, inferendum omninò, quod qui dicuntur fratres Domini in Evangelio Matthæi, & Marci, & alibi, qui & per nomina sua propria recensentur, scilicet Jacobus, & Joseph, Simon, & Judas, qui & Thadæus, non alium habuerunt Patrem, quàm eum cujus esse dicuntur. Cùm ergò Jacobus qui Matthæi cap. 13. vers. 55. & Marci cap. 6. vers. 3. inter Fratres Domini recensetur, idem Matthæi cap. 10. & Marci cap. 3. & Luc. cap. 6. & Actor. cap. 1. Jacobus Alphæi dicatur, eum utique alio Patre quàm Alphæo genitum non est credendum: Similiter Joseph ille qui dictis locis Matthæi & Marci inter Fratres Domini numeratur, idem Matthæi cap. 27. vers. 56. & Marci cap. 15. vers. 40. dicitur cum præfato Jacobo filius Mariæ illius, quæ fuit una ex illis mulieribus quæ sequebantur Dominum à longè: Ergò nec hic filius D. Josephi: aliàs cum illa viveret tempore Passionis, sequeretur D. Josephum eodem tempore duas habuisse uxores, nempe hanc Mariam Matrem Jacobi & Joseph, & Sanctissimam Dei Genitricem, quod vel cogitare impium: Tandem Judas, aliàs Thadæus, qui ex quatuor fratribus Christi apud Matthæum & Marcum recensitis unus est Luc. c. 6. vers. 16. & Actor. cap. 1. vers. 13. vocatur Judas Jacobi, ergo nec hic ex præfatâ regulâ Josephi filius sed Jacobi.

Restat de quarto dicamus scilicet Si- XII.
mone: Duos invenio hujus nominis, unum qui dictus est Simon Zelotes Christi Apostolus, alter qui aliter Simeon dictus est, Jacobo in Sede Hierosolymitanâ subrogatus Episcopus: Quis verò illorum duorum veniat sub nomine Fratris Domini intelligendus apud Matthæum & Marcum, non constat ex Evangelio, nec etiam liquet per Evangelium quo uterque sit Patre genitus.

nitus. Quare Ecclesiasticæ Historiæ fidei est standum.

XIII. Si ergo Simonem Zelotem fuisse contenderis, Hegesippus Apostolorum temporibus proximus, & Author fidelissimus, dicit hunc fuisse filium Alphæi & Mariæ Cleophæ; atque adeò Jacobi præmemorati fratrem germanum: Sin verò volueris fuisse Simeonem in Episcopatu Jerosolymitano Jacobo suffectum, patet ex Eusebio lib. 3. Histor. Eccles. cap. 26. quem sequitur Breviarium Romanum ad 18. Februarii, & Baronius ad annum Christi 68. fuisse filium Cleophæ fratris S. Josephi. Vide à nobis dicta superius Part. 1. Tract. 2. cap. 14. sect. 2. num. 38. 39. 40. 46. 47. & 48.

XIV. Refellitur quartò & iterùm efficacissimè ex fine hujus matrimonii Divi Josephi cum Virgine: Cùm enim Divus Josephus fuerit principaliter à Deo Sponsus & Conjux Virgini delectus & datus, ut illius & ex eâ nascituræ prolis totam curam susciperet, eam & Matrem aleret, in Ægyptum deportaret, cum eis ibi aliquot annis maneret, &c. quomodo apta fuisset illius ad hoc ministerium electio, si proles illæ ejus fuissent ex altero conjugio? An enim illarum tunc pupillorum, ac sic maximè ejus ope indigentium (erant enim tunc illæ infimæ ætatis) curam Deus abdicari voluisset, & eum ab illis quibus tam necessarius erat avelli, ut sibi provisum esset? An sollicitus fuit Christus, vel docuit unquam sua commoda quærere cum alterius dispendio & incommodo tanto? maximè cùm facilis illi esset alius modus magis connaturalis sibi providendi, scilicet eligendo sibi Patrem & Tutorem Virginem & Cælibem, eique illam virtutem inspirando & infundendo? Enimverò minimè conveniebat juxta ea quæ dicit Apostolus 1. Corinth. cap. 7. D. Josephum filiorum sollicitudine divisum esse, qui Domini Matrisque ejus inter pericula persequentium & itinerum totus esse debebat: quin etiam indignum erat viro non virgini Virginem tantam, immaculatumque ejus filium tradi: omninò verò decebat virginitatis lilium eum cum Deiparâ Conjuge suâ existere, ut qui inter lilia pascitur, & de utero virgineo nasceretur, & in sinibus virgineis portaretur & nutriretur.

Et quomodo homini non virgini XV.
Deus Virginem pubescentem ex quâ carnem susceperus erat tradidisset, qui factus homo, & ex hoc mundo migraturus ad Patrem, eandem jam senescentem nonnisi Virgini commendare voluit.

*Corrupto nunquid fuerat sociauda puella*
*Quæ grandæva fuit soli commissa loãni?*

Inquit Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis in suâ Josephinâ.

Tandem cùm Christus ita amet vir- XVI.
ginitatem, cum illius ipse extiterit seminator, cùm eam tot aliis contulerit; quomodò eam non dedisset illi, quem elegerat in Patrem suum, in Sponsum Matris suæ, quæ est Virgo Virginum, & cum quâ tot annis usque ad mortem convicturus erat?

Post hæc argumenta ad hunc tam XVII.
manifestum errorem refellendum congesta, quamvis certum sit nihil amplius desiderari posse; addo tamen & hoc minimè contemnendum, quod Christus Dominus filius utriusque, Virginis, inquam, & Divi Josephi, annexurus erat bigamiæ nonnullam infamiam, ob quam Apostolus 1. ad Timoth. cap. 3. Bigamos à Sacerdotio removendos pronuntiat, & removentur ab Ecclesiâ ex his causis: Primò, quod præstantia & dignitas hujus Sacramenti Ordinis id meretur, cap. *una*, dist. 26. Secundò, quia bigamia est signum incontinentiæ, cap. *proposuisti*, distinct. 82. quæ à statu Clericali planè remota & aliena esse debet. Tertiò, quia ad castitatem persuadendam inidonea, dict. cap. *una*. Si ergò bigamia defectus legalis est, & tantus, ut ea propter Apostolus & Ecclesia judicaverit bigamos esse ab Ordinibus Sacris arcendos, & declaraverit irregulares. Quis non videt Christi Domini parentes dedecere? & ideò ab illis omninò amovendam? Non ergò Diva Virgo Noverca, non D. Josephus Pater Christi futurus & eum aliquando tam familiariter amplexurus, gestaturus, osculaturus, bigamus: nec si fuisset talis unquam Divæ Virgini, à quâ vel ipsa incontinentiæ umbra amovenda cõjungendus.

Hinc

XVIII. Hinc Beatus Petrus Damianus epist. 11. mox adhuc citatâ ad Nicolaum Rómanum Pontificem. *Nunquid ignoras Dei filium adeò carnis elegisse munditiam, ut ne de pudicitiâ quidem conjugali, sed de clausulâ potiùs incarnatus sit Virginali? Et ne hoc sufficere videatur ut tantummodo Virgo sit Mater, Ecclesiæ fides est, ut Virgo fuerit, & is qui simulatus est Pater.*

XIX. Atque hinc ita ad mores formandos argumentatur idem Sanctus Cardinalis. *Si igitur*, inquit, *Redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modò de virgineo utero nasceretur, sed etiam à virgineo Nutricio tractaretur, & hoc cum adhuc puerulus vagiret in cunis: à quibus nunc obsecro tractari vult corpus suum, cùm jam immensus regnat in cœlis? Si mundis attingi manibus volebat in præsepio positus, quantam corpori suo nunc vult adesse munditiam jam in Paternæ Majestatis gloriâ sublimatus?* Magnum magni Patris documentum, primò pro Sacerdotibus, qui divina illa Mysteria quotidie attrectant: Cui assuo quod ore verè aureo D. Chrysostomus homil. 61. ad populum Antiochenum. *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum hanc carnem dividentem? os quod igne spirituali repletur, linguam quæ tremendo nimis sanguine rubet?* Secundò, magnum quoque pro maritatis documentum, ut quando ad hæc Sacramenta accedere volunt, studeant non animi tantùm puritate, sed etiam corporis munditiâ nitere, abstinentes saltem eo die quo communicaturi sunt ab omni opere carnis. Si enim David & pueri ejus, ut panem sanctificatum in veteri lege, qui tantùm hujus Sacramenti umbra erat, comedere possent, mundi esse debuerunt, maximè à mulieribus 1. Reg. cap. 21. An tu mi Christiane pollutus? an à sordibus ad hanc munditiam accedes? Si ex Apostoli consilio 1. Corinth. cap. 7. Orationi vacaturus, ad tempus à commercio isto carnali abstinere debet, quantò magis quando ad Sacrosancta illa Mysteria accedere intendit? quo die quis dubitat quod ferventius & diutius orandum? Pascitur Christus inter lilia, inquit Sponsa Cantic. cap. 2. num. 16. *Ideſt*, inquit Rupertus in illum locum, *inter Mariam & Ioseph; at nunc pascit lilia, quia suo corpore & sanguine eos nutrit qui puritatis candore lilia imitantur.*

## SECTIO II.

### *Non Innuptum tantùm, sed etiam Virginem tunc fuisse D. Josephum probatur.*

DIvus Hieronymus epistolâ 22. ad Eustochium de Custodiâ Virginitatis. *Statim*, inquit, *ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, ut qui ab Angelis adorabatur in cœlis, haberet & Angelos in terris.* Mariam primò & Joseph, qui verè fuerunt Angeli, non naturâ, sed professione, non conditione sed virtute; scilicet propter virginitatem quam colebant. Nam ut D. Cyprianus tract. de Habit. Virgin. Virginibus ait, *Cùm castæ perseveratis ac virgines, Angelis Dei estis æquales.* Imò quod pace tuâ, ô Angele! dixerim, etiam te superiores, ex hoc quod docente D. Petro Chrysologo serm. 143. *Angelicam gloriam acquirere, majus est quàm habere, esse Angelum fœlicitatis est, Virginem esse virtutis; Virginitas enim hoc obtinet labore, quod habet Angelus à naturâ.* XI.

Hujus gloria virtutis nimia est, & noster ad D. Josephum purissimæ Virginis Sponsum charissimum, & immaculati Agni Patrem prædilectum affectus nimis pronus, ut illam ab ejus Coronâ detrahi patiamur: illam ergo ei adstruimus, primò ex cõmuni SS. Patrum à temporibus SS. Augustini & Hieronymi sententiâ tantâ concordia, ut Beatus Cardinalis Petrus Damianus sui temporis Scriptor nobilissimus, qui florebat sæculo undecimo epist. 11. cap. 4. scribens ad Nicolaum Romanum Pontificem, ex tunc magnâ fiduciâ affirmet fuisse Ecclesiæ fidem, quod non tantùm Deipara, sed etiam ille qui à Judæis Pater ejus putatus est, fuerit Virgo. Vide ipsius verba hîc supra num. 18. XII.

Cùm ergo docente D. Augustino epist. 18. *Quod universa tenet Ecclesia disputare* XXII

*disputare an ita sit, impudentissima sit insaniæ.* Hæc Sanctorum Patrum & Ecclesiæ concordia omnibus cordatis sufficere debet: sed quia monente Divo Petro Apostolo epist. 1. cap. 3. *Parati semper esse debemus ad satisfactionem omni poscenti, nos rationem de eâ quæ in nobis est spe.* Idem dic de fide. *Fides enim est sperandarum substantia rerum.* Hebræor. cap. 11. vers. 1. Hinc rationes hanc veritatem probantes placuit subjicere.

XXIII. Probatur ergo amplius hæc veritas, ita ut præfertur recepta, primò ex Scriptura Isaiæ cap. 62. vers. 5. ubi Propheta futura sub Christo prospiciens, ait: *Habitabit juvenis cum virgine. Hoc est*, inquit utraque Glossa Interlinearis & Ordinaria, quas sequuntur Gerson serm. de Nativit. B. Virg. consid. 3. & alii Recentiores, *Joseph cum Maria*: qui locus significat non tantùm cohabitationem & convictum castum, illibatum & incorruptum juvenis cum virgine, qualem fuisse Josephi cum Mariâ constat ex Sacrâ Scripturâ, & fatentur omnes Patres, nemine negante nisi impuro Helvidio Hæretico & asseclis; sed significat præterea cohabitationem castam incorrupti cum incorruptâ, quod hîc intendimus: nam terminus ille *juvenis*, quando in Scripturâ conjungitur cum *virgine*, non tantùm accipitur pro sexu diverso ab illo quẽ significat virgo, & ut denotat illum qui est in ætate floridâ, & aptâ juvare, à quo juvenis, sed insuper significat eum qui talis est in sexu masculino, qualis est virgo, cum quâ componitur, in sexu fœminino: cùm ergo hîc virgo accipiatur pro eâ quæ est incorrupta, omninò sequitur quod etiam juvenis, qui hic cum eâ componitur, pro eo qui incorruptus est accipi debeat.

XXIV. Probatur tertiò, ratione D. Hieronymi lib. adversus Helvidium calculo Doctoris Angelici D. Thomæ 3. part. quæst. 28. art. 3. ad 5. approbatâ, ubi ita Sanctus Pater. *Si in Virum Sanctum fornicatio non cadit, & aliam eum uxorem habuisse non scribitur,* (quod enim ex Scripturâ adduci potuit in contrarium refutatum est à nobis Sectione præcedenti,) *Mariæ autem Custos potius fuit quàm Maritus, relinquitur eum virginem mansisse cum Mariâ qui Pater Domini meruit appellari.*

Probatur quartò ex præstructis per nos fundamentis: Cùm enim, ut docuimus in præcedentibus, ab æterno à Deo electus sit, ut esset Pater Christi Filii sui, & ideò Sponsus Virginis factus, ac propterea ex utero tantâ fuerit sanctitate donatus, ut & per illam fomes in eo repressus sit, & in gratiâ confirmatus; unde quæso poterit cogitari corruptio ad eum aditum invenisse. XXV.

Probatur quintò argumento Gersonis serm. de Nativit. B. Virginis habito coram totâ Ecclesiâ in Concil. Constant. consider. 3. quod commune est inter Recentiores. Si Dominus Matri suæ jam ætatis provectæ nullum Custodem nisi Virginem, Joannem scilicet Evangelistam, qui virgo electus à Domino, virgo in ævum permansit, adhibere voluit; quantò magis existimare debemus eandem adhuc juvenculam non alteri quàm virgini, & omninò incorrupto, custodiendam tradidisse? XXVI.

Roboratur hoc argumentum hâc consideratione, quia Diva Virgo jam provectæ ætatis, tradita est Joanni à Christo expirante in Cruce, non ut virginitatis Custos, sed ut ei esset loco filii, eam consolaretur & juvaret, *Ecce mater tua, ecce filius tuus:* Divo autem Josepho in ętate efflorescente tradita est ut sponsa, ut scilicet ejus virginitas fœcũda, sub ipsius umbrâ celaretur, & hominibus & diabolo: si ergo ille cui Virgo jam senescens tradenda fuit non in custodiam virginitatis, sed in solatium senectutis, tamen ob reverentiam tantæ Virginis, nonnisi Virgo probatus esse debuit, an Divus Josephus cui illa adolescens in sponsam tradita est, idest cum potestate & Dominio in corpus ejus, ut tamen virginitatem ejus servaret, potuit non esse purissimus? an amabo Divus Josephus qui in aliâ virginitatem illibatam custodire electus est, in seipso prius eandem servare non est edoctus? XXVII.

Probatur sextò, quia recta ratio omninò dictare videtur, quod non decuit tantam Virginem à Deo tradi in sponsam & conjugem homini non virgini XXVIII

& corrupto, maximè cùm ex tali conjugio purissimus & immaculatus agnus, quem nonnisi virgines sequuntur quocumque ierit, proditurus esset. An non enim filium lectissimum sequetur amantissimus Pater quocumque ierit? vel quomodo sequetur quocumque ierit si non Virgo? Igitur secundùm hoc debuit fuisse castissimus D. Joseph.

XXXIX. Probatur septimò, quia Deus Sancto Prophetæ Eliæ Patri nostro, cæterisque filiis Prophetarum ejus successoribus, & antecessoribus nostris, etiam sub veteri Testamento inspiravit & contulit virginitatem intuitu hujus Sanctissimæ Virginis, quia scilicet illos elegerat ut essent ipsi, & ejus honori ac obsequio specialissimè consecrati, ac illam in moribus suis referrent, ut ex Scripturâ latè probant infiniti Authores domestici & externi. Quantò ergo ampliori jure Divo Josepho eam inspiravit & contulit puritatem, qui futurus erat aliquando ejus sponsus & unus cùm ipsâ?

XXX. Lipsius in monitis politicis cap. 17. refert de Carolo VIII. Galliarum Rege, quod cùm Oppidum quoddam Italiæ (Toscanellam vocat Duplexius) expugnasset, in militum direptione & excursu, Virginem perhonestâ formâ ad pedes suos prostratam habuit, quæ ejus tutelam à militum petulantiâ, pudicitiæque custodiam efflagitabat. Ille à militibus eam servavit immunem, sed ut juvenis erat, statim ut oculos in eam conjecit, tùm libidinem adjecit, ac demùm in lectum abjecit jam imminuendam. Tunc illa toto animo anxia, tabulam in pariete suspensam, in quâ Deipara Virgo puerum mundi Salvatorem gestabat, intuita, ita ad eum: ô Rex! per intactam hanc Virginem, inquit, oro & adjuro te, mihi virgini parce. Monuit ita Regem (non sine Divæ Virginis ope) ut libidinem jam exilientem coerceret. Mira res! Rex lachrymis profusis eam amplexatus, liberam dimisit cum dote quingentorum aureorum, & propinquis omnibus ac affinibus ejus captivis libertate donatis. Quod si homo aliàs libidine ustus, ob illam purissimam & immaculatissimam Virginem, huic puellæ eam inclamanti, virginitatem servavit, an non Deus, cujus numine, hoc ille fecit, D. Josephum ob eandem purissimam Virginem, cum quâ unus aliquando per immaculatum connubium futurus erat, omni corruptione immunem præstitit? fuit ergo ille Cœli favor, & Dei in Josephum amor, ut nõ hominem in carne mortali diceres, sed Angelum in corpore humano.

Hanc porrò virtutem cœlestem, XXI. quam docente D. Ambrosio lib. 1. de Virginibus, paulò post init. *Non facilè invenimus in terris, nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra descendit*, videtur D. Josephus quasi à naturâ hausisse, cùm Deus eum gigni disposuerit parentibus à concupiscentiâ carnis defœcatis, qui nimirum ad ejus productionem processerunt, non ut solet in aliarum prolium generatione, movente eos ad id concupiscentiâ & lidine, sed lege divinâ Deuteronomii c. 25. ut diximus in præcedentibus.

*Gaude* igitur, verbis utor D. August. XXII. in Append. ser. de divers. ser. 25. *O Sanctissime Ioseph! gaude*, inquam, *nimiumq; congaude Virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere conjugii, quia per meritum virginitatis, ita separatus es à concubitu uxoris, ut Pater dicaris Salvatoris*: ac deinde, *Habe cum Mariâ conjuge tuâ communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris nascitur virtus Angelorum: sit Maria Mater Christi virginitate servatâ: sis autem & tu Pater Christi curâ castitatis & honorificentiâ virginitatis, ut de virgineis membris genitricis, sæculis Christianis nulla sit zelotypia.*

## CAPUT IV.

### *An Divus Josephus semper Virgo permanserit?*

CUM certum sit ex infra dicendis Divam Virginem Deiparam Sancto Viro suo Josepho supervixisse: vivente verò virgine aliam superduxisse uxorem nefas sit cogitare: viso, Sectione præcedenti, quod incorruptus Virginem duxit, restat, ut probetur fuisse semper cœlebs & Virgo, ostendere, quod cœli-

cœlibem semper ac Virginem cum Virgine sponsâ suâ vitam duxerit. Hoc verò tam multis est executum à SS. Patribus, ut nihil superfit, quod à nobis hâc in materia addi possit.

II. Verumtamen ut nihil quod ad propositum nostrum facit omisisse videamur, ea quæ de hac re à SS. Patribus contra Ecclesiæ hostes desudata sunt, quasi historicè perstringere, non erit abs re. Circa quam duo fuerunt errores, primus eorum qui dixerunt Divum Iosephum copulam habuisse cum B. Virgine: & ex eâ copulâ Christum genitum. Secundus est illorum qui fatentur quidem ante Christi partum Beatæ Virginis integritatem, & in partu, sed post Christi Nativitatem volunt Beatam Virginem à Sancto Iosepho cognitam, & inde prodiisse illos & illas, qui in Evangelio dicti sunt fratres & sorores Domini, de quibus erroribus hic sigillatim.

## SECTIO PRIMA.

*Referuntur & confutantur illi, qui Divum Iosephum negant castè cum Virgine vixisse ante Christi conceptionem.*

III. PRimò, id negaverunt Ethnici eo solùm capite, quod à ratione alienum videatur mulierem sine viro concipere. Hi cùm nec Propheticas recipiant Scripturas nec Evangelicas, propriis expugnati sunt armis à SS. Patribus & Doctoribus nostris.

IV. Primò, Poëtarum suorum commentis, quibus eorum Theologia constat, multumque semper tribuerunt authoritatis, qualia sunt illa quæ de Vulcani, Minervæ, Bacchi, Veneris, Castoris & Pollucis, ac Myrmidonum ortu, & de reparatione generis ex Deucalionis & Pyrrhæ lapidibus docent: si enim tam portentosa & adeò cum naturâ & ratione pugnantia admittunt in illis, cur eis verbum hoc impossibile videtur quod Virgo divinum germen Deo operante conceperit? ita Ruffinus in Exposit. Symbol. Apost. & alii.

V. Secundò, decem Sybillarum suarum (quas ut orbis Magistras, & divinitus illustratas venerati sunt,) vaticiniis & oraculis, quæ omnes tam clarè huic veritati attestatæ sunt trecentis ante Christi ortum annis, ut non tam rem tantùm post aliquot annorum centurias futuram prædicere, quàm gestam referre, seu præsentem digito demonstrare videantur: vide illarum circa hanc materiam Carmina apud P. Canisium lib. 2. de Deip. cap. 7. & alios, quæ etiam extant in Bibliothecâ Sanctorum Patrum. Quid enim habebunt Ethnici cur nobis non credant de Virgine Matre id asserentibus, quod illæ eorum Mulieres fatidicæ? aut cur in hoc tantùm, in quo illæ conveniunt cum nostris Prophetis, illis non credent? Efficacissimum fuit hoc medium contra illos, & usitatissimum antiquis Ecclesiæ Patribus: unde factum ut Christiani ab illis vocati sint Sybillistæ apud Origen. lib. 5. contra Celsum.

VI. His annecti possunt Druides, Antiquorum Gallorum Magi, seu Sapientes, immò & Sacrorum Antistites, de quibus Nicolaus Perottus in Cornucopiis verbo *Druides*, qui Carnuti in in Galliâ consistebant: ubi Aram quandam posuerunt hoc titulo insignem VIRGINI PARITURÆ: quo in loco nunc in honorem Deiparæ templum extructum est magnificentissimum.

VII. Item illud quod refert Divus Thomas secunda secundæ Quæst. 2. art. 7. ad 3. ex historiis Romanorum, tempore scilicet Constantini Magni Imperatoris & Helenæ Matris ejus, inventum fuisse quosdam sepulchrum, in quo jacebat homo auream laminam habens circa pectus, in quâ antiquis litteris erat scriptum, *Christus nascetur ex virgine, & ego credo in eum. O Sol! sub Helenæ & Constantini temporibus iterum me videbis.*

VIII. Tertiò, exemplis à rebus naturalibus petitis, quò illis minus incredibile videatur in Mariâ Deiparâ fieri potuisse sine viro Dei virtute, quod naturæ vi in mutis animantibus fieri experientia commonstrat, quorum sexum masculi non violant, & de Alece &

Anguillâ docet Aristoteles lib. Problem. de Ormomegiâ Ave Arabiæ idem Arist. lib. 5. Animal. de vulture D. Basilius Magnus Orat. 19. de Provid. & in c. 7. Isaiæ, & D. Ambros. lib. 5. Hexameron: de Phœnice Ruffinus in Exposit. Symbol. Apostol. De equis aliquibus in Lusitaniâ & Cappadociâ Plinius lib. 8. cap. 42. Varro lib. 2. de re Rusticâ. Columella lib. 6. cap. 27. & D. Augustinus lib. 21. de Civit. Dei: de vermibus & insectis, Phisiologi: de Salamandriâ alii: maximè tamen de ape Virgilius lib. 4. Georgic. Naturalistæ, & ipsa Ecclesia in Benedictione Cerei Paschalis Sabbatho Sancto: quod ultimum exemplum Patribus semper maximè placuit: tùm quia Apis, ut communior, ita omnibus notior; tùm quia, ut Apis commixtionem nesciens, habet tamen consortem marem, non ad generationem, sed ad sui tutelam & Alvearis Custodiam: ita planè Maria etsi viri expers, habuit tamen Divum Josephum conjugem, ad sui tutelam, & pueri curam.

IX. Ex quibus exemplis sic argumentati sunt SS. Patres contra Ethnicos. Quid ergo impossibilem Virginis, cujus pudorem nulla viri consuetudo temerarit, existimant partum? impossibilene putabitur in Dei Matre, quod in animalibus, quod in avibus, quod in apibus, possibile non negatur? Avis, Apis, sine masculo parit, & nullus refellit, & quia desponsata viro Maria peperit, pudoris ejus faciunt quæstionem? Nonne advertimus quod Deus ex ipsâ naturâ plurima exempla ante præmisit quibus susceptæ Incarnationis decorem probaret, & adstrueret veritatem? Hoc ergo incredibilene videbitur divinâ virtute ad totius mundi reintegrationem factum, cujus exempla etiam in animalium nativitate cernuntur? ita passim SS. Patres.

X. Quartò, ratione hoc modo, quis enim homini hoc dedit, qui ne muscam quidem aliàs producere potest, quod in muliere hominem generare possit? Nonne Deus à quo omnia, in quo omnia & per quem omnia? si ergo Deus hoc dedit homini, cur ipse non possit? & si Deus id non potest, quomodo illud dare potuit homini?

Quintò, Respondendo ad illorum argumenta, quorum primum est quod Principium passivum sine activo nullo modo potest producere effectum. Cùm igitur mulier sit principium passivum, vir autem activum, non potest sola sine viro fœmina formare prolem: quibus respondetur quod illi ad supradicta exempla de animalibus: Replicant illi, in generatione istiusmodi animalium non deesse principium activum, non quidem marem consortem, sed solem & astra, quæ eminenter supplent virtutem principii activi: sed hi suâ hâc capiuntur Responsione; nam in Christi conceptione, non dicimus defuisse principium activum, sed ordinarium tantùm, scilicet virum, & Altissimi virtutem suppleste istud principium activum. Et verò si, illis fatentibus, Sol & Astra per eminentem suam virtutem possunt illîc supplere virtutem Principii Activi, cur non poterit hîc Deus per suam omnipotentiam? aut si hoc non potest Deus, quomodo poterunt illud Sol & Astra? XI.

Dicunt primò, hoc ita insolitum ut nunquam fuerit visum: Respondeo & ita esse oportuit. Si enim Religio Christiana, quæ Christum docet Deum esse simul & hominem, illum tamen doceret non aliam quàm cæteri homines habuisse conceptionem, quid dicerent Ethnici de tali Deo nostro? Vide D. Ignatiũ Martyrem in epist. ad Heronem, & D. Augustinum lib. 10. de Civit. Dei. III.

Secundò, idipsum negant Iudæi, quos quia Evangelicas Scripturas non recipiunt, Propheticis, quas venerari se fingunt, ex quibus Messiam expectant, insectantur SS. Patres. XIII.

Primò typis seu figuris, Lex enim est umbra futurorum, & omnia in figuris contingebant illis: Ex quibus aliquas accipe. Primò, in formatione Adæ ex terrâ solâ, Evæ ex latere Adæ, apud S. Maxim. Taurinensem homil. 3. in Natali Domini, Tomo 5. Biblioth. Sanct. Partrum part. 1. Secundò, in Melchisedech quem sine Patre, sine Matre, sine Genealogiâ refert Scriptura, & ideò assimilato Filio Dei ex mente Apostoli ad Hebr. cap. 7. qui, ut Deus, fuit sine Matre; ut homo, sine Patre. Tertiò, in illis qui concepti sunt XIV.

ex

ex Matribus sterilibus apud S. Cyrillum Hierosolym. Cateches. 12. Quartò, in Rubo Moysis ardenti, & tamen incombusto ex sensu Ecclesiæ in Officio Circumcisionis. Quintò, in Vellere Gedeonis adstipulante ipsâ Scripturâ Psalm 71. Ubi loquens Propheta de ortu Messiæ, ait alludens ad istam figuram: *Descendet sicut pluvia in vellus.* Et ex sensu Ecclesiæ in eodem Officio Circumcisionis; cujus applicationem & appropriationem vide apud D. Petrum Chrysologum serm. 145. & D. Ambrosium serm. 13. de Natali Domini. Sextò, in Nubeculâ illâ Sancti Prophetæ Eliæ Patris nostri, de quâ 3. Regum cap. 18. ad finem, ex mente nostri Joannis Sylvani XLIV. Patriarchæ Jerosolymitani lib. de Institut. Monach. & omnibus ferè Patribus ac Doctoribus recentioribus, & Sacrâ Congregatione in Lectionibus secundi Nocturni pro Festo Commemorat. Solemn. Beatæ Mariæ Virg. de Monte Carmelo. Septimò, in Lapide illo qui Danielis cap. 2. de monte sine manibus abscissus, immanem illam statuam quam vidit in somnis Rex Nabuchodonosor comminuit: Et sexcentis aliis similibus apud Patres & Interpretes; quæ utinam quàm Christianè proponuntur à Patribus, & piè repetuntur ab omnibus Orthodoxis, pro summâ Sacratissimæ Virginis Deiparæ adstruendâ integritate, ita religiosè, & animo ab omni præoccupatione & passione libero ab induratis Judæis reciperentur.

XV. Sed quoniam illi, ut sunt pervicaces, eas probationes dicent esse tantùm ex sensu mystico & allegorico, qui litterali longè imbecillior est ad probandum, ideò ne Judæi (qui interim quos volunt Scripturis suis sensus affingunt) fortiores nobis deesse cavillentur? probant Sancti Patres.

XVI. Secundò ex Prophetarum vaticiniis quorum duo tantùm hìc affero: Primum est illud Jeremiæ cap. 31. vers. 22. *Usquequo deliciis dissolueris filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram, fœmina circumdabit virum.* Hoc est, etiam ex interpretatione Rabbi Hacados, quem iidem Judæi Sanctum Magistrum nostrum vocant, aliorumque Rabbinorum apud Galatin. lib. 7. cap. 14. *Virgo circumdabit, & utero suo claudet Messiam, qui cùm Deus sit, nullis locis terminisve concludi potest.* Ita illi, quid clarius? Novum ergò hoc quod promittit hic Propheta à Domino creandum super terram, ex ipsomet sensu Rabbinorum antiquiorum est novus homo, quia homo & Deus; ex novâ Matre, quia Mater & Virgo: novâ generatione, quia Spiritus Sancti obumbratione. Nec dissentit Rabbi Hunna, qui hunc locum intelligit de Messiâ, cui adstipulatur Rabbi Addarsan, qui in cap. 1. Genes. hunc locum quemadmodum & plurimi alii Judæorum Rabbini ita legit. *Creavit Dominus Novum super terram, alma circumdabit virum.* Cujus versionis vim intelliges statim dum secundum vaticinium quod est Isaiæ cap. 7. explicabimus.

Nihil magis vim hujus loci manifestat quàm fuga Judæorum modernorum, qui pro *Fœmina circumdabit virum*, volunt cum Rabbi Judâ apud Rabbi Salomonem vertendum, *Fœmina convertetur in virum*: hoc est, ut ipsi explicant, Synagoga seu Gens Judæa, quæ in captivitate erat infirma & debilis ut fœmina, fiet fortis ut vir, quia scilicet circumdabit virum, idest obsidebit Chaldæos, à quibus victa fuerat, & prævalebit eis: quid enim magis ridiculum, quàm ejusmodi commentum? XVII.

Deinde audi mi Judæe, promittit hìc Deus, quid? novum: hoc est admirabile, nunquam amplius visum, vel auditum: hoc enim significat istud *Novum*, totiusque naturæ vires longè excedens, hoc significat illud *creavit*. Est ne autem tale quod fœmina circumveniat virum, & illi aliquando prævaleat? Nunquid antè hanc Prophetæ promissionem Debbora jam Siseram Principem vicerat? & Jahel uxor Haber Cinei clavo caput ejus terræ affixerat? Iudicum cap. 4. Nunquid Iudith victoriosissimum Holofernem proprio pugione jugulaverat? &c. ut mille ex Gentilium historiis similia exempla de mulieribus Amazonibus omittam. Quod ergo Synagoga seu Gens Iudæa in captivitate infirma & debilis ut fœmina, Chaldæis prævaleat, non est illud novum quod hic promittit Pro- XVIII.

pheta, quandoquidem quod fœmina viro prævaleat, ad quam fit comparatio, non est tam novum.

XIX. Sed & aliud audi, nonne centies aliàs Gentiles à Iudæis victi & cœsi, ut Chananæi, Pherezæi, Iebuzæi, Amalechitę, Ammonitæ, Moabitæ, Philistæi, idque adeò mirabiliter, ut aliquādo unus persequeretur mille, & duo fugarent decem millia, Deuteron. cap. 32. Quomodò ergò hoc erit illud novum & inauditum quod promittit Ieremias? Tertiò, tandem quia falsum est, ut notaverant Interpretes in hunc locum quod Iudæi temporaliter prævaluerint Chaldæis post istam promissionem.

XX. Nec melior secunda illorum evasio, quâ dicunt novum hîc à Propheta promissum consistere, non in hoc quod fœmina salvâ integritate concipiat, sed quod virum concipiat, virum inquam, non ætate vel corporis mole, sed moribus & judicii maturitate. Nam cùm nomen illud fœmina abstrahat à corruptâ & incorruptâ, nec illam magis significet quàm hanc, sed sexum tantùm, quomodò bonâ fide possunt Iudæi illud hîc contrahere ad significandam corruptam, cùm de fœminâ illâ agatur quæ circumdabit virum, ut objecerunt, idest (juxta veterum Iudæorum Scholia ad hunc locum) Messiam seu Deum & Hominem? quomodò, inquam, hoc possunt sustinere, cùm ratio tam evidenter suadeat Deum decere aliam Conceptionem & Nativitatem quàm cæteros homines?

XXI. Cæterùm non sine magnâ ratione hoc loco usus est Propheta voce *Fœminæ* potiùs quàm *Virginis*: Cùm enim & virgo, & ea quæ habet prolem sit fœmina, voluit insinuare Propheta se loqui de eâ quæ esset utrumque, & Virgo per integritatem, & tamen Mater per fœcunditatem, quâ circumdatura erat (utero suo) virum, ut sic manifestum fieret quod dicimus, ipsum loqui propriè de conceptione Messiæ in Virgine, non verò ut volunt Iudæi de conversione fœminæ in virum, quod est mirè metaphoricum.

XXII. Secundum Vaticinium, & potissimum est illud Isaiæ cap. 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quod est interpretatum Nobiscum Deus, quem locum nunquam Iudæi eludent: quod enim aiunt in Hebræo pro *virgo* haberi *haalma*, non verò *Bethula*; quorum primum significat adolescentulam tantùm, seu juvenem: Secundum verò virginem, fucus est: Nam primò hæc versio vocis Hebraicæ *haalma* in *partenos* Græcè, quod Latinè est *virgo*, est ab ipsismet Iudæis; nec à quibuslibet, sed à præcipuis illorum Magistris & Rabbinis; neque à paucis, sed à Septuaginta duobus illis famosis Interpretibus, qui tamen facilitatis causâ Septuaginta tantùm ordinariè nominantur, quia ab Eleazaro Pontifice ex 12. Tribubus, sex scilicet ex qualibet Tribu, teste Josepho lib. 12. cap. 2. & ideò in universum 72. non sine summo delectu, ob gravitatem negotii, assumpti fuerunt trecentis circiter annis ante Christum, atque Alexandriam ad Regem Ægyptii Ptolemæum Philadelphum missi, ut ex voto illius Divinas Scripturas ex Hebræo in Græcum traducerent: qui licet ab invicem separati, ita per omnia re absolutâ convenisse comperti sunt, ut factâ diligenti collatione, ne unius quidem verbi inter illos omnes discrepantia deprehensa sit: quàm hoc mirabile! Quâ ergo fronte Iudæi moderni tantam, tot, & tantorum Magistrorum suorum (quos tanti fecerunt Patres eorum) authoritatem temerare audent, ut perfidiæ suæ colorem adsciscant.

Secundò, esto in Hebræo sit *haalma*, XXIII.
& significet adolescentulam, non tamen quamcumque, sed absconditam: Radix enim עלם *Alam* à quâ *Alma*, ut docent periti, significat abscondere, ut proinde *haalma* ex suâ derivatione & origine, idem sit quod abscondita: si ergo illa adolescētula abscondita, quomodò corrupta? quin immò ex hoc colligitur non solùm corpore, sed etiam mente ac proposito Virgo; ut quid enim adolescentula se abscondit, nisi ut viro etiam ex visu incognita sit? & quando melius virgo, quàm quando sic abscondita viro? Quia & in linguâ Punicâ, quæ de Hebræorum fontibus manat, & illi affinis est teste D. Hieronymo lib. adversus Iovinian. Virgo vocatur *Alma*.

Tertiò,

XXIV. Tertiò, quia & Rabbi Jonathas Uſielis filius, Paraphraſtes Chaldæus vir apud Judæos magni nominis, eodem modo textum illum legit & vertit quo nos & Septuaginta Interpretes. Quartò, quia Uxor Achaz, de quâ illud explicant Judæi moderni, non erat juvencula aut ſterilis, ut aiunt, & patet evidenter ex Scripturâ: Nam Achaz regnavit tantùm ſedecim annis, 4. Regum cap. 16. verſ. 2. Ezechias autem filius ejus erat 25. annorum cum regnare cœpiſſet 4. Regum cap. 18. verſ. 2. Ergò Ezechias habebat ut minimùm novem annos, quando Pater ejus Achaz pervenit ad regnum: Cùm ergo verbum iſtud Prophetæ factum fuerit ad Achaz jam regnantem, uxor ejus nec erat adoleſcentula, nec ſterilis, ut illam concipere & parere ſignum ſeu miraculum ab Iſaiâ dici poſſet. Quintò, quia hæc dicitur conceptura & paritura filium, qui vocabitur Emmanuel, non ſono, ut ait Tertullianus, ſed ſenſu: quia ſcilicet talis erat futurus, idque uſitatâ phraſi Hebræorum ſecundùm quam vocari frequentiſſimè ſumitur pro eſſe, ut ex aliis Scripturis patet Iſaiæ cap. 1. verſ. 26. cap. 4. verſ. 3. cap. 9. verſ. 6. cap. 60. verſ. 14. Jeremiæ cap. 3. verſ. 17. Zachariæ cap. 8. verſ. 13. & alibi paſſim. Si enim Domina noſtra peperit Hominem Deum, profectò non ordinario, ſed novo & inſolito modo. Sextò, in utraque voce *Alma* & *Bethula* Judæos falli, ſeu quod verius eſt, fallere velle conſtat: non enim tam imperiti quàm mendaces; Nam quoad vocem *Alma*, ex aliis Scripturis, illis conſtat & nobis, paſſim uſurpari pro eâ adoleſcentulâ, quæ non eſt à viro cognita, ut Geneſ. cap. 24. verſ. 16. ubi Rebecca antequam deſponſaretur Iſaaco, dicitur quidem *Bethula*, Sed eâ voce non contenta Scriptura, addidit tanquam expreſſius, *Alma*; eoque addito, mox adjunxit *vir non cognoverat eam*, tanquam id quod importatur per vocem *Alma*. Et libro Exodi cap. 2. verſ. 8. Maria ſoror Moyſi vocatur puella in Hebræo verò *Alma*, non autem *Bethula*: illam autem tunc fuiſſe intactam liquet, tum quia tunc annos tantùm quindecim nata, tum quia nunquam nupſiſſe aſſerunt pluri-

mi Doctores. Tandem Cant. c. 1. & c. 6. legimus in textu Hebræo vocem *Alamath*, ubi nonniſi virgines intelligi poſſunt: Denique impuberes, ſeu ipſa impubertas, Iſaiæ cap. 54. Pſalmo 89. Job. cap. 20. & 33. in textu Hebræo exprimitur (ut obſervarunt illius linguæ periti) per vocem *Alumach*.

XXV. Quare Sanctus Hieronymus omnium Patrum peritiſsimus in hâc linguâ, & verſatiſsimus in Scripturis, lib. adverſus Jovinian. & quæſt. 1. in Geneſ. urget Judæos obteſtando eos ut locum unum proferant ex totâ Scripturâ ubi vox *Alma* uſurpetur quando nupta aut corrupta adoleſcentula ſignificatur, quod hactenus præſtare non potuerunt: Quod enim obtrudunt primò ex Geneſi cap. 34. Dinam jam per Sichem Principem violatam dici *Alma*, iterùm fallunt Judæi: Sciunt enim hunc locum fuiſſe corruptum, & verum ac primitivum textum habere *Hanaar*, quod ſignificat *puellam*, qualis erat Dina ibi, licet per vim corrupta. Nec etiam quod obtrudunt ſecundò, ex Proverb. cap. 30. verſ. 19. ubi pro eo quod habetur quartum penitus ignoro, ſcilicet viam viri in adoleſcentulâ, habetur inquiunt in Hebræo *Alma*. Reſpondeo enim illum locum intelligi litteraliter de Chriſto in Virgine, quemadmodum etiam cenſuerunt Rabbi Haccados & alii apud Galatin. citatum. Reſpondent ſecundò alii & hunc locum fuiſſe corruptum & primitivum textum non habere *Alma*, ſed *Alamuth* quod ſignificat *Adoleſcentiam*, ut ſcilicet legendum ſit cum Septuaginta Interpretibus & noſtrâ vulgatâ. *Quartum penitus ignoro viam viri in Adoleſcentiâ.*

XXVI. Quod verò ſpectat vocem *Bethula*, è contra uſurpatur in ſcripturâ etiam quando de adoleſcentulâ corruptâ eſt ſermo. Nam Ezechielis cap. 23. v. 3. dicitur *fracta ſunt ubera illarum, & ſubacta mamma pubertatis earum*, Hebraicè *Bethularum*: & tamen ibi eſt ſermo de meretricibus *Oolâ* & *Olibâ*, quæ licet nondum exceſſiſſent adoleſcentiam, ut ad viri congreſſum vix aptæ videri poſſent, jam tamen in proſtibulo quæſtum ex corporibus ſuis faciebant. Similiter Joëlis cap. 1. v. 8. dicitur *Plange quaſi Virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis*

*pubertatis suæ*. Ubi in hebræo pro *Virgo* habetur *bethula*, & concordant Chaldæus & Veteres Rabbini apud Galatin. lib. 7. cap. 15. & tamen ibi sermo est de adolescentulâ quæ nupserat, & brevi orbata marito suo, eum jam defunctum luget, ac suum dolorem etiam lugubri veste testatur.

XXVII. Ex quibus omnibus patet evidenter contrarium ejus quod dicunt Judæi, idest quod licet verum sit *Bethula* significat adolescentulam, sicut & *Alma*: Est tamen hæc differentia quod *Bethula* possit dici, & de facto dicatur etiam de eâ quæ corrupta est; *Alma* verò nunquam, sed de illa duntaxat quæ incorrupta & intacta, & hæc quidem ex propriis adversantium Judæorum instrumentis.

XXVIII Sed objicies, quomodo in Christum & Mariam potest convenire hoc Isaiæ vaticinium? ratio dubitandi est, quia hoc signum eo fine promissum est ab illo Prophetâ, ut confirmaret domum David, ne desponderent animum, sed auxilium sperarent à Domino contra Razin & Phaceè, qui cum magnâ potentiâ jam illis imminebant. Quam autem vim haberet hoc signum, quod nunquam Achaz, nec ullus eorum qui tunc præsentes erant videre poterant cùm nonnisi post octingentos annos esset futurum? Ad hoc Respondeo virgineum partum non promitti hîc tanquam signum prognosticum aut demonstrativum liberationis Achaz & Judæorum de manu Razin & Phaceè, sed è contra, liberationem Achaz proponi tanquam miraculum, ex quo certò expectare deberent virgineum partum, per quem liberatio eorum à potestate diaboli; quàm illa liberatio ex manu Razin & Phaceè significabat, futura erat: unde hîc avolat Propheta more suo à typo ad antitypum: Cùm enim obtuliset regi impio & incredulo signum liberationis de manu inimicorum illorum, illo petere recusante, eum relinquit in suâ incredulitate brevi per eventum futurum confundendâ: & à præsentibus ad futura, transfert animum & sermonem: solent enim Prophetæ ut observavit Divus Hieronymus sub initium Commentarii in cap. 2. Nahum & in cap. 1. Malachiæ conjungere prophetias diversorum temporum, ut ex eo quod ipsimet audientes vel eorum proximi successores viderent impletum, cautionem tenerent certam futurorum; & certò etiam crederent implendum, quod in posterius tempus promittebatur futurum: Quare etiam hoc loco signum non darur Achaz, qui illud ex incredulitate respuerat, sed domui David: Non enim dicit Propheta audi Achaz, sed audite ergo domus David, quasi diceret, tu Achaz non vis signum, non habebis: Accipe verò tu domus David aliud signum, scilicet istius liberationis quàm illa significat, à me Regi Achaz promissa.

Tertiò, ex aliis Scripturæ locis eandem clarè veritatem elicuerunt SS. PP. & Doctores ut inter alia. Primò, ex illo Genes. cap. 3. vers. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum & semen illius*. Dicant enim mihi Judæi causam cur dictum sit semen mulieris? si enim Christus qui ibi promittitur, de viro, sive de Viri semine nasci debebat, profectò illius seminis, & non seminis mulieris mentio facienda erat: Cùm igitur semen mulieris dictum sit, utique mulier futura erat, quæ sine viro, de Deo Deum conciperet, & hæc profectò Deipara est: ita D. Cyprianus lib. 2. contra Judæos. Secundò, ex illo Levitici c. 12. v. 2. *Mulier si susceptο semine pepererit masculum*. Cur quæso ô Judæe! hæc lex ita cavet? cur limitatur ad eam quæ susceptο semine parit, nisi quia futura erat aliquando mulier, quæ non susceptο semine erat paritura? consequenter nec immunditiæ legali subjecta, nec huic legi ad eam immunditiam tollendam latæ obnoxia: sanè superfluum fuisset illud *si susceptο semine*, si Moyses non prævidisset mulierem sine susceptione seminis parituram. Ita Origenes homil. 8. in Levitic. Cyrill. lib. 8. in Levit. Theophilactus in Luc. cap. 2. D. Basilius in Isaiæ c. 7. D. Chrysostom. homil. 1. de occursu Domini, D. Ildefonsus serm. 1. de Purificat. D. Bernardus serm. 8. de Purificat. XXX.

Tertiò & ultimò, idem negarunt antiquissimi Hæretici *Ebionitæ* apud D. Clementem l. 6. constit. cap. 6. *Cherintiani* XXX.

*rintiani* apud Irenæum l. 2. cap. 25. & *Carpocratitæ* apud D. Epiph. hæres. 27. contra quos eadem arma, quibus contra Ethnicos & Judæos hîc supra pugnatum est, inserviunt: ac præterea Evangelicæ Scripturæ, quas repudiare non possunt ut Ethnici & Judæi: Ac primò, ex Matthæi cap. 1. vers. 16. ubi dicitur, *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ de qua natus est IESVS*, ubi non dicit Ioseph autem genuit JESUM, quemadmodum de præcedentibus dixerat: per quod manifestè insinuat Evangelista JESUM non de Josepho, sed de solâ Virgine genitum. Secundò, ibidem v. 18. *Christi autem generatio sic erat: Cùm esset desponsata Mater IESV Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*: quia enim superius dixerat, *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, &c. Iacob autem genuit Ioseph*, ne aliquis existimaret sic esse Christi generationem & nativitatem, quomodò præcedentium in Genealogia, mutat stylum dicens: *Virum Mariæ de quâ natus est IESVS qui vocatur Christus.* Additque ac dicit, *Generatio autem Christi sic erat*, quod idem est ac si diceret: generatio quidem eorum quos recensuimus Patrum sic fuit ut jam expositum est; Christi autem generatio non ita, sed sic. Quomodo? *Cùm esset desponsata Mater IESV Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, ideſt ex Virgine sine Patre; Ita ut ejus generationem enumerans, de semine David eum descendisse ostendat secundùm Dei promissa: & extra consuetum modum nativitatem ejus exponens factam, mysterium Deitatis ejus aperiat. Ita noster Imperfectus in Matthæum ad illum locum. Idem v. 20. *Ioseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in eâ natum est de Spiritu sancto est.* Idem Lucæ c. 1. vers. 34. 35 36. & 37. *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? & Respondens Angelus dixit ei, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideòq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei, &c* Item Lucæ cap. 3. vers. 23. *Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta ut putabatur filius Ioseph.* Ideſt vulgi opinione & famâ non naturâ & rei veritate: Sed de hoc errore satis, veniamus ad secundum.

## SECTIO II.

### *Recensentur illi & confutantur, qui dicunt D. Iosephum post Christum natum, Virginem carnaliter cognovisse.*

SEcundus itaque error eorum est, qui fatentur quidem D. Josephum & Beatam Virginem ante Christi partum in conjugio castè convixisse, post verò negant: ita impurissimus Helvidius D. Hieronymi & D. Epiphanii tempore, cujus Sectarii & vulgò à suo Authore *Helvidiani*, ita ab objecto erroris sui vocantur à Divo Epiphanio hæresi 78. D. Augustino lib. 1. de hæresibus, & D. Damasceno lib. de hæresibus & Eccles. Dogmat. cap. 69. *Antidicomaritæ.* XXXI.

Hanc tamen hæresim non ab Helvidio primùm excitatam, ut existimaverunt multi, inde liquet quod Origenes longè ante illum homil. 7. in Lucam, & D. Hilarius in cap. 1. Matthæi doceant ipsorum ævo non defuisse, qui Mariam filios ex Joseph peperisse asseruerint, contra quos dicti Patres Origenes & Hilarius locis citatis dimicarunt, uti Divus Hieronymus contra Helvidium libro speciali contra ipsum. XXXII.

Post ducentos deindè annos à morte Helvidii, tres maximè viri eandem apud Hispanos cramben recoxerunt, quam Sanctus Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus peculiari edito de perpetuâ virginitate Mariæ Commentario penitùs profligavit. XXXIII.

Prostratâ igitur à tantis Patribus, maximè verò à Sanctis Hieronymo & Ildephonso sepulta jacuisset execranda hæresis, nisi veniſſent novi nostrorum temporum Sectarii, qui eam in pedes erexerunt, & novam aciem ad Deiparæ semper Virginis Mariæ, ejusque Sanctissimi & Angelici Sponsi illibatam Virginitatem obscurandam instaurarunt, quos inter Petrus Martyr ausus XXXIV.

est hoc effutire. *Inter alia quæ Christiani confitentur, non esse recipiendum quod Maria semper virgo permanserit.* O os blasphemum! Cui consonat ejusdem farinæ Novator Chitreus, imò fortè eò nequitior, quò modestius agere videtur causæ Helvidianæ Patronum, qui docet non lædi Christianam pietatem, etiamsi Maria post quam Christum enixa est, Mariti congressum admisisse credatur: ut proindè juxta illum modestum Virum, libetum sit etiam piis Mariæ Virginitatem perpetuam non credere. O modestiam sceleratissimam!

XXXV. Petulantius adhuc in verba Helvidii juravit horum Synchronus impius Lucas Stenbergerius ipsummet Helvidii vomitum deglutitum regerens, Mariam scilicet non adeò perdurasse Virginem, quin etiam duos vel tres ex Marito suo Josepho susceperit filios. Quid impurius? quid impudentius ab ipsis Judæis, quàm quod ab illo scurrâ, qui Christianus audiri vult, unquam dictum?

XXXVI. Neque illi soli his postremis temporibus in Germaniâ, sed & alii plurimi in Poloniâ & Hungariâ sepultos istos damnatos cineres denuò excitarunt, teste Canisio lib. 2. de Deiparâ cap. 10. Quo verò animo? non est difficile conjectare: Persuaserunt nimirùm sibi illi omnes impuri, multum existimationi castitatis, quam aversantur, detractum iri, si Mariæ Deiparæ pudicitiæ istam fuliginem aspergerent.

XXXVII. Hi autem impii hanc suam perfidiam his colorarunt prætextibus. Primo quod Matthæi cap. 1. vers. 18. dicitur: *Cùm esset desponsata Mater JESV Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Quo significatur, inquiunt, quod postea convenerint. Secundò, quod ibidem vers. 25. dicatur de Josepho: *Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum.* Ex hoc loco sic Helvidius: Apparet, inquit, cognitam esse post partum, cujus cognitionem filii tantùm differebat generatio. Tertiò, cùm Christus dicatur Mariæ primogenitus, ergo, inquit, secuti sunt illum alii, ut sic possit dici inter illos primogenitus. Quartò, quod in Evangelio inveniatur Christus habere fratres & sorores secundùm carnem, & recensentur per nomina ut Matthæi cap. 12. Marci cap. 3. & 6. Lucæ cap. 8. & Joannis cap. 7. Tandem si Maria Virgo semper mansit, quid est ergò quod nunquam alio nomine post Christum genitum quàm mulieris, etiam ab ipso filio appellatur?

Sed quàm imperita & hæretica perversitas, quæ tam infirmis armis tam firmam veritatem concuti posse putet: non illa arma sunt, sed puerorum terriculamenta. Nam ad primum respondeo particulam illam *antequam* hîc & aliàs frequentissimè non significare quid secutum sit post illud quod factum dicitur, sed quid non præcesserit, cùm tamen juxta consuetum ordinem vel usitatum modum præcedere debuisset: Sic dicimus v. c. ille mortuus est antequam pœnitentiam egisset. Ille Judex illum condemnavit antequam causam cognovisset. Ille Medicus Petro præbuit potionem unde mortuus est antequam ipsius morbum cognoscceret. Quemadmodum ergo in his & aliis sexcentis similibus, non significatur, quod ille post-quam mortuus est pœnitentiam egerit; quod ille judex post sententiam, causam; ille medicus post mortem, morbi genus cognoverit: sed tantùm quod iste sine pœnitentiâ mortuus sit, illi non cognitâ causâ vel morbi genere processerint: ita omninò hîc dum dicitur: *antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*, non significatur quod postquam de Spiritu Sancto habuit convenerint, quis nisi impurus ita inferat? sed innuitur, quod sine congressu maritali, qui juxta consuetum morem præcedere solet, conceperit.

XXXIX. Et verò rem hanc digito tange. Causa hîc ab Evangelistâ susceptæ quænam est, nisi referre modum quo Christus genitus est? patet ex Textu: ait enim, postquam cæterorum Progenitorum Christi generationem retulit ex uniuscujusque Patre, *Generatio autem Christi sic erat.* At quæ impertinentia si Evangelistâ hoc facere volendo & hoc solum facere habenti, prius quam id faceret, aliud nihil ad rem faciens obtrusisset, inculcando prius,

Mariam

Mariam cum viro suo Josepho, cui desponsata erat, aliquando convenisse, & exinde filios peperisse, ac deinde Christum, tamen ante illos, non ex Josepho, sed ex Spiritu sancto concepisse.

XL. Ad secundum quid aptius reponere possem quàm quod noster Imperfectus in Matthæum ad eum locum. Itaque sic ille ibi, *Hoc quod fieri potuit dicit Evangelista quia factum non est: illud autem quod nec fieri potuit, quid necessarium fuit dicere factum non esse? Nam sunt quædam quæ naturaliter possunt fieri: sunt autem quæ impossibilia sunt per ipsam naturam: volo tibi referre: ille, nescio quis, cum illo litem commisit, & donec vixit non est ei locutus. Nunquid ex hoc quod dixi (donec vixit non est ei locutus) ex eo signavi quia post mortem illi locutus est quod fieri non poterat? sic & Joseph ante partum credibile fuerat ut cognosceret eam; quia nondum cognoscebat mysterii dignitatem: postquam verò cognovit, quia facta est unigeniti Dei templum, quomodo poterat hoc usurpare? Quod antea facere noluerat vir Religiosus expectans nuptias suas, postea facturus erat ut habitationem Dei carnalibus concupiscentiis sordidaret? hæc secundùm rationem: veniamus autem ad authoritatem Scripturæ. dicit enim Apostolus secundum exemplum Prophetæ de Christo, oportet eum regnare donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus ejus. Ergo Paulus hoc significavit ut tamdiu regnet Christus, quamdiu fiant omnia sub pedibus ejus, postea autem cesset regnare? Stulte: qui regnat antequam illi omnia subjecta sint; multò magis regnat postquam fuerint ei omnia subjecta.* Hæc noster Imperfectus.

XLI. Sed & David in quarto Graduum psalmo inquit, *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Ergo ne tamdiu tantùm Prophetа oculos habebit ad Dominum quamdiu misericordiam impetret, & post impetratam misericordiam oculos ab eo avertet & torquebit in terram? Itaque hîc *to donec* exprimit quid ante partum evenerit, de quo dubium esse poterat; quid verò post, quia erat apertum & manifestum, tuæ intelligentiæ dereliquit.

Quod verò Christus dicitur Mariæ primogenitus, in hoc pari insciti â laborant Helvidiani & omnes Antidicomarianitæ illius sequaces: Nam primogenitus in Scripturâ dicitur, non relatione ad alios subsequêtes, sed ille antequam nullus, & si alii non subnascantur. Sic enim Exodi c. 12 legimus Dominum percussisse omne primogenitũ in terrâ Ægypti, quodq; domus non erat in tota Ægypto, in qua non jaceret defunctus: at nullo modo probabile in quâlibet domo fuisse plures filios: sic etiam in lege Exodi c. 13. mandatum fuit omne primogenitum Deo offerri, num ut hoc fieret secundò genitus expectandus erat? & si ille secundò genitus non venisset, an ille primogenitus offerendus non erat? XLII.

Quoad textium, nequitiam suam produnt illud objicientes, cùm ignorare non possint nomen *Frater* in Scripturâ, non semper sumi pro eo qui ex eodem Patre vel Matre immediatis cùm illo, cuius dicitur frater, genitus est, sed etiam pro aliis consobrinis seu consanguineis. Vide à nobis dicta in præcedentibus. XLIII.

Ad ultimum de nomine mulieris, quo, non alio, ab ipso etiam Christo filio suo Maria sacratissima compellata dicitur: quàm frigidum & inane est illud argumentum! similiter enim inferrem non alio eam nomine Christus compellat quàm mulieris, ergo non fuit ejus Mater, quid admittat hanc argumentandi rationem? Cæterùm imperitissimus Helvidius & socii non intelligunt nomen *Mulier* esse generale, quod universum sexum fœmineum complectitur, Virgines scilicet & nuptas, quantò magis ergo Mariam quæ etiam Mater erat & jam in majori ætate erat. Hinc Divus Ambrosius lib. de Instit. Virgin. cap. 6. *De mulieris nomine quid movemur? ad sexum retulit: non enim corruptelæ, sed sexus vocabulum est: vulgi usus non præjudicat veritati, denique virginitas primum hoc nomen accepit: nam cùm sumpsisset Deus unam de costis Adæ, & supplevisset carnem in locum ipsius, ædificavit eam in mulierem.* Genes. c. 2. v. 22. XLIV

Hæc porrò veritas Catholica sic ab hæreticorũ insultibus defensa probatur, XLV.

primò authoritate Scripturę, esto enim in illius litterâ non ita clarè & expressè sonet, continetur tamen certissimè in ejus sensu. Ac quidem primus locus est ille Ezechielis c. 44. vers. 1. & 2. *Porta hæc clausa erit & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam.* Hæc enim verba nullo modo possunt litteraliter accommodari templo materiali, ad quod tamen de primo videtur Propheta respexisse, ut patet, nulla enim talis porta fuit in eo: necesse est igitur illam intelligi de ejus figurato, scilicet Beatâ Virgine, per quam Christus Dominus ingressus est in mundum: quare D. Augustinus serm. 14. de Natali Domini, qui est 18. de tempore non longè à principio, quem sequitur D. Thomas 3. p. quæst. 28. art. 3. *Quid est*, inquit, *porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? & qui est homo non transibit per eam, nisi Joseph non cognoscet eam? & quid est Dominus solus intrat & egreditur per eam, nisi quod Spiritus sanctus prægnabit eam, & Angelorum Dominus nascetur per eam? & quid est clausa erit in æternum, nisi quod Maria Virgo est ante partum & Virgo in partu & Virgo post partum?*

XLVI. Secundus locus est ille Lucę c. 1. v. 34. *Dixit autem Maria ad Angelum, quomodò fiet istud quoniam virum non cognosco?* Ubi purissima Virgo ab Angelo nunciante eam concepturam, & parituram Altissimi filium, scisciatur modum, quo id in ipso fieri poterit, rationem suæ sciscitationis addens scilicet, *quia virum non cognosco*: quod non potest intelligi tantùm de præsenti, futilis enim esset sciscitatio, quia posset in futurum cognoscere: nec etiam de nudâ consuetudine, sicuti dicimus non bibo vinum: quia posset consuetudinem pro re tanti momenti dimittere: igitur intelligendum de proposito ita firmato, ut non posset resilire; ut idem sit ac si diceret; non possum, aut non licet mihi virum cognoscere: ita omnes Patres & Interpretes.

XLVII. Non ergò hîc dubitans de veritate promissi Angelici ita inquirit, ut blasphemat Calvinus, sed de modo quo id fieret sollicita, ne scilicet hic conceptus & partus fieri deberet cum virginitatis suæ, quam firmiter servare proposuerat, detrimento. Hinc D. Gregorius Nyssenus orat. de Nativit. Christi ita in hæc verba. *Audi pudicam Virginis vocem, Angelus partum nunciat, at illa virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonstrationi* (ecce concipies & paries filium) *anteponendam judicat.* Et post nonnulla. *Verùm quia carnem Deo consecratam, tanquam sanctum al quod oblatum munus oportebat intactam integramq; præstare, idcircò licet, inquit, Angelus sis, licet è cælo venias, licet id quod ostenditur naturam superet humanam; tamen me virum cognoscere nefas est. Quomodo sine viro Mater ero? Joseph enim Sponsum novi, sed virum non.* Si ergò ante Christi conceptionē tantum in ea fuit Virginitatis studiū & amor, an quęso post Christi conceptionem quando ejus animæ tota se gratiæ plenitudo infudit, & caro ejus novo modo Deo per ipsius attactum & inhabitationem dicata & consecrata fuit, illud propositum abjecit?

Quod si addideris cum Patribus à nobis inferius capite sequenti citandis etiā ex hoc loco benè colligi propositū voto firmatum, quantum robur adjicies huic ineluctabili argumento? Quis enim cogitare poterit, Deum talem elegisse Matrem, quæ carnem sibi ex voto consecratam, post ipsius attactum & inhabitationem tam sacrilegè incestasset? XLVIII

Addunt nonnulli è Patribus, ut Divus Ambrosius in Luc. cap. 1. & epist. 79. D. Epiphanius hæresi 78. & Divus Hieronymus lib. contra Helvid. tertium locum ex Joannis cap. 19. ubi Christus in Cruce pendens Matrem Virginem Joanni commendavit, dicens *Ecce Mater tua.* Ex hoc enim non obscurè colligitur, inquiunt, Beatam Virginem non habuisse ex D. Josepho alios filios, nam si habuisset non fuisset necesse illi alium filium dari cui commendata esset. XLIX

Licet verò hæc probationes ex Sacrâ Scripturâ magnæ sint efficacitatis, ut patet, præcipuum tamen apud omnes obtinet locum illa quæ sumitur ex Verbo Dei, non scripto, seu traditione, & summo illo totius Ecclesiæ, omnium Patrum, & gentium, ubique terrarum, & omni sæculo consensu; Sacrorum denique Conciliorum Oecumenicorum L

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum oraculis ac definitionibus, à quibus omnibus referendis abstineo, quia hoc ab innumeris actum est.

LI. Sed dices hæc quidem probare de Virgine Deiparâ, non verò de D. Josepho, quod tamen hîc suscepimus: Respõdeo licet tantùm probent de Virgine directè, probant tamen etiam de Divo Josepho indirectè: Namque si Beata Virgo ante & post partum castè cum illo vixit, sequitur nexu necessario Divum Josephum etiam perpetuò virginem vixisse, & recurrit D. Hieronymi argumẽtum, scilicet quod cum alias uxores habuisse non legatur, nec probetur, & fornicatio, multò minus adulterium non cadat in virum justum & sanctum, qualem fuisse Josephum, evidenter constat ex Evangelicâ Historiâ, restat ut ipse virgo semper permanserit. An enim ille ex proposito castitatis, uxore abstinuisset & cum alienâ fuisset scortatus, & interim Sanctus? Ista non cohærent.

LII. Probatur tertiò quadruplici ratione, quarum prima se tenet ex parte Christi: Secunda, ex parte Spiritus Sancti: Tertia, ex Virginis: Quarta, ex parte Divi Josephi, apud D. Thomam 3. part. quæst. 28. art. 3. Canisium libr. 2. de Deipar. cap. 10. Justinum Miechoviensem super Litan. Lauret. disc. 168.

LIII. Prima ergò ratio ex parte Christi ita deducitur, si Maria post editum Christum Dominum in lucem, Viri sui Josephi congressum admisit, ac multos ex illo filios procreavit, erravit ergo in eligendâ Matre, quæ diu continens esse aut nollet, aut non posset: Erravit ille qui in aliis mille virginibus exornandis tam mirè studiosus fuit, in hâc verò unâ conservandâ, quam tamen pluris facere debebat quàm cœteras, tam incuriosus fuit ut non curarit si ipsa talem tantumque virginitatis thesaurum, Deo, Angelisq; tam gratum, sibi à mortali viro eripi pateretur: Erravit denique carnem suam tam puram, tam sanctam ex eâ capiendo, quæ summam inhabitantis Dei gratiam, dulcedinemque degustata spiritualem, ad ea quæ carnis sunt & desideriorum ejus adeo tandem sese abjecit, ut quod spiritu tam benè cœperat, in carne demùm consummaret. Vide etiam pro hac ratione D. Ambrosium lib. de Instit. virg. cap. 6.

Secunda desumitur ex parte Spiritus Sancti, cujus Sacrarium fuit uterus virginalis Mariæ, in quo ipse Christi carnem formavit; & permisisset ille illud Sacrarium violari? aut per commixtionem viri, in illud aliud quàm Sacram novi Fœderis Arcam, Christum, inquam, Hominem & Deum introduci? De Sanctâ Ceciliâ in Actis ejus legimus eam hæc ad Valerianum Sponsum suum verba habuisse. *Angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meum: hic si vel leviter senserit, quod me polluto amore contingas, statim circa te furorem suũ exagitabit, & florem tuæ juventutis amittes.* Multarum quoq; aliarum Sãctarum Virginum pudicitiam Angeli tam strenuè propugnarunt, ut eam illæsam & inviolatam ab omni vi & petulantiâ tyrannorum servaverint; undè & procos eam labefacturos, alios cœcitate, alios paralysi, alios insaniâ, alios morte mulctarunt, ut in Actis Sanctarum Virginum Agnetis, Luciæ, Theophylæ, & aliarum legimus, adeo ut, quod mirum & notatu dignissimum est, nulla unquam Sanctarum Virginum ab impurissimis illis violata fuerit: Si ergo Spiritus Sanctus in aliis Virginibus conservandis, etiam à sponsis tam studiosus fuit, an in istâ unâ, quæ erat ejus Sacrarium, Filii Dei speciale habitaculum, ac totius Trinitatis nobile Triclinium, minus diligens fuisset? permitteret temerari aut imminui à mortali eam, quam ipse de Deo imprægnando tam sanctè consecrarat? Absit tam indigna de Spiritu Sancto castorum consiliorum seminatore cogitemus. LIV.

Tertia ratio est ex parte ipsius Virginis: quàm levis enim illa fuisset, & inconstans, quæ novo & insano consilio ab eo studio resiliendum putasset, quod prius tam sanctè cogitaverat & proposuerat, nunquam scilicet virum cognoscere? Quis post Christum Spiritus sancti virtute in utero de suâ carne conceptũ, putet studium puritatis in eâ decrevisse, non verò potius crevisse? Quis in animum suum inducere possit quod illa quæ ante Deum conceptũ omnem carnalem affectum exuerat, quæ LV.

suum corpus ad summâ puritatem comparaverat, quę deniq; illud velut nitidissimum Deo domicilium exhibuerat, eo jam concepto, & corpore suo per ejus inhabitationem summâ quâ fieri potuit ratione consecrato, viri complexum & carnale commercium vel amaverit, vel sustinere voluerit.

LVI. Quarta ratio, etiam in Divum Josephum contumelioši sunt, qui eum quem Evangelium tam sanctum declarat, adeò malè castum volunt, ut libidine nescio quâ incitante in sacrosanctum illud templum polluendum involaverit, quod certissimè sciebat à summo Deo mirabiliter electum, plenissimè inhabitatum, amplissimè sanctificatum, & æterno Dei filio unicè fuisse consecratum? *Esset*, inquit D. Thomas loco mox citato, *ei ad maximam præsumptionem imputandum, si eam quam revelante Angelo de Spiritu sancto Deum concepisse cognoverat polluere attentasset.* Et verò cùm tam sanctus esset, tam castus, ut etiam ignarus ejus mysterii, quod Deus in uxore suâ operari decreverat, ab ejus tamen complexu ex solo virtutis motivo abstinere proposuerit, de factoque abstinuerit, ut patet ex Evangelio Matth. cap. 1. v. 18. *Antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, & vers. 25. *& non cognoscebat eam donec peperit, &c.* quomodo credibile esse posset, quod post Christum in eâ conceptum, & ex eâ natum, & tanti conscius mysterii, attentare præsumpserit, ut quam aliàs Virginem servare decrevetat, ad carnale commercium sollicitaret? Quis nisi impius & vecors talem unquam admiserit cogitationem? Quomodò enim si tale quid attentasset, laus ei constaret quam ei divinum defert Evangelium, Virum illum vocans justum, hoc est sanctum, divinis revelationibus dignum, in Patrem, Nutritium, Custodem, Tutorem, & Salvatorem Christi electum?

LVII. His quatuor rationibus ex iis qui supra decerptis, duas alias subnecto non minùs prægnantes: quarum prima sumitur ab exemplo non paucorum conjugum, de quibus brevi infrà, qui post Mariam & Josephum, stupente mundo, stridente diabolo, etiam in ipso Connubio, hoc est in mediis flammis, ut Rubus Moysis, vel pueri in fornace Babylonis, servatâ perpetuâ & illibatâ integritate, inusti viventes, admirabiles omnibus sæculis facti sunt: Ex quo sic argumentor si rem æquâ lance perpendimus. Quod in tot aliis conjugibus etiam juvenibus, & in summo vitæ splendore ac deliciis viventibus, admittimus, an id Mariæ & Josepho concessum inficiabimur? Isti sponsalia contraxerunt, nuptias celebrarunt, vitamque omnem, alii diuturniorem, alii curtiorem in conjugio & continuò convictu exegerunt, invictis in continentiæ studio animæ: & Virginem sacrosanctam, ac Deiparam omnium supremam, & Joseph Sanctissimum, illiusque sponsum purissimum, ac Christi Domini Patrem, Nutritium, Tutorem, Salvatorem, tam infœliciter nupsisse putabimus, ut tam multi illis palmam præripuerint, ipsam & illum in puritatis proposito anteverterint? Quasiverò non illi Principes, decus, ac trophæum totius castimoniæ existant? quorum vitam non solùm Virgines sed & Conjuges tanquam omnis pudicitiæ exemplar debeant intueri & imitari. Etsi ergo illi omnibus omnia facti sunt, utpote omnium uterque virtutum perfectissimum speculum, attamen in eo maximè excellunt, quod primi omnium insuetam hanc omnibus retro sæculis rationem & viam virginitatis ingressi sunt, quodque primi in Conjugio supra humanum morem vixerint, nullo carnis usu, Angelicâ vitâ, ut frater & soror, non ut Conjuges: quæ quoniam miracula erant, ideò majore miraculo stupente naturâ, illa mundo filium edidit, hic susceptit.

Ultima ratio talis est, quod si Dei- LVIII.
para Virgo congressum Divi Josephi post Christi nativitatem admisisset, & cùm eo filios alios procreasset, magnum haberent Judæi & Hæretici fundamentum negandi non ex Josepho cui desponsata tunc erat genitum; quandoquidem constaret ex sequentium procreatione liberorum cum illo non fuisse continentem?

Maneat ergo inconcussa hęc veritas, LIX.
quam docent Divus Hieronymus in cap. 12. Matthæi, & lib. contra Helvid.

D. Au-

D. Augustinus serm. 14 de Nativit. Domini. D. Anselmus in cap. 12. Matthæi, Rupertus in cap. 1. Matthæi, Beda in c. 3. & 6. Alcuinus in cap. 2. Joannis, Hugo de Sancto Victore quæst. 5. in ad Galatas, & Artic. 4. ad 3. Scholastici cum Magistro in 4. sentent. dist. 30. & cum illis jam omnis Theologorum Chorus, Divum Josephum non tantùm ante Christi partum Virginem fuisse, sed etiam post, & perpetuò castè cum castissimâ & purissimâ Conjuge suâ convixisse.

## CAPUT V.

### *An illam quam in Conjugio semper servarunt Continentiam Divus Joseph & Beata Virgo servarint ex voto?*

I. HOc Sacrum Par Conjugum, licet sub lege vixerit veteri, ex tunc tamen Evangelico plenos Spiritu, supra legem philosophatos fuisse, ac vixisse, quis dubitet? In his enim eas deprehendimus virtutes, quas non solùm antiqua Lex (quæ nihil ad perfectum adducit) non vidit, sed etiam quas nec ferè Evangelium docet, quia nimirùm extra omnem aliarum creaturarum ordinem tam veteris quàm novi fœderis, ob specialissimam ad Christum relationem & connexionem constituti, ad altiorem alterum, scilicet unionis hypostaticæ, quemadmodum alibi dicemus, evecti sunt.

II. Enimverò, ut ne longius hujus asserti probationem quæramus, certum est nec etiam in Evangelio vel vestigium inveniri ejus continentiæ, quam in his sacris Conjugibus admiramur, & prædicamus, Virginalis dico in Conjugio, & per votum Deo dicatæ & consecratæ: Licet enim verum sit Apostolum 1. Corinth. cap. 7. exhortari ut *qui habent uxores tanquam non habentes sint*. Ideſt juxta genuinam D. Augustini lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 14. in fine interpretationem, ut pari consensu vir cum uxore, si fieri potest, ab invicem abstineant, & castitatem illibatam servent: nihil tamen ibi, nec alibi in omni Evangelicâ & Apostolicâ Scripturâ de tali abstinentiâ & castitate ex voto.

III. Itaque ordinaria antiquæ legis continentia erat, quod quis in conjugio propriâ contentus uxore, extraneæ non commisceretur: novæ legis quod Virginitas ex voto, sed in Cœlibatu, & extra matrimonium colatur: In his verò sacris Conjugibus Virginitas cum conjugio ita maritata est, ut hanc Deo voventes, seipsos ei purissimum & omnibus holocautomatibus acceptabilius sacrificium obtulerint: quæ propositio ita constans est apud omnes fideles, ut jam nemo sit qui illam neget, nec ullus unquam quantùm spectat Beatam Virginem, nisi Antidico-Marianitæ, de quibus supra, & Novatores aut Votifragi, aut certè votorum, aut præcipuè continentiæ hostes impuri, ex quibus Calvinus, ita pro omnibus clamat in suâ Harmoniâ. *Existimabimusne*, inquit, *Virginē passam fuisse se marito collocari, ut eum luderet? fuisset profectò perfidia gravi reprehensione digna, si sanctum Conjugii fœdus, non sine ludibrio Dei suscepisset.* Quasiverò ut ne virum luderet Virgo virginum, debuerit dum Josepho nupsit aut ei nupta convixit, perpetuò parata esse ad copulam carnalem, ac sic mente & proposito Virgo esse desiisse; sin minus, gravis perfidiæ & ludibrii Dei in sancto Conjugii fœdere suscipiendo rea sit: & non potiùs dicendum pro honore tantæ Matris & tanti Filii, ipsam viro suo propositum suum aperuisse, ac illum aliundè satis ad Angelicam virtutem dispositum, verbis & exemplo suo, divino præsertim adspirante Numine perduxisse.

IV. Nec solâ authoritate nititur hæc veritas, sed etiam rationibus, & probatur primò quoad Beatam Virginem: Nam si dum nupsit, & etiam nupta debuit semper esse parata ad congressum virilem, quomodò ergò *Virgo*, eo sensu quo semper credidit Ecclesia, quæ teste D. Augustino in Enchiridio cap. 34. nomen *Virgo* absolutè & sine addito prolatum, de solâ Deiparâ, uti per Antonomasiam tali, semper & ubique usurpavit? ideòque ab eâdem Ecclesiâ in Litaniis, & à Sanctis Patribus in suis scriptis

scriptis *Virgo virginum* nuncupata, hoc plus virgo, seu excellentius virgo, quàm cæteræ omnes quæ Virgines sunt & dicuntur. Nam ut norunt periti genitivus pluralis reflexus supra nominativum in eodem genere, facit quod nominativus æquiparetur gradui superlativo, & significet summum gradum illius in eo genere: Sic enim Deus verus dicitur, *Deus Deorum*, Psalm. 135. vers. 5. Sic Christus *Rex Regum & Dominus Dominantium*, Apoc. cap 19. vers. 16. Sic Cælum Empyreum, *Cælum* dicitur *Cælorum*, Psalm, 148. vers. 4. & sic de aliis. Ac proindè dicendum, ideò Beatam Deiparam dici Virginem Virginum, quia ejus virginitas superat omnium aliarum virginitatem.

V. Quod ut ita sit, propositum ejus de servandâ Virginitate (in quo consistit ratio formalis virginitatis ex D. Augustino lib. de Virginit. cap. 13. in principio, & D. Thomâ 2. 2. quæst. 152. art. 1. quos sequuntur omnes Theologi) debuit esse cæteris perfectius, firmius & nobilius, & porrò fuit. Perfectius quidem, quia ex majori gratiâ & perfectiori amore Dei, & affectu istius Angelicæ virtutis: Firmius verò, quia voto firmatum, & ab omni cõtrario seu repugnante liberum: caruit namque Deipara omni carnis rebellione. Tandem fuit nobilius, quia ad altiorem finem ordinatum, nempè ad hoc ut fieret Mater Dei: sicut ergò ita ex rectâ ratione concludimus de B. Virgine, ex hoc quod electa est ut esset Mater Dei, ita à pari, sub illâ tamen, de ejus suppare D. Josepho, Virgineo suo Sponso concludere par est, ut & dignus esset Pater Christi, & tantæ Virginis conjugio ac convictui aptus.

VI. Illud quoque ipsum ex sequentibus eruitur principiis: Primum est, quod omnes Theologi constantissimè docent cum D. Thomâ 2. 2. quæst. 88. art. 6. melius esse ac magis meritorium cæteris paribus quod fit cum voto, quàm quod sine voto, ut constat ex sexcentis Scripturis, quæ vota commendant, exhortantur ad illa facienda, & cùm facta fuerint adimplenda: Roboraturque triplici ratione, prima ex parte voventis, tum quia ille qui vovet aliquid, & illud facit, magis se Deo subjicit, quàm ille qui solum facit: subjicit enim se Deo, non solùm quantùm ad actum, sed etiam quantùm ad potestatem, quia de cætero non potest aliud facere: tum quia per votum figitur voluntas & immobiliter firmatur in bono: facere autem bonum ex voluntate firmata in bono, ex Aristotele 2. Ethic. cap. 4. pertinet ad perfectionem virtutis. Et patet primò à contrario, quia ille qui peccat mente obfirmatâ in malo, gravius peccat; ergo etiam qui mente stabili & immobili facit bonum, auget meritum. Secundò à simili, quemadmodum ille meliùs scribit vel pingit, qui firmâ manu id facit, quàm qui tremulâ, ita etiam quod fit ex voluntate firmata in bono, fit perfectius quàm quod fit ex voluntate titubante & mobili.

VII. Secunda ratio sumitur ex parte objecti, quia opus quod fit ex voto, non tantùm elicitur à propria virtute, v. g. Castitatis, cujus proprium est opus, sed etiam à nobiliori virtute, puta Religionis, à qua imperatur. Votum enim est pars quædam Religionis, quæ virtus est inter morales præcipua, quia pertinet ad Divinum cultum, & magis immediatè Deum respicit, immò est pars illius nobilissima, quia reducitur ad latriam, ut docet D. Thomas ibidem artic. 5. Quemadmodum ergo in virtutibus Theologicis & aliis, actus melior est si imperatur à charitate quæ illarum est Regina, quàm dum præcisè à propriis habitibus elicitur: Ita etiam actus Moralium virtutum (qualis est continere) sunt meliores & magis meritorii si fiant ex voto, quia sic sunt quædam sacrificia, & pertinent ad Religionem, quæ illarum omnium caput est: & continere cum voto est virtutis Temperantiæ & Religionis, sine voto solius Temperantiæ. Tertia ratio ex parte modi, quia quod procedit ex voto, procedit ex majori affectu ad illud, quàm quod fit sine voto: Opus autem virtutis ex majori affectu procedens, indubitanter est melius & majoris meriti.

VIII. Secundum principium est quod cùm nobis constat de virtute aliqua istorum duorum sacrorum Conjugum, præcipuè verò si sit communis inter illos, & ad eundem finem, nulla tenus est

est ambigendum illam ab eis exercitam, & possessam perfectiori modo quo potuit, aut saltem quam ab ullâ aliâ creaturâ, hoc enim exigit illorum supra illas electio, dignitas, ac meritum.

IX. Tertium principum. Constat autem ex supradictis illos semper servasse Virginitatem usque ad mortem: ac deinde aliquos Sanctos eam etiam in matrimonio post illos voviſse, & observasse quos in magno numero, vide in sequentibus capite octavo per totum.

X. Rarum quidem istud Conjugii genus, sed quò rarius eò laudabilius Deoque charius, quod non caro, sed sincera in Christo dilectio conciliavit, sanctaque animorum conjunctio in Evangelicâ castitate confirmavit, ut ambo veluti sacrum preciosumque munus ex communi proposito Deo reverenter offerrent, fideliterque persolverent. Quis verò his fundamentis suppositis, neget parem, imò majorem D. Virgini Deiparæ, virgineoque ejus Sponso Josepho mentē & consilium incidisse? utpote qui toti è Christo casti Concilii seminatore penderent, ac divinâ illius gratiâ fortius quam illi subnixi essent.

XI. His efficacissimis rationibus ultimam vim & robur addit Authoritas Scripturæ Luc. cap. 1. vers. 34. à SS. Patribus explicatæ, ubi Angelo de cœlis nuncianti, & dicenti Mariæ jam Josepho conjunctæ, *Ecce concipies in utero & paries filium, &c.* Respondet illa non ut incredula de nuncio, sed ut sollicita pro voto, *quomodo fiet istud?* rationemque sui scrupuli subdit dicens: *Quoniam virum non cognosco*, ubi illud, *non cognosco*, non potest intelligi tantùm de præsenti, sic enim nullus fuisset admirandi aut scisitandi locus, sed in eo acquiescere poterat quod promiserat Angelus, cogitando promissum filium ex maritali sui Sponsi complexu, ut cæteris conjugibus, sibi quoque nasciturum. Non etiam intelligi potest de nudâ consuetudine, aut etiam proposito quocumque excluso voto: sicuti dicunt v. c. abstemii non bibo vinum, vel ex simplici proposito continere volentes, non nubo, quia posset, imò deberet talem consuetudinem, aut tale propositum pro re tanti momenti, qualis erat illa ipsi ab Angelo tunc proposita, propriâ & prudenti voluntate mutare: intelligitur ergo de proposito voto firmato, à quo resilire non licet; ut idem sit ac si dixisset, non possum virum cognoscere: Quemadmodum ergo illi qui Religioni, voto, aut publicâ professione, ad aliquid servandum nomen dederunt; dicunt in præsenti v. c. Christianus, Jovem non adoro; Carthusianus carnes non edo, Capucinus pecuniam non tango, & hoc est idem ac si diceret non possum adorare Jovem, edere carnes, tangere pecuniam, quia impedior Religione Christi, quam profiteor, Regulâ quam vovi. Ad eundem planè modum Religiosa, & sui voti conscia, piique propositi tenax Virgo, verbis illis Angelicis affata, non immeritò hæret & quærit, quomodò promissi filii mater erit futura, quandoquidem virum non cognoscit? quod perinde est ac si diceret, non diffido verbis tuis Gabriel, qui haud dubiè Dei nuncius es: sed quomodo, seu quâ ratione fiet id quod dicis, ut tanti sim mater filii? etsi enim Josepho nupsi, tamen ab eâ cogitatione, ut mater fiam, sum prorsus aliena, quandoquidem viri consuetudinem mihi jam ante penitùs interdixi, meamque Virginitatem Deo consecravi: Quæ interpretatio & verbis Scripturæ, & rationi consentanea, nullum reformidat censorem etsi rigidissimum.

Neque hic hujus loci sensus tantùm noster est, eodem modo illum intellexerunt & interpretati sunt ante me SS. Patres, quos inter D. Gregorius Nyssenus orat. de human. Christi Generat. ubi hæc habet: *Si Maria liberorum causâ ducta fuisset à Joseph, quomodo parituram Angelo prænuncianti, se rem novam & alienam audire præ se tulisset, cùm ipsa quoque sese obstrixisset naturæ lege ut aliquando mater esset? Verum quia carnem Deo CONSECRATAM tanquam sanctum aliquid oblatum munus oportebat intactam, integramq; perstare, idcircò licet, inquit, Angelus sis, licet è cœlo venias, licet id quod ostendis naturam superet humanā, tamen me virum cognoscere nefas est Quomodò sine viro mater ero? Joseph enim Sponsum novi, sed virum non, &c.* ubi S. Pater ex his Mariæ ad Angelum verbis, colligit Mariæ carnem Deo consecratam

XII.

secratam, & ejus votum, per quod fuit Deo consecrata; ob cujus Religionem virum agnoscere illi nefas sit, nec ab illâ virginitate, quam voverat, ob ingentia illa Angeli promissa discedere voluisse, sed his istam omninò prætulisse.

XIII. Divum Gregorium, Divus sequitur Augustinus lib. de Sanctâ Virginitate cap. 4. *Ipsa quoque*, inquit, *virginitas Mariæ ideò gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo quam conservaret ipse præripuit, sed prius quam conciperetur jam Deo dicatam de quâ nasceretur elegit: Hoc indicant verba quæ sibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit*: Quomodò, *inquit*, fiet istud quoniam virum non cognosco? *quod profectò non diceret nisi Deo Virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat. Quanquam etiam si hoc solum dixisset*, Quomodò fiet istud? *nec addidisset*, quoniam virum non cognosco, *non quæsisset utique sibi promissum filium quomodò fœmina paritura esset, si concubitura nupsisset. Poterat & juberi Virgo permanere, in quâ Dei Filius formam servi congruenti miraculo acciperet, sed exemplo sanctis futura Virginibus, ne putaretur sola Virgo esse debuisse, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, virginitatem Deo dicavit cum adhuc quod esset acceptura nesciret, ut in terreno mortalique corpore cælestis vitæ imitatio, voto fieret non præcepto; amore eligendi, non necessitate serviendi.* Vide eundem homil. 14. de Nativit. Domini. Ex quibus Augustini verbis manifestè colligitur: Primò, Mariam non modò virginitatem suam Deo vovisse, sed etiam propter hoc votum Deo gratiorem fuisse, quod scilicet se totam Deo dedicasset, atque adhuc sub Moysi lege vivens, liberè & ex amore consecrasset, eaque ratione id assecuta esset, ut eximio secuturis postea virginibus præluceret exemplo.

XIV. Divus Anselmus homil. in hæc verba: *Intravit IESVS in quoddam Castellum*; in eadem verba ita quoq; ut Gregorius & Augustinus ratiocinatur. *Si*, inquit, *cuilibet virgini desponsatæ diceretur filium habebis, non miraretur, neque interrogaret quomodo istud fieret? utpotè quæ se desponsatam à viro gravidari usu naturæ speraret. Hoc autem Maria non immeritò mirata est, & quomodo fieret quod promittebatur scisciatur? quoniam quamvis desponsatam, tamen se nunquam virum cognituram certò sciebat.*

Quibus adstipulatur D. Chrysosto- XV.
mus homil. 40. in Genes. ubi sic ille. *Ne quæras, inquit Angelus, naturæ modum & ordinem, quando super naturam sunt quæ fiunt: Nam si cognosceres virum, non fuisses habita digna ut huic mysterio servires, non quia malum nuptiæ, sed quia melior virginitas: Hunc enim ingressum nostri omnium Domini digniorem esse oportet quàm nostrum. Regius enim fuit introitus: Oportebat autem & partim cum nostra nativitate communicare, & partim alienum esse, & utraque hæc fuerunt. Nam de utero prodire commune habet nobiscum: absque nuptiali autem congressu nasci supra nostram est nativitatem.* Similia habent D. Bernardus serm. 1. in *Signum magnum*. Item serm. in Nativit. Mariæ Ven. Beda homil. in illud Evangelii *Missus est Angelus*. Rupertus lib. 3. in Cantic. & alii.

Porrò ut ex hoc Scripturæ loco Ma- XVI.
riæ Virginitatem concludamus voto firmatam, ita ex eodem pariter pro Divo Josepho ejus Sponso Virgineo argumentamur: Nam votum illud quo obstricta fuisse colligitur Beata Virgo, vel factum est post ejus cum D. Josepho desponsationem, vel ante. Si post desponsationem, quomodò tunc illud facere potuit, nisi monito & consentiente Sponso, in cujus jam transierat potestatem per matrimonium? Et potuit ne ille consentire, & quod se ab illa perpetuò contineret promittere, & non ipse ita castus, idem quod illa, ejus exemplo, hortatu Dei impulsu vovere? non capio. Si autem ante desponsationem, quomodò potuit illi nubere, si non fuisset certa de simili proposito ex parte Sponsi? Certè si aliter processisset, periculo se exposuisset. Quare & ne hoc sibi contingeret, & ne Josepho Sponso injuriam pararet, eum de voto à se nuncupato præmonere debuit, & ne votum suum in discrimen adduceret, eum explorare, & vel jam ejusdem

secum

secum propositi, inveniſſe, vel facere, obſtetricante Dei gratiâ.

XVII. Stat ergo & ſtabit in æternum quod docet Eximius Hugo de S. Victore ſui temporis alius Auguſtinus lib. de Conjugio Mariæ, D. Thomas in Annotat. ſuper Epiſt. ad Galat. cap. 1. & part. 3. quæſt. 28. artic. 4. ad 3. Gerſon ſerm. de Nativit. Beatæ Mariæ conſid. 3. noſter Waldenſis tomo 1. lib. 3, cap. 22. Quos jam ſequitur omnis Theologorum Chorus, Divum Joſephum unà cum Sponsâ ſuâ lectiſſimâ in nuncupando & ſolvendo virginitatis voto ſanctè conveniſſe, Divino ſcilicet id providente Numine, ut ad grande illud Arcanum, à quo mundi ſalus pendebat, Virgini Matri talis Conjux adhiberetur, qui, ut in cæteris virtutibus, ſic etiam in ſummâ pudicitiâ, illi concors eſſet & conformis.

## CAPUT VI.

### *Quando ab illis votum illud de ſervandâ Virginitate emiſſum?*

I. DUo ſunt circa hoc certa ex jam dictis: primò: votum illud ab utroque emiſſum. Secundò, emiſſum ante Annuntionem Mariæ, ut patuit evidenter ex interrogatione illâ Mariæ ad Angelum, *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* Reſtat nunc quærendum an etiam ante deſponſationem?

II. Et quidem de Beatâ Virgine videtur omninò certum: ſicque cenſent poſt D. Auguſtinum mox citatum omnes Theologi, qui dum diſputant an verum interceſſerit inter Mariam & Joſephum matrimonium, ſupponunt ante illud fuiſſe in illis caſtitatis votum maximè verò in Mariâ. Probatur primò ex quæſt. 2. cap. *Sufficiat*, ubi Nicolaus Papa ait. *Si Beata Maria contra ſuum propoſitum conſenſit in carnalem copulam, rea facta eſt voti virginalis mente, etſi non opere violati, quod de eâ ſentire nefas eſt.* In hac etiam ſententiâ fuit noſter Doctor Reſolutus Joannes Bacchonius in 4. diſt. 32. quæſt. unicâ art. 3. ubi in Reſponſione 2. ad difficultatem in artic. propoſitam ſentit non obſtare veritati Matrimonii votum Beatæ Virginis, quod illud anteceſſit: Nam, inquit, illud ſubjecit Divinæ diſpoſitioni, quia propoſuit ſe virginitatem ſervaturam, niſi Deus ſibi aliter revelaret, & ſic, ut dicit Gloſſa ibidem, Deo revelante potuit licitè matrimonium contrahere ſuppoſito quod voviſſet etſi ſolemniter, quia quantumcumque ſit votum excipitur authoritas majoris, tit. *de jure jurando.* Venientes.

III. Probatur ſecundò, quia cùm conſtet quod ante Annuntiationem voverit, quid afferri poteſt cur illud fecerit tempore ſolùm quod mediavit inter illam & deſponſationem, & non ante? Quinimmò niſi dicamus illam ante deſponſationem voviſſe, non removeretur ſufficienter abillâ ſuſpicio, quod non nupſerit ut cæteræ puellæ, hoc eſt liberorum causâ, ut voluerunt poſt Calvinum citatum Cap. præcedenti num. 3. Centuriatores centur. 1. lib. 2. cap. 10. ut quid enim admitteretur in eâ votum ante Annuntiationem & non ante deſponſationem, niſi quia voto obſtricta non potuiſſet nubere? Ex quo ſcilicet vel non potuiſſet conſentire in copulam ne violaret votum, ac ſic matrimonium fuiſſet nullum: vel ſi conſenſiſſet, mente violaſſet votum, ac ſic matrimonium licet validum, fuiſſet tamen ſacrilegum.

IV. Sed præmitur illud ipſum argumentum contra adverſarios: Nam vel Beata Virgo quando nupſit, conſenſit in copulam, vel non: ſi non conſenſit, ergo nullum contraxit matrimonium; ſi conſenſit, ergò vera Virgo non permanſit. *In eo ipſo namq.*, inquit elegantèr Hugo à Sancto Victore tomo 3. lib. de Mariæ Matris Dom. Noſt. Virginit. perpet. cap. 1. paulò poſt init. *propoſitum virginitatis deſeruit, quo ſe per conſenſum debito carnalis commercii in conjugali Sacramento ſponte ſubjecit. Ac per hoc, quod virginitatis propoſitum in conſenſu copulæ carnalis deſeruit, jam mente virgo eſſe deſiit, etiamſi carne virgo permanſit. Quæ eſt igitur hæc Virgo virginum, ſingularis integritate, unica caſtitate, excellens dignitate? Quæ ſunt iſta præconia & aſſiduæ laudationes, immò potiùs quæ ſunt quotidianæ iſtæ adulationes quibus ſingu-*

*lariter laudabilem, & excellenter super omnes gloriosam Mariæ virginitatem prædicamus, quæ non solum omnibus virginibus præferenda non est, sed multis etiã postponenda, quæ & carne virgines probatæ sunt, & virginitatis propositum usque in finem mente castâ atque devotâ inviolatum tenuerunt? Comparetur nunc virginitas Agnetis & Mariæ, & quæ fuerit in merito probata sublimior, dignè etiam in laudibus excelsior teneatur: illa se in custodiâ virginitatis tam invictam exhibuit anno decimo-tertio, ut eam à proposito suo, nec ipsa mors illata dejiceret: Hæc se tam mobilem demonstravit, ut unius eam viri & pauperis affectus ad consensum sui inclinaret. Illa in tantùm virginitatem dilexit, ut quidquid in ejus comparatione pretiosum promitteretur, contemnendum crederet, quidquid pro ejus defensione durum inferebatur non timendum judicaret: Hæc virginitatem tam facilè despexit, ut eam & sine præmio promisso desereret, & sine pœnâ illatâ abdicaret. Quid igitur restat nisi ut dicamus, inferiorem habere gradum in merito ac laude virginitatis illam, quæ à proposito conservandæ virginitatis sponte cecidit, etiam si carne virgo permansit: Superiorem verò illam, quæ cum carnis integritate propositum virginitatis usque in finem inviolatum custodivit.*

V. Dices non idem est nubere cum voto, ac nubere cum proposito castitatis, quia qui nubit cum solo proposito castitatis non peccat; peccat verò qui cum voto. Undè D. Augustinus lib. de bono Viduitatis cap. 8. & 9. & de Adult. Conjug. cap. 15. & cap. 24. ait in iis qui voverunt castitatem, non tantùm nubere, sed etiam nubere velle damnabile est: Et colligitur ex Apostolo 1. ad Timoth. cap. 5. vers. 11. Quare cùm Beata Virgo nuptura esset, potuit habere propositum castitatis, non votum: sed hæc instantia fuga est argumenti, non evasio, quia hæc differentia est tantùm accessoria ad consensum matrimonii: nam quoad entitatem ipsam consensus de quo hîc, eodem modo se habent nubens cum proposito virginitatis & nubens cum voto. Neuter enim consensum illum præbens in copulam virgo permanet. Plura de his alibi, ubi de veritate matrimonii.

VI. Probatur tertiò, cùm desponsatio Beatæ Virginis cum D. Josepho fuerit ultima quasi dispositio executionis illius æterni Consilii, quo filius Dei ante tempora sæcularia decreverat fieri filius hominis, consequenter eadem sacratissima Virgo in matrem suam elevari, oportuit quod tunc essent in illa omnia prærequisita ad hoc, ut in illâ Deus magnum illud opus dignè exequi posset: sed ut in eâ opus illud dignè Deus exequeretur, requirebatur sũma virginitas, & qualis nulla talis, quare antequam desponsaretur, debuit omninò caro ejus, ex quâ Deus suam sumpturus erat, esse per votum Virginitatis sanctificata, & Deo consecrata. Primò quia docente D. Augustino lib. de Sanctâ Virginitate cap. 8. *Neque ipsa virginitas quia virginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur, quælicet in carne servetur, spiritus tamen Religione ac devotione servatur, ac per hoc etiam virginitas corporalis spiritualis est, quam vovet & servat continentia pietatis.* Secundò, quia virgo eo castior est, quo majorem habet affectum ad Virginitatem, sed vovere virginitatem, est ex affectu majori ad virginitatem, ergò Diva Deipara jam voverat, quando Sponso tradita est ut mater jamjam fieret. Tertiò, quia cum Beata Virgo indè ab ortu suo fuerit semper & in omnibus speciali Spiritus Sancti unctione imbuta, & cælesti sapientiâ perfusa, cur non sciviſſet ante, ut post suam desponsationem, votum virginitatis esse Deo gratum & acceptum? an hoc illi occultandum fuit donec nupsisset? & si occultatum, quare? sin verò, cur distulisset illam vovere? Ad hoc quid responderi poterit?

VII. Dices in lege maledicta erat sterilis quæ non pariebat: Respondeo primò, intelligitur de sterili quæ in conjugio generationi vacans, sterilis & infœcunda erat, non autem de eâ quæ voluntariè castitatem servabat. Constat hoc sexcentis exemplis ex Scripturâ, præcipuè verò in Filiis Prophetarum, ideſt discipulorum & sequacium Sancti Patris Nostri Eliæ Prophetæ, qui virgines non mansissent, si virginitas sub hoc maledicto comprehensa fuisset. Quin è contra Sapientiæ cap. 3. dicitur.

*Felix*

*Fœlix sterilis & incoinquinata, quæ non novit thorum in delicto, habebit fructum in respectione Animarum sanctarum.* Et Isaiæ cap. 56. vers. 5. promittit Deus Eunuchis, intellige illis qui se castraverunt propter Regnum cœlorum (quod fit per votum inducens impotentiam moralem) *In domo sua locum & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum quod non peribit.*

VIII. Instabis, locus ille ad litteram intelligitur de Eunuchis qui sic nati sunt, vel qui ab hominibus facti sunt, quos nec Deus ab Ecclesiâ repellit. Respondeo, maximè tamen intelligit Eunuchos voluntarios, de quibus Christus Matthæi cap. 19. vers. 12. qui seipsos castraverunt propter Regnum Cælorum. Et certè si illis erit in Ecclesiâ & in cœlo nomen glorioſius & diuturnius quàm possent habere à filiis & filiabus, quantò magis his qui ita se propter Deum castraverunt? Ita hunc locum explicant Sanctus Augustinus lib. de Sanctâ Virginitate cap. 24. & lib. 14. contra Faustum, Sanctus Hieronymus in hunc locum, Sanctus Ambrosius Exhortat. ad Virgin. Sanctus Gregorius Papa 3. part. Pastoral. cap. 29. & alii Sancti Patres, idque fusè probat Doctissimus Franciscus Forerius Ordinis Prædic. suis in hunc locum Commentariis. Primò ex verbo Hebræo *nilva*, quod plenè illis solis cõpetit qui ideò se castraverunt propter regnum cęlorum, ut perfectius Deo servire posset. Secundò, ex *to qui custodierint sabbatha mea*: hi enim præ omnibus perpetuum Deo Sabbathum celebrant, dum noctes & dies orationi, Meditationi, sacræ lectioni, in summâ quiete transigunt; uti Essæos feciſſe narrat Philo Judæus, qui fuerunt Monachorum Parentes & S. P. N. Eliæ Successores. Tertiò, ex verbis *elegerint quæ ego volui: Qui* enim ea magis eligunt quàm tales, qui ut plurimum non tantùm præcepta Dei, sed etiam consilia complectuntur? Quartò, ex verbis immediatè præcedentia sequentibus, *& tenuerunt fœdus meum.* Quinam enim sunt qui non violant nec vel in minimis fœdus Dei, nisi illi qui arctiori se vinculo ad illud servandum adstrinxerunt, quales sunt spirituales illi Eunuchi? quæ omnia non ignorabat illuminatissima Virgo, electa (etsi hoc tunc nesciret) ut esset illa quæ filium Dei, manens Virgo, utero suo concipere, gestare per 9. menses, & parere debebat, cujus & vel ipsa pedissequa esse gestiebat?

Respondeo secundò, Deus inter alias benedictiones populo Judaïco datas hanc unam ponebat quod inter illos nullus utriusque sexus sterilis esset: quare Judæi à contrario sensu inferebant steriles maledictos, utpote qui ab illâ divinâ benedictione alieni erant, cùm tamen major semper fuerit benedictio utrique sexui sterilem esse seu Virginem ex electione propter Deum: nec aliud Judæi, ex Scripturâ proferent testimonium contra hanc sterilitatem, quam illud à contrario sumptum: Ergo illud maledictum à solâ pendebat hominum opinione, quàm Beata Virgo non curabat, utpote unicè à Spiritus sancti ductu pendens. Quare sic illa secum loquebatur teste Divo Bernardo homil. 2. in Missus est: *Melius est mihi maledictum incurrere quam castitatem violare; nam licet video maledictum, sed non peccatum. Hæc enim maledictio quid est nisi hominum exprobratio?* IX.

Objicies capite *Beata Maria* 27. Quæst. 2. ex Divo Augustino legimus eam decrevisse servare virginitatem nisi Deus aliter revelaret, non ergo vovit. Respondeo caput hoc D. Augustino attributum, non reperiri inter opera ejus, ut notat Rebellus lib. 2. de Matrim. quæst. 13. sect. 2. num. 6. Ubi etiam ait non esse verosimile illud ex variis Augustini libris fuisse decerptum, ut quibusdam placuit, quia continet sententiam cum Doctrinâ S. Augustini minimè cohęrentem, & falsam, nempe quod immaculatissima Virgo cum nupsit, in copulam cõsenserit, non quidem illam appetendo, sed divinæ voluntati se submittendo; qui consensus mentalem virginitatem excludit, quod de eximiâ & summâ virginitate nefas est cogitare, illam enim virginitatem ei debemus attribuere; quâ nulla major. Igitur qui caput illud collegit, Gratiano & Magistro, & aliis imposuit, qui propter illud moti sunt ut ita de Virgine sentirent. X.

XI. Respondeo secundò, potest & illud caput si sit ex D. Augustino, explicari sic; dicendo quod cùm Beata Virgo dicitur decrevisse servare virginitatem nisi Deus aliter revelaret, quemadmodum etiam loquitur noster Bacchonius hîc supra num. 2. non id dicitur quòd ejus propositum seu votum fuerit propriè cõditionatum: sed per id significatur quousque purissima Virgo voti sui obligationem extenderat, ut scilicet nullatenùs unquam ab illius observatione libera foret, nisi Deo dispensante & manifestè manifestante se velle ut illud relinqueret: Cum quâ interpretatione stat nostra sententia de veritate matrimonii ut infra capite undecimo per totum, nec ei contrarius erit noster Bacchonius.

XII. Dices, D. Thomas 3. part. Quæst. 28. art. 4. & in 4. sentent. dist. 30. Quæst. 2. art. 1. docet ante desponsationem voviſſe, non simpliciter, sed sub conditione, si Deo placeret. Respondeo intelligendum S. Doctorem juxta prædicta, non de conditione quæ suspendat voti obligationem donec impleatur, ita ut voverit servare virginitatem si Deus illi revelaret hoc sibi placere; sed potius loquitur de conditione non suspendente, donec de contrariâ Dei voluntate constaret; juxta doctrinam num. præcedentis.

XIII. Tandem docent multi, quia Beata Virgo ab instanti suæ Conceptionis cum gratiâ accepit usum rationis, eodẽ etiam momento, saltem corde, voviſſe, ut nunquam non ejus caro Deo dicata fuerit: Alii verò quando in Templo ut cum virginibus Deo ministraret præsentata fuit: sed hæ sententiæ mihi non placent, quia toto tempore quo in utero Matris delituit, ac etiam pluribus annis à suo ortu non fuit capax saltem externorum actuum istius virtutis: Quare probabilius dico ut sequitur. Cùm maximè credibile sit Beatam Virginem, licet usu rationis & gratiæ præventam, profeciſſe tamen quemadmodum & filius ejus gratiâ, & ætate, & sapientiâ coram Deo & hominibus, videtur satis consequenter ipsam feciſſe vota, aliaque plura, quæ opera virtutum externa spectabant, juxta ipsam illorum operum exigentiam: quare existimo non feciſſe illud votum virginitatis nisi ad annos pubertatis, seu eâ ætate quâ alii incipiunt fieri capaces actuum externorum istius virtutis, vel illi oppositorum.

Ex quibus censeo & Divum Josephum etiam ante desponsationem, saltem quando contrahendum fuit cum Deipara conjugium, voviſſe propter rationem in fine capitis præcedentis num. 16. & 17. allatam, quam ibi vide. Quemadmodum enim Beatissima Virgo, cujus mentem sermo Dei vivus prius imbuerat, quàm carnem indueret, nunquam propositum virginitatis mutavit, ita nec ulli mutationis periculo expoſuit, aliàs multùm de virginitate remisisset: sed quomodò id fieri potuit, & potuit nubere, nisi quia cùm nubendum esse ex voluntate Dei didiciſſet, ei cui nuptura erat votum suum aperuit & propositum, se non aliter ei nupturam, nisi sub hâc expressâ conditione, quod simul vitam ducerent perpetuò Cœlibem? Neque hoc tantùm, sed nec voto ac conscientiæ suæ satis consultum credere potuit, per hoc quod simpliciter acceptaret conditionem, nisi & ipsum ad idem Deo vovendum induxisset: quod Virgini Cœlesti sapientiâ perfusæ, difficile non fuit obtinere ab eo, qui si ullus unquam homo, ad eandem virtutem cœlitus dispositus erat. XII

Confirmatur: Nusquam constat Beatam Virginem oblatum sibi à Deo sponsum respuisse, aut ut illum acciperet moram feciſſe, & tamen matrimonium hoc fuit contractum priusquam à Spiritu sancto Verbo æterno fœcundaretur, ut probabimus infra: Cùm autem eidem Virgini diceretur ab Angelo, *Ecce concipies & paries, &c.* mox interrogavit Angelum & opposuit, *Quomodò fiet istud quoniam virum non cognosco?* Cur obsecro in contrahendo cum Josepho conjugio nil cunctatur, annunciata verò cunctatur? Quid ad hoc respondebimus? nisi quod voluit per hoc omnibus manifestum fieri, quod tametsi Joseph Sponsus suus esset, ob hoc tamen nihil sibi timendum pro suâ virginitate: quomodò autem hoc nisi sciviſſet illum eidem, quo ipsa, voto adstrictum. XI

Quod

XVI. Quod si fortè dicas Deum Divæ Virgini revelasse Sanctum Josephum nunquam virginitati ejus adversaturum, ac sic aliud non fuisse necessarium ut cum eo sine periculo sui voti contrahere posset. Replico, quomodò tunc tam moderatus esse potuit, & non ipse vel eodem voto jam munitus, vel ad idem proximè dispositus? quod si dispositus, nunquid connaturalius fuit ut ante sciret, sicque ipse sciens & volens acceptaret, nec acceptaret modo, verùm etiam ipse ad majus suum meritum idem exemplo ejus voveret? Certè cùm tanta fuerit ejus virginitas, ut Mariæ Virginitati individuè sociari meruerit, quis hoc ei negabit? Potuit ergo ille quod Sara uxor Tobiæ junioris lib. Tobiæ cap. 3. & meliori titulo quàm illa dicere. *Tu scis Domine quod nunquam concupivi fœminam* (virum aiebat illa,) *& mundam servavi animam meam ab omni concupiscentiâ, uxorem autem cum timore tuo non cum libidine mea consensi suscipere.* Quàm ergo pura! quàm perfecta D. Josephi pudicitia! qui sponsus sponsam absque nuptiali affectu duxit ac tenuit? qui Virgo Virginem adiit atque servavit: qui denique primus omnium mortalium in conjugio coluit, & coli posse ostendit Sanctum & integrum cœlibatum.

XVII. Confirmatur hæc Responsio ex eo quod habetur in Revelat. Sanctæ Brigittæ lib. 7. cap. 25. ubi sic Beata Deipara ad eandem Sanctam Brigittam, *Pro certissimo scire debes, quod Ioseph antequam desponsavit me, intellexit in Spiritu sancto me vovisse virginitatem.*

## CAPUT VII.

### *Gloria Sancti Josephi & ejus casti Conjugii ex illius prædictionibus & figuris.*

I. HOc Sacratissimum D. Josephi cum Beatâ Virgine Conjugium, ex quo Christus, & ex hoc nostra Salus, in eoque amborum integritatem omnibus retro sæculis inauditam, raram futuris, à SS. Prophetis longè ante præscitam, prædictam, & præfiguratam fuisse, ostendere operepretium duxi, quia ex hoc non tantùm quàm ea combinatio magna sit apparebit, sed etiam quàm vera. Etenim non ea tantùm magna esse oportet, quæ Deus tantopere antequam existerent prædici, & antequam fierent præfigurari, & ut ita loquar ideari voluit, ut constat ex dictis part. 1. tract. 1. Prolud. 7. per totum, sed etiam illorum veritatem necesse est esse maximam ac præcipuam, quandoquidem Lactantio teste lib. 4. instit. *Non idcircò à nobis Deus creditur quia mirabilia fecit, sed quia in eo vidimus esse facta omnia quæ nobis annunciata sunt Vaticinio Prophetarum.*

II. Porrò horum Sacrorum Conjugum continentia dupliciter considerari potest, Primò, seorsim, ut fuerunt personæ distinctæ & separatæ. Secundò conjunctim, ut scilicet per matrimonium unitæ: Primò modo, quemadmodum Divæ Deiparæ virginitas per omnes quæ illam præcesserunt mulieres castas, seu etiam virgines, præfigurata fuit, ita ut D. Josephi per viros qui ejusdem virtutis laude floruerunt: fuêre autem multi è quibus præcipuis fuit Joseph Patriarcha filius Jacob & Rachelis. De quo ita D. Bernardus Homil. 2. in Missus est. *Memento*, inquit, *magni illius Patriarchæ in Ægypto venditi, & Scito ipsius istum non solùm vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum*, in Deo scilicet quod iste Dominæ suæ noluit commiscere. Immò ut figuratum figurâ superat, ita hic noster Joseph longè istum præcessit, qui per plures annos cum Virgine (quam ut Dominam suspiciebat & venerabatur) conversatus est cum tali puritate, ut nec leviſſimo motu interiori, qui solent etiam in sanctissimis viris subrepere, fuerit concussus. Deinde quia ille Joseph antiquus continuit sibi ab uxore alienâ, hic à propriâ: ille fugiens, hic manens: tandem quia ille castitate enituit, hic virginitate.

III. Sed hic de illorum continentiâ, secundò modo sumptâ, ideſt ut fuerunt per matrimonium uniti: Prædicta fuit

Isaiæ

Isaiæ cap. 62. 5. *Non vocaberis ultra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata, &c. habitabit enim juvenis cum Virgine*, ubi Hæbræum pro *habitabit* habet *iibal* quod significat *maritabit, ducet, desponsabit:* ex quo patet hunc locum intelligi de cohabitatione juvenis cum Virgine in Conjugio.

IV. Hunc porrò locum ita interpretantur nonnulli, ut sit sensus, terra tua non vocabitur amplius desolata, sed erit inhabitata, quia potieris plenâ pace, in quâ solent juvenes cum virginibus contrahere connubia, qui aliàs tempore belli ad castra coguntur, nec nuptias cogitant, sed prælia: ita Cornelius à Lapide & alii.

V. Sed nimis crassum videtur & Judaicum, Deum sub typo Synagogæ è Babylone liberatæ, Ecclesiæ promittere per Christi Redemptionem pacem temporalem, cùm è contra creverit & adoleverit in persecutionibus quæ postea in pace temporali elanguit: nec nunc infrequentiora sint bella quam ante Christum; Multò minùs verisimile est Christum per Redemptionem suam effecturum, ut juvenes connubia contrahere possint cum Virginibus, ac nuptias cogitent, quod non ita ante, ad prælia intenti: quâdoquidem Christus vexillum erexerit castitatis, & sancta virginitas non minùs sit Cœlo fœcunda & utilis quam conjugium: quin è contra, quos matrimonium peccatores, producit ac iræ filios, hos in castis Ecclesiæ Ministris, sacrarumque Virginum choris, sancta continentia in statum filiorum Dei assertos, Cœlo pariat: unde neque olim antiqui Patriarchæ populum quem genuerant, neque Moyses & Aaron conjugati, sed Josue Cœlebs in figurâ Christi atque in præsignatione Evangelii in terram promissionis induxit. Vide D. Hieronymum lib. 1. contra Jovinian.

VI. Quare litteraliter hic locus sic intelligitur quod per Christi Salvatoris gratiam habitabitur terra Ecclesiæ, nec amplius vocabitur desolata, ratio est quia habitabit juvenis cum virgine, ita ut ille incorruptus, hæc integra permaneat, scilicet Divus Josephus cum Conjuge suâ Mariâ Virgine Deiparâ. Ita Glossa utraque, & Interpretes passim.

Probatur amplius hæc interpretatio- VII.
Nam cum versibus præcedentibus Propheta promittat, Primò, Christi Adventum & exindè Ecclesiæ gloriam & augmentũ: hoc versu, *habitabit enim juvenis cum virgine*, ostendit illa auspicanda ab hoc quod juvenis habitabit cum virgine, scilicet D. Josephus cum Mariâ Deiparâ, prout de facto contigit. Nam ut illi Sacri Conjuges convenerunt, ac in continentiâ perpetuâ convivere inter se decreverunt, Deus illicò allectus est ut ex Virgine illâ carnem sumeret, & ex illo virgineo conjugio prodiens hominibus appareret.

Secundò, hæc etiam D. Josephi cum VIII.
Sponsâ suâ continentia præfigurata fuit in terra, quæ in principio mundi data est Adæ, quæ sine ejus labore & culturâ protulit ei fructus.

Tertiò, in Matrimonio Tobiæ Junio- II.
ris & Saræ honestissimo: hoc enim celebrato non in libidine, ut assolet, sed in timore Dei. *Tunc*, inquit Scriptura Tobiæ c. 8. v. 4. & 5. *hortatus est virginem Tobias, dixitq; ei, Sara exurge & deprecemur Dominum hodie, & cras, & secundum cras; quia his tribus noctibus Deo jungimur, filii quippe Sanctorum sumus, & non possumus ita conjungi sicut gentes, quæ ignorant Deum.* Ex quibus apparet hos sanctos Conjuges, non tantùm non luxuriæ causâ nupsisse, sed etiam matrimonium à continentia auspicatos fuisse; propter quod meruerunt Dei benedictionem.

Quartò, adumbravit eandem horum I.
sacrorum Conjugum continentiam castam, Davidis cum Abisag Sunamitide commercium, de quo ita 3. lib. Regum cap. 1. initio. *Et Rex David senuerat, habebatq; ætatis plurimos dies, cumq; operiretur vestibus non calefiebat: Dixerunt ergò ei servi sui, quæramus Domino nostro Regi adolescentulam virginem, & stet coram Rege, & foveat eum, dormiatq; in sinu suo, & calefaciat Dominum nostrum Regem. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, & invenerunt Abisag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad Regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatq; cum Rege, & ministrabat ei, Rex verò non cognovit eam.*

Hujus

XI. Hujus Historiæ rationem naturalem & physicam hanc assignat ex Francisco Valesio Philippi primi Regis Hispaniarum Medico, Sactæ Philosophiæ cap. 29. Cornelius à Lapide in hunc locum: Quod scilicet adolescentula aptior foret, quàm vinum, aut vestes pelliceæ, quia ille calor non hic idem est in substantia cum calore hominis naturali, in quo propter ætatem deficiebat David. Unde Galenus lib. 1. Method. ubi imbecillitatem frigidi & sicci ventris curat, ait: *Ex iis verò quæ extrinsecus applicantur, boni habitus puellus unà sit accubans, ut semper abdomen ejus contingat.* Quod, ut ait Valesius, Davidi præstitum est in ea ætate, in qua non potuit virginem cognoscere, aliàs multò magis ei nocuisset congressus & copula maritalis, quàm profuisset admotio adolescentulæ.

XII. Sed errat Valesius in eo quod dicit Davidem impotentem fuisse ad copulam conjugalem quia contrarium constat: Cur enim Scriptura postquam indicavit quod Sunamitis dormiebat cum Rege, tam expressè observat, *Rex verò non cognovit eam*; nisi ut indicet potuisse, sed se à copulâ abstinuisse? Nec refert quod fuerit David tam algidus: multi enim frigidæ complexionis sunt nihilominus potentes ad copulam.

XIII. Ex hâc porrò observatione, quæ est omnium Interpretum, concludunt omnes contra Abulensem cap. 2. quæst 23. & Bellarminum lib. 1. de Matrimonio cap. 28. verum inter Davidem & Sunamitidem istam intercessisse matrimonium: Cùm enim David non esset impotens ad copulam, ut observatum est, non potuisset honestè & licitè accubare mulieri, quæ non fuisset uxor sua, nam uterque periculo gravissimo gravissimi se exposuisset peccati. Præsumitur etiam id ipsum ex aliis: Primò, enim si tantùm de Rege calefaciendo agebatur, ut quid necesse fuisset tanto studio in omnibus finibus Israel tam speciosam quærere adolescentulam? Non enim species, sed complexio ad hoc conducebat. Secundò, cùm effectus quæsitus potuisset æquè & tutius per boni habitus puellum, ut loquitur Galenus supra, ac per puellam, cur non hic potius quæsitus & adhibitus. Tertiò quare Adonias filius David Regnum ambiens, mortuo Patre, illam ipsam Abisag Sunamitidem ambivit uxorem? nisi quia putavit per eam tanquam Reginam utpotè Patris sui uxorem, viam sibi facilitare ad Regnum quod ambiebat: quod etiam animadvertit Salomon: Undè & Matri suæ ibid. vers. 22. illam à se pro Adoniâ petenti respondet. *Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & Regnum.* Si enim non fuisset Abisag Davidis uxor, quomodò per illam potuisset evadere in Regnum? Quare quod ab Abulensi pro secundo suæ sententiæ argumento adducitur, quod Levitici cap. 18. vers. 7. & 15. prohibeantur nuptiæ filii cum eâ quæ fuit uxor Patris sui, unde infert Abisag non fuisse uxorem Davidis, quandoquidem eam petierit Adonias in uxorem, solvitur dicendo ibi prohiberi nuptias cum eâ uxore cum quâ fuerit matrimonium consummatum, qualis non fuit Abisag: aut certè dicendum Adoniam vel istius legis fuisse ignarum, vel eam sic intellexisse, vel cùm ambitiosus esset Regnum magis curasse quàm legem.

Cùm ergo David non fuerit impotens ad copulam, (ex Valesio autem plus ei nocuisset copula, quàm admotio puellæ profuisset,) manifestum est hoc consilium servorum David ad remedium frigiditatis ejus adeò ineptum, ab altiore manu fuisse dispositum, eâ scilicet quæ ei dedit, ut à dormiente in sinu suo se contineret, & in alium quàm quem illi sibi proposuerant finem & scopum fuisse directum. XIV.

Qui quidem non fuit ille quem servi David intenderunt: sed ille quem Deus intendit quo totum hoc negotium direxit. Undè D. Hieronymus epist. 2. ad Nepotian. *Nonne*, inquit, *tibi videtur si occidentem sequaris litteram, vel figmentum esse de Mimo, vel Abellanarum ludicra? frigidus senex obvolvitur vestimentis, & nisi complexu adolescentulæ non tepescit: vivebat adhuc Bethsabee, supererat Abigail, & reliquæ uxores ejus & concubinæ, quas Scriptura commemorat: omnes quasi frigidæ repudiantur, & in unius tantùm grandævus calescit amplexibus. Abraham multò David senior* XV.

*fuit, & tamen vivente Sarâ, aliam non quæsivit uxorem: Isaac duplices David annos habuit, & cum Rebeccâ jam vetulâ non friguit.*

XVI. Sed quis tandem ille? Duplex omninò videtur fuisse, unus immediatus, alter mediatus, ad quem immediatus assumptus est. Primus, ut per hoc manifestum faceret Deus pœnitentiæ vim ac virtutem, quæ non tantùm hominem Deo reconciliare possit, sed ô miram consolationem! etiam fractam virginitatis coronam redintegrare: ita Bachiarius lib. de recipiendis lapsis, ubi » sic rem interpretatur. David cùm in » adolescentiâ suâ cum adulterâ depre- » henssus sit, in senectute cum virgine in- » venitur, ut intelligamus quod post » peccatum longa castitas imitatrix est » virginitatis. Et verò nonne Jerem. c. 3. revocans Deus fornicariam à viis suis pessimis, ait illi: *Ergò saltem à modo voca me, Pater meus dux virginitatis meæ tu es.* Quid hoc? si fornicaria erat, quomodò Deus poterit esse dux virginitatis ejus? aut si dux virginitatis esse potest quomodo fornicaria fuit? Quid ad hoc dicemus, nisi quod virgineam sedem, prostituta, per pœnitentiam Deo miserante recuperat? Ita Beatus Petrus Damianus epist. 38. *Reversio planè ista*, inquit, *ad Dominum, quantum ad qualitatem meritorum pertinet, de corruptâ integram facit, de prostitutâ virginem reparat.* Hinc Magdalena quæ fuerat in Civitate peccatrix in Litaniis accipit ab Ecclesiâ locum in capite Virginum. Hinc revertenti Prodigo, qui profectus à Patre in Regionem longinquam, ibi dissipaverat substantiam suam vivendo luxuriosè, Luc. cap. 15. Pater stolam primam citò proferri jubet, ut in quo fuerat honoris gradu ante insolentiam vitæ, post pœnitentiam restituatur: *Citò, inquit, proferte stolam primam.* Interea quo amplexu meo pœnitentis maculas tego, tergo ne videantur, redeat primus illius innocentiæ status. Apud Deum nullum habet locum regula hominum, ut qui semel est malus inventus, semper talis præsumatur: abluit enim sic malum Deus, ut nullum illius vestigium appareat, ita exaltat pœnitentem, ut integrum semper statum servasse videatur. *Hæc est*, inquit Divus Ambrosius sermone 30. *Virtus Christi Domini, ut quamvis peccator, qui ejus undâ ablutus fuerit, denuò in virginem reparatus, non meminerit quid ante fuerat, & redivivâ nativitate infantia, innocentiam præferat juventutis, scelera non agnoscat, sitq. virgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati.*

XVII. Quia verò lex est umbra futurorum, dico secundò finis mediatus hujus continentiæ, quam Deus posuit in illis conjugibus, Davide D. Josephi Patre, seu Pro-avo & Abisag Sunamitide, fuit ut in eo futurum filii sui seu Abnepotis D. Josephi cum castissimâ Virgine castum præfiguraret connubium: & porrò perfectè præfiguravit: Nam ut nec David nec Abisag hoc suum ipsi procurarunt conjugium, sed Dei voluntate illius consilium incidit servis David; ita nec Joseph, nec Maria proprio, sed Sacerdotum consilio, Deo ita disponente, hoc conjugium inierunt. Et sicut David non ad libidinem, nec ad prolis generationem accepit Sunamitidem in uxorem, sed ut illa Regem suo foveret calore, ita D. Josephus non luxuriæ causâ, nec sobolis procreandæ gratiâ, Mariam duxit uxorem, sed ut ejus formam servans, ipse cælesti ejus cohabitatione in Dei incalesceret amorem, unde quemadmodum ibi observatur de Davide cum Sunamitide, *& Rex non cognovit eam*, ita Matthæi cap. 1. vers. 25. de D. Josepho cum Beatâ Virgine dicitur, *Et Ioseph non cognoscebat eam.*

XVIII. Tertiò, hæc etiam D. Josephi cum Virgine Sponsâ suâ continentia adumbrata est & manifestata Moysi, Exodi cap. 3. vers. 2. ubi *apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio Rubi, & videbat quod Rubus arderet & non combureretur.* Pro cujus intelligentiâ.

XIX. Observandum, primò accuratius quænam in eâ visione reperiantur? Secundò, quid per eam visionem significabatur? Quoad primum duplex est sententia: prima est Theodoreti, & aliorum communiter post ipsum, qui duo tantùm in illo cælesti viso distinguunt, Primò Rubum, secundò ignem quo Rubus ardebat: Atque adeò dicunt Deum qui in Rubo apparuit Moysi, fuisse

fuisse illum ipsum ignem quo Rubus ardebat.

XX. Sed verior est secunda sententia quæ tria in illâ visione distinguit. Primò, Rubum qui ardebat & non comburebatur. Secundò, ignem quo Rubus ardebat, seu potiùs ardere videbatur, cùm tamen verè non arderet, Ignis enim Rubum non pervaserat, ut esset ignitus (non enim comburebatur) sed Rubo tantùm contiguus, ita ramos & folia ejus ambiebat ut videretur ignitus & flammas emittere : Unde Philo ait: *Rubus in se cremabilis non à flammâ uri, sed potius ipsam flammam urere & consumere videbatur.* Tertiò, tandem Deus, qui non fuit ignis ipse quo rubus ardebat, in quo mirè hallucinati sunt non sine stupore Authores primæ sententiæ : quia accuratè observatur quod Deus è medio Rubi apparuit Moysi: At ignis non erat solùm in medio Rubi, sed totum Rubum ambiebat. Aliàs enim si fuisset tantùm ignis in medio Rubi, Rubus non arsisset aut ardere visus fuisset: ut enim arderet, vel ardere videretur, debuit esse totus in igne, ergo Deus qui è medio Rubi ardentis apparuit Moysi, fuit aliquod tertium distinctum à Rubo & igne: quod etiam observavit Philo in hunc locum, dum ait: *E medio Rubi promicabat forma quædam pulcherrima nulli visibili similis, Divinum planè simulachrum luce fulgens clarissimâ, ut Moyses suspicari posset Dei esse imaginem.*

XXI. Nec in eo quidquam absurdum, ut prætenditur ab Authoribus primæ sententiæ, quod enim aiunt non in aliâ formâ quàm in igne & Rubo Deum tunc apparuisse, ne Hebræi in Idola proclives, ejus sibi idolum effingerent. Ridiculum est primò, quia hæc visio non apparuit Hebræis qui proni erant in Idola, sed Moysi tantùm, qui non minùs firmus fuit quàm alii Prophetæ, quibus etiam sub humanâ specie Deus sæpè apparuit. Secundò, quia nec illis Moyses expressit similitudinem in quâ sibi Deus tunc apparuit, quod tamen fecerunt alii Prophetæ. Tertiò, quia æquale periculum erat ne Hebræi ignem pro Deo haberent. De cætero cùm tunc Moysi patefaceret Deus sub illo typo Mysterium Incarnationis, verisimile est quod tunc illi Deus sub eâ formâ quam sumpturus erat apparuerit.

His positis duplex est Responsio ad XXII. hoc secundum quæsitum: prima est eorum qui duo tantùm distinguunt in hâc visione, qui sic rem explicant, ut primò per Rubum intelligatur Virgo: & quidem quoad hoc optimè, nam Rubus ob pungentes spinas non est facile tangibilis: sic & illa quæ virgo est, & vult esse virgo, tangi se non permittit. Secundò, ut per ignem Rubi intelligatur Deus, ex illo Deuteron. cap. 2. vers. 4. *Deus tuus ignis consumens est.* Unde, inquiunt hi, ignis in Rubo incombusto, est Deus in Virgine conceptus, illæsâ ejus virginitate: ut enim Rubus ille concepit ignem & Rubi formam servavit, ita Virgo Christum Deum concepit, & virginitatem non amisit. Hinc Ecclesia in die Circumcisionis, *Rubum quem viderat Moyses incombustum conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem Dei genitrix.*

Sed hæc explicatio non placet. Primò, XXIII. quia non adæquat totam visionem Moysi exhibitam, imò ab ea dissonare videtur, non enim ignis Rubi repræsentabat Deum, ut diximus, quia Deus apparuit in medio Rubi; Rubus verò è contra erat in medio ignis, qui eam ambiebat: Deinde quia Deus, ex textu allegato Deuteronomii, est ignis consumens, sed ignis hic Rubi non erat consumens. *Vidit enim* Moyses *quod Rubus arderet, & non combureretur*, non ergo Deus ille ignis Rubi. Secundò, quia non adæquat totum illud quod est observandum & admirandum in Virginitate Mariæ: non enim tantùm Virgo ex hoc admirabilis quod illæsa concepit, sed etiam ex hoc quod nupta Virgo permanserit: & in hoc ultimo maximè Rubus ardens & non comburens.

Dico ergo, nec puto à sensatis re- XXIV. jiciendum, visionem illam distinctè id exhibere quod à nobis est hic pro thesi propositum. Rubus ergo significat Virginem propter rationem hic num. 22. allatam, in cujus medio Deus idest Christus in ejus utero conceptus: Rubus verò ille in medio ignis manens incombustus, significat virginitatem

ejus in conjugio illæsam, ubi aliàs consumi solet : quemadmodum ergo nec Rubus igni contiguus ignem in se recepit, nec ignis virentia Rubi sibi proximè contigui folia adussit, vel deficcavit ; ita Beata Virgo Deipara licet viro conjuncta, nec flammam libidinis ipsa concepit, nec D. Josephus licet Virgini conjunctus vel minimùm pudoris ejus florem afflavit, quod non minus miraculum est, quam Rubum in medio ignis ambientis mansisse incombustum.

XXV. Accedit ad hanc explicationem Ecclesia, quid enim in illâ Antiphonâ ejus in die Circumcisionis supra num. 22. allatâ vult illud participium *conservatam agnovimus tuam virginitatem*, nisi quod ejus virginitas, câ in occasione, in quâ aliàs naufragium facit, evaserit ? virginitas autem etsi fœta, si de Deo sit & in umbra Spiritus sancti, non solet immò non potest naufragium facere, facit autem in conjugio & consortio viri etiam sine prole.

## CAPUT VIII.

### *Gloria Sancti Josephi ex ipsius in hâc sacrâ Conjugali continentiâ sequacibus.*

I. QUOD in Picturis usu venire videmus, quod scilicet eximiæ quædam (quas artis specimen vocant) quæ pluries ante delineatæ fuerunt, ut hâc ratione excellentiores evaderent, politâ tandem periti Pictoris manu perfectæ & publico conspectui expositæ, aliarum postea fiant ipsę exemplaria copiarum, artificium quod in prioribus elucet certatim imitari conantibus eis, qui illud agnoscunt & mirãtur : id ipsum omninò in hoc sacro & virgineo D. Josephi cum Deiparâ Mariâ Conjugio animadvertere licet : Nam & illud plures præcesserunt typi, umbræ, figuræ, delineationes, quemadmodum capite præcedenti demonstravimus : & illud ipsum postea plurimi ejus pulchritudine & excellentiâ capti, tanquam perfectissimi exemplar conjugii admirantes, imitari conati sunt.

II. Quâ in re ut D. Josephus facto suo prævenit Apostoli doctrinã primæ Corinth. cap. 7. dicentis : *Reliquum est ut & qui habent uxores tanquam non habentes sint*, ita hæc ex illo, quantùm quidem arbitror, manavit : saltem quis dicat quantùm hæc ex illo firmitatis accipiat & roboris ?

III. Quid enim est illud, *Reliquum est ut & qui habent uxores tanquam non habentes sint* ? nisi ut habentes uxores, ita cum uxoribus suis vivant ac si omninò illas non haberent ? Quid verò illud est nisi conjugati ab ipso usu matrimonii abstineant ? ita communiter locum illum interpretantur SS. Patres & Doctores, favetque multùm illa cõjunctio *Et* ibi *reliquum est ut & qui habent uxores, &c.* quæ additionem significat sequentium ad antecedentia & facit hunc sensum. Post continentiam quam viduis consului, post virginitatem quam non nuptis suasi : Reliquum est, idest nihil restat dicendum de castitate seu continentiâ, nisi ut & ipsi conjuges (quibus prius matrimonii usum indulsi, non præcepti) etiam castitatem integram & ipsi colant, ut habentes uxores, sint tanquam si non haberent.

IV. Ex quo Sancti Patres & Doctores Orthodoxi, non licitam solummodò confirmant sanctam conjugatorum ex mutuo consensu continentiam, sed etiam commendant, sub regulis tamen prudentiæ & discretionis, si accedat Dei fortis instinctus. Ita inter alios D. Augustinus lib. 1. de serm. Domini in Monte c. 25. *Beatiora sanè*, inquit, *conjugia judicanda sunt quæ sive filiis procreatis, sive etiam ista terrenâ prole cõtemptâ, continentiam inter se pari consensu servare potuerint, quia neque contra illud præceptum fit, quo Dominus dimitti conjugem vetat : non enim dimittit, qui cum illâ non carnaliter, sed spiritualiter vivit ; & illud servatur quod per Apostolum dicitur, Reliquum est ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint.* Vide eundem D. Augustinum epist. 45. quæ est ad Armentarium & Paulinam epist. 199. ad Ediciam, lib. 1. contra Julian. cap. 21. & alibi passim. Tertullianum lib. 1. ad uxorem cap. 6, D. Basilium Magnum

in

in quæstion. fusè explicatis quæst. 12. D. Hieronymum lib. 1. contra Jovinian. & in Apolog. pro lib. adversus Julian. sub finem, & epist. 14. quæ est ad Celantiam. D. Gregorium Magnum lib. 9. Epistol. epist. 39. D. Damascenum lib. 4. de Fid. Orthod. cap. 25. Theodoretum in istum Pauli locum: quæ omnia & alia non pauca, quæ hîc congerere possemus, quamvis conjugalem hanc continentiam, sive conjugatorum à matrimonii usu ex mutuo consensu constantem abstinentiam, quam spurci damnant Heterodoxi, quam quidam nimis carnales rident Catholici, quam mirantur devoti, quam sectantur casti, quam omninò amplectuntur Sancti quàmplurimi, eximiè commendent, quid illa tamen si conferantur cum exemplo D. Josephi cum Deiparâ Mariâ Conjuge suâ? Quare idem D. Augustinus lib. 2. de Consensu Evangelist. cap. 1. Virgineum hoc Sancti Josephi cum eâdem Deiparâ Conjugium in exemplum producens, sic ait: *Hoc exemplo magnificè insinuatur fidelibus Conjugatis, etiam servatâ pari consensu continentiâ posse permanere conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.*

V. Itaque Apostolus loco citat. & D. Josephus ac Deipara suo exemplo non tantùm non nuptas ad virginalem hortantur continentiam, sed etiam perfectionem virginitatis, Christianæ Religionis primarium decus, ad usque conjugatorum satagunt introducere thalamum, ut & ibi stupente mundo, stridente diabolo trophea erigat inusitatæ virtutis ad laudem D. Josephi & Virginis, qui in eâ primi fuere, & Dei nostri gloriam.

VI. Verùm non eam tantùm conjugum continentiam exemplo suo Divus cõmendat Josephus, sed & ab illâ ipse vehementer commendatur, laudemque percipit & gloriam non ultimam. Quorsum enim illud Matthæi cap. 1. vers. 25. de illo. *Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum*: hoc est ut aliàs ostendimus, neque ante, atque adeò neque post partum, per cõsequens nunquam: Certè non eò tantùm hoc tam specialiter observatũ esse arbitrandũ est, ut non de alio quàm de Spiritu Sancto purissima Christi Conceptio facta significetur, verùm etiam ut ista ejus cum Conjuge suâ continentia, & in exemplum futuris proponatur conjugibus, & in argumentum summæ Sanctitatis, à quâ ipse commendetur nobis.

Et porrò commendatur ex eo & elevatur non modicum: Cùm enim ex recepto Philosophorum placito, Primum in uno quoque genere sit Regula & mensura cæterorum: idque ita verum sit etiam ex Scripturâ, ut primi in aliquo, sequentium in eo Patres vocari soleant: Sic enim v. c. Genes. cap. 4. vers. 24. & 25. Jabel dicitur Pater habitantium in tentoriis, & frater ejus Jubal Pater canentium citharâ, eo quod in illis primi fuerunt. Cùm D. Josephus cum Mariâ in hoc genere primi fuerint, nonne quotquot Sanctiores Conjuges post illos, non castè tantùm in Conjugio juxta Sacrosanctas inviolabilis thori leges vixerunt, sed etiam ipsam in eo continentiam & castitatem servantes, propius eos imitati sunt, seu etiamnum imitantur, tot ad hujus gloriæ suæ & coronæ (quæ illorum propria est) cumulum, ornamenta accedunt? VII.

Nec illos admodùm paucos fuisse, etsi hoc corruptissimo sæculo rariores sint, constat, Primò ex gravissimo Tertulliano, qui abhinc circum mille quingentis annis in vivis esse desiit, lib. priore ad uxorem cap. 6. hæc scribit. *Quot sunt qui statim à lavacro carnem suam obsignant? Quot item qui consensu pari inter se matrimonii debitum tollunt? voluntariis spadonibus pro cupiditate cælesti, salvo matrimonio, abstinentiâ toleratur, quanto magis adempto?* scilicet *matrimonio.* Ibi enim exhortatur uxorem ut post mortem suam in continentiâ vivat. VIII.

Secundò ex D. Augustino annis à Tertulliano amplius ducentis tomo 10. serm. 63. de diversis cap. 13. in init. *Et multos*, inquit, *novimus fratres nostros fructificantes in gratiâ in nomine Christi, ex consensu ab invicem continere concupiscentiam carnis, non autem continere ab invicem charitatem conjugalem. Quantò illa reprimitur, tantò ista fortius confirmatur. Nonne sunt conjuges qui sic vivunt,* IX.

*non quærentes ab invicem fructum carnis? non exigentes ab invicem debitum carnalis concupiscentiæ?*

X. Tertiò ex D. Gregorio Magno annis plus centum post Augustinum lib. 9. Epistol. epist. 39. *Per se veritas dicit, quod Deus conjunxit homo non separet: quæ etiam ait non licet dimittere uxorem exceptâ causâ fornicationis. Quis ergò huic cælesti Legislatori contradicat? Scimus quia scriptum est, erunt duo in carne una: si ergo vir & uxor una caro sunt, & religionis causâ vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam ad illicita vota migrantem, quæ est ista migratio vel conversio, in quâ una eadem caro, & ex parte transit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione?* Tum deindè subdit. *Si verò utrisq; conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare: quando certum est quod Omnipotens Deus, qui minora concessit, majora non prohibuit? Et quidem multos Sanctorum novimus cum suis conjugibus & prius continentem vitam duxisse, & postmodum ad sanctæ Ecclesiæ regimina migrasse.*

XI. Quartò his quoque accenseo illos de quibus D. Cyprianus Martyr, vel alius quicumque, sed perantiquus Author, lib. de singularit. Cleric. ubi sic ille. *Adhuc habeo quid mirari, cùm videam de Christianis plerosque maritos pariter & uxores continentiam destinantes, domicilia singularia eligere, ut consensu communium votorum sine irritatione præsentiæ, & concordante secessu valeant obtinere.* Quorum virtutem ita ibidem paulò post prosequitur & extollit. *Grande miraculum, ut virginum charitas conjuges faciat virgines æstimari. Ecce vera dilectio, quæ in conjugalitate dividit, ut in castitate conjungat: Ecce sancta dilectio, quæ conjugalibus ad communem laudem inducit absentiam. Hi pro certò sese inseparabiliter diligunt, qui, ut triumphos sibi inferant, à seipsis discedunt, quibus nec crimen, nec natura, nec Dominus, nec Apostolus, potestatem unius interdixit aut tulit, sed pro tuendis paribus votis semotâ unanimitate absentari charitas permisit.*

XII. Sed quamvis ex his, & aliis similibus Patrum testimoniis, evidenter constet plures & sine numero fuisse hujus viæ viros ac mulieres in Ecclesiâ, quorum nomina, licet terris ignota, libro vitæ in Cœlis adscripta sunt; injuriam tamen & huic sacræ multitudini, & D. Josepho, ejusque Conjugi illorum primiceriis & antesignanis, facturum me crederem, si materiam hanc pertractans non illorum illustriores aliquot ex omni statu & ordine; etiam quod mirêre, Principum, Regum, Imperatorum adnecterem, cùm hinc melius appareat, quantùm fuerit D. Josephi & Deiparæ Mariæ exemplum, quod etiam in re tam difficili & in tales personas vim suam exerere potuerit: Illinc verò tantorum Præcursorum exemplo alii accendi possint, ut eorum glorioſa vestigia sequentes, eorum etiam gaudium augeant & numerum, ac Mariæ & D. Josephi omnium Coriphæorum gloriam.

III. Illud tamen Lectorem monitum velim, malè inter hos à nonnullis annumerari plures, qui ante consummatum matrimonium mûdo æternum valedicentes, Religionem ingressi sunt, quorum numerus vix iniri potest: nam sicut matrimonium post carnalem copulam solvitur per mortem carnalem, ita ante carnalem copulam, quando vinculum adhuc est merè spirituale, matrimonium dissolvitur per mortem spiritualem, qualis est professio Religiosa, quâ quis mundo moritur ut soli Deo vivat: ita D. Thomas in supplem. quæst. 6. art. 2.

XIII. Nec obstat quod Matthæi cap. 19. dicitur: *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Nam ut benè advertit subtilis Scotus in 4. distinct. 31. tunc non homo solvit, sed Deus, qui istud concessit fidelium matrimonio non consummato, vel potius sibi ipsi istam præferentiam reservavit, sicut habemus ex Apostolicâ traditione, secundùm quam Sanctam Teclam virginem & Martyrem, à Sancto Paulo Apostolo ante matrimonii consummationem à nuptiis retractam fuisse legimus apud D. Epiphanium hæres. 78. & D. Ambrosium lib. 2. de Virginit. Idemque constat de Gregoriâ Virgine apud D. Gregorium Magnum Dialog. 3 cap. 14. quæ nuptiis constitutis, ad Ecclesiam confugit, & sanctimonialis fieri petit

&

& impetravit: de Sancto quoque Leobardo apud Divum Gregorium Turonensem, qui matrimonium cum honestâ puellâ initum dimisit; invitisque parentibus Monachus effectus est, & infiniti alii. Quare juxta doctrinam Divi Thomæ loco citato ad secundum, ante carnalem copulam non est omninò & absolutè translatum corpus unius in potestatem alterius, sed tantùm sub conditione, nisi alter interea ad meliorem frugem conversus se Deo tradere maluerit: completur ergo tantùm dicta translatio per carnalem copulam, quia tunc intrat uterque in corporalem possessionem sibi traditæ potestatis. Idcircò Concil. Tridentinum Sess. 24. quæ est de matrim. can. 6. ait: *Si quis dixerit matrimonium ratum & & non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi anathema sit.* Quare cùm horum conjugatorum matrimonium dissolutum sit, & quoad thorum, & quoad vinculum, per ingressum in Religionem secutâ professione, constat consequenter hoc prioribus minimè esse accensendos.

## SECTIO PRIMA.

### *Principes, Reges, Imperatores, qui in Conjugio cum uxoribus continentiam servarunt.*

XV. QUàm mira res sit vir cum muliere, maritus cum uxore familiariter convivens, & tamen mundè & castè, cum eo igne qui in membris nostris, qui in carne nostrâ ardet, cum naturali illâ inclinatione, quæ in homine est, seipsum in filiis reproducendi & conservandi, satis per se patet, & colligitur ex illo Proverb. cap. 6. versu 27. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus, sic qui ingreditur ad mulierem, non erit mundus.* Syrus vertit, *Sic qui ingreditur ad mulierem, & illi propè sit.* Ex quâ versione manifestè patet, verbum illud *sic qui ingreditur*, non de congressu intelligi, sed de conversatione familiari.

XVI. Quàm apta hæc Sapientissimi comparatio Salomonis mulieris cum igne? Enim verò nomen Hæbreum significans mulierem, quod est *isecha*, est à radice *esch* quod significat ignem: quia reverà mulier est ignis carneus, vel caro ignea, ut proinde non minus difficile videatur aliquem mulieri prope fieri, præcipuè si id diu duret, & non uri, quàm igni vestem admoveri, & eam ab illo saltem non ustulari.

XVII. Quod si res ita habet, ut verè ita habet cum alienâ muliere, quale miraculum erit eundem hominum cum propriâ uxore, quàm impensius amat, in eâdem domo diu noctuque manere, convivere, convivari, eam continuò, præ oculis habere, cum eâ colloqui, tractare, agere, &c. & non pollui? sed quid in Principibus, in quibus ignem illum, qui in omnibus ardet, augent otium, deliciæ, diverticula, omnium sensuum blandimenta, & irritamenta, & desiderium posteritatis omnibus tam naturale, quod in immensum accendunt divitiæ, potentia, gloria, fama, & Parasytorum, quibus Aulæ Principum scatent, adulamenta? quæ quidem gratiæ prodigia, ex Divi Josephi & Sanctissimæ Conjugis ejus, Regni Davidici Hæredum legitimorum exemplo à victrice tamen Christi gratiâ videmus.

XVIII. Primò, in Imperatoribus, Marciano & Pulcheriâ Augustâ. Theodosii Imperatoris Sorore, & Hærede, de quibus ita ex Cedreno & aliis Cardinalis Baronius tomo 6. Annalium ad annum Christi 450. Defuncto Theodosio Imperatore improle voluntate Sanctæ Pulcheriæ, « ex Senatus consulto delatum est Imperium Marciano. Quod enim nullum « exemplum præcesserat, ut Augusta so- « la habenas moderaretur Imperii, & ipsa « Deo Virginitatem vovisset, jamque « ætate grandior esset, ut potè quæ ageret « annos quinquaginta & unum, nata sub « Consulatu Theodori & Eutropii, salu- « bre illud consilium iniit, ut Conjugii « titulo virum eveheret in Imperium æta- « te maturum, consilio gravem, conti- « nentiâ probatum, atque militari virtu- « te ubique spectatum: haud immemor «

exemplum

„ exemplum facti hujus dignissimi in di-
„ vinis Scripturis haberi litteris commen-
„ datum, cùm Sanctissima Virgo Deipa-
„ ra ita fuit matrimonii legibus juncta
„ conjugi, ut nunquam destiterit esse
„ Virgo. Hoc igitur tam nobile exem-
„ plum facere edocuit, quod necessitas
„ exegit temporis, & virtus hominis per-
suasit. Hæc Baronius citatus.

XIX. In Sancto Henrico, è Duce Bavariæ itidem Imperatore cum Sanctâ Cunegunde Augustâ, de quo hæc Aubertus
„ Miræus in Chronico Belgico ad an-
„ num 1002. vixit annos 52. & anno 1024.
„ vivere desiit, conditus Bambergæ, ab
„ Eugenio III. in Cathalogo Sanctorum
„ anno 1152. collocatus: vitam ejus scrip-
„ sit Aldeboldus Episcopus Ultraje-
„ ctensis. Uxor ipsi fuit Sancta Cune-
„ gundis Sigifridi I. Comitis Luxem-
„ burgensis filia, quæ in Consortem
„ Regni ut Conjux à Sancto Henrico ad-
„ scita, mox de tuendâ Virginitate, usu-
„ que thori abstinendo ad exemplum
„ Virginis Matris cum Josepho, & Pul-
„ cheriæ Augustæ cum Marciano in om-
„ nem vitam convenit, &c. Addit Alber-
tus Crantzius lib. 4. cap. 5. *Metropoleos*, quod Cunegundis, ut integritatem suam apud Maritum diaboli invidiâ in suspicionem adductam, inviolatam probaret, divinâ voce & instinctu exteriùs & interiùs animata, conditione oblatâ, & à Marito acceptatâ, super clathrum, seu longurium ferrum candens ad quindecim passus nudis pedibus illæsa incesserit: quo miraculo commotus Sanctus Imperator, & reatus pœnitentiam egit, & non aliter deinceps Cunegundem aspexit, quàm ut columbam castissimam, à Deo unguibus dæmonum creptam. Qui in extremis positus, ut refert Leo Ostiensis lib. 2. cap. 47. Episcopis & Abbatibus præsentibus illam reddens propinquis dixit: *Accipite Cunegundem, virginem eam mihi tradidistis, & virginem reddo.*

XX. His meritò accensco Conradum Romanorum Regem inauguratum Henrici IV. Imperatoris turbulentissimi pientissimum filium, Imperio dignissimum, eoque infallibiliter cohonestandum, nisi mors invida eum à terreno Imperio ad cæleste & æternum immaturè transtulisset. Hic vivente Patre, cui propter mores pessimos, factus est infestus (fuit enim Pater inter cætera Schismaticus, & Schismatis Author) ab eo recedens, & per quaidam Italiæ partes ingrediens, nomen Regis & dignitatem fere novem annis obtinuit, per omnia Catholicus, & Apostolicæ Sedi subjectissimus, plus Religioni quàm fascibus aut armis deditus, fortitudine tamen satis & super instructus, lectioni plusquam lusibus vacans, miseris & præcipuè militibus inopiâ pressis largus, omnibus affabilis, neminem contemnens, indèque non immeritò Deo & hominibus charus: qui licet Patrem haberet infestum, nihilominus tamen eum ita honorabat, ut murmur, quod per totum Imperium mores causaverant Patris, atque causam suæ iustæ ab eo defectionis dederant, auribus propriis nunquam passus sit inferri, semper illum Dominum & Imperatorem suum nominans, universos etiam à Curiâ Patris adventantes, appellatione Conservorum licet infimos, sociali benevolentâ tractabat: sed inter istas, & alias ejus virtutes, morumque compositionem, castitate præcipuè enituit: nam Cœlibatum perpetuò servasset, sed coactus à suis, quibus ob infestationem paternam contradicere non poterat, uxorem duxit filiam Rogerii Ducis Siliciæ. Ita Nauclerus in Chronico tomo 2. à nato Christo Generat. 17. Et hæc fuit Mathildis nobilissima, item religiosissima Heroïna, cum quâ Virginitatem illibatam perpetuò servavit, teste Cornel. à Lapide in 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 6.

Secundò in Regibus Boleslao Poloniæ Rege cui cognomen *Pudicus*, quem titulum non sine causâ obtinuit: Servavit enim raro exemplo illibatum Virginitatis florem etiam in matrimonio cum aliâ Cunegunde, Belæ IV. Hungarorum Regis filiâ, moribus spectatissimâ. De quo propterea Clemens Janitius Polonus ita pangebat. XXI.

*Conjuge consenuit cum Virgine Virgo Maritus.*

In Sanctâ Osithâ Reginâ, de quâ Cardinalis Baronius ad annum Christi 603. ait, quod fuerit Filia Fritualdi Regis in Araglia & Wilteburgæ Filiæ Pendæ Regis Merciorum, educata à XXII.

Sanctâ

Sanctâ Maduvenâ Abbatissâ in Monasterio: inde contra votum tradita nuptui Regi Orientalium Saxonum: à quo intacta servata, tandem licentiam accepit Monasterium ingrediendi. Vide Surium die 7. Octobris.

XXIII. In sanctâ Eldridâ, sive Ediltrude, de quâ ita Venerab. Beda lib. 4. Histor. cap. 19. *Accepit autem Rex Ecgfridus conjugem nomine Eldridam filiam Annæ Regis Orientalium Anglorum (cujus sæpius mentionem fecimus) viri bene Religiosi, ac per omnia mente & opere egregii: quam & alter ante illum vir habuerat uxorem, Princeps videlicet Orientalium Girviorum vocabulo Tombert: Sed illo post modicum temporis ex quo eam accepit defuncto, data est Regi præfato cujus consortio cum uteretur duodecim annis perpetuâ tamen mansit virginitatis integritate gloriosa, sicut mihimetipsi scisitanti (cùm hoc an ita esset quibusdam venisset in dubium) beatæ memoriæ Wilfridus Episcopus referebat, dicens se testem virginitatis ejus esse certissimum, adeò ut Ecgfridus promiserit se ei terras ac pecunias multas esse daturum, si Reginæ posset persuadere ejus uti connubio, quia sciebat illam nullum virorum plus illo diligere: nec diffidendum est nostrâ ætate fieri potuisse, quod ævo præcedente aliquoties factum fideles historiæ narrant, donante uno eodemq; Domino, qui se nobiscum usque in finem sæculi manere polliceretur, nam etiam signum divini miraculi, quo ejusdem fœminæ sepulta caro corrumpi non potuit, indicio est, quod à virili contactu incorrupta perduraverit, &c.* Ita Beda citatus.

XXIV. In Sancto Eduardo Angliæ Rege cum Edithâ Sanctâ uxore, cum quâ ad senectutem usque virgo permanens, multis claruit miraculis: cujus propterea corpus post annos centum ab ipsius morte, adeò integrum inventum est, & incorruptum, ut ne barba quidem, quæ illi prolixa fuerat cana, decidisset.

XXV. In Alphonso II. Castellæ & Arragoniæ Rege vulgò *Casto*, qui hanc Apostoli sententiam 1. Corinth. c. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere* ad se pertinere putavit: Quare ipsâ primâ nuptiarum suarum nocte, cùm uxori suæ accubaret, tot & tantis de puritate & virginitate peroravit, ut conjugem suam sui propositi habuerit consortem, ab indeque miraculis claruerit. Volaterran. lib. 2. & alii. Hic Hispanias à Mauris liberavit, quibus Hispani infame tributum centum virginum partim nobilium, partim plebeiarum quot annis pendebant, quod propter eminentiam virginitatis videtur à Deo meruisse & accepisse, & simul Virginum Salvator dici.

XXVI. In Sancto Emerico Sancti Stephani Hungarorum Regis filio, qui & ipse habuit quidem uxorem, ut Patri morem gereret, sed eam nunquam attigit; cum eâ quasi cum sorore vivens servatâ, ô verè Evangelicũ Eunuchum! pudicitiæ integritate: ob quam meritis quantùm apud Deum prævaleat, testatur illud inter alia ejus miracula insigne, quod in Conrado Germanico, regnante jam Ladislao, contigit: hic Conradus fuit perditissimę vitæ Princeps à quâ tamen Deo miserente resipuit. Hic ergo suorum enormitate scelerum commotus, Romam cogitat, ubi ad summi pedes Pontificis provolutus, & totus in lachrymas effusus, exomologesim facit, ad omnem paratus expiationem: Confitentem audit & miratur Pontifex, atque scelerum ejus immanitate attonitus, primò jubet ut peccata sua in charta describat: tum deinde loricâ ferreâ carnem nudam superveștiat, quam ita ferreis clavis ad ejus corpus compingi jubet, ut illâ nullatenùs ipse se exuere possit, atque in eo statu peregrinari, & loca in quibus præcipuorum venerabantur Reliquiæ Sanctorum invisere præcipit tamdiu, donec ejus compunctione & pœnitentiâ placatus Deus, in signum obtentæ veniæ, & scriptura deleta appareat, & lorica sine hominis manu dissolveretur. Jussis paret Conradus intimo suorum horrore correptus scelerum, loca sancta Jerosolymis adit, ibique flet, vigilat, orat, misericordiam deprecatur: inde per Pannoniam transiens ad Sepulchrum Sancti Stephani Regis, qui primus gentem illam ad fidem Christi convertit, prosternitur, cum proposito non inde recedendi nisi signo misericordiæ accepto: dumque hæc agit, atque in oratione diem integrum à summo mane usque ad ipsam

noctem perseverat, fatigatus tandem ibidem obdormit, & ecce sopito sistit se exoratus Stephanus, qui eum bono animo esse jubet, filium suum Emericum ibi prope in eâdem Basilicâ jacere, per quem ob singularia ejus merita, raram maximè virginitatem illam, id quod tantis tamque ardentibus votis expetebat, certò obtinebit, illum fide plenus adeat: Dictum, factum: ad sancti corpus Emerici advolvitur loricatus Contadus, orat, lachrymatur, veniam expetitam impetrat, scriptura dispungitur, clavi dissiliunt, lorica dissolvitur, & gaudio spirituali perfusus Reus justificatus, gratias Deo agit & Sancto Emerico sospitatori suo. Pro his vide Ribadineiram in vitâ Sancti Emerici 5. Novembris & ab eo citatos. Quæ si potuit Sanctus Emericus maximè ob virginitatem illam, vide quid non poterit Divus Josephus, qui eâ primus super omnes eminuit.

XXVII. Hunc porrò præcedentibus accenseo Regibus, tum quod esset filius unicus Sancti Regis Stephani, atque adeò eo ipso Paterni Regni hęres necessarius ac præsumptivus; tum quod licet Martinus Polonus ejusdem Emerici obitum ponat anno Domini 1032. Chronicus tamen illum assignat anno 1036. vide Cardinalem Baronium in annotat. ad Martyrologiũ pridie nonas Novemb. in Emerico: atq; adeò obitus ejus contigit duobus annis & amplius post obitũ Patris qui fuit 18. Kalend. Septemb. anno 1034. juxta eundem Baronium ibidẽ ad 20. Augusti & alios ab eo ibidem citatos proindeque duobus illis annis, quibus Patrem supervixit, regnavit.

XXVIII Tertiò, in Principibus & Dynastis: Olympiade juniore filiâ Anisi II. Comitis & Olympiadis, ac neptis Ablavii Præfecti. Nam ex Ammonio lib. 20. apud Baronium tom. 4. Annal. ad annum Christi 388. Ablavio fuit filia hæc Olympias senior, quæ desponsata fuit Constanti Augusto, eo autem occiso nuptui tradita est Arsaci Armeniæ Regi, quo iterùm ipso exordio Imperii Valentis à Persarum Rege dolosè necato, iterùm nupta fuit Anisio II. ex quo genuit hanc, de quâ hîc nobis est sermo Olympiadem juniorem, quæ titulo sanctitatis in publicis tabulis, & Ecclesiasticis dyptichis tam apud Latinos quàm Græcos nota reperitur: apud illos quidem 16. Kalend. Januarii: apud Græcos autem VIII. Kalend. Augusti: de quâ hi ita in suo Menologio. *Vixit hæc sub Imperatore Theodosio, Arcadio & Honorio filiis, Anisii II. Comitis filia neptis Ablavii Præfecti, desponsata Nebridio, cum quo paulùm temporis vixit antequam cum eo copulâ jungeretur, sicq; virgo simul & vidua permansit.* Palladius ait viginti menses cum viro suo vixisse. Vide pro his Pallad. in hist. Lausiaca c. 43. & Dialogo de vitâ sancti Chrysostomi, & Baronium citatum.

In Sancto Arnoldo sive Arnulpho XII.
cum Stamberghа Clodovei Francorum Regis Christianissimi nepte apud Patrem Joãnem Cordier è Societate Jesu, libro cui titulus est Gallicè, *La famille Sainte*, part. 1. c. 2. §. 2. pag. mihi 43.

In Sanctâ Pharailde filiâ Theodorici XI.
Lotharingę Ducis & Sãctæ Amelbergæ Sororis Pipini Principis, quæ à Beatâ Gertrude cognatâ suâ de sacro Fonte susceptа, ac in litteris & moribus instructa pietatem à teneris annis egregiè coluit, cumq; impedire non posset quin à Parẽtibus nuptui traderetur, per omne tamen conjugii tempus illibatam custodivit virginitatẽ. Ita Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad 4. Januarii.

In Mathilde illâ famosissimâ, quæ XII.
varia Tusciæ & Liguriæ Oppida Romanæ legavit Ecclesiæ: quæ primò nupsit Godefrido cognomine Gibboso, Lotharingiæ inferioris & Bullionii Duci, ac eo mortuo suasu Urbani Papæ Welphoni Welphonis Bajaoriæ Ducis Filio. Vide Baron. ad annum Christi 1089. ubi asserit hanc continentiam servasse cum secundo Marito; Aubertus verò Miræus cum utroque in Chronico Belgii, ubi de Ducibus Beneficiariis Lotharingiæ. XIII.

In Petro Urceolo magno Reipublicæ Venetæ Duce apud Volaterranum lib. 4. qui cum uxore ex consensu continenter vivens miraculis claruit.

In Sanctâ Catharinâ Succicâ sanctæ XXXII.
Brigittæ & Ulphonis Nericiæ Principis Filiâ, quæ volente Patre nupsit Eghardo, sed ita nupsit ut ipsum quoque sponsum Eghardum ad nuncupandum

castitatis

Castitatis votum adduxerit. Surius ad 24. Martii & alii.

XXXIV. Tandem in Beatâ Franciscâ d'Amboise cum Petro II. Armoricorum Duce qui vulgò *Boni Duces* nuncupati, & anno 1450. Duces coronati sunt. Quorum hic moriens Franciscam virginitatis integritatem servasse testatus est: quæ post Ducis Viri sui obitum Fundatrix extitit Monialium nostri Ordinis in Armoricâ, advocatis ex Territorio Leodiensi, Leodio scilicet & Dionanto (undè Oppido à Carolo Audace Duce Burgundo vastato nostræ Moniales Huum venerunt) novem Monialibus à Beato Patre Joanne Soreth nostri Ordinis tunc Generali: quibus & ipsa spretis mundi pompis aggregari voluit emissâ solemni professione inter manus ejusdem Beati Patris anno Salutis 1467. ipso Annunciatæ Virginis die. Vide Albertum Le Grand ex Ordine Sancti Dominici in ejus vitâ, Patrem nostrum Lezana tomo 4. Annal. Ordin. nostri ad annum Christi 1427. Et nostrum Leonem à S. Joanne Christianissimi Regis Ludovici XIV. Ecclesiastem ordinarium in Delineat. Observant. Rhedonen. cap. 7. & lib. Vitæ B. Franciscæ d'Amboise.

## SECTIO II.

### *Nobiles qui eodem modo in Conjugio castè vixerunt.*

XXXV. IN illis ab omnibus recensentur Sancta Cecilia cum Sancto Valeriano, ut meritò illius, idest Sanctæ Ceciliæ corpus sub Clemente VIII. post tot annorum centurias illæsum & integrum repertum sit. Sanctus Chrysanthus cum Dariâ. Sanctus Alexius cum Sponsâ suâ illis septemdecim annis quibus post peregrinationem in domo paternâ receptus est, & vixit sub vili habitu, & uxorem ibidem à tempore nuptiarum perseverantem habens sub conspectu.

XXXVI. Quibus addo Sanctum Julianum cum Basilissâ, de quibus ita Surius tomo 1. 9. Januarii. Urgebatur Julianus „ à Parentibus uxorem ducere, sed Deo „ se, virginitatemque suam dum com- „ mendat, monetur ab Angelo acquiescere Parentum voluntati, nacturum se conjugem, cum quâ Virgo perseveraret. Peragitur ergò nuptialis festivitas, in thalamum Julianus cum Sponsâ introducitur: Mox verò rosarum, liliorum odor, locum perfundit hyemis licet tempore: miratur Sponsa, & inquirit undè tanta flagrantia? Respondet Julianus odorem esse munditiei virginalis, hortaturque ut florem hunc Deo acceptissimum velit secum servare illibatum. Illa hâc cœlesti suavitate capta consentit. Cùm itaque castitatem vovissent subitò cubiculum lux perfudit. Hinc Christus cum Sanctorum Choro, illinc Maria cum Virginibus: ortus exindè est cantus ex parte Sanctorum, *Vicisti Juliane, vicisti*: Ex choro quoque Virginum, *Beata es Basilissa salutaribus monitis consentiens.* Datusque est Juliano liber, in quo aureis scriptum litteris: *Julianus pro amore meo mundum contemnens, deputetur in numero eorum qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Basilissa in numero Virginum, quarum Maria tenet Principatum.* Responderuntque Chori *Amen.* Tunc duo Angeli duas coronas afferentes dextras junxère & in proposito confirmavère.

XXXVII. Sanctus Aurelius Martyr cum uxore suâ, de quo ita Eulogius Præsbyter, in ejus vitâ cap. 4. & 5. Quamobrem, inquit Aurelius ad Conjugem, primò omnium munditiæ & castitati studentes vacemus orationi, quo facilius ad reliqua Sanctitatis opera properemus. Fiat dehinc Soror quæ hactenus Conjux fuit, & spretâ conglutinatione corporum cœnosâ, noverit mens præstantior, spreto carnis oblectamento perpetuæ incolumitatis producere germina, si quo modo digni reddantur Martyrii præmio. Suscipit lætantibus animis Mulier pium Viri consilium, gaudensque multis modis in tam subitâ insperatæ salutis oblatione: Hæc sunt inquit, quæ semper optabam audire, videlicet ut carne morientes, vivamus spiritu, unum pariter effecti cum illo, sicut scriptum est, *Qui adhæret Deo unus spiritus est.*

XXXVIII. Frater Sancti Hilarii Episcopi Arelatensis, de quo hic ita in Epist. ad S. Augustinum quæ præponitur libro ejusdem Augustini de prædestinatione Sanctorum:

Sanctorum. *Sciat sanctitas tua fratrem meum, cujus maximè causâ hinc discessimus, cum matronâ suâ ex consensu perfectam Deo continentiam devovisse: unde rogamus sanctitatem tuam, ut orare digneris, quo hoc ipsum in eis Dominus confirmare & custodire dignetur.*

XXXIX. De sorore quoque ejusdem Sancti Hilarii Sancta Pinteniola quæ fuit nupta viro illustri Sancto Lupo postea Episcopo Trecensi, cujus meminit Sidonius Apollinaris lib. 6. epist. 1. cujus acta habentur apud Surium die 29. Julii: & apud Baronium ad annum Christi 426. num. 22. constat, quod dicatâ Deo ab utroque de mutuo consensu castitate, continenter simul vixerint per septennium, quo expleto, amore vitæ perfectioris, se ab invicem separarunt, ac Sanctus quidem Lupus sub Sancto Honorato Cœnobii Lirinensis Abbate vitam monasticam excoluit, atque inde ad Trecensem Ecclesiam regendam assumptus, mirâ sanctitate effulsit.

XL. Sanctus Pelagius postea Episcopus Laodicenus apud Theodoretum lib. 4. hist. cap. 13. ubi quod primo die nuptiarum, cùm ipse juvenis sponsam duxisset juvenem, atque ut simul voverent continentiam suasisset eum eximiè laudat.

XLI. Presbyter quidam cujus meminit Sophronius in Prato spirituali cap. 108. qui etsi à parentibus uxorem accipere compulsus, non solùm illecebrâ captus non est, quamvis juvenis esset, & legitimè conjunctus uxori, sed etiam ipsam induxit ut secum castè ac pudicè viveret, & postea Clericus ac Presbyter ordinatus est.

XLVII. Sanctus Ausbertus filius Siuvini cujusdam viri illustris, cum Sanctâ Angadrisinâ cujus Pater Rotbertus annuli Chlotarii Regis gerulus, qui simul deprecabantur omnipotentem Deum, ut voluptatum venena ab utriusque corde repelleret: Ipsâ præterea Angadrisina orando obtinuit, ut speciositas sua in deformitatem verteretur, quod cum divinitus factum Parentes agnovissent, nec Deo contradicere vellent, ex eorum assensu Ausbertus dissociabilem edidit libellum, ut sancta virgo Angadrisina non sua sed Domini Sponsa vocaretur, ipse verò Ausbertus in Clericum attonsus est & obiit Episcopus Rothomagensis. Ita Molanus 14. Octobris ex Angrado & Breviario Bellovacensi.

Theophanes qui cùm ad sponsam nocte nuptiarum ingressus esset, & animi puritatem omni corporeæ voluptati anteponeret, tam pium ac efficacem in thalamo vel doctorem vel collocutorem se præbuit, ut sponsam continentiæ suæ sociam & fecerit, & retinuerit semper. Ita Canisius lib. 2. de Deip. cap. 11. XLII.

Sanctus Elzearius Comes cum Delphina conjuge in urbe Massiliensi: quibus non satis fuit virginitatis virtutem in aliis suspicere, sed & ipsi admirando consilio ducti, quoniam casti ad conjugium accesserant, suæ virginitatis florem nulli præterquam Jesu Nazareno offerre, consecrare, servare voluerunt: itaque sacram Ædem adiêre, suas preces Deo effudêre, & post sanctissimum Christi corpus reverenter acceptum, flexis genibus, junctis manibus, erectisque in Cœlum luminibus & animis vota in hunc modum præeunte Elzeario disertè fecerunt: Domine Jesu Christe à quo bonum omne & donum proficiscitur, ego peccator fragilis & infirmus, sine tuo speciali dono non possum castè & continenter vivere, sed de tuo singulari adjutorio confidens, voveo & promitto tibi, & Sanctissimæ Matri tuæ, atque omnibus Sanctis, toto tempore vitæ meæ me castè victurum, & virginitatem servaturum, quam huc usque tuâ benignitate in me custodivisti: atque hujus promissionis exequendæ causâ, paratus sum quascumque afflictiones & pœnas atque etiam mortem ipsam perpeti. Ita Canisius loco citato, subdens: En tibi singularem professionis formulam, vel " à veteribus acceptam, vel sapientissimè quidem excogitatam, certè ab omni elatione & præsumptione alienam, " sanctæ autem magnanimitatis refertam, ac illis demum pulchrè congruentem, qui Mariam & Joseph imitantes, ex mutuo consensu casti esse & " conjuges manere volunt.

Quibus innumeri alii addi possunt, XLV. ut Beatus Themistagoras cum Beatâ Timo

Timo in vitâ Sancti Auxibii, Sanctus Galation cum Sanctâ Epistemе Conjuge, nobilitatis, virginitatis, sanctitatis, & martyrii consorte apud Baronium. Finiamus cum Sanctâ Melaniâ juniore ex Actis Melanię juniotis apud Metaphrastem 31. Januarii & Surium tomo 1. Sanctus Vandregesilus Comes Palatinus sub Dagoberto Rege apud Baroniũ. Aprus cum conjuge suâ apud S: Paulinum epist. 3. ad ipsum. Sancta Berthilia cum Beato Guthlando ex nobilissimâ Francorum prosapiâ oriundi apud Molanum in natalibus Sanctorum Belgii 3. Januarii. Sanctus Mathurianus & Maxima uxor ejus apud Victorem lib. 1. de Persecut. Vandalicâ. Sed ex his satis ad intentum nostrum.

## SECTIO III.

### *Ex Plebeiis etiam nonnulli.*

XLVI. NEque hos Deus licet grossiores ad hanc gloriam Deus ineptos judicavit: Nam prętер Zachariam Calcearium cum Maria uxore sua in Menologio Græcorum: Evaristum opilionem item cum Maria: Sanctum Ammonium, qui post mortem uxoris factus est Anachoreta apud Palladium in Histor. Lausiacâ cap. 8. de quo S. Athanasius in vita Sancti Anthoni Abbatis, Cassianus collat. 14. cap. 7. meminit cujusdam Rustici qui ferocissimum dæmonem, quem Sanctus Joannes Abbas de corpore obsesso precibus expellere non potuerat, ita suâ præsentiâ perterruit, ut cum reverentissimâ ad nomen illius inclinatione discesserit; quod admirans Sanctus Joannes cœpit ab eo vitæ & professionis rationem disquirere; à quo reverentiâ tam sollicitæ inquisitionis adstrictus, tandem didicit uxorem se parentum imperio compulsum, cùm Monachum profiteri vellet, ante annos undecim accepisse, eamque nemine etiam nunc conscio, Sororis loco à se virginem custodiri. Quod cùm audisset Sanctus Senex, tantâ est admiratione permotus, ut coram ipse publicè proclamaret, non immeritò dæmonem, qui se despexerat, illius non tolerasse præsentiam, cujus ipse virtutem non solùm in Juventutis ardore, sed ne nunc quidem sine discrimine castitatis auderet appetere.

Cùm ergò horum non esset finis, XLVII. nos ipsi faciamus per illud memorabile, quod legimus apud D. Gregorium Turonensem de Gloriâ Confess. cap. 32. ubi sic ille: Duos fuisse apud Arvernum virum scilicet & puellam refert Antiquitas, qui conjuncti conjugio, non coïtu, & in uno stratu quiescentes, non sunt ab alterutro polluti in voluptate carnali: Post multos verò annos cum eis esset latenter vita castissima, ex consensu pari vir tonsuratur ad Clericatum, puella verò Religiosum induit vestimentum: factum est autem, ut impletis diebus, puella migraret à sæculo: denique vir ejus præparatâ sepulturâ exhibuit corpusculum ad sepeliendum: Cùmque eam in sepulchro reconderet, arcanum quod inter eos convenerat, elevatis manibus ad cœlum pandit dicens. Gratias tibi rerum omnium Artifex, quod sicut mihi eam cõmendare dignatus es, ita tibi reddidi ab omni voluptatis cõtagio impolutam: at illa è sepulchro subridens, ait, sile, sile Vir Dei, quia non est necesse fatearis nostrum nemine interrogante secretum. Post hæc obtectâ apertorio recessit. Non post multum verò tempus & ipse migravit à sæculo, sepultusque est in loco suo. Erat autem in una quadam Basilica, sed è diversis parietibus utrumque sepulchrum habebatur, & unum quidem ad Meridiem, alterum ad Aquilonem: mane autem facto inventa sunt pariter esse sepulchra, quæ usque hodie sic perdurant. Idcircò nunc Incolæ duos Amantes vocitant, & summo honore venerantur. Ita Divus Gregorius Turonensis.

## SECTIO IV.

### *Illis eos succenturiamus qui post aliquem matrimonii usum, reliquum vitæ pudicitiæ destinarunt.*

CUm & hi, quos à gustatâ aliquam- XLVIII diu in matrimonio carnis volup-

tate, sanctæ castitatis amor abstrahere potuit, verè sint Eunuchi Evangelici, qui se castraverunt propter Regnum cœlorum, eos quidni illis aggregaremus, qui eâdem voluptate prorsus abstinuerunt? Scio equidem quod docet Tertullianus lib. priore ad uxorem, hos istis fœliciores in eo, quia illud bonum semper habuerunt, verumtamen isti his fortiores, atque adeò ex eo capite glorioſiores, quia illud bonum cum labore invenerunt. *Magni enim hoc animi signum est*, inquit D. Hieronymus epist. 14. quæ est ad Celantiam, *& perfectæ virtutis indicium, renunciare subitò expertæ voluptati, fugere notas carnis illecebras, & calentis adhuc ætatis flammas fidei ardore restinguere.*

XLIX. Inter hos spectabiliores fuêre Issaacus Commenus Imperator apud Volateranum lib. 23. Antrop. qui susceptâ ex conjugio suo prole unâ, pactus est cum Imperatrice, quamdiu illam eis Deus servaret, ab ulteriori matrimonii usu abstinere, quod & fecêre.

L. Sancta Heduvigis Poloniæ Regina, & Ducissa Silesiæ, cum Henrico, quæ postea quàm aliquot pio Principi proles peperit, placuit uno animo, pariqúe consensu de Episcopi consilio, & cum ejus benedictione, perpetuæ votum continentiæ emittere, quam & deinceps Dei Spiritu corroborati, per triginta circiter annos simul servaverunt. Vide Surium ad 15. Octobris.

LI. Antigonus & Euphrasia Theodosii Senioris Imperatoris Coætanei, & consanguinei, ac Sanctę Euphrasiæ Virginis, Carmeli nostri syderis Parentes inclyti, quam cum Deo piis eorum votis annuente procreassent, quo mens eorum liberiùs Deo & proximo vacare possent, consensu mutuo continentiam perpetuam voverunt, in eoque statu animis quidem conjuncti, corporibus verò separati, sub eodem tamen tecto, anno uno exacto Antigonus piis operibus plenus ad meliorem vitam translatus est: Ita noster Lezana in Annalib. nostri Ordin. tomo 2. Surius tomo 2. & Breviarium nostrum ad 13. Martii in festo Sanctæ Euphrasiæ eorum filiæ.

LII. Sanctus Leontius postea Episcopus Burdegalensis cum Placidina uxore ex Imperatorio Arcadii sanguine. De quibus ita Venantius Fortunatus lib. 1. in laudem Leontii.

*Cogor autem etiam Placidinæ paucare ferre,*
*Quæ tibi tunc Conjux, est modò chara Soror.*

Quibus annecto Alchymam Sororem ejusdem Placidinę cum Apollinari viro suo apud D. Gregorium Turonensé lib. de Glor. Martyr. cap. 65. ubi agit de Sancto Martyre Antoliano.

Sanctus Franciscus à Borgia ex Duce Gandiæ Societatis Jesu Religiosus, ac demùm illius Generalis ordine tertius, à Sanctissimo Domino nostro Clemente Papa X. fastis Sanctorum solemniter adscriptus: pro quo vide Ribadeneiram ejusdem Societatis in vita ejus. Et hæc de Imperatoribus, Regibus, Principibus & Dynastis. LIII.

Inter Nobiles, Sanctus Aquilinus postea Episcopus Ebroïcensis in Gallia, de quo ita Audoenus in ejus vita. Quæritur ei uxor nobilitati ejus congrua, invenitur, ducitur, proles terrena primùm gignitur, ut postmodùm cœlestis procreetur: sentitur carnalis amor, ut eo propudiato spiritualis ferventius sentiatur, quemadmodum pueri cibo solido degustato ubera respuunt: tandem reversus ex bello contra Barbaros, qui fines Regni Francorum infestabant, ad quod accitus fuerat à Clodoveo Rege cum cæteris Urbium præfectis, in tantum deindè profecit Christi amorem, ut ipse ejusque Conjux, animis conjunctis sub uno tecto manere constituerint deinceps carnali commercio separati. Impendunt etiam sua postse, & ut perfectum sit castitatis sacrificium, elargiuntur res suas pauperibus, ut transeat in holocaustum. Denique adeò corpora sua jejuniis & vigiliis exarabant, ut ipsis quoque Monachis, & Crucis habitum gerentibus, nihil eos cædere putasses. Vide Surium ad 19. Octobris. LIV.

De muliere nobili Lypomanus in vitâ Sancti Francisci. Alio quoque tempore, inquit, mulier quædam nobilis Deo devota, cui vir erat crudelis & in servitio Dei adversarius, venit ad sanctum, ut suum & explicaret dolorem, ac remedium postularet: cui expostulanti, vade, inquit vir sanctus, cum

cum pace ad virum tuum, & dic ei ex parte Dei & meâ quod nunc est tempus clementiæ, postea æquitatis, & indubitanter expecta consolationem. Benedictione acceptâ revertitur mulier, invenit virum, nunciat verbum: Quid inde? Cecidit super eum Spiritus sanctus, & totus mutatus in novum hominem, sic respondet; Domina serviamus Domino, & salvemus animas nostras. Suadente igitur uxore pluribus annis cœlibem vitam agentes, eodem die ambo migraverunt ad Dominum.

LVI. Sancta Athanasia cum Andronico cives Antiocheni tempore Theodosii magni Imperatoris non omittendi. Hi cum filios ex matrimonio suscepissent, eosque Deus satis pueros ad astra vocasset, unanimi assensu, re familiari venditâ, pecuniâque in pauperes distributâ, Alexandriam profecti seorsum per duodecim annos monasticam vitam egerunt, hîc sub sancto Daniele in Monasterio Scethe, illa, mentito sexu in Monasterio Tabesionitarum sub Sancto Pachomio. Quo elapso tempore, Andronicus Jerosolymam profectus sacra loca visendi gratiâ, illuc etiam Athanasia, nihil tamen de viri profectione sciens, se contulit Monachi habitu induta; quæ in virum offendens ipsum agnovit, non tamen ille ipsam, simulque Jerosolymam silentium quod sibi indixerant servantes, profecti sunt, & inde Alexandriam unà redierunt: ubi illa Andronicum ad simul cohabitandum invitavit, cui ille (quam semper pro Monacho habebat) consentiens, simul cum eâ aliis duodecim annis in eâdem cellâ habitavit, nec unquam (tam cautè castèque agebat Athanasia) deprehendere potuit Andronicus nisi post mortem fuisse mulierem, multò minus uxorem suam. Ita noster Didacus Coria in Elucidar. Ord. Carmelit. lib. 9. cap. 4. & noster Marcus Alegre à Cassanate in Paradiso Carmelitici decoris anno Christi 519.

LVII. His adjungere lubet: unum è domesticis non minus illustre Sancti Ansfridi Comitis Huensis, quod oppidum est primarium ditionis Leodiensis, quem ad virtutem suo exemplo perduxit conjux Sancta Hilswindis Marchionis Franchimontani filia, matrona moribus præstantissima, quam, inquit P. Fizen in hist. Ecclesiæ Leodiensis lib. 7. sect. 10. ad ann. 985. non conjugii illecebræ, non dignitatis splendor abduxit à certâ honesti prosecutione, cujus primæ deliciæ erant divina contemplari, suavissimas cum Deo miscere sermocinationes. Silentio noctis à viri latere consurgens ad Ædem sacram se propipiebat, ubi ante fores clausas, in terram corpus abjecta, mentem attollebat in Deum, cum quo suavissimis suis frueretur deliciis: sed quo pium obturbaret institutũ demon ardens invidiâ, virum per quemdam familiarem in zelotypiam protrudere conatus est, quasi illa tenebrarum beneficio clam ad turpitudines suas tenderet. Experimentum tamen prius facere, quàm credere voluit Ansfridus. Ergo proximâ nocte subducentem se de more Hilswindem suspenso gradu subsequitur. Illa quo se longius ab omni arbitro credebat, hoc liberius ante templum, sub Sambuci tegmine in terram provoluta, cœlorum penetralibus animam inferebat, & cum immortali Sponso deliciabatur. De quo, ut Ansfridus ambigere non posset, ecce videt Cœlum discedere, & demissâ ingenti luce Hilswindem non modico tempore spatio perfundi: Quod spectaculum Ansfridum inexpectatâ voluptate demulsit, conjugisque admirationem excivit, & teneriorem deinceps, ut par erat amorem, pœnas ab illo Sycophantâ repetiturus, nisi intercessisset Hilswindis. In fœminæ potestatem deinceps totus transiit Ansfridus, ejus exemplis ac fermè arbitrio in omnem recti rationem rapi cœpit tam incenso studio, ut post primam prolem Benedictum nomine, exosus cum conjuge rerum humanarum inanitatem, ex communi consilio perpetuo continentiæ voto se illigarint: quoque magis expediti liberiore mentis volatu ferrentur in divina, terrenarum opum sarcinam constituerunt deponere, Comitatum suum Huensem Deiparæ Mariæ & D. Lamberto Martyri Ecclesiæ Leodiensis Tutelaribus elargiti: quam donationem Otto Imperator diplomate confirmavit nonis Junii anno 985. indictione

indictione 13. ita Chapeauville in hist. Leodiensi tom. 1. in Notgero 46. Episcopo.

LVIII. Inter plebeios & populares occurrunt primò parentes Sancti Francisci de Paulâ Ordinis PP. Minimorum Institutoris, Jacobus Martotilla cum Mariâ de Castrofuscaldi: qui statim à susceptâ cœlitus meritis Sancti Francisci Seraphici post longam sterilitatem prole tam illustri, convenerunt ut deinceps ab ulteriori congressu abstinerent, quod & voto promiserunt.

LXIX. Sanctus Isidorus Agricola Patronus Matritensis à Gregorio XV. cum SS. Ignatio, Francisco Xaverio, Philippo Nerio Congregat. Orator. Fundatore, & Theresia Ordinis Carmelitarum filia & Congregationis Discalceatorum in eodem Ordine matre solemniter canonizatus.

LX. Ex nostratibus autem damus sanctam Mariam d'Oignies vico Patris ac Diœcesis nostræ Leodiensis inter Sambrim & Mosam. Hæc annos vix quatuordecim nata, cogentibus parentibus nupsit cuidam Joanni, sed non tam nupta dicenda quàm vidua: siquidem cùm aliquamdiu cum marito vitam vixisset à sanctitate admirabilem, eum adduxit, ut quam hactenùs habuerat uxorem, deinceps habere cœperit ex divino instinctu, ut Joseph Mariam, idest commendatam, quod adeò sibi probari testatus est Christus, ut Mariæ promiserit, eo quod castitatis amore, transituræ valedixissent voluptati, nobilius olim ac suavius in cœlo cum viro suo connubium: sunt qui virginitatem servasse volunt, sed hoc certius. Nam Cardinalis Vitriacus solius continentiæ meminit, virginitatem proculdubiò apertius expressurus, si res ita habuisset: nam nec ignorare potuit, quia diu illi à Confessionibus fuit, nec celare debuit, quia res ab illâ gestas adeò studiosè perquisivit.

LXI. Quàm gloriosa ergo D. Josephum circumstat corona, quam Principum insignia, Regum sceptra, Imperatorum serta, aliorumque cujusvis status & conditionis magna constituunt continentium agmina. Audiant infœlices illi, qui nullo matrimonii fœdere, solâ illiciente libidine, illicitis se commixtionibus polluunt: Ecce beati illi conjugum Greges, Candidatorum phalanges, quanquam ætate florerent, à licitis amplexibus Christi causâ, Josephi & Deiparæ exemplo, se abstinentes, æstum ferventis adolescentiæ Religionis ardore superarunt, ignem igni extinxerunt, & triumphales coronas meruerunt: nam ut spirituales Salamandræ in igne non ardentes, in voluptatum copiâ carnis pruriginem cohibentes, apud fluvium sitientes, inter epulas esurientes, timoris Dei clavis suam carnem confixerunt.

## CAPUT IX.

### *Quomodò universitas Conjugatorum aliquo etiam modo Divi Josephi & Deiparæ Virginis continentiam imitari poterit?*

CUM matrimonii usum quantumvis temperatum inseparabiliter comitetur delectatio omnium vehementissima, certum est, ut & secundo Ethicor. c. 11. docet Philosophus, immò & ipsa experientia, quod ex ejus frequentatione augeatur libido, crescatque concupiscentia. Quod cum ita sit, magna sanè virtus est eorum conjugatorum qui matrimonio utuntur, quod tamen in eo ita delectationem copulæ moderentur, ut aliquando urgente licet istâ concupiscentiâ, pruriente istâ libidine, sic ut præfertur viribus aucta, ab eâ se contineant ex motivo virtutis, ut fecit Tobias cum Sarâ castâ conjuge suâ, qui ambo coram Domino corda sua expandentes, ita aiebant: Ille quidem *Domine tu scis quia non luxuriæ causâ accepi hanc sororem conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Tobiæ c. 8. Illa verò ibidem cap. 3. *Tu scis Domine quia nunquam concupivi virum & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentiâ, &c. virum autem cum timore tuo, non cum libidine meâ consensi accipere.*

Idem quoque observare licet in II. Patre

Patre fidei Abrahamo, de quo ita Sanctus Augustinus lib. de Bono Conjugii cap. 22. inter princip. & medium. *Melior est castitas cœlibum quàm castitas nuptiarum, quarum Abraham habebat unam in usu, ambas in habitu: Castè quippe conjugaliter vixit, esse autem castus sine conjugio potuit, sed tunc non oportuit.*

III. Hos quidni faciamus suppares illis, de quibus Sectione præcedenti, qui ex toto renunciant expertæ aliquamdiu isti voluptati, notisque dicunt longum vale carnis illecebris? Nam illi lapsu temporis per contrarios actus, ita possunt in se delere seu extinguere concupiscentiam, ut tandem eam non aliter sentiant quàm qui nunquam experti, immò adhuc fortè minùs. At hi è contra, qui utuntur passim matrimonio, cum ex illius usu & frequentatione foveant concupiscentiam, sentiunt semper illam in dies validiorem: Quare etsi facilius sit semel & iterùm ab expertâ voluptate abstinere, quàm ei æternum valedicere, magnæ tamen virtutis esse fatendum est illi vehementius incumbenti posse ex animi magnitudine resistere.

IV. Ex horum numero sunt & erunt illi primò qui cùm nuptias non appetierint, nec illis utantur propter se, ideòst ut voluntatem suam expleant (quamvis in eo actu dum exercetur illam sentiant) sed tantùm propter prolem, prole conceptâ statim à copulâ se abstinent: cùm enim copula ad generationem seu prolem se habeat apud illos ut medium ad finem, fine adepto, cessant ab usu mediorũ. Tales viri nonne verè viri sunt, qui tam viriliter fœminis utuntur, ut delectationi carnali nõ subjiciantur, sed ei dominentur? Tales uxores etsi non virgines, nonne tamen virgineæ sunt, quæ in eo usu, qui illis licitus est, magis attendunt quod debent, quàm quod eis debetur? Utrique demum nonne verè casti, qui non ad propriam voluptatem suâ potestate abuti volunt, sed illius debiti, cujus sibi invicem sunt obnoxii, redditores magis esse volunt quàm exactores: Ex his fuisse antiquos Patriarchas ex antiquâ lege, saltem plerosque passim innuunt SS. Patres, sed fuerunt longè plures in lege Gratiæ: ex utraque lege, unum hic, ne nimis prolixus fiam, accipe Lector, exemplum.

Ex lege antiquâ in ejus confinio accipe Elizabetham Sanctam Zachariæ uxorem & Baptistæ Matrem, de quâ Lucæ cap. 1. dicitur, *Post hos autem dies concepit Elizabeth uxor ejus & occultabat se mensibus quinque.* In quem locum noster Thomas Beauxamis ex Origene hom. 6. in Luc. Quæro, inquit, quam ob causam, postquam intellexit se esse prægnantem publicum declinarit? Ni fallor hoc est etiam quod hi qui nuptiis copulati sunt, non omne tempus coitus liberum inter se habẽt, sed est tempus quando recedant ab opere nuptiarum. Si enim vir senex fuerit, & mulier anus, pudoris est maximi servire eos libidini, servire conjugio. Eapropter abscondit se illa mensibus quinque, donec Christi Conceptio instaret quæ pudorem illum auferret. Sed & docuit copulam ad intentionem generationis, non autem libidinis fuisse: Nam cùm concepisset abscondit se quasi carnali huic operi renuncians. Ita Beauxamis ex Origene. V.

Ex lege Gratiæ unicam Sanctissimam produco Poloniæ Reginam Hedwigem cum Henrico Viro continentissimo, qui in ipsâ suâ maritali conjunctione prolusisse vidẽtur illi, quam postea inter se voverunt Deo perpetuæ continentiæ, aut saltem ejus tyrocinium posuisse: Nam simul atque Hedwigis se sentiebat concepisse, à maritali thoro de viri consensu se reverenter abstinebat usque ad puerperij complementum, donec tandem illis placuit, inspirante Numine, eam abstinentiam deinceps esse perpetuam Quin immò & hunc in matrimonio abstinendi modum Hedwigis alias quoque quascumque poterat fœminas docebat. Ita Surius in ejus vitâ. Hinc eleganter Divus Ambrosius. *Susceptâ plerumq; sobole renunciant operibus juventutis. Et quid mirum de hominibus, si pecudes quoque mutuo quodam opere loquuntur, generandi sibi studium non desiderium esse cocundi? Si quidem ubi semel gravem ævum sibi sensuerint, jam nec concubitui indulgent, nec lasciviam amantis, sed curam parentis assumunt. At verò homines nec conceptis, nec Deo parcunt, illos contaminant, hunc* VI.

*exasperant. Et quid de pecudibus loquor, terra ipsa à generandi opere sæpè requievit, & si impatienti hominum studio factis frequentius seminibus occupetur, impudentiam mulctat agricolæ, & fœcunditatem sterilitate commutat. Ita quidem in ipsis elementis ac pecudibus ab usu non cessare generandi, naturæ pudor est.*

VII. Secundò, & de horum sunt numero continentium pii illi conjuges, qui ex variis iisque sanctissimis motivis secundùm diversas occasiones à congressu pausant. Aliquos ejusmodi Continentes indigetans noster D. Joannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodox. cap. 25 fuisse notat in Arcâ Noe tempore diluvii: Subtiliter enim ibi observat Deum aliter loqui Noëmo dum eum cum suis in arcam inducit, & aliter dum ex illâ educit. Nam Arcâ compactâ, in quâ distinctæ Dei jussu mansiunculæ, dum eos in illam inducit, viros ab uxoribus, uxores à viris separat. Ait enim sic Genes. cap. 7. *Ingredere tu & filii tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum.* Cùm verò compresso diluvio illos eâ educit, è contra viros cum uxoribus conjungit: ait enim cap. 8. vers. 16. *Egredere de arca tu & uxor tua, filii tui & uxores filiorum tuorum.* Vides distinctionem? Accipe mysterium: ubi in arcam fuit ingrediendum: ingressi sunt viri simul, *Noe* scilicet *& filii ejus*, & mulieres simul, *uxor Noe & uxores filiorum ejus*, ut dicitur cap. 7. vers. 7. distrahendi fuerunt tunc ab uxoribus viri, uxores à viris, ut continentiæ sanctæ adminiculo pelagus atque mundi universi effugerent naufragium: sed compresso diluvio cùm egrediendum fuit, iterùm conjunguntur, quia ad reparandum genus humanum pacato jam per reorum mortem, & vivorum continentiam, Deo, usus matrimonii relaxatur: ita D. Damascenus citatus, & D. Hieronymus lib. contra Jovinian. Ex quo quidem tu Lector Christiane elice, & disce pro te in calamitatibus seu publicis, seu etiam tuis privatis, ejusmodi abstinentiam, optimum esse remedium pacando Numini irato. Nec enim tempus est dum Deus tibi irascitur, & fulmina sua intentat, lascivire.

VIII. Abstinent etiam alii ut melius interdum Deo & orationi vacare possint, atque ab uxoribus corpore tantisper disjunguntur, ut Deo possint mente conjungi: Ut enim ait D. Augustinus lib. 1. Soliloq. cap. 10. ante medium: Nihil est quod magis ex arce dejiciat mentem virilem, quàm blandimenta fœminæ, illeque corporum contactus sine quo uxor haberi non potest: Unde Apostolus 1. Corinth. cap. 7. conjugatis ait. *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut orationi vacetis.*

IX. Alii ut eo dignius ab iis recipiatur in sacrâ communione immaculatus agnus, quo purius se præparaverint: nam Exodi cap. 9. ut populum antiquæ legis ad Domini in montem Sinai descensuri accessum præpararet Moyses, ex Dei jussu illis præcepit, *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris.* Et Achimelech Sacerdos lib. 1. Reg. cap. 21. Cùm David à facie Saulis fugeret cum servis suis, panesque ab eo famelicus peteret, Respondit se panes laicos ad manum non habere, sed tantùm panem sanctum, *si mundi erant pueri maximè à mulieribus.*

X. Abstinent denique alii qui à Deo per D. Josephum aliquid efficaciter petere, ideòque obtinere sperant, & id quidem optimo consilio, impetrant enim illi à Deo certius per sanctos, qui magis illis placent: placent autē magis illi, qui eorum virtutes imitantur, maximè verò illas, quę magis in eis eluxerunt, qualis est in D. Josepho continentia in ipso conjugio, in quâ fuit omnium primus.

XI. Sed de his satis, superque. Tu quisquis hæc legis, profice ex his quibus legis. Itaque matrimonium quod Deus ipse instituit, quod conceptione suâ cohonestavit, quod præsentiâ suâ illustravit, quod primo miraculo suo decoravit, quod evehendo illud ad esse Sacramenti sanctificavit, ne sperne: virginitatem tamen quam in seipso consecravit, & continentiam illi antepone.

XII. Ecce tibi hactenus ob oculos proposita omnis generis continentium exempla, quorum caput Joseph & Maria: qui virgines videri volunt exemplo Josephi & Mariæ, toti sint virginei: quidam enim corpus quidem habent intactum: sed cultus non sine fucis, oculi lascivientes, vel vagi & tornatiles, lingua

gua petulans, incessus levior, animum notant non pudicum: si verò castus est animus, reluceat hujus integritas & in his quæ foris sunt.

XIII. Dixerit aliquis, quid flagitii est si juvenis sponsam, sponsum si Virgo ambiat? si venantur quamlibet sponsam vel sponsum, casti non sunt: si probam vel probum, nullum efficacius lenocinium apud bonos quàm pudor, quàm simplex in cultu mundities. Est & in matrimonio scortatio, quemadmodum est in illo castitas Deo gratissima: si conjungatus es, imitare Iosephi & Mariæ conjugium saltem quantùm patitur tua infirmitas: si illorum & tot aliorum perfectè continentium castimoniam assequi nequis, sequere si potes illos, qui post libatas carnis illecebras, calentis adhuc ætatis flammas fidei restrinxerunt ardore: si nec hoc vales, saltem aliquando te contine cum temperatis, qui sibi ipsis virtutis amore arctant licitæ voluptatis habenas.

XIV. Quod si nec hos te sequi posse dicas, adhuc audi unum: Iterùm restat in quo Divi Josephi continentiam suspicias & colas. Tu qui nondum nupsisti, cave ne id audeas quod in nuptiis & propriâ conjuge noluerunt D. Josephus & Maria, & post ipsos tot Heroes à nobis supra recensiti, & te cohibe donec nupseris. Tu verò qui nupsisti, non tantùm nolis quod extra nuptias velle non poteras, sed & in nuptiis tuis dum D. Josephus non quæsivit in conjuge, quod vir solet in uxore, tu ne in tuâ procëris quasi in meretrice: illam habe faxo, & ad officium naturæ, & ad concupiscentiæ; sed vide ne concessis abutare, ne remedium fiat tibi venenum.

XV. Qui cum uxoribus turpiter certant libidine, qui majore nequitiâ cum illis lusitant, & confabulantur quæ solent cum prostibulis; nec mariti sunt, nec uxores, nec illi has habent pro uxoribus, sed pro pellicibus, nec hæ similiter viros pro sponsis, sed pro lenonibus. In matrimonio casto, & conjugii usus debet esse verecundus.

XVI. Nunc reperit hominum perversitas ut cum uxore quoque committatur adulterium. Audi quomodò ex Divo Hieronymo l. 1. contra Jovinian. *Adulter est*, inquit, *in suam uxorem amator ardentior: in alienâ quippe uxore omnis amor turpis, in suâ nimius. Sapiens vir conjugem judicio debet amare non affectu.* Severus es, inquies, amori ebrio, non abnuo: sed verus sobrio: severus proco, sed verus probo.

## CAPUT X.

### *An omnium primi Maria & Joseph in castitate vovendâ?*

TANTA est fuitque semper primatus in omni genere prærogativa, ut illos qui eo gaudent, aliorum qui eos in eodem genere secuti sunt, Patres nuncupare, nec ipsa Sacra Scriptura dubitaverit: sic Genes. cap. 4. v. 20. *Iabel* dicitur Pater habitantium in tentoriis, & vers. 21. *Iubal* ejus frater, Pater canentium citharâ & organo, quia illi omnium primi cœperunt: ille quidem habitare in tentoriis; hic verò in citharâ & organo modulari, à quibus alii postmodùm idem facere didicerunt: Sic Christus Joannis cap. 8. ob mendacium dicit de Judæis, vos ex Patre diabolo estis, quia nimirùm Diabolus primus mentitus est, artemque mentiendi & fallendi adinvenit, quam deindè Judæi secuti sunt: Hinc D. Augustinus in illum locum. *Non omnis qui mentitur est pater mendacii, sed qui aliunde mendacium non accepit ut diabolus.* I.

Porrò primi in uno quoque genere dicuntur Patres cæterorum in eodem genere, quia scilicet, ut in humanis, filii suis debent Patribus quod habeant naturam in quâ illis similes sunt, ita in hoc casu, primis succedanei debent, quod illam habent formam adventitiam, in quâ isti primi fuerunt. Cùm ergò tanta res sit esse primum in aliquo genere, non erit abs re hîc examinare an D. Josephus & Beatissima Virgo qui Capite 5. virginitatem voverunt, etiam in eâ vovendâ primi omnium fuerint? II.

Et primò quidem constat ex dictis, quod omnium primi illam in conjugio III.

perpetuam servarint; ita ut nulli inveniantur conjuges ante illos qui perpetuò cœlibem in Matrimonio vitam duxerint: unde cùm illam ab initio voto firmarint, ut supra sufficienter demonstratum est, sequitur secundò, quod etiam in castitatis conjugalis voto primi omnium fuerint: Quæ res profectò illis eximiam confert prærogativam, & primam gloriam in genere castitatis: Cum non solùm perfecto virginitatis studio etiam in matrimonio excelluerint, sed etiam quod in hoc pietatis genere nulli secundi, primi omnium fuerint, castorum nempè Cõjugum Principes & Patres. Tandem quod Deo immortali, cum tanto suavitatis odore, perpetuum sui corporis ex toto corde per votum holocaustum obtulerint citra ullum exemplum: Restat hîc inquirendum, an illam continentiam seu castitatem perpetuam, etiam abstrahendo à Matrimonio, omnium mortalium primi servarint ex voto.

IV. Et quoad hoc unum adhuc omninò certum, quod scilicet sic abstrahendo à matrimonio, non omnium primi illam servarint primitate temporis. *Virgo namq; Elias, virgo Eliseus, virgines multi filii Prophetarum*, inquit Divus Hieronymus in epist. ad Eustochium: Et res nimis clara est de illis ex Scripturâ Sacrâ, Sanctis Patribus, & infinitis ferè Doctoribus omnium conditionum, Ordinum & sæculorum. Vide ex nostris eos qui scripserunt de hæreditariâ nostri Ordinis ab Eliâ Prophetâ successione, à Summis Pontificibus Joanne XXII. in Bullâ quæ incipit *Sacratissimo uti Culmine, &c.* quam confirmarunt Clemens VII. & Alexander V. Sixto IV. in Bullâ quæ incipit, *Dum attentâ mente, &c.* quam confirmavit Julius II. per Bullam *Ad sacrum Ordinem, &c.* Leone X. in Bullâ *Cùm ad uberes fructus, &c.* Gregorio XIII. in Bullâ *Ut laudes &c.* Sixto V. in Bullâ *In Apostolicæ dignitatis, &c.* Taceo Honorium III. Paulum III. Pium V. & noviſſimè Paulum V. Urbanum VIII. Innocentium X. Alexandrum VII. & Clementem X. confirmata. Videndi præcipuè in his Petrus Wastelius in Vindiciis pro Joanne XLIV. Patriarchâ Jerosolymitano. Lezana in Apparatu ad Annales Ordinis. P. Franciscus Bonæ Spei Tractatu speciali, cui titulus *Historico-Theologicum Carmeli Armamentarium*, ex professo ab ipso editum contra Patres Christophorum Vega, Salinas, & Rhedanum Jesuitas: & contra Patrem Christianum Lupum Augustinianum.

Itaque dico primò, Eliam Prophetam & Filios Prophetarum in veteri lege (quorum Carmelitæ sequaces & successores) vovisse perpetuam castitatem sicut & alia vota Religionis essentialia. Ita infiniti Doctores moderni tam exteri quàm domestici ex Scripturâ & Patribus. Vide probationes apud præcitatos num. præcedenti Lezanam & Franciscum Bonæ Spei. Item Thomam Waldensem, Joannem Paleonydorum, Arnoldum Bostium, Patrem Munnoz in propugnaculo Eliæ, Matthiam à S. Joanne tomo 1. Histor. Panegyric. Ord. Carmelit. P. Franciscum à S. Mariâ ex nostris Discalceatis in Historiâ Propheticâ Ordinis nostri.

Neque per hoc ullum Divæ Virgini Deiparæ infertur præjudicium, ut voluit Pater Vega & alii ejus consocii, inquit loco citato noster Franciscus Bonæ Spei. Etenim primò, si illa propter voti virginitatis excellentiam debuit prima omnium illam vovisse, debuit etiam propter existentiæ, dilectionis Dei, Gratiæ, Voti, Prophetiæ, &c. excellentiam, prima omnium illa dona accepisse: Nec vim hujus argumenti effugies, si dicas, quod necessarium fuerit ex hyppothesi Decretorum Dei præsentium, quod Beata Virgo non existeret prima omnium creaturarum; consequenter quod non acciperet omnium prima cætera ista dona quæ supponunt ejus existentiam: Respondeo enim sicut hâc hyppothesi nonobstante, non est contra primatum Beatæ Virginis, quod alii ante eam extiterint, Deum dilexerint, gratiam acceperint, prophetarint, voverint, &c. Ita nec in voto virginitatis in particulari est contra primatum ejusdem Virginis, quod ab Eliâ & Prophetarum Filiis emissum fuerit: Ita Franciscus Bonæ Spei libr. de Visione Eliæ disput. 3. num. 96.

Secundò

VII. Secundò, cùm Christi Domini dignitati non officiat, quod Beata Virgo ex instinctu & motione speciali Spiritus Sancti voverit istam virginitatem antequam Christus esset, & illam ipse primus exemplo suo doceret: Cur Divæ Deiparæ dignitati obesset quod Elias Sanctissimus Dei Propheta ex simili instinctu, priusquam illa existeret, idem votum emisisset? Si quidem Christus longè magis excedit B. V. dignitatem, quàm B. Virgo Eliæ Dei Prophetæ Sanctissimi: ita idem Franciscus Bonæ Spei in Armamentario Carmeli Pharetra 1. tel. 11. num. 349 Unde optimè Suarez tomo 2. in 3. part. D. Thomæ disp. 8. sect 3. §. *ad object.* apud nostrum Lezana in Annal. Ordin. nostri in Apparat. cap. 4. num. 19. docet. *Quod Beata Virgo perfectum votum virginitatis emiserit, ad perfectionem ejus pertinet, quod verò ante ipsam nullus hoc fecerit, ad ejus commendationem non admodum confert.*

VIII. Dices cum eodem Vegâ, Salinas, & Rhedano: ex votis & Monachatu verò Sancti Eliæ & filiorum Prophetarum ejus sequacium in lege veteri, de legis Evangelicę præstantiâ multum detrahi, sic enim huic non plus defertur perfectionis quam Synagogæ veteri. Respondeo quemadmodum ad specialem dignitatem Legis Evangelicæ non spectat quod ante ipsam non fuerit in lege veteri vera Sacramenta, vera sacrificia, verusque cultus Dei quoad essentiam & substantiam ipsorum, sed solùm quod ante illam non fuerint consummata, & cum eâ perfectione & plenitudine in quâ sunt sub Evangelicâ Lege, multò minus quod ante ipsam non fuerint vera vota Religionis, eorumque exercitium, verusque status Religionis, proportionatus tamen statui veteris Legis: quin potius videtur colligi debere contrarium ab æqualitate, ut aiunt, proportionis: Cùm enim illa Lex fuerit velut inchoatio Evangelicæ videtur etiam necessariò postulasse modum aliquem inchoatum Religionis, perficiendum & decorandum in Lege Evangelicâ.

IX. Et sanè nulla est assignabilis ratio quare in hominibus perfectis illius Legis fuerint excellentissima dona & charismata, Prophetiæ, miraculorum, Fidei, patientiæ, martyrii, & similium non autem Religionis, licet non ita perfectæ ut sub Evangelio: aut quare hoc solùm reservatum sit Legi Evangelicæ, & non alia: præsertim cum martyrem esse perfectius quid videatur quam Religiosum esse, juxta illud: *Majorem charitatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis, &c.* Ita noster Lezana in apparatu ad Annales nostros cap. 4. num. 22.

Confirmatur ex Bartholomæo Medinâ Doctore sui temporis celeberrimo, prima secundæ Quæst. 108. art. 4. §. *ut tamen*, ubi post aliqua de imperfectione veteris Legis subjungit. Sed ex hoc non inferat Theologus, quod viri justi & sancti in antiquæ Legis statu non haberent ex instinctu Spiritus sancti consilia à Deo tùm virginitatis, tùm obedientiæ, atque etiam paupertatis, quæ & animo lubenti & forti amplectebantur, sed pro temporis ratione non omninò consummata & absoluta. X.

Tertiò, sicut de gloriâ & commendatione Deiparæ nihil detrahit, quod post illam facta fuerint ab aliquibus vota quæ ipsa nunquam fecit, puta vota vitæ Quadragesimalis perpetuæ, solitudinis & clausuræ inviolabilis, &c. ita nec detrahere potest quod ante illam alia facta sint modo quodam inferiori & imperfectiori quæ ipsa fecit modo altiori & excellentiori. XI.

Dico secundò, hoc tamen non obstante Beata Virgo potest dici & verissimè omnium mortalium prima in voto virginitatis, & illius vexillum verè extulisse, hoc pacto occludentur ut credo obloquentium ora. Probatur, quia etsi Pater noster Elias Propheta, & filii Prophetarum ejus sequaces, fuerint priores illâ in vovendo prioritate temporis & quoad executionem, fuit tamen Beata Virgo prior illi prioritate causæ exemplaris, seu quoad intentionem: Planè enim verum est sanctum Patrem nostrum Eliam spiritu Prophetico prævidisse Deiparam Virginem eamq; votum virginitatis emissuram, ac propterea in Matrem Dei eligendam: ac consequenter per inspirationem specialem Dei volentis XII.

tam Virginem honorare, motum fuisse, ut se & sequaces suos ei per simile votum consecraret.

XIII. Igitur cum Elias non voverit nisi ex eo quod, Deo ei Virginem in nubeculâ parvâ præostendente, prævidit votum ejusdem de servatâ virginitate, sequitur manifestè quod hoc votum Beatæ Virginis fuerit causa voti Eliæ: Quare omninò dicendum votum Beatæ Virginis absolutè & simpliciter esse priùs, votum autem Eliæ tantùm secundùm quid: atque adeò Beatam Virginem primatum obtinere & Virginitatis & voti, etiam in Eliam & filios ejus spirituales, qui eam tempore præcesserunt, quandoquidem illorum votum tunc non extitisset, nisi hoc Beatæ Virginis votum futurum fuisset, ac futurum Deus Eliæ exhibuisset, & præostendisset, ut ad illius normam, & in ejus honorem, similiter voveret & contineret.

XIV. Et hâc ratione possunt optimè conciliari SS. Patres qui docent Beatam Virginem fuisse omnium mortalium primam quæ votum virginitatis seu castitatis perpetuæ emisit, cùm illis qui tenent Eliam Elisæum & filios Prophetarum, qui eam tempore præcesserunt, voviſſe perpetuam continentiam, fuisse Eunuchos spirituales qui se castraverunt propter Regnum cœlorum fuisse Monachos & Monachorum Principes, &c. dicendo scilicet Sanctissimam Virginem esse primam omnium mortalium primitate causalitatis; Eliam verò & cæteros tantùm primitate temporis cum quâ ipsi nonnisi dependenter ab illâ tanquam à causâ movente, exemplari, ac etiam finali casti fuerunt: ac sic absolutè & simpliciter Beatam Virginem fuisse omnium primam, quia votum ipsius fuit causa voti Eliæ, & quia votum Eliæ tunc non fuisset, nisi votum Virginis futurum fuisset, & futurum Deo revelante prævidisset.

XV. Hoc modo etiam explicantur decreta Supremi Sanctæ Inquisitionis Senatus qui per Decretum anni 1636. damnavit propositionem istam quod *Beata Virgo non extulisset vexillum virginitatis omnium prima nuncupato voto.* Et tamen non adductâ ad suum Tribunal Historiâ Propheticâ nostri Ordinis per Decretum de 9. Decembris 1639. admisit in eâ sequentes propositiones. Prima, *In lege scriptâ fuit votum virginitatis & castitatis perpetuæ.* Secunda, *In lege scriptâ fuit votum obedientiæ perpetuæ.* Tertia, *In lege scriptâ fuit votum paupertatis voluntariæ.* Quarta, *In lege scriptâ fuit verus Monachatus & Religio*: Quas propositiones approbavit post plurium annorum maturum examen, & exactissimam discussionem fundamentorũ nobis adversantium & nonobstante omni quâ pollebant, & in mundo pollent scientiâ, & potentiâ: ac iterùm iisdem adversariis iterùm oppugnantibus, post reiteratum sæpius & per plures annos earumdem propositionum examen, anno 1673. die 6. Martii Præside Illustrissimo ac Reverendissimo Domino D. Didaco de Valladores Episcopo Ovetensi & Placentino, Regii & Supremi Consilii Castellæ Præside.

XII. Neque hoc parum facit ad laudem tantæ Virginis: quàm enim magnum, quàm glorioſum, quod virginitas ejus non tantùm proposita sit posteris, sed etiam exhibita tot retro sæculis anteris, in exemplum virginitatis & voti virginitatis, quam mores & usus istius temporis non recipiebant imò abhorrebant?

XII. Quare quod fait P. Vega part. 2. Theolog. Marianæ palestrâ 19. certam. 12. num. 444. imitatus suos consocios Patrem Franciscum Salinas tomo 2. Exposit. litteral. in cap. 2. Jonæ Propheræ quæst 35. & Petrum Rhedanum in lib. 1. Machab. cap. 2. contra antiquitat. Ordinis nostri, & Monachatum verum veri Patris nostri Sancti Eliæ Prophetæ & sequacium ejus in veteri Legeinutiliter velitans (ut de novo facit hodie P. Papebrochius ejusdem Societatis in Actis Sanctorum sequens antecessores suos) quod scilicet hæc opinio de tali Monachatu omninò à Scholis exulare debeat, eo quod per eam Divæ Virgini immeritò virginitatis primatus eripiatur, falsumque esset quod vexillum virginitatis voto assertæ extulerit, quandoquidem juxta hanc doctrinam Elias longè, ideſt totis nongentis annis ante Virginem Deiparam, virgini-

virginitatis imperium invexerat: hoc inquam (quod tamen tanquam palmare argumentum contra nos jactat post Salinam & Rhedanum, Vega) vanum est & nullius roboris, sicut & cætera, quæ solidè elumbavit noster Franciscus Bonæ Spei locis hoc capite citatis, ideſt in *Armamentario Carmeli*, & *lib. de Visione Eliæ*. Nam tantùm abest ut per hoc quidquam de Gloriâ & Primatu Virginitatis Deiparæ detrahatur, quin potiùs magis extollitur, siquidem in opinione Vegæ & Consociorum ejus, si fuisset prima omnium primitate temporis, fuisset tantùm causa virginitatis & voti ejus in posteris, at in Doctrinâ Carmelitarum, ac infinitorum aliorum, è quibus plurimi sunt ejusdem Societatis, & quidem profundioris doctrinæ quàm PP. Vega, Salinas, & Rhedanus, fuit non tantùm in posteris sed etiam in anteris, quod majus est.

XVIII Dico tertiò, quod spectat D. Josephum, res non ita clara est: mihi tamen valdè probabile videtur, quandoquidem Deus tam specialiter & clarè manifestaverit Sancto Patri nostro Eliæ Virginis inviolatam summamque puritatem & integritatem, ut ad illius imitationem, & ipse & alii per ipsum animarentur. Videtur, inquam, valde probabile non illi occultasse hanc tam notabilem circumstantiam, quod scilicet illam Beata Virgo etiam in matrimonio servatura erat, tum quia, ut vidimus supra, illam præostenderat aliis, à quibus tamen simile propositum non exigebat: tum quia ex hac cognitione, magis ab eo suspicienda erat & admiranda istius Virginis integritas, & ille, ac per illum alii fortius animandi, ut illam extra matrimonium servarent, quàm illa, quæ in exemplum eis proponebatur, etiam in matrimonio servatura erat; tum denique quia cùm ille cui maritanda erat, esset & ipse ejusdem Virginis exemplo & hortatu virginitatem perpetuò servaturus, non poterat non hæc cognitio multùm conferre ad scopum quem Deus intendebat, ut scilicet idem ipse exemplum cum illo imitaretur. Itaque secundùm hoc Diva Deipara fuit primaria causa voti Eliæ, & Filiorum ejus spiritualium, D. Josephus secundaria.

Sed est adhuc alia primitas, scilicet dignitatis & excellentiæ, quam qui habet aliis non indiget, ut absolutè primatum teneat. Sic homo, licet omnium creaturarum postremus tempore omnium tamen illarum est primus merito, excellentiâ & dignitate, Genes. cap. 2. Sic Divus Joannes Baptista omnium novissimus Prophetarum tempore, & tamen plusquam Propheta, ut ait Matthæus cap. 11. vers. 9. hoc est omnium Prophetarum maximus. Nam ut loquitur Lucas cap. 7. vers. 28. Major inter natos mulierum Prophetâ Joanne Baptistâ non est. *Hic enim*, inquit S. Maximus Episcopus homil. 3. de de Nativit. S. Joannis Baptistæ, *Dominum nostrum IESVM-Christum, quem alii in longa tempora futurum præscierant, meruit annunciare, & designare præsentem.* Sic Petrus omnium Apostolorum primus non ætate aut vocatione, (Andræas enim in his illo prior) sed Apostolatus eminentiâ, & ordine dignitatis. XIX.

Certum est autem Beatissimam Virginem & D. Josephum, etsi non fuerint primi omnium in vovendâ virginitate ordine temporis, fuisse tamen ordine dignitatis, eminentiæ, & perfectionis. Obtinent ergo, illi inter omnes virgines & continentes primatum continentiæ & voti virginitatis. Primò, quia illud votum in illis processit ex majori charitate & gratiâ. Secundò, ex cognitione, affectu & proposito majori, intensiori & magis voluntatem figente & immobilitante. Tertiò, quia caruerunt omni contrario, quo virginitatis perfectio & affectus posset remitti, cum caruerint fomite: & ipsum conjugium quod in aliis ad virginitatem labefactandam servit, in illis fuerit ad ejus custodiam & majorem splendorem. Quartò, Habuerunt omnes virtutes comitantes, sequestras, & altrices in summo, humilitatem, modestiam, pudorem, abstinentiam, mortificationem, & alias, ex quibus posset virginitatis perfectio augeri. XX.

Cùm ergo tanta sit post Sanctum Josephum ac Deiparam Conjugem ejus ex omni hominum gradu, virginum intra & extra conjugium, vel in eo tandem continentium ac temperantium XXI.

rantium eorum exemplo, multitudo, quanta vel hinc quoque quamve multiplex eorum, tanquam horum omnium Ducum ac Principum gloria, dum Deiparam Virginem fœminarum, Beatum Josephum verò hominum numerosissimi greges, si non assequuntur, sequuntur tamen ac imitari contendunt? Nimirùm adducentur quoque post Sanctum Josephum Virgines, Continentes, Conjuges, Comites, Duces, Principes, Reges, Imperatores, atque in ejus imitatione, discipulatu, ac clientelâ, proximi ejus offerentur Regi Domino in lætitiâ & exultatione.

## CAPUT XI.

### *An inter Divum Josephum, & Divam Deiparam verum intercesserit Matrimonium?*

I. SUppono ex omnibus Patribus & Theologis, communique omnium gentium sensu, matrimonium non esse quamlibet viri & mulieris conjunctionem, sed eam solùm quæ inter virum, ut maritum; & fœminam, ut uxorem, intercedit: quæ conjunctio non est tam crassa & materialis, ut oriatur ex copulâ carnali, aut hæc sit pars illius, ut voluit Wicleph apud nostrum Thomã Waldensem tomo 2. de Sacramentis cap. 130. quandoquidem & copula sit damnabilis, quam non verum præcesserit matrimonium: & verum inter illos sit matrimonium, qui ab ejus usu abstinent etiam ab initio amore virtutis: undè Concilium Florentinum in Decreto Eugenii meritò definit, *Matrimonium mutuo consensu perfici*, & Tridentinum Session. 24. Matrimonium ratum distinguit à consummato, quod illud consensu perficiatur, hoc usu.

II. Neque rursus est tam spiritualis ut sit purè animorum conjunctio, quâ vir erga mulierem ita afficiatur ut sibi invicem unicè adhæreant adhæsione dilectionis & cohabitationis perpetuæ, ita enim inter Patrem & filiam, filium & Matrem, cohabitantes ex dilectione, esset matrimonium verum ac legitimum, hoc autem esse non potest: Nam Genesis cap. 1. dicit. *Relinquet homo Patrem suum & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ.* Per quod manifestè innuitur conjugalem societatem inter Patrem & filiam, filium & Matrem esse inordinatam, & ob hoc illicitam, quandoquidem in conjugio sanciendo, Deus non Matrem aut Patrem petendos, sed relinquendos, statuat: Ita Hugo de S. Victore lib. de perpet. Virginitat. Mariæ.

Est ergo talis conjunctio ut per illam III.
vir in mulieris, mulier in viri corpus accipiat & retineat dominium juxta illud 1. Corinth. cap 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ita ut ex istâ potestate habeant uterque jus utendi corpore alterutrius, non ad quælibet, ut constat, sed ad copulam, quæ ideò dicitur actus conjugalis, seu usus potestatis conjugalis. Hoc posito.

## SECTIO PRIMA.

### *Beata Virgo & D. Josephus exterius contraxerunt eodem modo, & cum eisdem solemnitatibus cum quibus contrahebant alii istius temporis.*

ILlud saltem omninò admittendum IV.
est. Est contra nonnullos, qui ex Patribus malè intellectis docuerunt inter illos tantùm fuisse sponsalia de futuro. Hoc docuit inter alios Abdias in Vitâ Sancti Bartholomæi Apostoli: ait enim expresè, Joseph desponsatam, verùm minimè nuptam Mariam Virginem habebat, eamque sententiam non improbabilem putavit Medina lib. 5. de Continentiâ cap. 64. Vide Sanchez 2. de Matrimonio d. 28. num. 1.

Probatur primò ex Scripturis in quibus toties Beata Virgo dicitur Conjux D. Josephi, Divus Josephus Vir Mariæ; quarum veritas ut minimùm hâc viâ V.

salvari

salvari debet. Probatur secundò, quorsum enim D. Josepho Virginem sibi solùm desponsatam dimittendi tam anxia sollicitudo, tam dura cogitatio, dum inventa est in utero habens de Spiritu Sancto Matth. cap. 1. si tunc non erat vera ejus uxor saltem in foro externo? quandoquidem omnibus notum sit quod per simplicem fornicationem supervenientem sponsalia nuda jure naturæ dirimantur. Probatur tertiò, quia dato quod tunc tantùm fuissent sponsalia de futuro matrimonio, quando Matthæi cap. 1. Desponsata Mater Jesu Maria Joseph, ut volunt illi, postmodùm tamen debuit esse Matrimonium per verba de præsenti cum ritibus publicis & consuetis, alioquin inter Mariam & Joseph violata fuisset fides sponsalium: spoponderant enim matrimonium quod non contraxerunt. Probatur quartò, quia cùm constet ipsos post istam desponsationem simul & sub eodem tecto totam vitam transegisse, quomodò id potuissent nisi conjugati sine scandalo? quod Beatæ Virgini & Divo Josepho affricare quis audeat nisi impius, impurus & blasphemus? Probatur quintò, Judæi Christi hostes jurati non cum per despectum Joseph Fabri filium vocitassent, sed potiùs ut ex fornicatione natum traduxissent, si eos ante ejus nativitatem nupsisse non fuisset notissimum: quod cùm nunquam fecerint, facturi si potuissent, quia illi infensissimi, signum est manifestissimum eos publicè ut alii nupsisse.

VI. Objicies, Patres multi inter quos Divus Epiphanius hæres. 78. S. Cyrillus Hieros. Catech. 12. D. Hieronymus, D. Hilarius, & Theophylactus in cap. 1. Matth. videntur insinuare Beatam Virginem non fuisse uxorem D. Josephi, sed ejus dumtaxat Sponsam, juxta illud Lucæ cap. 2. ubi dicitur Joseph ascendisse à Galilæâ in Bethleem propter edictum Cæsaris cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante: ergo quando ascendit non erat Maria ejus uxor, sed tantùm despōsata, seu promissa in uxorem. Notat præterea Euthymius Mariam à Josepho non ad nuptias, sed ad custodiam acceptam; quæ proindè si aliquando dicitur uxor Joseph, tunc nomen uxoris vel conjugis pro nomine sponsæ usurpatur.

Respondeo illos Patres ita loqui, VII.
non quod velint eos non nupsisse publicè, & per verba de præsenti, cujus oppositum adeò certum est: sed quod nolint fuisse conjuges, ut alii, ad copulam; & ut significent tam ab eis illam abfuisse, ac si non vir & uxor fuissent: sed simpliciter Sponsus & Sponsa remansissent; quoad locum Lucæ ineptè valdè illum interpretantur objicientes, ridiculum enim est quod solùm inter illos fuisset promissio de futuro, & quod ille ut caput familiæ cum solùm desponsatâ seu promissâ in Matrimonium, ascendisset ad profitendum & solvendum Cæsari censum.

## SECTIO II.

### *An illud Matrimonium quod exterius contraxerunt fuerit omni ex parte verum?*

NEgare videntur primò D. Gregorius Nyssenus homil. de Christi Nativitate, D. Damascenus lib. 4. de Fide cap. 15. Nicephorus ex Evodio lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 3. Andræas Cretensis orat. de Dormit. Virg. Origenes tract. 26. in Matth. & Theophylactus in Matth. cap. 23. qui referunt Sacerdotes post annos undecim quos Beata Virgo in templo exegerat, consilium iniisse quid de Sacrâ illâ Virgine statuerent, quam audierant virginitatem Deo vovisse: quia nec decebat, nec usitatum erat, ut mulier jam adulta in templo remaneret: & aliundè timebant alicui viro jus & potestatem in corpus illud Deo per votum dicatum, facere. Tandem verò divinâ inspiratione decrevisse, eam tradere nomine desponsationis, cuidam viro ad custodiendam ejus virginitatem idoneo, qualis Joseph, ex eadem cum Virgine familiâ & Tribu inventus, existimatus est. Ex quo infertur non fuisse verum matrimonium, sed veluti quoddam pactum ad mutuam tantùm cohabitationem ordinatum, sub nomine matrimonii, ut Joseph B. Virgini ministraret, ejusque virginitatis custos existeret. VIII.

IX. D. Hieronymus in cap. 1. Matth. dicit Joseph fuisse Beatæ Virginis nutricium non maritum; D. Bernardus homil. 2. in missus est: *Virum*, inquit, *nominat quia homo virtutis erat non quia maritus*. D. Chrysostomus homil. 4. in in Matth. *Conjugis nomine*, inquit *sponsum intelligit*, & homil 5. post med. indicat inter D. Iosephum & B. Virginem non interceſſisse matrimonium: quod etiam faciunt D. Greg. Magnus homil. 26. & 27. in Evang. D. Epiphanius hæres. 78. D. Ambrosius epist. 79. & lib. 2. in Lucam in principio & lib. de Instit. Virgin. cap. 6. & 7. D. Chrysologus serm. 157. & D. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 12. circa finem: ubi hic ultimus videtur velle non fuisse magis inter illos matrimonium quam erat inter Jacob & Rachel priusquam illam acciperet à Patre ejus Laban: ait enim. Meminimus Jacob qui priusquam acciperet Rachel dicebat ad Laban *da mihi uxorem meam*: sicut enim illic ante nuptiarum constitutionem, cùm tantùm promissio interceſſisset, uxor Jacob nominabatur, sic & Maria propter solam desponsationem uxor Joseph vocabatur.

X. Horum Patrum sententia his fulcitur rationibus. Prima, quia videbitur D. Josephi & Beatæ Virginis conjunctio fuisse tantùm animorum ut sibi invicem adhærerent adhęsione dilectionis, & perpetuæ cohabitationis: sed, ut præmonuimus initio hujus capitis, hoc non sufficit ad verum matrimonium, ergo, &c. Secunda, quia Beata Virgo & D. Josephus contrahendo non tantùm non potuerunt habere animum & intentionem se cognoscendi carnaliter sed etiam debuerunt contrahere cum animo & conditione nunquam se cognoscendi isto modo, seu nunquam petendi & reddendi debitum; aliàs enim peccassent contra suum votum, quod est impium: sed hæc conditio est contra substantiam matrimonii & illud irritum facit, ut definivit Gregorius IX. cap. final. *de condit. appos.* Ubi inter alias hanc ponit Pontifex, *Contraho tecum si generationem prolis evites*, quam declarat esse contra substantiam matrimonii, quia nimirum est contraria illius fini: sed votum servandi castitatem & nunquam se copulandi est votum vitandi generationem prolis; quia non se copulando vitatur proles ergo, &c. Tertia, quia in mutuo jure petendi debitum, & mutuâ obligatione illud reddendi, consistit essentia matrimonii: ex illo autem voto servandi castitatem, oritur omninò privatio juris petendi debitum, & deobligatio illud reddendi; ergo destruit matrimonii essentiam. Quarta, ad hoc ut contractus sit validus in quacumque tandem materia, debet is qui contrahit esse sui juris in illâ materiâ de quâ contrahit: sed Beata Virgo post votum castitatis non erat amplius sui juris ut dominium sui corporis transferret in alterum ad actum conjugalem, ergo non potuit validè contrahere; major est certa minor videtur evidens, quia ille est sui juris ut suum corpus transferat in dominium alterius quoad actum conjugalem, qui potest liberè de corpore suo disponere in ordine ad istum actum, sed qui vovit castitatè non potest amplius de suo corpore disponere in ordine ad istum actum, ergo &c.

His tamen non obstantibus certum XI. est inter Beatam Virginem & Divum Josephum verum proprium, ac ratum conjugium interceſſisse: huic Evangelicæ veritati consonant Patrum testimonia, adstipulantur Scholastici omnes in 4. sentent. dist. 29. & 30. & in tertia part. quæst. 29. totque ac tam claris fulcitur Scripturæ locis, ut plures celeberrimi Theologi eam sententiam putent esse de fide, inter quos Gabriel à Sanctâ Mariâ Archiepiscop. Rhemensis in concionibus adventualib. sup. missus est, serm. 7. statim à principio, Suarez tom. 2. in 3 part. quæst. 29. art. 1. & 2. disp 7. sect. 1. Fonseca Augustinianus in vitâ Christi cap. 9. Zarate eodem ordine lib. de discursibus in materiâ Incarnationis quæst. 29. disc. 2. Petrus Morales in c. 1. Matt. lib. 2. tract. 3. n. 8. Escobar tom. 3. in Evang. lib. 2. tit. *Maria nupta* §. 8. n. 30. & alii ab iis citati.

Probatur ergo hæc veritas ex Scrip- XII. turis. Primò, illis in quibus D. Josephus dicitur vir, ideſt maritus Beatæ Virginis, ut Matthæi cap. 1. vers. 16. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ de quâ natus est*, &c. Et ibid. vers. 29.

Joseph

*Ioseph autem vir ejus cum esset justus.* Constat enim nomen istud *vir* junctum possessivo *ejus* attributum alicui fœminæ, nunquam sumi pro sponso cum quo sint tantùm sponsalia seu promissiones de futuro, sed semper & ab omnibus pro sponso qui sit verè maritus: Et ratio est evidentissima, quia simplex promissio alicujus rei, non transfert eam rem in dominium & potestatem illius cui promittitur, ergo non potest dici de fœminâ quod aliquis sit vir ejus per solam promissionem de futuro, sed necessariò requiritur præter promissionem traditio, in quo stat conjugium, & distinguitur à sponsalibus.

XIII. Probatur secundò, ex illis in quibus reciprocè Beata Deipara dicitur ejus conjux & uxor & non tantùm Sponsa. Matthæi cap. 1. vers. 20. *Ioseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, & Lucæ cap. 2. v. 4. & 5. *Ascendit autem & Ioseph à Galilæâ ut profiteretur cum Maria sibi desponsatâ uxore prægnante, uxor enim vocatur*, inquit D. Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 11. *Ex primâ fide desponsationis*, quam vocat vinculum conjugale.

XIV. Roborantur hæ duæ probationes receptissimâ Patrum, omnium Interpretum, Scholasticorum & omnium Orthodoxorum Regulâ, quæ talis est, quod Scriptura sacra semper & indispensabiliter accipi debeat in proprio litterali sensu quẽ ipsa verba præ se ferunt, nisi in ipso litterali sensu aliquid absurdi appareat, quod cogat recurrere ad sensũ metaphoricum & translativum: sed hæ Scripturæ matrimonium verum, maritum & uxorem veram significant primò & per se; nec in illo sensu ullum inconveniens aut absurdum, ut patebit ex solutione argumentorum contrariorum: ergo illæ de vero matrimonio, de vero ac propriè dicto marito, verâ ac propriè dictâ conjuge, intelligendæ.

XV. Probatur tertiò, nec minùs efficaciter ex illis Scripturis in quibus Divus Josephus dicitur Pater Christi, ac primò quidem à Judæis, quia ab illo eum genitum hi putabant: Decipiebantur quidem in eo quod eum putabant Patrem generatione, sed quare talem putabant, nisi quia sciebant D. Josephum Christi Matrem duxisse uxorem? neque enim cogitandum est Christum existimatum ab illis spurium filium Josephi, aut illegitimè natum: Nec fuisset satis consultum generationi Christi legitimæ, nisi tali modo Beatæ Virgini aptatus fuisset D. Josephus, ut filius ex eâ genitus legitimus credi posset, non potuisset autem nisi fuisset maritus Divus Josephus.

Secundò, à Beatâ Virgine ita appellatus est Lucæ cap. 2. vers. 48. *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*: Ita à Sancto Spiritu per Evangelistam Lucam eodem cap. 2. v. 33. *Erat Pater eius & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.* Ibidem v. 27. *Cùm inducerent puerum* JESUM *Parentes eius*, idest Joseph & Maria. Vers. 41. *Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in solemni die Paschæ.* vers. 43. *Remansit puer* JESUS *in Ierusalem, & non cognoverunt parentes eius.* Quod nomen licet ei cõpetere non possit titulo generationis, uti putabant ex deceptione Judæi, potest tamen ei competere titulo matrimonii initi, & existentis cum Virgine Matre ejus, eo tempore, quo in eâ conceptus est, ut videbimus Tract. seq. XVI.

Probatur quartò, ex verbis quibus ipsa eorum desponsatiõ exprimitur in Scripturâ Matthæi cap. 1. vers. 18. *Cùm esset desponsata Mater IESV Maria Ioseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*, ubi manifestè innuit Evangelista Mariam tunc sic fuisse Josepho desponsatam, ut quantum est ex parte vinculi honestè convenire potuissent, quod non fecerant: Atqui copula non potest sequi ex solis sponsalibus, sed ex solo conjugio vero: Ergò fuit tunc inter illos conjugium verum. Item Lucæ cap. 2. vers. 4. & 5. *Ascendit autem & Ioseph à Galilæâ de Civitate Nazareth, &c. ut profiteretur cum Mariâ sibi desponsatâ uxore prægnante.* Ex quo loco manifestum est quod talis erat tunc desponsatio quæ Mariam fecerat Josephi uxorem. Vide supra Section. præced. num. 7. XVII.

Probatur quintò & ultimò efficacissimè ex Genealogiâ Christi Domini ductâ ab Abraham usque ad Iosephum: XVIII.

Cùm enim Evangelista non per Mariam, sed per Iosephum ducat Christi Genealogiam, & probare intendat verum Christi descensum ex Abraham & Davide secundùm carnem, quomodò scopum attingeret, si Divus Iosephus non fuisset saltem Vir seu Maritus verus Mariæ Matris Christi? Quod si dicas sufficere quod fuerit Vir Mariæ secundùm vulgi opinionem: Respondeo negando, quia ut Christus probetur verè Messias & Rex Iudæorum, non sufficit quod secundùm vulgi opinionem tantùm descendat ex Abrahamo & Davide, sed debet ostendi vere ex illis descendere, quod non fieret nisi Ioseph esset verè Maritus Virginis.

## SECTIO III.

### *Idem probatur ex Sanctis Patribus.*

XIX. HUic veritati quæ in Scripturâ adeò clara est, quomodo non adstipularentur Sancti Patres? illos ergo audiamus, ac primò quidem D. Ambrosium lib. de Instit. Virgin. cap. 5. ubi ait: *Desponsata viro Mater Domini, conjugis nomen accepit: Cùm initiatur conjugium, tum conjugii nomen ascisciturr: non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Cùm jungitur puella, conjugium est, non cum virili commixtione cognoscitur:* Idem lib. 2. in Luc. cap. 1. post medium. *Non te moveat quod frequenter Mariam scriptura vocat conjugem: non enim virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio, & nuptiarum celebratio declaratur.* Vide eum quoque epist. 79.

XX. Secundò, & maximè maximum omnium D. Augustinũ. Primò, lib. de bono conjugali cap. 3. ubi verum agnoscit & fatetur matrimoniũ etiam inter illos qui procreationem liberorum nõ quærunt, nec sperant, solâ interim animi conjunctione contenti. Idem lib. 23. contra Faustum Manichæum cap. 8. toto quod hîc transcribo. *Quid ergo jam moveat sancti Evangelii sectatorem, quod sine concubitu Ioseph Christus natus ex Virgine, filius tamen David appellatur, cùm generationum seriem non usque ad Mariam, sed usque ad Ioseph Matthæus Evangelista perducat? Primò, quia mariti ejus fuerat, propter virilem sexum, potius honoranda persona: neque enim quia concubitu non permixtus, ideò non maritus, cum ipse Matthæus narret ab Angelo Mariam conjugem ipsius appellatam, qui narrat quod non ipsius concubitu sed de Spiritu sancto conceperat: Quod si non Mattheus Apostolus ista vera, sed aliquis alius sub ejus nomine (sicut Manichæi putant) ea falsa conscriberet, itane sibi etiam ipse in rebus apertissimis, & tam de proximo contextis, contraria loqueretur, ut quem diceret David filium de Mariâ Virgine sine cuiusquam viri concubitu natum, eiusdem parentes gradatim enumerans, usque ad eum sine aliquâ ratione perduceret, quem non commixtum Mariæ ipse dixisset? si enim alius enumeraret progenitores Christi à David usque ad Ioseph, dicens eum filium David; & alius eum sine ullius viri concubitu ex Mariâ Virgine natum diceret, nec eum filium David appellaret, nec sic continuò putari deberemus eos sibi hæc contraria locutos fuisse, ut vel ambo vel unus eorum falsitatis convinceretur: Cogitare enim debemus fieri potuisse ut ambo vera dicerent: ut & Ioseph Maritus Mariæ diceretur habens eam coniugem continenter, non concubitu, sed affectu, non commixtione corporum, sed copulatione (quod carius est) animorum; & ideò non debuisse virum Virginis Matris Christi separari à serie parentum Christi: & ipsam Mariam aliquam de stirpe David venam sanguinis ducere, ut caro Christi etiam ex virgine procreata, sine David semine esse non posset. Cùm verò unus idemque narrator utrumque dicat, utrumque commendet, & virum Mariæ Ioseph, & Christi virginem Matrem, & Christum ex semine David, & Ioseph in serie progenitorum Christi ex David: quid restat ut credat, qui mavult Evangelio, quam hæreticorum fabulis credere? nisi & Mariam non fuisse extraneam à cognatione David, & eam Iosephi coniugem, & non frustra appellatam, propter ordinem sexus, & animorum confœderationem, quamvis ei non fuerit carne commixtus: & Ioseph potius propter dignitatem virilem ab ordine generationum illarum non fuisse separandum,*

*randum, ne hoc ipso videretur ab illâ fœminâ separatus, cui eum coniungebat mentis affectus: & ne homines fideles Christi, id quod sibi conjuges carne miscentur, tam magnum in coniugio deputarent, ut sine hoc coniuges esse posse non crederent: sed potius discerent fidelia coniugia, multò familiarius se adhærere membris Christi, quantò potuissent imitari parentes Christi.*

XXI. Idem lib. 2. de Consensu Evangelistarum cap. 1. ubi reddens rationem cur Matthæus exequendo humanam Christi generationem, ab Abraham generatores producit usque ad Ioseph virum Mariæ, de quâ natus est JESUS, ait: *Neque enim fas erat ut hoc eum à coniugio Mariæ separandum putaret, quod non ex ejus concubitu, sed virgo peperit Christũ: Hoc enim exemplo magnificè insinuatur fidelibus coniugatis, etiam servatâ pari consensu continentia, posse permanere, vocarique coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.*

XXII. Idem serm. 63. de diversis cap. 10. *Altera illorum calumnia est: per Ioseph, inquiunt, generationes Christi, & non per Mariam numerantur. Attendat pauliſper sanctitas vestra Non, inquiunt, per Ioseph debuit. Quare non debuit per Ioseph? Nunquid non erat maritus Mariæ Ioseph? non, inquiunt. Quis hoc dicit? Scriptura enim dicit Angelicâ Authoritate quod maritus erat.* Noli timere, *inquit*, accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in illâ natum est de Spiritu sancto est. *Et quoque iubetur ut puero nomen imponat quamvis non de semine suo nato.* Pariet, *inquit*, filium, & vocabis nomẽ eius JESUM. *Sed hoc intendit Scriptura quod nõ sit natus de semine Ioseph, cum sollicito unde esset illa gravis utero, dicitur* de Spiritu sancto est: *& tamen paterna ei non auferetur authoritas, cùm jubetur puero nomen imponat. Denique & ipsa Virgo Maria sibi bene conscia, quod non ex eius complexu, & concubitu conceperat Christum Dominum; tamen Patrem Christi dicit:* Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

XXIII. Idem lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 11. *Quibus verò placuit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut inter illos vinculum coniugale rumpatur: imò firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ charius, concordiusq; servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Ioseph,* noli timere accipere Mariam conjugem tuam: *coniux vocatur exprimâ fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cognituras: nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commixtio. Erat quippe illa Virgo, ideò & sanctius & mirabilius iucunda suo viro, quia etiam fœcunda sine viro prole dispar, fide compar. Propter quod fidele coniugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solùm illa Mater, verùm etiam ille Pater eius, sicut coniux matris eius, utrumque mente, non carne.* Deinde post nonnulla. *Sed cum illo non seminante illa peperisset, profectò nec ipsius formæ ser viparentes ambo essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione coniuges essent: unde & series generationum cum parentes Christi connexione successionis commemorantur, usque ad Ioseph potius, sicut factum est, fuerat perducenda, ne in illo conjugio virili sexui, utique potiori, fieret injuria, cum veritati nihil periret, quia ex semine David, ex quo venturus prædictus est Christus, & Ioseph erat & Maria: Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum: prolem cognoscimus ipsum Dominum IESUM: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium.*

Vide iterùm eundem Sanctum Patrem lib. 5. contra Iulianum, qui negabat matrimonium inter D. Iosephum & Beatam Virginem, ubi cap. 9. fusè docet jus matrimonii nõ pugnare cum Religione & voto castitatis. Et rectè, ex matrimonio quippe habeo jus in corpus uxoris, sed ex voto non possum eo licitè uti; si utor peccо contra votum, non contra fidem matrimonii, idest facio actum irreligiosum, sed non committo adulterium. XXIV.

Tertiò, Hugo de S. Victore qui suo sœculo alter Augustinus dici meruit lib. de perpet. Virginit. Mariæ apud Canisium lib. 2. de Maria Deiparâ cap. 11. XXV.

§. *Cæterùm non exiguam hallucinandi causam*, ubi sic Hugo. *Suscepit ergo conjugium, sed non mutavit virginitatis propositum: de virginitate siquidem ejus, hoc piè fides & pietas fideliter confitetur quod ejus perfectionem non imminuit conjugalis consensus, sicut ipsius castitatem non violavit conceptus, nec integritatem abstulit partus. Spontaneus enim consensus inter virum & fœminam legitimè conjunctos, quo uterque alteri debitorem sui se spondet, iste est quo conjugium est, ipsa videlicet societas tali consensu fœderata, quæ altero vivente, alterum ab altero non dissolvit. Est & alius consensus, commercii videlicet carnalis ad invicem exigendi atque reddendi, similiter inter virum & mulierem constituens pactionem, comes, non effector conjugii, officium, non & vinculum: qui & ipse cum utroque pari voto suscipitur, pari etiam necesse est debito teneatur. Sed hujus debiti necessitas illos conjugatos sibi ad invicem non subjicit, in quibus dum conjugium contraheretur, vel sanciretur, hujus operis consensus non præcessit. Nec tamen hoc officio cessante veritatem seu virtutem conjugii cessare credendum est, imò potius tantò verius ac sanctius coniugium esse, quo in solo charitatis vinculo, & non in concupiscentiâ carnis, & libinis ardore fœderatum est. Quid enim? in concupiscentiâ carnis coniugium sanctum esset, & in charitate non esset? Absit: sed multò verius & iustius ibi sanctum & verum dicitur ubi nihil habet castitas unde erubescat, sed charitas unde glorietur.* Hæc ille profundè & subtiliter.

XXVI. Accedit Phœnix Theologicæ Scholæ D. Thomas Aquinas. 3. part. quæst. 29. art. 2. in corpore, ubi sic S. Doctor, *Dicendum quod matrimonium sive coniugium dicitur verum ex hoc, quod suam perfectionem attingit: duplex est autem rei perfectio, prima, & secunda: Prima consistit in ipsâ formâ ex quâ speciem sortitur: Secunda verò, perfectio consistit in operatione rei, per quam res aliqualiter suum finem attingit. Forma autem matrimonii consistit in quâdam indivisibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum, indivisibiliter alteri fidem servare tenetur: finis autem matrimonii est proles generanda & educanda, &c. sic igitur dicendum, quod quantum ad primam perfectionem, omninò verum fuit matrimonium Virginis Matris Dei & Joseph: unde & Angelus vocat Mariam coniugem Ioseph dicens*: Matth. cap. 1. Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. *Quantùm verò ad secundam perfectionem, quæ est per actum matrimonii, si hoc referatur ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit illud matrimonium consummatum.*

XXVII. Tandem, quod his omnibus prævalet, talis est Ecclesiæ sensus. Quid enim sibi vult hoc quod illa quæ in antiquis Breviariis invenit, *Beata Mater & innupta Virgo gloriosa Regina mundi, &c.* in recentioribus abstulit hanc vocem *innupta* & reposuit sic *Beata Mater & intacta Virgo gloriosa Regina mundi*, ut observavit Salmeron tom. 3. de Infantia Salvatoris Tract. 29. voluit nimirum per hoc ostendere, falsum esse quod non fuerit nupta: non tamen ex suis nuptiis assecutam ut esset Mater, quippe quæ intacta permanserit.

## SECTIO IV.

### *Idipsum probatur rationibus.*

XXVIII. PUtant aliqui evadere difficultatem omnem, dicendo verum intercessisse matrimonium, sed illud fuisse contractum antequam emitterent votum continentiæ saltem absolutum: sic enim potuisse ab illis dari consensum in copulam saltem implicitum & tacitum, quem existimant ad matrimonium essentialiter requiri, quod non potuissent sine peccato, si voto saltem absoluto ligati fuissent absque speciali Dei dispensatione. Ita inter illos Gamachius in 3. part. D. Thom. de matrimon. Sacram. cap. 9.

XXIX. Sed etsi cum voto absoluto consensum in copulam dare queat nemo; non potest etiam quisquam, licet sine voto, eundem consensum dare & simul virgo mente permanere, ut patet: vel ergo consensus in copulam non est necessarius ad matrimonium, & sic cum voto suo nubere potuerunt: vel si requiritur non potuerunt etiam sine voto nubere & virgines mente permanere. Sed tunc quomodò potest saltem de Virgine dici quod consensit in copulam

copulam, quæ potius elegisset Mater Dei non esse; quàm virginitatis jacturam facere? Certè mihi manifestum est Beatam Virginem quando contraxit, non aliter id fecisse, quàm adjectâ expresè conditione de servandâ perpetuâ virginitate, in quam D. Josephus prius consensit: impossibile autem est quod fuerit simul & semel dissensus expressus à copulâ & simul consensus implicitus in illam. Quare maneat doctrina nostra ante tradita, Divam Virginem ac Divum Josephum ante nuptias vovisse continentiam, & interim verum inter illos extitisse matrimonium: quod ut planius fiat.

XXX. Nota. Primò, quatuor potissimum in matrimonio reperiri. Primò, mutuum consensum & externum contractum, quo sibi mutuò conjuges potestatem & jus in corpus tradunt. Secundò, id quod resultat ex isto consensu & contractu; scilicet vinculum matrimonii, deinde mutua obligatio ad reddendum debitum, & jus quod est in unoquoque ad illud petendum. Tertiò, mutua cohabitatio conjugum cum mutuis obsequiis in eadem domo. Quartò, denique est matrimonii usus: Ex his primò, nec consensus internus, nec externus contractus sunt id in quo matrimonii essentia sita est: sunt enim tantùm causæ quæ efficiunt matrimonium. Ita D. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 2. querela 1. ad 2. & Sanchez lib. 2. de matrim. d. 1. n. 8. Non secundò, mutua cohabitatio conjugum cum mutuis obsequiis in eâdem domo, quia hoc est quid extrinsecum & consequens matrimonium, quod nec est necessarium ad matrimonium, & esse potest ubi non est matrimonium; ut inter Patrem & filiam, filium & matrem, fratrem & sororem, &c. Non etiam tertiò, in matrimonii usu, cùm Apostolus 1. Cor. cap. 7. velit eos qui habent uxores esse tanquam si non haberent, & ex Concilio Trident. Sess. 24. matrimonium ratum & non consummatum sit verum matrimonium: tandem quod copula in quâ consistit usus matrimonii sit illicita & abominabilis quam non præcedit matrimonium. Denique quod usus alicujus rei necessariò supponat rem cujus est usus.

Restat ergo ut in solo secundo puncto præfatæ divisionis sita sit essentia matrimonii: scilicet vel in vinculo Matrimonii, quod resultat ex consensu interno & contractu externo, vel in mutuo jure perendi & mutuâ obligatione reddendi debitum: non in mutuo jure petendi nec in mutuâ obligatione reddendi, quia in adulterio alterius conjugum, vel in communi ingressu & professione Religionis, cessant hæc, perseverante matrimonii vinculo, ergo restat ut in solo vinculo sit essentia matrimonii. XXXI

Nota secundò, sicut in agris & aliis rebus quæ usu non consumuntur, ita in matrimonio duplex distingui dominium, unum directū quo mulier efficitur propria uxor viri, viciſſimq; vir mulieris, ita ut jam neuter alteri quamdiu prior vivit ullâ ratione se validè in conjugem tradere possit: quod inde oritur, quia perseverat illud vinculum, per quod uterque conjugum alteri fidem conjugalem inviolabiliter servare tenetur, in quo posita est ratio & essentiâ matrimonii. Est & alterum dominium in matrimonio quasi utile, quod situm est in usufructu sive in libero & expedito jure ad utendum. XXXII.

Jam verò etsi conjuges utrumque dominium corporum sibi invicem soleant transferre, minimè tamen repugnat essentiæ matrimonii quin paciscantur sic inter se, ut prius dominium cedant, secundum non, sed voto se obligent Deo eo nunquam utendi: quemadmodum enim in agris, &c. dominium directum potest separari ab utili seu usufructu, ita ut illud sine hoc tradi possit: ita in matrimonio cum hâc tamen differentiâ, quod in matrimonio, non possit, ut in agris, dominium utile corporis transferri in alium hominem aut mulierem ab illis in quos translatū est illius dominium directum; cujus differentiæ ratio est, quia usus corporis ad copulam, non est licitus nisi inter eos in quibus est dominium directum illius. XXXIII.

Nota tertiò, obligationem ad reddendum debitum similiter esse duplicem, actualem unam, quæ ex se non potest stare cum voto continentiæ absoluto; quia hoc votum includit obligationem XXXIV.

gationem contrariam abstinendi ab omni copulâ; & hæc obligatio à matrimonio abesse potest, nec ullo modo adfuit in Conjugio Divi Josephi cum Beatâ Vîrgine. Alteram, quæ vocari potest aptitudinalis seu radicalis ad reddendum illud debitum, sine quâ nullo modo matrimonium esse potest, quæque manet etiam post sublatam præcedentem illam obligationem actualem reddendi debitum: Nam si ritè tolleretur illa actualis deobligatio per dispensationem Dei, illicò sine ullo alio addito consurgeret utrimque ex hac obligatione radicali potestas & obligatio actualis ad reddendum debitum. Sicut verbi gratiâ, in conjuge adultero tollitur jus petendi, & in altero innocente obligatio reddendi debitum non radicalis, sed actualis; & post remissam ab offenso injuriam, absque alio addito, reviviscit statim in adultero jus petendi, & in uxore actualis obligatio reddendi.

XXXV. Nota quartò, quod Beata Virgo (idem dicendum de Divo Josepho) in radicalem illam obligationem omninò consentire debuerunt quando inter se contraxerunt saltem implicitè, propter contractum, qui illam obligationem essentialiter involvit, & simul & semel ab actuali dissentire propter votum, cum quo actualis obligatio repugnat, non illa radicalis. Proindè contractus matrimonii celebratus sub expressâ conditione quod non tenebuntur conjuges se copulare, validus est, secùs verò si tollere vellent etiam radicalem illam obligationem, cùm hæc sit de essentiâ matrimonii, non item illa. His positis probatur nostra sententia.

XXXVI. Quia nonobstante voto potuerunt Beata Virgo & D. Josephus illud totum quod essentialiter requiritur ad matrimonium: ergo, &c. Probatur antecedens, quia matrimonium essentialiter & proximè consistit non in copulâ, ut dictum est sæpè, ergò in dominio & jure in corpora ad usum: hoc autem potest transferri, & esse non tantùm sine usu, sed etiam sine expeditione ad eum usum, seu absque potestate proximâ ad petẽdum, & absque obligatione actuali ad reddendum debitum, ut patet ex dictis in notandis.

Neque dicas quod quamvis conditio de vitandâ ex voto copulâ non repugnet dominio in corpora translato, repugnat tamen dominio transferendo: quemadmodum impedimenta dirimentia irritant matrimonium quãdo illud antecedunt, non verò quando illi jam contracto superveniunt. Respondeo enim quod quando est aliquis defectus in causâ efficiente, à quâ effectus dependet solùm in fieri, non verò in facto esse seu conservari, ille defectus efficit, ut non possit fieri effectus, non verò illum jam productũ destruit: quia nimirùm effectus in hoc casu non pendet à causâ in facto esse, sed tantùm in fieri: unde fit quod cùm impedimentum dirimens matrimonium sit defectus in causâ efficiente, nempè in contrahentibus eos inhabilitans ad matrimonium, & ab eis matrimonium tantùm dependeat in fieri, non verò in facto esse; propterea defectus ille irritat faciendum, non factum. Quando verò est defectus repugnans essentiæ rei, cum ille repugnet rei in facto esse, repugnat etiam eidem in fieri: nam essentia rei eadem est quando fit, & quando est: quia ergo prædicta conditio de vitandâ copulâ ex voto, si esset defectus, non esset defectus in causâ, sed in ipsâ rei essentiâ, repugnaret ei in facto esse, æquè ac in fieri: cùm ergò non repugnet ei in facto esse, stat enim matrimonium jam contractum cum istâ pactione de servandâ continentiâ, seu vitandâ copulâ, ergò non repugnabit etiam matrimonium in fieri cum illâ. XXXVII

Instabis, omnis contractus ad sui validitatem requirit consensum in illud objectum, circa quod primò & per se versatur, atqui matrimonium est contractus, qui per se primò naturâ suâ ordinatur ad prolis generationem, quę non fit nisi per copulam, ergo requirit consensum in prolis generationem & copulam: undè consequens est, quod si inter Deiparam & Josephum verum intercesserit matrimonium, debuerit etiam in illis esse consensus in generationem & copulam. Quod si factum est, ergo illi saltem animo & mente casti esse desierunt; hocque ipsum est

quod

quod docent Centuriatores Magdeburgenſes Centuriâ 1. lib. 2. cap. 10. his verbis. *Evangeliſtæ certò affirmant Mariam Ioſepho in Coniugem fuiſſe deſponſatam: unde liquidè conſtat, ita utrumque, Ioſeph & Mariam fuiſſe affectum, ut ſtatuto tempore, more aliorum coniugum, voluerint liberos dante Deo procreare.* O quàm gauderent novi hi Sanctæ Caſtitatis hoſtes, his caſtiſſimis Conjugibus hanc ſaltem carnalis commercii appetitionem affingere, ut hoc velamine ſuas ſordes tegere & defendere poſſent!

XXIX. Reſpondeo ad minorem, Matrimonium primò & per ſe non verſari circa procreationem prolis quæ fit per copulam, ſed circa tranſlationem dominii corporis, unde debuerunt habere; ſufficitque quod habuerint conſenſum in tranſlationem iſtius dominii; hic autem conſenſus cùm poſſit eſſe conſenſus dominii non expediti ad actum, ſed ligati & perpetuò impediti per votum & nolitionem expreſſam iſtius actus conjugalis, conſtat evidenter quod non repugnet virginitati integerrimæ, quia talis conſenſus nihil eſt aliud quàm conſenſus in nudum purumque dominium: Cùm ergò iſtud dominium ſeu jus per ſe, & præciſum ab aliis, nullo modo lædat virginitatem aut illius votum, ergo nec etiam conſenſus in illud jus ſeu dominium.

XL. Sed cùm matrimonium naturâ ſuâ ordinetur ad generationem prolis, ad quam neceſſaria eſt copula, neceſſarius eſt ergò in contrahentibus aliquis conſenſus in copulam, ut docent omnes: Sed quomodò potuerunt Divus Joſephus & Beata Deipara in copulam conſentire, & Virgines permanere? Reſpondent aliqui eos conſenſiſſe in illam, non abſolutè, ſed tantùm conditionaliter, ſi alter conjux peteret, quem tamen per revelationem certò didicerant nunquam petiturum. Vide Magiſtrum ſententiarum in 4. diſt. 30. §. *præmiſſis*. Scotum ibid. quæſt. 2. Sed hoc non placet, quia non potuerunt in carnalem copulam conſentire ſub eâ conditione, quia poſito voto abſoluto non potuerunt habere animum reddendi debitum ſi peteretur ſine peccato, & aliud ex parte Virginis ſignificant verba illa ejus ad Angelum, *Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.*

Reſpondent ſecundò alii, primò XLI. Deiparam poſt votum accepiſſe voluntatem Dei eſſe ut nuberet: Secundò, ob id nupſiſſe nunquam aliàs factura. Tertiò ideò nubendo votum ſuum divinæ diſpoſitioni commiſiſſe, quia non obſtante voto quantumvis ſolemni excipitur ſemper authoritas majoris maximè Dei. Ita noſter Bacchonius in 4. diſtinct. 31. quæſt. unic. art. 3. Sed primò obſtat illud ejuſdem Virginis poſt nuptias ad Angelum, *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* Secundò, ſi admittitur quod Deus revelavit Virgini velle ſe ut nuberet, cur non etiam quod ejus virginitas futura erat in tuto cum Divo Ioſepho ejuſdem propoſiti cum illâ? quod ſi & hoc ei revelatum, quæ neceſſitas fuit Virgini cogitandi de copulâ dum nupſit? Immò cur hoc, niſi ut illa ad matrimonium, à quo abhorrebat, ſuſcipiendum confortaretur ex fide certâ de voti ac virginitatis ſuæ, quam tanti faciebat, in eo matrimonio ſecuritate? Quomodò igitur tunc potuiſſet cogitare & conſentire in copulam, quam Deus revelaverat non futuram, ut non amplius à matrimonio abhorreret? Et hanc emphaſim habere videntur verba præfata illius ad Angelum *quomodò fiet iſtud?* id-eſt quod concipiam & pariam, *quia virum non cognoſco:* ex quo ſcilicet vovi, & mihi à Deo promiſſum eſt dum voluit me nubere pudicitiam meam à viro meo non labefactandam. Ergo omninò dicendum matrimonium eo animo utrumque ſuſcepiſſe, Mariam & Ioſephum, quo Deus revelans illud ab eâ & hoc volebat, ideſt cum expreſsâ conditione virginitatis ſervandæ, & cum nudâ & ſimplici tranſlatione dominii, non uſus.

Quare dico Beatam Virginem & Di- XLII. vum Ioſephum nec explicitum, nec implicitum habuiſſe conſenſum in copulam quantùm eſt ex parte contrahentium, quomodo enim illi poſſent dici vel implicitè conſenſiſſe in copulam, à quâ explicitè & formaliſſimè ita diſſentiebant, ut non tantùm eâ abſti-

nere voverint, sed etiam Beata Virgo parata esset potiùs renunciare Maternitati Dei, quàm suæ virginitati, ut ex ejus verbis ad Angelum toties patuit? nec etiam ullus ex istis consensibus fuit necessarius ex parte contrahentium ad validitatem matrimonii non explicitus, cùm ad nullum contractum requiratur, ut patet in eo qui contrahit juxta leges & consuetudines loci quas ignorat: non etiam implicitus, nam si ille esset necessarius nunquam sine eo validè matrimonium contrahi posset, cujus tamen contrarium patet ex cap. *Commissum de Sponsalibus*, ubi Alexander III. cuidam mulieri, quæ sub juratâ fide promiserat alicui se illi intra biennium nupturam, quæ postea facti pœnitens, vovit Religionem ingredi, suadet ut propter reverentiam juramenti priùs matrimonium cõtrahat, & postea ante illius consummationem Religionem ingrediatur, quod fecit: Quæ certè non potest dici ullum ex parte sui habuisse animum copulæ, cùm nupserit cum animo expresso servandi perpetuam virginitatem, & intrandi statim matrimonio celebrato Religionem.

XLIII. Dico tamen etsi ex parte contrahentium nullus fuerit consensus in copulam, nec explicitus, nec implicitus, quia non est necessarius, fuit tamen implicitus ex parte contractus. Ratio est, quia matrimonii contractus essentialiter involvit corporum potestatem in alterum translatam: sed hæc mutua corporum translata potestas, respicit copulam, non quidem futuram, sed possibilem tanquam terminum essentialem, & transcendentalem suum, quem etiam in obliquo importat: ergo qui contrahit, censetur vi contractus implicitè seu indirectè consentire in copulam, non futuram, ut dixi, sed possibilem.

XLIV. Neque potestas hæc in corpus per conjuges invicem translata, voto ligata & impedita potest dici frustranea: quia primò qui illam transfert duplicem contrahit obligationem, primò nullam aliam ducendi: Secundò, quantùm est ex vi translatæ seu concessæ potestatis, manendi obligatum ex justitiâ ad reddendum debitum, dixi ex justitiâ, quia possunt perpetuò manere impediti ad petendum & reddendum ratione voti Castitatis ex virtute Religionis quæ prævalet: Quæ obligatio realis est quandoquidem accedente solâ voti dispensatione & Dei voluntate, usus potestatis fieret licitus, & sine illâ dispensatione si se mutuò cognoscerent, non committerent fornicationem vel adulterium, sed sacrilegium; si alium, vel aliam, adulterium sacrilegum. Et ex eâ acquirunt etiam duo bona: primò, ut teneantur sibi invicem ad mutua conjugatorum obsequia: Secundò, ut si Deo volente supernaturaliter proles ex tali matrimonio prodiret, quemadmodum contigit in hoc Divi Josephi cum Virgine, talis proles utriusque esset.

Dices, ergo nec frustranea erit potestas utendi corpore conjugis physicè impotentis ad generandum: quid enim refert an impedimentum proveniat à causâ physicâ, an à morali, cùm utrumque æquè prohibeat ne conjux possit uti corpore sibi tradito? Ergo poterunt isti quoque, si utriquo nota sit impotentia, contrahere validum matrimonium, non minùs quam voto perpetuo castitatis impediti. Respondeo, dispar est ratio de his & impeditis voto castitatis, nam in illis copula conjugalis non est possibilis quam respicit essentialiter potestas conjugalis tanquam terminum suum transcendentalem, in his autem est possibilis, imò accedente solâ voti dispensatione, licita & actualis futura.

## SECTIO V.

### *Solvuntur Argumenta in contrarium adducta Sectione secundâ.*

AC primò, quidem ad Patres ibi primò loco citatos, idest num. 8. Respondeo nihil facere contra nos: Aiunt enim illi expresè Beatam Virginem ex divinâ inspiratione traditam Josepho nomine desponsationis, per quam non potest intelligi nisi conjunctio matrimonialis: quomodò enim per

per sola sponsalia potuissent ab illo retineri perpetuò custodiendâ?

XLVII. Ad alios Patres num. sequenti ibibem adductos, Respondeo D. Josephum dici ab illis sponsum non maritum, vel Beatam Virginem sponsam non uxorem, non quod absolutè negent illum fuisse maritum, hanc uxorem, & inter eos verum fuisse matrimonium, sed ut significent non perveniisse ad conjugalem congressum, qui non facit matrimonium, sed sequitur.

XLVIII Quoad sanctum verò Cyrillum Jerosolymitanum Catech. 12. in particulari, Respondeo esse prudenter intelligendum, non enim ab eo affertur istud exemplum de Rachele & Jacob quod velit non aliter fuisse Mariam Josepho desponsatam quam erat tunc Rachel Jacobo, contrarium enim est nimis ex Evangelio clarum, sed ut ostendat, quod si Rachel propter solam promissionem vocata est uxor Jacob, quantò magis Beata Virgo vocanda erit uxor Josephi cui desponsata fuit, licet inter illos nunquam copula esse debuerit: & si aliud vellet Cyrillus, ab eo recedendum foret in hoc casu, ut adhæreamus aliis verius rem interpretantibus.

LXIX. Ad primum argumentum à ratione Respondeo negando majorem, nam D. Josephi & Sanctissimæ Deiparæ conjunctio fuit maritalis, cum translatione dominii in corpora, licet cum expressâ conditione de non utendo.

L. Ad secundum Respondeo admittendo majorem. Ad minorem & authoritatem Gregorii IX. vel ea conditio vitandi prolem apponitur ut absit à contractu obligatio radicalis prolis procreandæ, vel actualis tantùm: si primum, est contra substantiam matrimonii, & illud nullum reddit, ac de hoc intelligitur Pontifex: si secundùm, adhuc distinguo: vel enim apponitur ea conditio vitandi prolem modo illicito, vel modo licito, v. c. ex causâ Religionis votum continentiæ emittendo: si primo modo adhuc irritat, non si secundo: Ratio est quia hæc sola obligatio ad vitandam prolem modo illicito est incompossibilis cum obligatione radicali ortâ ex matrimonio: Nam sicut licitè vitare prolem non petendo debitum & aliis modis etiam positivis, ut sanguinis emissione propter necessitatem, & non reddendo quando id licitè fieri potest, non est contra obligationem ortam ex contractu matrimonii in illo qui evitat, & consequenter neque contra dominium quod est in altero: ita etiam sublatio juris proximi ad petendum, & obligationis proximæ ad reddendum illud debitum per media licita (ut est votum) quibus proles impeditur, non est incompossibilis cum obligatione radicali ortâ ex matrimonio: & à contrario obligatio ad eam vitandam per media damnata & illicita est incompossibilis cum eadem obligatione radicali.

LI. Respondent alii secundò, quando ea conditio eo animo apponitur ut non possit conjux ex justitiâ actum conjugalem petere, & alter reddere, destruit matrimonium, quod consistit essentialiter in potestate petendi ex justitiâ: non verò quando apponitur ut ex aliâ virtute, puta Religionis & castitatis non possit actus conjugalis peti: quia sola deobligatio reddendi debitum ex justitiâ, directè opponitur dominio in corpus per consensum matrimonialem tradito, non autem deobligatio orta ex voto, quo se Deo voverunt: Quia verò talis conditio ut plurimum præsumitur apponi animo se deobligandi ex justitiâ à redditione debiti, jam excluditur ab Ecclesiâ uti contraria essentiæ matrimonii; unde Meratius tract. de Matrim. disp. 1. sect. 2. docet quod si juvenis quispiam castitatem Deo voverit, idemque puella quædam fecerit, & id alter ab altero factum certò posteà resciat, possunt illi non modò validè, sed etiam licitè cum hac scientiâ matrimonium inter se contrahere, dummodò permaneant in firmo proposito servandæ castitatis, nec exponant se periculo violandi, quod ultimum cum sit difficillimum non id leviter faciêdum aut consulendum, nisi vel Deo revelante vel specialissimè inspirante ut contigit Sanctissimæ Virgini & ejus sponso castissimo D. Josepho.

LII. Unde sequitur quod iterùm supra monuimus, si maritus jus habens in uxorem, sicut præfertur per votum

ligatum, eo nihilominùs utatur, & carnaliter uxori copuletur, peccabit quidem cõtra religionem rationi voti violati at non peccato fornicationis cõtra castitatem, quia jus habet & quidem strictæ justitiæ exercendi illum actum, qui proinde fornicarius esse non potest, quandoquidem ex illo jure est, & ei in conjugii statu per se licitus, & si illicitus, non aliunde quàm ex vinculo voti, quod ligat, non tollit jus istud.

LIII. Sed Quæres cur non possint conjuges etiam ex justitiâ se deobligare à petitione & redditione debiti? Ratio dubii est quod etsi nequeant conjuges de potestate & jure exigendi pro suâ libertate disponere, cum in hoc consistat essentia matrimonii, quam non possunt cõtrahentes dissolvere, possunt tamen de ipso actu conjugali cum hic maneat perfectè subjectus libertati contrahentium, cui proinde renunciare posse videntur salvo jure & potestate.

LIV. Respondeo non posse conjuges ab hoc se ex justitiâ deobligare etsi possint ex voto aut aliâ virtute: ratio est, quia actus conjugalis per modum termini essentialis, ex justitiâ debetur conjugi vi potestatis quam accipit in conjugem per matrimonium: unde cum non possit renunciare juri & potestati quam habet in corpus conjugis, nequit etiam ex justitia renunciare actui conjugali, ad quem ut possibilem tanquam ad terminum transcendentalem tendit maritalis potestas, sequeretur enim eundem actum esse ex justitiâ debitum eidem conjugali potestati, & simul non debitum ex eâdem justitiâ: debitum quidem ut est terminus quem essentialiter respicit potestas conjugalis: non debitum verò quatenùs esset ei ex virtute justitiæ renunciatum: hoc autem est implicatorium & involvit contradictionem, ergo, &c.

LV. Ad tertium dico, ex voto servandi castitatem non oriri deobligationem reddendi aut privationem juris petendi debitum, in quo consistit matrimonium, quod est jus radicale, sed tantùm deobligationem juris actualis seu usus, quæ propriè non est deobligatio vel privatio juris, sed ligatio, eo quod verissimè in hoc & illo conjuge voto ligato maneat jus petendi, & obligatio reddendi, sed ligatum & impeditum voto, quo simpliciter dissoluto per dispensationem, sine alio addito, possunt licitè uti illo jure: cujus simile videmus in conjuge adultero qui per adulterium privatur jure petendi, & alter obligatione reddendi debiti vel potiùs impeditur, cùm per solam injuriæ remissionem redintegretur.

Ad quartum & ultimum respondeo LV. ad minorem fuerunt sui juris ut transferrent, & de facto transtulerunt verum jus radicale in corpus suum, quod sufficit: nec votum illorum excluſit istam translationem, sed ligavit tantùm istam potestatem.

## CAPUT XII.

### *An hoc Divi Josephi, & Deiparæ Matrimonium possit etiam dici omninò perfectum.*

DIvus Thomas 3. part. quæst. 29. art. 2. in corpore distinguit, ut iterùm superius *dixi*, duplicem rei perfectionem. Primam & secundam. Prima rei perfectio, inquit, consistit in ipsâ rei formâ, à quâ speciem sortitur: Secunda verò perfectio, consistit in operatione rei, per quam res aliqualiter suum finem attingit. I

Forma matrimonii à quâ speciem suam sortitur est indivisibilis conjunctio animorum, seu vinculum illud, de quo supra, per quod conjuges sibi invicem fidem servare tenentur. Finis autem matrimonii est proles generanda & educanda: ad quorum primum, ideſt generationem, pervenitur per concubitum conjugalem: ad secundum, ideſt educationem, per mutuos viri & uxoris labores, quibus se invicem adjuvant, ad educationem prolis utrique communis. II

Ex his D. Thomas concludit Matrimonium Matris Dei & D. Josephi primam perfectionem attigisse, quia fuit verum matrimonium, ut superiori III

capite

capite latè probatum est. Quæstio ergo hîc procedit de secundâ perfectione quam matrimonium habet ex fine, ut & res cæteræ.

IV. Et quia hæc, ut jam dictum est, est proles generanda vel educanda. Respondet Divus Thomas distinguendo: Si hoc referatur, inquit, ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non habuit illam Divæ Virginis & Divi Josephi Matrimonium, quia certum est, & fide constat, in illo nullum unquam adfuisse concubitum: habuit tamen secundam perfectionem quoad prolis educationem, quia in hoc fuit electus à Deo Divus Josephus. Ita Sanctus Thomas & omnes Theologi communiter.

V. Nonobstantibus supradictis existimo, si res hæc penitus inspiciatur, posse dici, & verum esse hoc matrimonium etiam primam partem hujus secundæ perfectionis attigisse. Probatur primò ex D. Augustino lib. 1. de nuptiis, & concupisc. cap. 11. ubi postquam probavit veritatem hujus matrimonii, quodque Christus ex eo ortus, ita ad utrumque pertineat, ut uterque parens ejus dici meruerit, quemadmodum etiam appellantur in Evangelio Lucæ cap. 2. vers. 24. 27. 41. & 43. Ita denique concludit: *Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, Proles, Fides, Sacramentum: Prolem agnoscimus ipsum Dominum IESVM: Fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium.* Ubi Sanctus Doctor in horum fœdere Conjugum ponit clarè non unum aut alterum nuptiarum bonum, sed omne, & inter illa prolem enumerat, per quam matrimonium secundam suam attingit perfectionem.

VI. Sed dissentit D. Thomas loco supra citato, ait enim quia secunda perfectio matrimonii est ut attingat finem suum, hoc est prolem. Atqui Divæ Virginis & Sancti Josephi Matrimonium habuit prolem, fuit ergò summè perfectum & in omni perfectione matrimonii consummatissimum.

VII. Quod autem dicit D. Thomas, quod perfectio & finis matrimonii est *proles ad quam pervenitur per carnalem concubitum*, qui non invenitur in prole hujus sancti Matrimonii, nihil obstat, quia refert Sanctus Doctor modum ordinarium & usitatum per quem pervenitur ad prolem: per hoc autem non excludit modum extraordinarium & supernaturalem, quo Deus vult dare prolem etiam citra concubitum, idque clarissimum est, quia si voluisset excludere illum, non dixisset finis matrimonii est proles, ad quam pervenitur per concubitum carnalem, sed dixisset, finis matrimonii est proles quatenus ad illam pervenitur per concubitum carnalem.

VIII. Nec etiam obstat quod idem sanctus Doctor citatus ait, quod si matrimoniũ referatur ad concubitum carnalem, hoc Divi Josephi cum Deiparâ Matrimonium non fuit perfectum: quia non est necesse ut ad illum concubitum referatur, cùm ille non sit propter se, sed propter prolem tanquam matrimonii finem: undè quid refert si proles per illum, vel per alium Deo placitum modum habeatur?

IX. Probatur secundò, quia Matrimonium istud Divi Josephi cum Deiparâ ante Christum conceptum & natum, fuit tantùm matrimonium ratum: Sed post Christum natum, fuit aliquid amplius, ergò fuit perfectum. Confirmatur, quia si nunc aliqui conjuges, Deo volente, eodem modo post matrimonium prolem susciperent, quo Beata Virgo & D. Joseph, non illud dissolvere liceret per ingressum in Religionem aut susceptionem Ordinum: nec tales possent altero conjuge professo & vivente alteri nubere, ergo illud matrimonium non esset simpliciter matrimonium ratum, quod dissolvi potest per ingressum & professionem Religionis, sed est perfectum omnimodè & consummatissimum.

X. Dices, non est perfectum in ratione significationis, unionis Christi cum Ecclesiâ, quæ significatio habetur tantùm per utriusque inter se copulam, per quam fiunt una caro, & generant plolem: Respondeo, cùm unio Christi cum Ecclesiâ sit spiritualis, multò melius significatur per conjunctionem Mariæ & Josephi, quæ fuit in Spiritu, quàm per quamcumque aliam corporum aliorum conjugum; cùm & illa

Divi Josephi ex dictis indissolubilitatem habuerit & prolem: unde D. Augustinus lib. 1. de Nuptiis & Concupisc. cap. 11. vocat eam *Sacramentum, quia nullum divortium*, idest quia nullâ ratione dissolubile, quod in câ nata sit eis proles Christus Dominus, quemadmodum & filii spirituales ex unione Christi & Ecclesiæ.

XI. Neque tantùm hoc matrimonium per illam prolem sic sine concubitu habitam fuit perfectum, sed etiam omnium perfectissimum: nõ tantùm quia in illo orta est proles infinita, sed etiam propter modum, quoad illam pervenit. Iuvat ad rem audire Augustissimũ Augustinum tom. 10. ser. 63. de divers. c. 14.

XII. *Habent*, inquit ibi Augustinus, *uxores magni viri, quales fuisse Patres legimus, & multis documentis invenimus, clamantibus omninò sine dubitatione paginis sanctis Si qui ergo viri propter creationem tantùmmodo liberorum uxores habent, si eis posset præstari ut haberent filios sine concubitu (quomodò scilicet habuit D. Ioseph) nonne ineffabili gaudio tantum beneficium amplecterentur? nonne cùm ingenti lætitiâ susciperent? duo sunt enim opera carnalia quibus constat genus humanum, in quæ duo opera prudentes & sancti ex officio descendunt, imprudentes autem in câ per cupiditatem ruunt. Quæ sunt ista quibus constat genus humanum? In nobis ipsis primum est, quod pertinet ad sumenda alimenta, quæ utique non possunt sine aliquâ per carnem delectatione sumi, manducare & bibere: si non feceris, morieris. Hoc ergo uno sustentaculo stat genus humanum pro modo naturæ suæ, manducando & bibendo. Sed per hoc sustentaculum sustentantur homines quoad seipsos attinet: successioni autem non consulunt manducando & bibendo, sed uxores ducendo: sic enim cõstat genus humanum: primò ut vivant homines: sed quia diligentiâ quantâlibet corpori adhibitâ non possunt utique semper vivere, consequens provisio est ut nascentes succedant morientibus, &c.* Et post pauca: *Cùm ergo sic subsistat genus humanum, & necessaria sint duo sustentacula, de quibus satis dictum est, ad utrumque sapiens, & prudens, & fidelis officio descendit, non libidine cadit. Ad manducandum & bibendum quam multi voraciter irruunt: ibi ponentes totam vitam quasi ipsam causam vivendi: nam cùm ideò manducent ut vivant, ideò se putant vivere ut manducent: istos omnis sapiens reprehendit, & maximè divina Scriptura, edaces, ebriosos, helluones, quorum Deus venter est: hos ad mensam non adducit nisi concupiscentia carnis, non indigentia refectionis: itaque isti cadunt in escam & potum: illi autem qui descendunt ex officio vivẽdi, non ideò vivunt ut comedãt sed ideò comedũt ut vivant, itaq; istis prudẽtibus & temperantibus si offerretur ut sine cibo & potu viverent, quanto gaudio amplecterẽtur hoc beneficium, ut quo cadere consueverunt, nec descendere cogerentur, sed semper suspenderentur in Domino? Quomodò putatis Heliam accepisse, quando accepit calicem aquæ & collyridam panis, ut satis ei esset in alimentum quadraginta dierum? cum magnâ utique lætitiâ: quia propter officium vitæ, non propter servitutem concupiscentiæ manducabat & bibebat. Tenta hoc præstare si possis homini, qui beatitudinem totam & fœlicitatem in epulis tanquam pecus in præsepi constituit: odit beneficium tuum, repellit à se, pœnam putat. Sic & in illo officio conjugali, libidinosi homines, uxores non propter aliud quærunt, & ideò vix tandem ipsis uxoribus contenti sunt. Planè tali homini si diceres quare ducis uxorem? responderet tibi forte verecundatus propter filios: Sed si quis ei diceret, cui sine ullâ dubitatione crederet, potens est dare tibi, & omninò dabit tibi Deus filios etiam non operanti opus illud cum uxore: ibi certè concluderetur, atque fateri deberet, quod non propter filios quærebat uxorem. Confiteatur ergo infirmitatem: accipiat quod officiosè accipere prætẽdebat.*

Prosequitur Divus Augustinus cap. XI. sequenti sic. *Illi priores sancti homines Dei, filios quærebant, filios suscipere volebant. Ad hoc unum jungebantur fœminis, ad hoc fœminis miscebantur, ut filios procrearent, ideò illis permissum est ut plures haberent: nam si libido immoderata placeret Deo, sic permitteretur illo tempore, ut & una fœmina haberet plures viros, quomodò unus vir plures fœminas. Quare omnes fœminæ castæ non habebant amplius uno viro, vir autem plures fœminas, nisi quia plures habere fœminas virum unum, pertinet ad prolis numerositatem? una autem fœmina*

non

*non quo plures habuerit viros, plures poterit parere filios. Quapropter fratres si Patres nostri non ob aliud quàm ad liberos procreandos jungebantur & miscebantur fœminis, magnum illis esset gaudium, si prater opus illud carnale, possent habere filios, propter quos habendos ad illud non libidine ruebant, sed officio descendebant. Propter hoc Ioseph non erat Pater quia sine concupiscentiâ carnis susceperat filium: absit ut hoc sentiat castitas Christiana, quod nec Iudaica sentiebat.* Hæc D. Augustinus.

XIV. Ex his collige matrimonium cum coitu, sed sine prole valde impropriè dici perfectum & consummatum, tum ratione finis, quo caret, qui est ipsa proles non verò coitus, tùm ratione amoris qui inter eos languet: sicut enim non sunt perfectè una caro nisi in prole, ita nonnisi in illâ perfectè uniuntur animis, quia proles est unio & nexus conjugum. Quare uti Theologi docent amorem Patris & filii in divinis non esse omninò perfectum ante productionem sui termini, qui est Spiritus sanctus, quidni etiam dicamus conjugum amorem, quamdiu sine prole est, manere imperfectum: verè horum amor titubans est, quia caret fulcro suo, inquietus est, quia caret termino & centro suo: maritus ob hoc culpat Uxorem, Uxor Maritum; inde jurgium, quis dirimat? thalamus eorum non aliud eis videtur quam tumulus, in quo jacent duo corpora semimortua, quandoquidem etsi vitam habent, illam tamen dare minimè possunt. Inde fit quod vix se amare possint, quia de alterius conjugis amore ambigunt. An, inquit illa, me meus diligit sponsus? an, ait ille, me amat ista? quàm tristes illæ cogitationes? sed quantumvis ante triste fuerit conjugium, si prodeat ex eò proles, secum advehet pacem & serenitatem: si fuerint discordes, proles inter illos sanctæ charitatis & pacis fœdera non amplius ruptura restituet, agnoscentque illi se duo ante fuisse, sed jam unum in prole. Liberi denique, sunt simul filii & parentes amoris utriusque conjugis: quomodò hoc? filii utique quia amor conjugum illos generat; parentes verò, quia conjugum amorem nutriunt, sustentant, conservant, perficiunt.

Quæ cùm ita sint, quàm perfectum ergo Divæ Virginis & Sancti Iosephi matrimonium, in quo fuit proles & tam divino modo? sed si proles est nexus & unio conjugum, quantus fuit inter illas amor, quibus tanta proles obtigit? sed quam purus amor, ubi tam purus nexus & tam purè proles? fuit ergo omnium matrimonorium primũ, & inter omnia in omni perfectione matrimonii consummatissimum. XV.

## CAPUT XIII.

### *Quomodò Divus Iosephus ad has nuptias pervenerit?*

VT hujus sanctissimi conjugii inter Mariam & Josephum, omnium quotquot unquam fuerunt, aut in posterum erunt fœliciſsimi, dispositio ab æterno fuit à Deo solo & singulariter, sic & illius in tempore executio; ut sic sacra illa conjunctio, quæ tantùm propter Deum futura erat, esset etiam purè à Deo & per Deum, & sic tota esset Dei. I.

Dispositio quidem fuit singulariter à Deo, non tantùm quia nonnisi ex ejus consilio & ordinatione, sed (quod singulariſsimum est, & in quo omnia quæ de eâ dici possunt superat:) quia fuit in ipso diviniſsimo Dominicæ Incarnationis mysterio inclusa, & ideò cum ipso decreta & volita: cùm enim Deus cujus natura, bonitas, cujus opus misericordia est, post prævisum Adæ, & in eo, totius generis humani lapsum, in immensæ pietatis suæ viscéribus propositum concepisset illum & hos restituendi, cogitaretque de modo illud perficiendi omnium maximè congruo, vidit illud nullatenus melius præstari posse, quàm si Verbum Divinum eandem, quæ peccaverat, naturam assumeret: idque per Virginem, illam tamen viro nuptam. Quare sicut vidit, sic futurum statuit & decrevit. Neque in hoc ulla difficultas: cùm enim ita factum fide constet, ex facto ad decretum argumentari licet. Hinc vide Lector, & II.

tecum

tecum ipse perpende, quàm cælestes, quàm divinæ sint hæ nuptiæ, quàm eminentes! quàm sanctæ duæ illæ personæ ex quibus coalescunt, quæ adeò Christo conjunctæ sunt, ut una cum eo in ipso suæ Incarnationis decreto implexè prædestinatæ sint! Vide à nobis dicta supra Parte 1. Tractatu 1. Prolud. 6.

III. Cùm ergo hoc Sacratissimum Conjugium fuerit tam singulariter à Deo decretum, consentaneum fuit omninò rationi, quo id amplius patesceret, ut ejus in tempore executio, non aliquo casu, aut consilio vel industriâ humanâ, sed à solo Deo poneretur.

IV. Quod & ita factum fuisse probant mirabilia quæ tunc Deus operatus est: primò enim cùm Beatissima Virgo inter Virgines Deo sacras apud templum à puero cooptata ad annos pervenisset nubiles, nec moris esset eo loci tales ulterius detinere, monita est à Pontifice ut de honesto connubio juxta legem statueret: quâ respondente se Deo virginitatem suam in perpetuum vovisse, cùm id istius gentis mores tunc non caperent, quibus fœcunditas in Dei benedictionibus reputabatur, verendum etiam existimaret ne fortè quid hîc, vel contra Dei legem, vel contra voti Religionem, commiteretur. *In re tam gravi*, inquit D. Hieronymus lib. de Ortu Virginis, vel quisquis est Author illius, *Pontifex ad consulendum Deum de more accessit: nec morâ, audi mirabile, cunctis audientibus de Oraculo & Propitiatorii loco vox facta est, requirendum esse cui Virgo illa desponsari deberet, cunctos de domo & familia David nuptui habiles, virgas suas ad Altare afferre jussit, & cujuscumque virgulâ florem germinasset, & in ejus cacumine Spiritus Domini specie columbæ consedisset, eum esse cui Virgo desponsari deberet.* Adstipulatur Divus Eustachius in Hexameron, Divus Gregorius Nyssenus orat. de Christi Nativitate, S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus orat. de Virg. oblat. Simeon Meraphrastes orat. de Vit. & Dormit. Deip. Cedrenus in Compend. hist. Nicephorus lib. 1. cap. 7. Favetque D. Epiphanius hæres. 78. ubi ait, *quando Virgo tradebatur ipsi Josepho sortibus cogentibus ipsum ad hoc venire.*

Dum hæc peragit Pontifex, summis precibus Deum Virgo obsecrat, ne à castâ mente dimoveri pateretur: Divinitùsque admonita ne metueret. Convenêre igitur quotquot ex Davidis familiâ erant, parentque Numini, atque ad hoc Sacerdotes oportunam nacti sunt occasionem scilicet solemnitatem Enceniorum ad quam celebandam è cunctis Tribubus, maximè verò è Regiâ seu Davidicâ Jerosolymam adventare solebant, quæ Solemnitas incipiebat 24. die Novembris, durabatque octo diebus, sicque terminabatur tertia die Decembris ut colligere est ex lib. 1. Machab. c. 4. Et 2. Machab. c. 1. *Erat autem*, inquit Hieronymus citatus, *inter cæteros Joseph: Cunctis verò virgas suas juxta ordinem deferentibus, solus ipse suam substraxit,* (quem utique Castitatis propositum adegerat ad latibula) *unde cùm nihildivinæ voci consonum apparuisset, Pontifex iteratò Deum consulendum putavit. Proditus est itaque Joseph. Cùm enim virgam suam attulisset, & in cacumine ejus columba de Cælo veniens consedisset liquidò omnibus patuit Virginem ei desponsandam fore.* Hisque consonant quæ D. Eustachius citato libro: ubi sic ipse. *Simul atque à Sacerdote virgam accepit ex eâ columba volans capiti Joseph insedit: quare Princeps Sacerdotum, Sacerdotesq; omnes qui convenerant rem admirati, pari voto illi Mariam desponderunt.*

Hanc sententiam sicut præfertur traditam, & ab omnibus jam communiter receptam, proscriptam vult Pater Papebrochius in Actis Sanctorum sub nomine P. Bollandi tomo 3. Mensis Martii ad diem 19. in S. Josepho §. 1. num. 8. ut ex Apocryphis Orientalium scriptis, idest Historia quâdam Orientali haustâ, cùm tamen historia illa orientalis multis post Patres hujus sententiæ sæculis scripta ex iisdem Patribus illam hausisse potuerit: nec ratio per quam illam sententiam reprobat Papebrochius firmior, quod scilicet non fuerit opus ullo signo ad inducendum D. Josephum & Deiparam, licet alienos à carnalibus nuptiis, imò voto virginitatis adstrictos, ut nuberent, cùm

neutri

neutri liceret subterfugere matrimonium: hoc enim falsum esse, ut & fundamentum cui innititur plus satis ostendimus supra Parte 1. Tractatu 2. cap. 3. num. 17. & seqq. quæ hic non repetimus.

VII. Confirmaturque adhuc doctrina ibi tradita, contra Papebrochium sub eodem nomine P. Bollandi. Cùm enim Beata Virgo jam Divo nupta Josepho annunciaretur ab Angelo, quod conceptura esset in utero, & paritura filium Altissimi, non priùs assensum dedit quàm ab eodem Angelo certificata, quod id futurum esset illæsâ suâ virginitate quam voverat, quomodo ergo cum eodem voto ante voluisset nubere? Quomodo, inquam, voluisset se viro in conjugem tradere, nisi similiter certificata quod virginitas sua quam tanti faciebat, in eo matrimonio non erat periclitatura? Hîc enim illa seipsam exponebat, ibi verò à Deo assumebatur. Existimo hanc ratiocinationem non debere videri levem, magnumque firmamentum adjicere sententiæ huic asserenti in hâc occasione Oraculum & signum Divinum.

VIII. Sed quid tandem fortius? an verax Deus falsitati attestari potest? huic porrò sententiæ attestatus est miraculo, cujus ipse solus Author esse potest, quod refert Anthonius Penna in vitâ Beatæ Margaritæ de Castro Ordinis Sancti Dominici, in cujus corde post mortem inventæ tres gemmæ prægrandes, & illæ miri splendoris, qualis nec antiquus unquam tulit orbis, nec novus: Neque hæ imaginariæ tantùm, sed reales, cùm eas etiamnum servari in Templo Dominicanorum testetur Pater Anthonius Balinghem Jesuita in Kalendario Sanctissimæ Virginis Mariæ ad 13. Aprilis: In quarum primâ, visebatur Virgo longè venustissima, aureo diademate caput cincta: In secundâ, infantulus specie supra modum decorus in medio duorum animalium: In tertiâ, vir formâ spectabilis, & majestate verendus, aureâ chlamide obvolutus, insidente columbâ ejus humero, & ad ejus pedes advolutâ virgine in habitu Ord. S. Dominici.

IX. Tandem cùm Deus ex illo esset matrimonio castissimo proditurus, decebat utique quod illud à Deo solo esset, illudque ab eo solo esse ipse palam, ut nil dubitari posset, faceret. Manebit ergo ut puto ex his fides sua antiquæ & communissimæ opinioni quam hîc defendimus.

Vincentius Bellovacensis in Specul. Histor. pulchri aliquid ad rem refert, quod hîc prætereire non possum: *Aseneth* scilicet filiam Putipharis magni Sacerdotis Heliopoleos in Ægypto, omnium ætatis suæ fœminarum speciosissimam, ac castitatis amantissimam, firmiter proposuisse nemini se nupturam, nisi fortè Deorum alicui: propter quod illa se in arce fortissimâ, ubi cum aliis virginibus vitam illibatè traduceret, concluserit: ubi cùm esset, accidit ut Joseph jam Ægypti Pro Rex creatus illac transiret: quem cùm Aseneth ex arcis fenestrâ fortè perspiciens animadvertisset, ita modestissimæ ejus ac pudicissimæ pulchritudinis specie capta fuit, ut eum plusquam hominem reputans, illum in sponsum accipere consenserit, & de facto inde educta ei conjuncta fuerit, ut constat ex Geneseos cap. 41. Quis non diceret hanc historiam esse ipsissimam hujus nostri, quem pertractamus casus, delineationem? Ad eundem enim planè modum Beatissima Virgo Maria omnium mulierum pulcherrima & speciosissima; quæ nonnisi Deum immortalem in sponsum admittere firmiter constituerat; atque ideò ob virginitatis amorem apud templum cum aliis virginibus conclusa, vitam ducebat Angelicam, Josephi nostri modestiâ ac virginali pudore, & proposito sibi divinitus manifestato allecta, illum in sponsum accipere libenter consensit, qui etsi Deus non esset naturâ, Dei tamen officium supplere electus, Deus erat repræsentatione. X.

Et vide quàm apta sit & accurata hujus delineationis ad nostrum casum relatio: nam primò Aseneth, si Hebræorum interpretationi deferimus, ignem distillantem significat, quod & rectè in Deiparam quadrat, utpote quæ in sponsum suum divini amoris ignem instillans omnem pœnitus in eo carnalem fomitem absumpserit. Secundò, Joseph ille Ægypti Prorex, eodem Vin- XI.

centio Bellovacensi Authore, nunquam nubere firmiter decreverat, unde Zenobiæ & aliarum fœminarum precibus reluctatus, invicto semper animo obstitit, donec tandem jussu Regis uxorem duxit Aseneth præfatam: ita prorsus noster Sanctissimus Joseph quamvis eximius cultor virginitatis, firmumque propositum, imò & votum nunquam eam violandi feciſſet, superni tamen Regis mandato & voluntati obaudiens, Mariam in Sponsam ac uxorem libens accepit.

XII. Secundum mirabile quod tunc contigisse referunt authores plurimi, inter quos Petrus Dorlandus Carthusianus in vitâ Sanctæ Annæ cap. 6. Laurentius Mascellus Jesuita in vitâ B. Virg. Honuphrius Manescallus Barcinonensis tom. 1 Concion. in Conc. Beat. Mat. de Monte Carmelo & ex nostris Baptista Mantuanus lib. 2. Parthenic. c. 7. & 8. Didacus Coria l. 6. cap. 30. Lezana tom. 1. Annal. Ord. nostri ad ann. 4051. & tom. 2. ad ann. 4. Matthias à S. Joanne in suo eximio opere quatuor voluminibus magnis distincto cui titulus, *Histoire Panegyrique de l'Ordre des Carmes*, tom. 1. part. 5. centur. 10. cap. 8. Gratian. lib. 1. de S. Joseph c. 1. est, quod juvenis quidam cui nomen Agabus cum audisset Beatam Virginem, de cujus qualitatibus singularia audierat, nuptui tradendam etiam magicis artibus & incantationibus, quibus ipse addictus erat, conatus fuerit eam sibi vendicare, quas cum inutiles in hâc causâ fore, cogente dæmonem Deo veritatem edicere, didicisset, facti pœnitens in Carmelum secessit, Carmelicolisque aggregatus est, qui postea ad prædicationem Evangelii, cum aliis ejusdem Montis Incolis conversus, & cum illis ejusdem Prædicator effectus, Prophetiæ dono clarus legitur Actor cap. 11. & 21. Rem accipe eleganter metricè à Mantuano nostro, ubi suprà descriptam, ideſt lib. 2. Parthenic. Hic ergo c. 7. ita

*Mane senex Sol ante jubar quam tolleret undis,*
*Convocat ex templo Patres: missoq; per urbis*
*Compita, perq; domos, populos præcone coëgit.*
*Confluxere omnes: campo plebs densa patenti*
*Vix capitur: surdum speciosa per atria murmur*
*Confusumq; sonat: pede pes, & pectore pectus,*
*Virque viro præmitur, ceu cum collecta theatro*
*Stabat Roma graves simul auditura Tragœdos.*
*Conventu senior Patrũ stipante Sacerdos*
*Exiit: & tandem populo divina silenti*
*Iussa aperit: didicitq; Tribum: jussitq; solutos*
*Cõnubio acciri: virgisq; in templa relatis*
*Vota precesq; iterant: magicis componere quidam*
*Philtra veneficiis, circeaq; carmina & herbis*
*Fasidibus volvêre novas inducere frõdes.*
*Horum unus vetitas Artes edoctus: ut almum*
*Intempesta diem tacitis nox abstulit umbris,*
*Solus in aeriæ turris fastigia secum*
*Arma togasq; ferens, sacravit manibus Aram*
*Subdio: testis nemo nisi ventus & astra*
*Nocturnasq; preces iterans præscire volebat,*
*Parthenice sne sibi thalamum sperare liceret: (orco*
*Ecce per aërios tractus magno agmine ab*
*Spiritus obscuris ad Turrim annavigat alis:*
*Qualis ubi veniens ad fœda cadavera vultur*
*Brachia præcipiti jactat plumosa volatu,*
*Atq; gradum sistens, nigro sic incipit ore.*
*Fare: quid infernas nocturnis cantibus aures*
*Sollicitas? quæsita dari responsa vetantur:*
*Æthereæ prohibent animæ, Numenq; Triforme:*
*Altius abstrusum latet hoc in Virgine quiddam:*
*Quod disci scireq; nefas sententia nostros*
*Circũfert anceps animos, sortisq; futuræ*
*Ambigui casus, multâq; ambage latentes.*
*Sicut cum modò Sol nubes, modò nubila Solem*
*Exuperant: nunc lætatur, nunc mœret Arator,*
*Spemq; metumq; inter dubius: nec discere tenta*

Qua

*Quæ quoq; Doctorem fugiunt: communia quædam*
*Fabimur, addentes quæ nec didicisse pigebit,*
*Ne frustra videare Deos in vota vocasse;*
*Quandoquidem te non minimo dignamur amore*
*Nos inspectores scelerũ hoc Orbe futuri*
*Ultores alio: sævi sunt vincla dracones,*
*Tartarus est carcer: sunt verbera frigus & ignes.*
*Lux incerta diem spargit per nigra malignam*
*Tecta: sonant latè planctus: plebem ordine terno:*
*Dividimus: primo purgati, &c.*

Tum capite octavo prosequitur:

*Dixit & ablato discessit in æra tergo,*
*Perculsum trepidâ Iuvenem formidine sortis*
*Pœnituit secumq; putans audita severos*
*Carmeli Patres adiit (tunc omnis eremi*
*Cura fuit penes hos, & cœlibis otia vitæ:)*
*Moribus auxilium fratris habiturus ut altam*
*Se tulit in Montis requiem, silvasq; silentes*
*Per secreta tulit gressum spelea: virumq;*
*Vivendi cœleste genus miratus: Amorem*
*Imbibit immẽsum cœli: seq; ipse perosus*
*Incola Carmeli vixit: tandemq; voluto*
*Tempore cum fidei mysteria Paulo*
*Edidicit Mariæ primus cum Patribus Ædem*
*Vertice Carmeli posuit, sociosq; vocatos*
*Ad Iordanis aquam lustralibus abluit undis:*
*Cum Baptista novæ jaceret primordia gentis;*
*Hispidus hirsuti villoso tegmine Capræ*
*Protographus Lucas Agabum vocat, omnia multò*
*Ante vidẽs animo fuit, Interpresq; futuri:*
*Namq; catenarum nodos, & ferrea Paulo*
*Vincula prædixit, longosq; per Æquora cursus,*
*Vipereos morsus, simoniacosq; volatus,*
*Insidiasque suæ gentis, bellumq; sub ipso*
*Et celebrem palmam venturaq; fata Nerone.*

XIII. Dicens D. Bonaventura apud Gersonem serm. de Nativit. Beatæ Virginis. Consid. 3. docet, *Quod nullus ex aspectu gloriosæ Virginis, quamvis esset pulcherrima, urebatur aut inflammabatur ad fœdam carnis concupiscentiam, sed eam potiùs extinguebat ille divinus aspectus, quasi frigidus quidam ex oculis ros virgineus expiraret, vel effluere à mente illius castissimâ.* Et ita omninò sentire convenit de purissima illa Dei Matre. Quomodo ergo verum esse potest, quod in illius Agabi pectore impuras illa flãmas adeò accenderit, ut etiam hic cogitarit uti magicis artibus, ad hoc ut illâ frui posset? Respondeo non Virginis aspectum illam in eo accendisse libidinem, utpotè quæ apud templum à puero inter Virgines sacras adeò abscondita latuerat, ut nulli mortalium nota esset: sed cùm illa inter omnes ibi degentes virgines sapientiâ & gratiâ emineret usque ad miraculum, virtus famosam fecit eam quæ nulli cognita erat: unde factum, ut desiderium omnes illos, qui de eâ audierant nuptui tradendam incesserit, & inter illos hunc nostrum Agabum tunc nequissimum etiam ad artes vetitas quibus assuetus erat adegerit. Cæterùm & hoc illi benè cessit ob Virginem: quia enim illam licet tam nequiter prosequebatur, indè ejus salus undè illius damnatio, si ob aliam illis artibus fuisset usus.

XIV. Ut ergo Deus ab æterno singulari ratione destinavit unionem istarum Animarum, ita in tempore non aliquo casu, aut consilio, vel industriâ humanâ, sed à solo Deo practicari debuit, & ita evidenter ac manifestè, ut id omnibus constaret: Quare non eo modo Divus Josephus per nuptias combinatus est Virgini Deiparæ quo vult P. Papebrochius, qui est ordinarius & merè humanus, quo verò? nisi illo quo supra relati Patres antiqui acceperunt, crediderunt, & docuerunt; quos sequi præstat quàm Patrem Papebrochium conjicientem, hîc ut in multis aliis ne dicam errantem.

## CAPUT XIV.

### *Quâ ætate Matrimonium contraxerunt Maria & Josephus?*

I. QUÆRIMUS hîc de utroque Conjuge, idest de Beatissimâ Virgine & D. Josepho, quam quisque illorum ætatem attigerat quando hoc matrimonium inter se inierunt. Res implicata est diversis utrimque diversa opinantibus: Causa est quia eâ de re, ut & de aliis multis illos Sanctos Conjuges concernentibus, Evangelistæ altum silverunt aliis intenti: nec ulli de hoc Scriptores Synchroni quidquam tradiderũt. Despectæ enim erant conditionis oculis mundanis, quare nec attendebantur: singulorum hîc opiniones discutio: ac primò de ætate Beatę Virginis, postea de Sancti Josephi.

## SECTIO PRIMA.

### *Quot annorum erat Beata Virgo quando nupsit Divo Iosepho?*

II. OMnes in hoc conveniunt quod nec ante duodecimum, nec post vigesimum-quintum suæ ætatis annum D. Josepho nuptui tradita sit: sed quonam ex illis qui intra istos duos numeros clauduntur id contigerit? Discrepantes sunt magnoperè Doctorum sententiæ.

III. Prima sententia est Divi Gregorii Nysseni in orat. de humanâ Christi generatione, D. Damasceni orat. 1. de Dormit. Deip. Simeonis Metaphrast. orat. de Vitâ & Dormit. Mariæ, quæ non determinat in particulari quam habuerit ætatem, sed dicit traditam fuisse D. Josepho cùm ad ætatis florem perveniisset, & jam crevisset, & adulta esset. Sed hæc sententia cùm nihil determinet trahi potest ad omnes annos omnium sententiarum sequentium.

IV. Secunda sententia est Alberti Magni super missus est cap. 3. & Cardinalis Cajetan. in cap. 1. Lucæ ad illa verba *Ad Virginem desponsatam viro*, qui asserunt non ante decimum-octavum completum, sed intra illum & vigesimum-quintum nupsisse. Est etiam Joannis Georgii Herwat in Chronic. c. 247. qui annũ intra illos duos numeros determinat, & dicit contigisse anno ætatis Beatæ Virginis decimo-octavo completo, & decimo nono incepto. Ratio horum est, quia cùm in Deiparâ fuerit omnis congruentia tam ex parte naturæ quàm ex parte gratiæ ad hoc ut Mater Dei fieret, credendum est quod in tali ætate concepit in quâ perfecta fuit in statu & quantitate corporis: sed corpus ejus non potuit esse perfectum omninò secundùm statum & quantitatem, nisi intra decimum-octavum & vigesimum-quintum annum, ergo &c.

Addit Cardinalis Cajetanus loco citato, ætas nubilis exigit saltem completum modum augmenti, quia naturalis ordo habet ut priùs perficiatur persona in se quàm det operam ad conservandam speciem: & dico, saltem, quia ratio suadet quod natura plus exigit ætatis, videlicet usquequo firmata sint ossa ad quod quartum septennium dicitur requiri in viris. Quocirca certum est Beatam Virginem fuisse tunc ad minùs annorum decem & novem, & hoc si mulieris tertio senario annorum completur augmentum: & rationabile est ut fuerit tunc annorum viginti quatuor perfecta etiam secundùm ossa mulier, ut perfecta Mater perfectum filium gigneret. Ita Cajetanus.

Confirmatur hæc sententia ex Aristotele lib. 7. de Histor. Animalium cap. 7. ubi sic ille. *Semen profectò infœcundum usque ad ter septimum annum est; mox proficuum quidem est, sed exigua imperfectáque generant juniores & mares & fœminæ, ut in cæterorum animalium genere plurimis evenit. Concipiunt quidem facilius natu minores, sed laborant in puerperio vehementius, &c.* VI.

Hanc Cajetani sententiam aut periculosam, aut erroneam asserit Ambrosius Catharinus. Mitius contra illam pronunciandum censeo, & dico eam non esse probabilem, primò quia est nimis particularis. Secundò, quia contradicit VII.

dicit Patribus Ecclesiæ, qui asserunt eam mox ab egressu è Parthenone, seu Collegio Virginum apud Templum degentium fuisse D. Josepho traditam: At nullo modo probabile est eam ibi usque ad talem ætatem permansisse. Ait enim D. Epiphanius lib. de Vitâ Virg. *Virgines alebantur in templo donec propter ætatem non deceret illas inter Sacerdotes versari.* Tertiò, quia omninò decuit Beatam Virginem in eâ ætate nupsisse in quâ etiam in aliis virginibus seu puellis omnis posset abesse suspicio alicujus ante conceptionem labefactationis. At nimis frequenter experientia docet quod puellæ in eâ ætate quæ satis protenditur, imò & ante illam virgines esse desierint, ergò citiùs Beata Virgo nupsit. Quartò, quia recedit à verbis & sensu Scripturę & Ecclesię. Scripturæ Proverb. cap. 30. vers. 18. *Tria mihi sunt difficilia quartum ignoro.* Vers. 19. *Viam Aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentula.* Ut legunt ex Hebræo aliqui quod ultimum intelligitur de Christi Conceptione, ubi vox illa *adolescentula* non potest significare ita provectam: Eodem modo Ecclesia quæ de eâ ita cantat. *Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum, quia cùm essem parvula placui Altissimo, & de meis visceribus genui Deum & hominem.* Et alibi. *Cui luna, sol, & omnia deserviunt per tempora, perfusa cæli gratiâ gestant puellæ viscera.*

VIII. Nec est verum quod ad generationem ex congruentia requiratur quod persona sit perfecta in statu & augmento corporis, tum quia perfectio corporis nullam exigit determinatam quantitatem, & sub majori vel minori potest stare, ut patet, tum quia cùm nesciri possit quando corpus habebit perfectum suum statum, si hæc regula sequenda foret, quanta & quàm multa exinde sequerentur incommoda? Quare dicendum quod ætas nubilis est in quâ persona attigit perfectionem corporis, non omnem; perfectio enim quoad statum omninò impertinens est, sed illam quam natura ipsa postulat ad hoc ut sit capax generationis: illam autem attingit ante illos qui clauduntur decimo-octavo & vigesimo-quinto, ut experientia docet. Tandem in Beatissimâ Virgine decentia adducta supra numero 3. pro omni remotione suspicionis alicujus ante conceptionem impuritatis in eâ, prævaleret isti congruentiæ si adesset.

Ad illud verò quod dixit Cardinalis IX.
Cajetanus num. 5. in fine quod scilicet Corpus Beatæ Virginis debuerit esse perfectissimum, ut perfecta mater perfectum filium gigneret. Respondeo primò, ad hoc non fuisse opus ut corpus Virginis esset perfectissimum quoad statum vel motum augmenti, quid enim hoc faceret ad illud? sed ad summum ut esset perfectissimum quoad complexionem & temperamentum. Respondeo secundò, ad hoc satis fuisse quod Spiritus Sancti virtute supremâ & infinitâ formatum sit, qui potest quodlibet ex quolibet, maximè cùm ad illud formandum sumpserit ex Virgine purissimum ejus sanguinem, qui erat perfectior quâcumque materiâ per quamvis mulierem, cujuscumque status & augmenti, unquam ministratâ, vel ministrandâ.

Tertia sententia fuit Authoris librorum de Mirabilibus Sacræ Scripturæ, X.
qui inter opera D. Augustini, ac si illius essent, reperiuntur, docentis Beatam Virgineum fuisse tantùm duodecim annorum cùm nupsit: Cui sententiæ succurrit avida Dei Providentia, quæ ubi primùm potuit hujus Virginis maternum nomen exoptavit. Elucebat inde adeò fuisse properam & divitem Matrię sanctitatem ut non longiora tempora expectanda forent, quibus illa digna censeretur supremâ mundi dignitate. Vix infantiles excesserat annos, quando jam sat matura Deo videbatur supremâ Prærogativâ Matris Filii sui: adeò ut duodecimo anno expleto nuberet, decimo-tertio currente conciperet & pareret. Maria non alio egebat tempore, cui ex præteritis spatiis nullum fuerat irritum momentum, senilis & diuturnus habitabat animus in puellari corpore. Malitiæque absentia & sanctitatis abundantia, non malitia ipsa ætatem supplevêre.

Confirmari potest hæc sententia Juris XI.
adminiculis: quia ętas legitima ad cõtrahendum matrimoniũ est ętas duodecim

annorum in fœminis, *l. quâ ætate, ff. de Testamentis, & in princip. Instit. de nuptiis, & in c. Continebatur, & in c. Attestationes de desponsat. impuber.* Maximè verò in Virgine Beatâ, in quâ acceleratus fuit usus rationis, quæ optimo gaudebat corpore, ac demùm quia cum Christi conceptio esset opus optimi artificis, ac infinitæ virtutis (Sancti scilicet Spiritus) non videbatur major ætas necessaria: Denique quia quando aliquod exoritur dubium, ad illud rectè determinandum, recurrendum esse ad juris principia & intellectum docent periti. Ergò hæc desponsatio in dubio præsumenda est facta in prædictâ ætate duodecim annorum, quæ à jure dicitur ætas ad matrimonium. Confirmaturque testimoniis ex Scripturâ & Ecclesiâ supra num. 4. contra præcedentem sententiam adductis,

XII. Sed Respondeo Maria duodennis si animi sublimitatem spectes nimis est diuturna, etiam multò junior fuisset ex hac parte matura & apta obeundæ primæ isti dignitati. Sed est & aliud ad quod attendit Dei providentia licet avida hanc fœminam evehendi, non tamen præceps & cœca, scilicet congruentia & decentia. Cùm enim rarissimè contingat, indecoruméque esset in aliis virginibus immò incontinentiæ aliquale argumentum primo quoque tempore & in tam parvâ ætate nubere, non decuit etiam Virginum primam ita ad nuptias properare. Quod ergo non fuerit citiùs maritata aut conceperit, non id ideò contigisse putandum quod esset defectus aliquis ex parte animæ in illâ, quæ erat gratiâ & sapientiâ plena; nec ex parte corporis, cùm in eâ esset operaturus summus Artifex, sed quia quod non decet alias virgines, etiam in quibus concupiscentia fervet, & virginitas periclitatur, multò minùs decuit Virginem tam modestam & tam pudicam ac Dei Matrem.

XIII. Nec huic opinioni favent jura allegata: definiunt enim illa non tempus quando nubendum est, sed ante quod non est nubendum: ita ut matrimonium ante duodecimum contractum sit ipso jure nullum: Quare ex his nihil pro matrimonio virginis colligi potest, nisi quod ipsa non nupserit ante duodecimum. Quod verò additur quod quando exoritur aliquod dubium ad ejus rectam determinationem recurrendum esse ad juris principia & intellectum, id verum est in dubiis juris: atque adeò verùm est in dubio an aliqua in particulari quæ nupsit duodennis fuerit apta & habuerit sufficientem ætatem ad consensum requisitum, standum est juri: sed in dubiis facti non item; non enim ex istis juribus licet determinare in dubio, an hæc vel illa esset præcisè duodecim annorum quando nupsit.

XIV. Cùm ergo nec præter consuetudinem decuerit tam maturè Virginem pudicissimam nubere, nec etiam congruens fuerit tam adultam, ne fortè maligni inde acciperent occasionem revocandæ in dubium ejus ante conceptionem illibatæ pudicitiæ, huc spectarunt authores trium aliarum quæ restant hac super re sententiarũ, quarum

XV. Prima est Joannis Annii in suâ Chronologiâ, & Driedonis lib. 3. de Dogmatibus tract 3. c. 5. part. 4. qui dicũt peperisse currente decimo-quarto: huicque sententiæ, præcedentis fulcra succurrere possunt, maximè verò quæ ex verbis Scripturæ & Ecclesiæ.

XVI. Sed si Beata Virgo peperit anno ætatis suæ decimo quarto currente, quandoquidem dies Natalis Domini sit 25. Decembris, ipsa verò decimum-tertium compleverit octavâ Septembris, quo die nata est, oportet omninò quod habuerit tantùm tredecim annos menses tres & dies septemdecim quando peperit, unde cõsequens fit ut non multò post duodecimum completum nupserit: nupserat enim ut alibi docemus aliquo tempore ante Annuntiationem Angeli & Conceptionem Verbi: quare ut fundamenta præcedentis sententiæ, quæ pro hac allegantur, inania sunt ita & rationes quæ contra illam militant, militant etiam adversus hanc.

XVII. Secunda sententia est Tostati Episcopi Abulensis in cap. 2. Matthæi quæst. 91. pro quâ etiam à nonnullis citatur Dionysius Carthusianus lib. de Laudib. Virginis art. 37. quæ docet Beatam Virginem cum nupsit habuisse quindecim annos & aliquid amplius, & decimo

sexto

sexto completo Christum peperisse. Ratio Tostati est, quia in eâ ætate profluvium menstrui fœminis accidit, & ab illo profluvio aptiores fiunt mulieres ad concipiendum ex Aristotele lib. 7. de hist. Animal c. 2. quod quidem profluvium in suum intentũ sollicitè & summo studio virgini appingit ut aliis mulieribus in cap. 12. Levit. quæst. 13. 14. & 15. quia fuit verè mulier ut illæ, & alias superfluitates, quas etiam natura quotidie expellit passa est.

XVIII Sed etiamsi ita esset, quod scilicet in eâ ætate profluvium menstrui fœminis accideret, quodque ab illo profluvio aptiores fierent mulieres ad concipiendum, ut docet Aristoteles loc. citat. & Franciscus Valesius Medicus Philippi Secundi Regis Hisp. lib. de Sacr. Philosoph. cap. 10. quos refert & sequitur Thomas Sanchez tom. 2. de Matrim. lib. 7. disp. 104. num. 34. non eam Deus exquisivit aptitudinem in eâ ex cujus purissimo sanguine & virtute Spiritus sancti infinitâ formandus erat Christus.

XIX. Adde quod menstrua sunt superfluus sanguis mulieris, quem tanquam impurum & noxium in illis natura expellit: Quod impurus constat: quod noxius probant sequentia, quod scilicet retentus graves in fœminis causet ægritudines, quod ejectus ex ejus contagione fruges non germinant, musta acescunt, herbæ moriuntur, arbores sterilescunt, ferrum rubigine corrumpitur, æra nigrescunt, canes in rabiem efferuntur, & alia ejusmodi effecta pessima prodeunt, quæ refert Guarinus Veronensis verbo *Menstruum*: quare illum sanguinem tam impurum, tam noxium, tam pestilentem, tam virulentum, omnis animus pius in Matre Dei locum habuisse credere refugit, negantque omnes Theologi Moderni, idque colligunt ex doctrinâ Sancti Thomæ 3. part. quæst. 31. art. 5. ad 3. licet enim sanguinem habuerit qui in menstruis reperitur, qui fuit materia corporis Christi, non tamen excrementa illa sordida & virulenta, ea enim à generandi potentiâ ex peccati fomite excitantur, unde in statu innocentiæ non fuissent. Cùm ergo Beata Virgo fomite omnique caruerit libidine, caruit etiam indubiè istis menstruis fluxionibus. Quia verò hanc doctrinam à Theologis ex D. Thoma colligi diximus, juvat ipsiusmet Divi Thomæ verba loco citato hîc transcribere: *Sanguis*, inquit, *menstruus quem fœminæ per singulos menses emittunt, impuritatem quandam naturalem habet corruptionis: sicut & cæteræ superfluitates, quibus natura non indiget, sed eas expellit: Ex tali autem menstruo corruptionem habente, quod natura repudiat, non formatur conceptus: sed hoc est purgamentum quoddam illius puri sanguinis, qui digestione quâdam est præparatus ad conceptum, quasi purior & perfectior alio sanguine? Habet tamen impuritatem libidinis in conceptione aliorum hominum: in quantùm ex ipsâ commixtione maris & fœminæ talis sanguis ad locum generationi congruum attrahitur. Sed hoc in conceptione Christi non fuit, quia operatione Spiritus sancti talis sanguis in utero Virginis adunatus est, & formatus in prolem. Et ideò dicitur Corpus Christi ex castissimis & purissimis sanguinibus Virginis formatum.* Ita D. Thomas.

Nec movent quidquam rationes Tostati in contrarium: Concedo enim Beatam Virginem veram fuisse mulierem ut aliæ, potentiam generandi habuisse ut aliæ, materiam ad corporationem divini fœtus in utero ministrasse, sed illa materia non fuit ut in aliis fœminis cum admixtione istarum sordium & impuritatum quæ ab illâ separari debuerint & ejici, quia in illo sacro corpore non fuit fomes & concupiscentia, ex quâ illæ prodeunt: Ex quo intelliges quomodò debent intelligi Patres quando dicunt Christum ex purissimo Virginis sanguine formatum: non enim hoc significat illum ex sanguine Virginis concretum, qui ab impuro fuerit separatus, sed quia illius sanguis nullam unquam habuit similem impuritatem: Nec est par ratio de aliis superfluitatibus quas natura quotidie expellit, hæ enim sunt purè naturales, & fuissent etiam in statu innocentiæ: at fluxus menstruorum habet ortum ex fomite. Vide Toletum in c. 2. Lucæ Annotatione 35. in fine. Itaque cùm in Virgine non fuerit profluvium sanguinis menstrui, non potuit ex illo XX.

aptior

aptior reddi ad conceptionem: Addo nec ad illam aptitudinem Deus attendisse debuit, ut eam Josepho nuptui traderet.

XXI. Tertia & ultima sententia, ac mihi & omnibus nunc omnium probatissima est quod D. Virgo anno ætatis suę decimo quinto D. Josepho fuerit nuptui tradita, & decimo-sexto pepererit Christum. Placet hæc sententia quod non ita accedat ad eam quæ nimis maturè eam nubit, & tamen in eâ ætate ipsius nuptias ponit, in quâ minor tunc etiam apud malignos & perversos potuit esse temeratæ pudicitiæ quando nupsit suspicio; verèque in eâ verificari possunt verba Scripturæ & Ecclesiæ allata hîc supra num. 7. Confirmaturq; evidentissimè ex Patribus, S. Evodio Antiocheno, primo in eâ Sede post D. Petrum eo adhuc vivente Episcopo apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. in Fragmento cujusdam Epistolæ cui titulus *Lumen*. Divo Damasceno lib. 4. de Fide Orthod. cap. 13. S. Germano Patriarcha Cõstantinopolitano serm. 9. de Præsentat. Andreâ Cretensi serm. de Sanctâ Deip. Cedreno in Compend. Georgio Episcopo Nicomediensi apud Baronium, quos ipse sequitur in Apparatu ad Annal. Eccles. num. 49. qui docent quod Beatâ Virgo fuerit præsentata in templo post annum tertium completum, ibique undecim annos totos exegerit. Ex hoc enim sequitur quod Beata Virgo ferè quindecim annos, imò fortè rotundos & integros habuerit. Atqui ut exiit è Templo tradita fuit à Sacerdotibus ex Dei per oraculum manifestatâ voluntate Divo Josepho: Sequitur ergo quod decimo-quinto nupserit, & decimo-sexto pepererit. Vide etiam pro his quæ docent Author libri de ortu Mariæ Virginis, inter opera Divi Hieronymi. Divus Anselmus in fine Operum ubi de Deiparæ transitu. Divus Bonaventura in Meditat. cap. 3. D. Vincentius Ferrerius serm. 2. de Nativitat. Virg. Lucidius lib. 2. cap. 2. Major in cap. 1. Lucæ, & Dionysius Carthus. lib. de Laud. Virg. art. 37.

## SECTIO II.

### *De Ætate Divi Iosephi quando Beatam duxit Virginem.*

GRandævum fecerunt plerique, XII
D. Epiphanius hæres. 78. qui etiam octogenarium eum vel eo majorem existimavit, Author libri de ortu Mariæ inter Opera Divi Hieronymi. Divus Damascenus orat. 1. de Dormit. Deiparæ. Nicephorus lib. 2. Histor. cap. 7. & alii. Ad hoc autem ut ita opinarentur moti sunt vel quod existimarint Beatam Virginem non in matrimonium, sed in custodiam dumtaxat fuisse ei traditam, ad quam non homo aptus ad copulam, sed illam supergressus procul dubio exquirendus erat: vel quod crediderint si etiam in matrimonium ei tradita fuerit, conveniens omninò fuisse ut illa quæ futura erat Dei Mater, & ideò Virgo permanere debebat, traderetur tali cum quo ejus integritas nullum detrimentum pati, nullum discrimen subire posset, imò nec suspicionem, atque adeò seniculo jam debilitato, tracto & impotenti: huicque opinioni non parùm velificati sunt Pictores Antiqui, qui eum sub specie Seniculi istis temporibus effinxerunt. Illis subscripsêre etiam ex recentioribus, Divus Vincentius Ferrerius citatus Section. præced. num. 21. seu ultimo, ubi ait *Ioseph antiquus, Maria juvenis 14. annorum*, utique completorum. Egidius Zamor. lib. de Sancto Josepho. Immò noster Baptista Mantuanus lib. 2. Parthenic. cap. 9. in initio. His Metris.

*Frigentẽ & casto solitum servire pudori*
*Elegit de plebe virum, cui cana senectus,*
*Cui cana sulcantes crispabant tempora rugæ.*

Adeoque hæc opinio olim inoleverat, ut Joannes Ekius serm. de Sancto Joseph (cui consonat Cardinalis Baronius in Apparatu ad Annales Ecclesiast.) hanc quæstionem versans dicat, Hâc in re non lubet ad alterutram partem declinare ubi nullum nobis constat Scripturæ pro quacumque parte testimonium, eò maximè quod à receptâ & &

„ & diu persuasâ opinione temerè dis-
„ cedendum non est. Facilius igitur
„ paterer antiquiori sententiæ authori-
„ tatem suam, fidemque manere. Hæc Ekius.

XXIII. Verumtamen quia re attentius examinatâ, rationes, quibus illi qui supra adducti sunt ut ita crederent, non æqui ponderis inveniuntur, oppositumque omninò suadent validissima ex Scripturâ, Patribus, & ratione erûta Argumenta, hinc ab illâ meritò Recentiores omnes discedunt, ut jam sententia illa non tam antiqua quàm antiquata reputanda sit.

XXIV. Nam quod illorum nonnulli voluerunt ut hanc sententiam suam adstruerent, Beatam Virginem non in matrimonium, sed in custodiam tantùm fuisse Divo Josepho traditam, falsum esse demonstravimus suprà hoc Tractatu cap. 11. & 12. ubi fusè ostendimus matrimonium Deiparæ & Divi Josephi fuisse verissimum, Mariam fuisse Divi Josephi Conjugem, Joseph fuisse *Virum Mariæ de quâ natus est IESVS, qui vocatur Christus*, ac tandem illorum matrimonium fuisse omnium perfectissimum.

XXV. Quod verò alii secundò dicunt etiam posito quod verum fuerit matrimonium, adhuc debuisse esse valdè senem, ut Virginis integritati cautum esset, nonne mirandum quod illi Authores integritatis custodiam in eo matrimonio quod Deus ab æterno disposuerat, ut per illud utrumque Conjugem ad summas mundi prærogativas & dignitates eveheret, maluerint Divi Josephi ætati attribuere, quàm Dei Gratiæ, ejus virtuti, & continentiæ? Quid enim an non potuit Deus Divo Josepho conferre, ut cum uxore castè conviveret, & potuit ætas? Sed unde ergo ipsa Virgo Deipara tam casta? & ut de viris loquamur: Contra hoc opinamentum produco Josephum Patriarcham hujus nostri Josephi locupletem figuram Genes. cap. 39. & duos illos Judices Danielis cap. 13. Nonne enim ille Joseph Heræ suæ etiam ad libidinem eum provocantis blandimenta & vim superavit cum gratiâ etiam in ipso juventutis flore? Hi verò licèt senes & cani nonne honestissimam Susannam vesanæ illorum libidini obsistentem opprimere conati sunt? & quot millena referunt historiæ, exhibet experientia quotidiana ejusmodi exempla? Castior ergo evadet ille quem gratia Dei refrigerat & adjuvat etiam in viridi ætate, quàm quem ætas longa, sine gratiâ, viribus extenuat.

XXVI. Narrat Divus Basilius Magnus in Hexameron de quodam Sanctissimo Presbytero cui nomen Ursinus, quod cùm senio confectus in lecto decumberet morti jam proximus factus, adstantibus subdubitantibus an adhuc in eo vitæ habitus esset, mulierē quandam devotam ejus ori applicuisse aurem, quam ille illicò repulit dicens: *Mulier abscede, adhuc ignis sub cinere latet, paleam tolle.*

XXVII. Audi etiam in eandem rem Sanctissimum Patrem Gregorium Nazianzenum de seipso loquentem Carmine de rebus suis.

*Ipse meus porrò testis queo casibus esse.*
*Quam nostrûm genus in vitium proclive feratur.*
*Nam qui jucundæ primævo in flore juventæ,*
*(Cùm levis in molli versatur in pectore sensus:)*
*Vmbrosâ solùm ratione, & moribus utēs,*
*Egregiis ductibus sublimia tecta petebam*
*Certain Regali figens vestigia calle.*
*Nunc cum collecta est ratio, jamque ipse senectæ;*
*Ad finem accessi, miser heu! velut ebrius erro,*
*Ac sevâ obliquus pugna me commovet anguis, &c.*

XXVIII. Ex quibus patet quomodò vix ulla sit ætas tuta ab illo igne, qui in paradiso voluptatis per peccatum primò accensus, nec etiam sub cinere, ideſt corpore semimortuo, Sanctissimorum virorum extinctus erat; alio ergo remedio opus quàm senio, ut firmum sit mortale pectus adversus libidinem, ad quam ei innatum pondus: gratia scilicet Spiritus sancti, quâ utique cataphractus Divus Josephus Virginis Sponsus cum ea purissimè & sine ullo vel minimo periculo convivere potuit.

XXIX. Quoad picturas verò illas antiquas, Respondeo cum Gersone Cancellario Parisiensi 3. part. oper. serm. de Nativit.

Virg. consid. 3. circa med. primo per illud Horatii.

——— *Pictoribus atque Poëtis*
*Quodlibet audendi semper fuit æqua potestas.*

Secundò, hoc non fuisse ubique universaliter in usu, etenim testatur ibidem præfatus Cancellarius Parisiensis perorans coram toto Concilio Constantiensi in Germaniâ celebrato se vidisse in eâdem Germania frequentes picturas Divi Josephi quibus repræsentabatur velut in ætate juvenili : idemque de Poloniâ suâ testatur Pater Justinus Miechovienſis Ord. Prædic. super Litanias Lauretanas Discursu CXI. in fine. Tertiò, ita effinxisse propter mentis virtutem : sic dicit Sapiens sapientiæ cap. 4. v. 8. & 9. *Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata, cani enim sunt sensus hominis, & ætas Senectutis vita immaculata*, quemadmodum è contra peccator senex ætate, quotidie in vitiis adolescens Isa. cap. 65. vers. 20. dicitur, *Puer centum annorum & maledictus.* Ita idem Gerson & post eum Salmeron tom. 3. tract 39. Toletus in Lucam cap. 1. Annotat. 59. quos citat & sequitur Justinus Miechovienſis suprâ. Quartò, denique ideò pingebatur senex ab initio nascentis, inquit Gerson, dum Mariæ perpetua virginitas nondum ut modò radices fixerat in cordibus fidelium, ne suspicarentur aliquid de Joseph & Mariâ, vel ut inquit Canisius lib. 2. de Deip. cap. 13 dedit hoc populi simplicitati ingeniosa vetustas ad depellendam rei amatoriæ, & conjugalis congressus suspicionem : hanc enim facilè vel pareret, vel augeret vegetus & virili ætate juvenis, qui cum nubili puellâ, vel cohabitans, vel deambulans in tabella spectantium oculis subjiceretur. Pictoribus tamen jam cum omnes sufficienter instructi sunt de continentiâ ab utroque in conjugio servatâ præcipiendum ut deinceps abstineant ab hoc eum repræsentandi modo.

XXX. Et certè si hoc admittendum foret, nonne perversi intulerint quod quando Beata Virgo respondens Angelo nuncianti ipsam esse concepturam & parituram filium altissimi dixit, *quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* id non dixerit non affectu ad virginitatem, sed ex nausea viri adeò vetuli? fuerunt sanè plurimi qui plura minus apparentia nequiter intulerunt.

Sed ad fortiora progrediamur. Primò, displicet hæc sententia ex hoc quod faveat alteri sententiæ asserenti Divum Josephum fuisse bigamum, aliamque ante Beatam Virginem duxisse uxorem, quam refutavimus hoc tract. c. 3. sect. 1. Non est verisimile quod in populo in quo nuptiæ tanti fiebant, & maledictus censebatur sterilis quod Josephus usque ad tantam senectutem cœlebs contra omnium morem mansisset, aut quod eum Deus irrisioni & sannis exponere voluisset, ei cœlibatum tam diuturnum inspirando, ut factus seniculus tandem ad nuptias quas spreverat convolaret, ex ipsius jussu; tantùm ut cautum esset Virginis integritati, cui melius multò provideri poterat. XXXI.

Neque dicas quod qui dicunt Deum voluisse, ut ita senex esset ut esset cautam Virginis integritati explicandi sint, non quo ad rem ipsam, quis enim credat illos tam crassos fuisse, ut nescierint gratiam refrigerantem ad hoc fuisse præstantiorem quàm senectutem? ergò intelligendi sunt quoad nos & in æstimatione hominum : poterat enim si non fuisset D. Josephus senex, dubitari contra Virginis integritatem. Sed hæc evasio nulla est : nam Lucæ cap. 3. Jesus putabatur filius Joseph scilicet generatione, non ergo dum nupsit fuit in ea ætate D. Josephus in quâ benè cautum sit, ut Virgo integra mansisse credi potuerit. XXII.

Secundò : hæc sententia omninò pugnat cum causis desponsationis præcipuis à nobis hoc Tractat. cap. 16. asserendis desponsata est enim primò, quia ad tempus fuit necesse, ut Christus ex eo genitus putaretur prout de facto putatus est Lucæ cap. 3. & alibi ne scilicet Christus ut spurius haberetur, & Virgo ut adultera lapidaretur à Judæis. At si tam senex fuisset ut per ejus ætatem cautum esse Virginis integritati tam quoad rem quàm quoad æstimationem nostram, non id obtentum fuisset quin potius è contra ut constat. Secundò, ut etiam diabolo partus ejus

celaretur

celaretur, ac sic vafer ille deciperetur, dum eum putat non de Virgine esse generatum: at si D. Josephus fuisset tam senex, ut esset impotens, hoc dæmoni fuisset perspectum, ergo &c. Tertiò, ut Beatæ Virgini & ipsi Christo in iis quæ ad corpus spectant ministraret, ad quod sustinendi erant labores peregrinationum & itinerum, eundum è Nazareth in Bethleem, atque inde, redeundum, fugiendum in Ægyptum hyeme mediâ, atque inde remeandum: laborãdum manibus pro alendâ & procurandâ familiâ, &c. quæ omnia in tali ætate, in quâ per illam potuisset esse cautum Virginis integritati præstare minimè potuisset: Quin ipse potius alieno obsequio indiguisset quàm alteri præstare potuisset, sicque Virgini potius fuisset oneri, quàm solatio & auxilio.

XXXIV. Tertiò, hæc Sententia injuriosa est Deo, Virgini, & Divo Josepho. Primò Deo, quasi non potuisset conferre ut in justâ ætate castè simul conviverent, vel illis hoc meritum invidisset. Secundò Virgini, quasi illius decor & pulchritudo talis fuisset ut illius aspectus ad fœdam carnis concupiscentiam etiam Sanctissimum Virum incitasset, cùm è contra doceant SS. Patres quod ex illius venerando vultu nescio quid divinum spiraret quod omnem libidinem spectantium restingueret: ita D. Bonaventura supra cap. præced. num. 13. & Doctor Angelicus D. Thomas in 3. dist. 2. quæst. 1. art. 1. ad 4. *Gratia sanctificationis, inquit, non solùm repressit in Virgine motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit, itaut quamvis pulchra esset in corpore, à nullo tamen concupisci potuerit.* Tertiò, Divo etiam Josepho injuriosa est quia detrahit excellentiæ virtutis ejus & castitatis. *Temperantia enim quæ est in Senectute, non tam temperantia, quam libidinis & incontinentiæ quædam est imbecillitas*, inquit D. Basilius Magnus Orat. 8. de Temperantiâ & Incontinentiâ.

XXXV. Quartò, est manifestè contra Scripturam, nam Lucæ cap. 3. vers. 13. dicitur: *IESVS erat incipiens quasi annorum triginta ut putabatur filius Ioseph*, utique generatione. Unde Divus Augustinus tomo 4. lib. 2. de Consens. Evangelist. cap. 1. in fine. *Manifestum est*, inquit, *illud quod ait*, ut putabatur Filius Joseph, *propter illos dixisse qui eum ex Ioseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrabantur.* Et tomo 10. serm. 63. de diversis cap. 20. in fine. *Aliter quidem putabatur esse Pater Domini nostri IESV-Christi, scilicet sicut cæteri Patres carne generantes, non solo spirituali affectu liberos suscipientes: nam dixit & Lucas qui putabatur esse Pater IESV, quare putabatur? Quia humana putatio & existimatio illuc ferebatur quod solet ab hominibus fieri: non ergò de semine Ioseph Dominus, quamvis hoc putaretur.* Quod si putatus est Jesus filius Joseph, non ergo Joseph ita senex, ut eum fecerunt supradicti. Item Isaiæ cap. 62. dicitur: *Habitabit Iuvenis cum Virgine*, idest ut interpretatur Glossa, Joseph cum Maria. Vide hunc Textum à nobis hoc Tractatu supra cap. 4. explicatum.

Est etiam contra ordinem & decorum: quid enim magis absurdum & ridiculum quàm Virginem Juvenculam quindecim annorum jugare seniculo? quid absurdius quàm Deum, qui omnia ordinatissimè facit, matrimonium tam ridiculum, tam absonum ordinasse, suoque in hunc mundum adventui aptasse? Omnes clamant, XXXVI.

*Turpe senex miles, turpe senilis amor.*

Et Sanctus Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum Theognide concinente.

*Non juvenis vetulo Conjux est apta Marito.*

Et Ovidius.

*Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci,*
*Tam præmitur magno conjuge juncta minor.*

In quâ tam magnâ tamque evidenti disparitate, hoc adhuc magis fœtet, quod in utrisque, idest in Juvenculâ nubente seniculo, & in seniculo ducente juvenculam, est magnum signum incontinentiæ in utrisque.

## SECTIO III.

### *Vera Ætas Divi Iosephi quando Virginem duxit.*

XXXVII Vita humana ut constat dividitur in plures ætates: Ætates subdividuntur in Annos, qui rursus cóponuntur ex Mensibus, hi ex Septimanis, denique hæ ex diebus. Quoad annos non potest definiri quem præcisè attigerat D. Josephus quando Virginem duxit, an videlicet trigesimum, trigesimum-quintum, quadragesimum, vel quemliber alium intra illos, nihil enim de hoc habemus vel ex Scripturâ vel in ullo Authore Divi Josephi synchrono, aut temporum ejus vicino: igitur id solùm restat, & possumus; ut dimissis annis, inquiramus de ætate.

XXXVIII Et quidem ex dictis hactenus sequitur quod fuerit in eâ ætate in quâ manifestissimè apparebat ex habitudine corporis adhuc aptus ad generandum, non quidem quod ipse esset geniturus, sed ut posset JESUS ejus putari filius, quod fuit necesse ad tempus; aptus etiam ad sustinendos labores, ut posset peregrinari, & in itinere supportare Matrem & Prolem, utrisque alendis laborare, &c. erat enim in id destinatus à Deo. Sed quia videtur id totum potuisse in omni ætate præter quam decrepitâ & fracta sicut cæteri homines boni temperamenti, quæstio est in quânam fuerit? Ante resolutionem

XXIX. Suppono ex Aristotele & cæteris Philosophis Ætates dividi & diversificari pro diversâ eâque notabili complexionis corporum sive temperamenti immutatione: Hinc bifariam dividuntur vitæ humanæ spatia seu ætates, primò secundùm notabiliores immutationes, secundò secundùm minùs notabiles, notabiles tamen.

XL. Primo modo dividuntur in tres Ætates: Prima est ætas augmenti: Secunda ætas consistentiæ: Tertia ætas decrementi: Namque homo uno tempore crescit & acquirit paulatim justum ac debitum suæ naturæ magnitudinis terminum, ultra quem non amplius extenditur: alio tempore, nec crescit nec etiam decrescit saltem notabiliter, sed manet velut in eodem statu, eandemque vim ac robur retinet: alio denique tempore frangitur, & paulatim deficit, quia sensim humidum radicale absumitur, calorque vitalis resolvitur: prima excurrit usque ad vigesimum quintum, secundùm alios usque ad vigesimum-octavum: Secunda ab indè usque ad quinquagesimum, vel sexagesimum porrigitur: Tertia durat reliquo vitæ spatio usque ad mortem.

Secundo modo dividitur communiter in septem ætates, Infantiam, Pueritiam, Adolescentiam, Juventutem, Virilitatem, Senectutem, & Decrepitam. Nam & in illis satis notabilis observatur immutatio naturalis constitutionis hominis: Prima protenditur usque ad septimum annum: Secunda usque ad decimum-quartum: Tertia usque ad vigesimum-quintum, vel secundùm alios, vigesimum-octavum: Quarta usque ad trigesimum-quintum: Quinta usque ad quinquagesimũ: Sexta usque ad sexagesimum-quintum: Ultima ad finem vitæ: Quæ omnia tamen non ita mathematicè sunt accipienda, quin ætates mediæ possint aliquid participare de finitimis, & extremæ de sequente & antecedente. Exempli causa, Juventus media est inter adolescentiam & virilitatem, incipitque ubi adolescentia finit, finit verò ubi virilitas incipit: hoc tamen non impedit quin aliquando possit dici ille juvenis qui paucos annos habet minùs quàm viginti quinque, vel paucos amplius quàm triginta quinque. His positis.

Dico D. Iosephum quando duxit Beatam Virginem in eâ ætate fuisse, quæ communi usu & consuetudine, habebat saltem aliquam proportionem cum ætate Virginis quam sibi desponsabat: est communis cõtra Abulensem in cap. 30. lib. Numeror. quæst. 31. quicet recedat nobiscum ab ea sententia quæ eum seniculum facit, in hoc quod docet fuisse adhuc manifestè aptum generationi & labori: Attamen tenet fuisse adhuc aliqualiter senem: ad quem videtur proximè accedere Gerson sermon de Nativit Virg. Mariæ Consid 3. ubi postquam docuit non fuisse ita senem ut volebant Antiqui, sed juvenem, seipsum

seipsum explicat addens. *Sic autem existimo Ioseph fuisse juvenem sicut juventutis terminos ponit Isidorus, quos extendit à vigesimo octavo, ubi terminat adolescentiam, usque ad annum quinquagesimum: quo tempore ætas tunc senectutis inchoat. Fuit igitur Ioseph dum primò desponsatus est sub quinquagesimo anno constitutus.* Quanquam qui Gersonem benignè interpretari voluerit, facilè ad partes nostras trahet.

XLIII. Probatur primò, ex duobus Scripturæ locis cumulatis, quorum primus est Isaiæ cap. 62. *Lætabitur sponsus super sponsam, & habitabit juvenis cum Virgine*, hoc est juxta Glossam utramque *habitabit Ioseph cum Mariâ*. Unde Doctor Viguerius in suis Instit. c. 20. §. 9. *Virgo non evasisset notam infamiæ si vir ejus fuisset senex aut decrepitus: quod autem esset juvenis apparet ex eo quod habetur*, Isaiæ cap. 62. Lætabitur sponsus super sponsam, & habitabit juvenis cum Virgine, *Hoc est Ioseph cum Mariâ*, hæc Viguerius. Secundus locus est ex Evangelio Luc cap. 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph*, virum vocat Evangelista D. Josephum tunc, quando Beata Virgo annunciata fuit, quod nomen secundùm consuetum modum loquendi nõ significat senem, sed hominem justæ ætatis: ex quo utroque loco collectivè eruo nostræ sententiæ probationẽ: etsi enim hæc duo loca videantur invicem pugnare, quia unus dicit juvenem, hoc est in quartâ ætate cõstitutum; alter virum hoc est in quintâ ætate, non tamen pugnant: quia ut monuimus hîc num. 41. hæ ætates non ita mathematicè capiuntur, quin mediæ aliquando possint participare de finitimis saltem ex communi consuetudine loquendi: quod cùm ita sit, dicendum, quod ex hoc quod dicitur juvenis simul & vir, colligitur ipsum non fuisse in initio juventutis, non enim posset dici vir; nec etiam in extremo virilitatis, quia non posset dici juvenis: nam nec juventus secundùm suum initium est finitima virilitati, ut ei participare possit, nec virilitas secundùm suum extremum juventuti, sed oportet omninò quod fuerit in confinio utriusque ætatis, hoc est vel in exitu juventutis vel in initio virilitatis.

Huic probationi tam plausibili succurrunt adhuc aliæ à nobis supratactæ: XLIV. Prima, quia cum D. Josephus ante Virginem nullam aliam duxerit uxorem, ut dictum est supra, non est credibile ipsum ultra istud tempus vel expectasse vel à Deo retardatum fuisse ut nuberet, cum illo tempore mores suæ gentis nullo modo ferrent cœlibatum, in illis intelligo qui non erant inter illos Religiosi, seu Prophetici Eliani status. Secunda, quia aliàs nimia & absurda disproportio fuisset & nimis extra usum & consuetudinem communem inter ipsum & Beatam Virginem ad nubendum; atque adeò aliquid habuisset incongrui & ridiculi eorum matrimonium.

His rationibus & aliæ suffragantur, XLV. quarum una est, quod si debuit Divus Josephus ut profectò debuit, esse in eâ ætate in quâ esset & judicaretur aptus ad generandum, ut sic tolleretur omnis occasio suspicandæ vitiosæ copulæ in conceptione Christi, nulla potest assignari ratio, quare non debuerit esse in ætate, quæ etiam esset justa, & proportionem haberet, aliqualem saltem, cum ætate Virginis, qualem habet adhuc finis juventutis; vel initium virilitatis, puta trigesimus annus ut vult Major in c. 1. Luc. fortè quia est justum medium juventutis, vel trigesimus tertius annus, ut volunt alii, quia est ætas plenitudinis Christi: quin è contra congruentia non modica apparet ita debuisse fieri.

Secunda, quia hæc sententia magis XLVI. commendat Dei bonitatem & D. Josephi meritum, quorum hic sine Scripturâ, sine præcepto, sine exemplo, in viridi ætate, cum uxore juvene ac speciosissimâ continentiam servare potuit, & ille gratiam ut posset contulit munificentiâ singulari: quod si senex etsi quinquagenarius tantùm fuisset, potuisset, poscrque fortè quis putare hanc ejus continentiam potius ex aliquali frigiditate, vel libidinis concupiscentiéque remissione processisse, quàm ex studiosâ continendi voluntate: unde Divus Bernardus Homil. 2. super missus est, hunc Josephum comparat Patriarchæ Joseph, qui in ætate

juvenili & pulchritudinis flore servavit castitatem & fidelitatem Domino suo.

## CAPUT XV.

### *Quonam tempore hoc matrimonium inierint scilicet an ante, an post Christi conceptionem.*

I. MAJORIS fuit momenti hujus resolutio quæstionis ad magnitudinem & laudem Divi Josephi, quam olim ponderatum sit ab antiquis, quibus unica cura fuit propter illius temporis necessitatem, virgineum partum adstruendi: ut proinde non sit mirum, quod non in eâ ab illis veneratione sit habitus, quæ ejus meritis & dignitati debebatur, non enim hæc illis plenè cognita fuit. Ab hâc quæstione omninò pendet alia longè gravissima quæ est de ejus Paternitate, seu quomodo & quàm strictè sit Pater Christi Domini: At hinc cæteræ ejus prærogativæ, omniaque ejus magnalia, ut constat, & constabit: tanti ergo cum sit momenti eam accuratè discutiamus.

## SECTIO PRIMA.

### *Varia de hâc Quæstione Sententiæ.*

II. IN hac materiâ ut in aliis fecimus, omnes sententias referimus, tum ut non videamur aliquid occultare voluisse, tum etiam ut veritas, quam ubique quærimus, magis appareat: nam juxta communem paræmiam, *Oppositajuxta se posita magis elucescunt.*

III. Ratio hujus varietatis est, quod Beata Virgo dicitur ante conceptionem Verbi desponsata viro cui nomen erat Joseph, Matth. cap. 1. & Luc. cap. 1. Cùm enim verbum *desponsata*, quod ex vi vocis significat promissam, ex communi usu significet etiam nuptam seu maritatam, maximè verò ante matrimonii consummationem, hinc hallucinatio.

IV. Primò, ergo voluêre nonnulli circa hanc rem duo, scilicet ante Verbi conceptionem fuisse solùm inter Beatam Virginem & D. Josephum sponsalia de futuro, nec illam ab hoc tunc domi habitam. Ita Simon Cassianus in Comment. Evang. lib. 6. c. 6. & 18. Abulensis in c. 1. Matth. Cardinalis Caietanus in 3. part. D. Thomæ quæst. 29. ad art. 2. (in quo tamen discedit à D. Thomâ) & Baronius tom. 1. Annal. in Apparat. & alii. Probatur prima pars, ex illo Matth. cap. 1. v. 18. *Cùm esset desponsata Mater JESV Mariæ Joseph*, idest, inquiunt, cùm esset promissa: huicque interpretationi videtur favere versio Græca, quæ pro verbo *desponsata* habet *mnisentistis*. Secundò, ex illo ejusdem Evangelistæ ibidem vers. 20. *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem.* Ergo nondum illam acceperat in conjugem. Probatur secunda pars. Primò, ex illo Matth. cap. 1. vers. 18. *Antequam convenirent inventa est in utero habens*, idest antequam simul veniissent ad cohabitandum. Secundò, ex eodem Matth. c. citato vers. 19. *Cùm esset justus & nollet eam traducere*, hoc est, in domum suam: nondum ergo tunc cum illâ habitabat. Tertiò, quia Lucas cap. 1. dicit quod Deipara post tres menses quibus mansit apud cognatam suam Elizabeth, *Reversa est in domum suam*, non in domum Joseph, quo reversa fuisset, si ei ante cohabitasset, ita Caietanus. Quartò, si Beata Virgo quando annunciata est ab Angelo, fuisset in domo Joseph, seu illi cohabitasset, quomodo Divus Josephus Angelum & Virginem inter se colloquentes non audivisset? & si audivisset videns ita contigisse quomodo Angelus nunciaverat, unde anxius fuisset? Arrisisse potuit illis hæc sententia quod magis faceret apud infideles ad fidem virginei partus.

V. Alii voluerunt ante Conceptionem Verbi fuisse quidem tantùm sponsalia de futuro, ut præcedentes: verumtamen cohabitasse & convixisse. Citatur pro hâc Gerson in suâ Josephinâ & alibi sæpè, maximè tamen parte 4. oper. opusc. 15. qui est de solemnitate Virginalis Connubii Lect. 3. ubi sic ille: Accepit Mariam Adolescentulam priùs

Joseph

Joseph in Sponsam suam in Templo Jerosolymis, ubi dedicata Deo cum cæteris virginibus morabatur; porrò Joseph post dies aliquot Mariam accepit juxta morem Gentis suæ in familiarem convictum suum secum in Nazareth, ita enim fiebat ad probationem morum Sponsę. Illic in Nazareth priusquam convenirent Joseph & Maria, intellige soleuni ritu nuptiarum, & ut ita dicamus per verba de præsenti, nunciavit ei Angelus, quæ tradit Lucas Evangelista, & ita priusquam convenirent, dicente Matthæo, inventa est Maria habens in utero de Spiritu Sancto. Hæc illa.

VI. Sed respondent aliqui quod Gerson distinguit nuptias secundùm ritem essentialem & secundùm solemnem, seu secundùm essentiam, & secundùm solemnitatem: & quidem licet ita loco in assertione citato loquatur, tamen in antecedentibus nihil aliud dicit, nisi quod tunc non fuerit ritus solemnis nuptiarum, cùm tamen expressis verbis mentem suam aperiens dicat, quod tunc Maria non tantùm erat desponsata per verba de futuro, sed de præsenti. Sed sive fuerit Gerson in hac opinione sive non.

VII. Dico huius sententiæ videntur mihi fuisse D. Hieronymus in cap. 1. Matth. ad illa verba, *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Ubi sic ille. *Non ab alio*, inquit, *inventa est nisi à Ioseph, qui penè licentiâ maritali futuræ uxoris omnia noverat.* Illud enim *penè licentiâ maritali* significat Josephum tunc, ideſt quando ab eo inventa est Maria in utero habens non fuisse omninò maritum, sed penè maritum. Quid autem hoc est nisi Sponsum? Deindè illud *futuræ uxoris*, ergo tunc necdum erat uxor, tunc tamen dicitur futura, hoc est Sponsa. Quomodò verò tunc Joseph omnia futuræ uxoris novisset nisi tunc domi habita fuisset? Divus Chrysostomus homil. 4. in Matthæum super illud *Antequam convenirent*: *Non dicit Evangelista priusquam in sponsi domum adduceretur, intus enim jam erat, hunc quippe morem plerumque tenebat Antiquitas, ut sponsæ sponsorum domibus haberentur, quod nunc quoque fieri interdum videmus.* Euthymius in cap. 1, Matth, ad eadem verba. *Non dixit Matthæus priusquam ipsa veniret ad domum Ioseph, jam enim in eâ erat. Multis siquidem mos erat, ut apud se haberent sponsas, propter securitatem.* Divus Bernardus homil. 2. super Missus est. *Mos*, inquit, *Iudæorum erat, ut à die desponsationis suæ usque ad tempus nuptiarum, sponsis sponsæ traderentur custodiendæ, quatenus earum ipsi eo sibi pudicitiam curiosius servarent, quo sibi fideliores existerent.* Prima pars est probata ad sententiam præcedentem, cum quâ convenit: Pro secundâ parte moventur ex hoc quod licet fuerint tunc tantùm sponsalia, tali enim modo Joseph & Maria desponsati debuerunt aptari, ut conceptus Divo Josepho attribueretur, ne Virgo tunc haberetur ut fornicaria, & Christus ut illegitimus: Nam, ut inquit D. Thomas 3. part. quæst. 29. art. 2, ad 3. *Sicut in eâ quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio naturalis, sic in eâ quæ extra domum concipit, est suspecta conjunctio, & ita non esset sufficienter provisum famæ Beatæ Virginis per hoc quod fuisset desponsata, nisi fuisset domi habita.*

VIII. Alii è contra voluerunt fuisse nuptam, necdum tamen domi habitam: quia animirùm duo distinguũt in matrimonio: Primùm, ipsam celebrationem contractus matrimonialis: Secundum, solemnem nuptiarum celebrationem, quam aliqui statuunt in benedictione Sacerdotali: Alii cum eâ addunt conventum amicorum & epulas, dicentes tunc & non ante solemniter sponsas introduci solitas. Probatur ex cap. 19. Geneſis, ubi dicit Loth *Habeo duas filias quæ necdum cognoverunt virum.* Et inferiùs. *Egressus itaque Loth locutus est ad generos suos qui accepturi erant filias ejus.* Ubi vides filias Loth jam duobus illis fuisse maritatas, quia vocantur ejus Generi: & tamen constat illas necdum illis traditas, tum quia dicitur de illis generis, quod erant accepturi illas, tum quia dicitur quod illæ duæ filiæ necdum cognoverunt virum, tum denique quia dicitur Loth egressus ut loqueretur ad illos. Secundò ex Genes. cap. 29. ubi Jacob Rachel desponsata est pro servitute septem annorum, quibus finitis ait: *Da mihi uxorem meam, quia jam tempus impletum est ut ingrediar ad illam. Qui* (scilicet

(scilicet Laban) *vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias, & vespere filiam suam Liam introduxit ad eum.* Et post pauca. *Imple hebdomadam hujus copulæ, & hanc quoque dabo tibi pro opere quo serviturus es mihi septem aliis annis. Acquievit placito hebdomada transactâ Rachel duxit uxorem.* En inquit P. Escobar usque ad celebrationem nuptiarum, nec datam Sponso Conjugem, nec acceptam. Congeritque alia huic similia exempla in Rebeccâ Genes. 24. in Philistæâ Sampsonis sponsâ. Judic. cap. 14. in Sarâ. Tobiæ cap. 6. in Sponsis filiorum Jambri 1. Machab. cap. 9.

X. Probant illi secundò hoc modo, quia Joseph nihil cogitans de futuro Conjugio venerat ex Bethleem Oppido Jerosolymæ propinquo, omninò imparatus ad nuptias. Quare hoc tam inopinatè inito Conjugio, cùm nihil aliter cogeret, probabilius est illum vel statim in Bethleem unde erat remeasse, vel saltem deductâ Conjuge suâ in Nazareth ad domum quæ illi cesserat ex hæreditate Parentum, eâque ibi relictâ in Bethleem quàm primùm se contulit, ut ibi de re suâ familiari disponeret, atque ut minimùm artis suæ instrumenta secum reveheret: eo autem tempore ab Angelo fuisse annunciatam, & Verbum Divinum concepisse: ac deindè omnibus dispositis successisse solemnem nuptiarum celebrationem quæ fiebat cum conventu Amicorum & propinquorum, Sacerdotali Benedictione acceptâ, cum quibus solemniter introducebatur maritata ad sponsum. Ita inter alios Escobar tomo 3. in Evangelia Sanctorum libr. 2. tit. de Mariâ nuptâ sect. 1. §. 7.

## SECTIO II.

### *Vera sententia de tempore hujus Matrimonii.*

XI. QUarta eaque vera sententia est, Beatam Virginem & Divum Josephum ante Annuntiationem, seu Verbi conceptionem, fuisse conjunctos & matrimonio & convictu, seu cohabitatione: est communis Sanctorum Patrum, & jam ab omnibus recepta. Probatur prima pars ex Lucæ c. 1. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam Viro cui nomen erat Joseph.* Etsi enim verbum istud *desponsatam*, quantum est ex vi nominis significet non jam de præsenti traditam, sed promissam de futuro: attamen ex communi usu & acceptione istius vocis sumitur etiam pro eâ quæ viro juncta est per verba de præsenti, maximè verò si, ut in nostro casu, sit recenter nupta, ut nullus adhuc intercesserit concubitus: Res est per se clara, & confirmatur, quia ibidem cap. 2. vers. 5. eodem nomine *desponsata* vocatur diu post conceptionem Verbi, cùm esset jam partui proxima, ac indubitanter in Divi Josephi potestate. *Ascendit autem & Joseph à Galilæa de Civitate Nazareth in Judæam, in Civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de domo David, ut profiteretur cum Mariâ* desponsatâ *sibi uxore prægnante. Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.* Si ergò potuit tunc sine ullâ ambiguitate uxor, adhuc dici desponsata, cur non & longè fortiùs ante conceptionem, cùm essent recenter conjuncti?

Probatur secundò, ex Matthæi c. 1. XII.
vers. 18. *Cùm esset desponsata Mater IESV Maria Joseph, antequam invenirent inventa est in utero habens, &c.* ubi duo dicuntur. Primùm, quod erat desponsata Maria, quando inventa est in utero habens: Secundùm, quod illa desponsata inventa est habens in utero antequam convenirent, quo significatur desponsationem talem fuisse, ut potuerint honestè & licitè quantùm est ex parte vinculi seu desponsationis, sive etiam quoad nos, & juxta usum ordinarium convenire: at non licet isto modo convenire nisi prævio conjugio, ergo tunc erant verè conjuges Maria & Joseph. Nam istud, *antequam convenirent*, non intelligitur de conventione in eandem domum ad cohabitationem, sed de conventione quæ significat congressum carnalem, qui isto verbo modestiori expressus est ad honestatem: continet enim rationem cur voluerit eam occultè dimittere: non voluit autè dimittere, eo quod inventa esset

esset gravida antequam in eandem domum convenissent ad cohabitandum, sed quod inventa esset gravida sine suo congressu.

XIII. Petes cur illi duo Evangelistæ Matthæus & Lucas non dixerunt nuptam pro desponsata ad majorem claritatem? Respondeo primò, cur etiam non dixit desponsatam solùm, quod probabiliter dixisset, si voluisset significare fuisse tantùm sponsalia de futuro inter illos? Respondeo secundò, quia hæ nuptiæ non fuerunt ut aliæ, ut agerent rem nuptialem, quare non per terminum *nuptam*, quomodo illæ, qui sapit matrimonii consummationem, sed per terminum *desponsatam* eorum conjunctionem exprimere voluerunt, eo quod non aliter se gesserint quàm si simpliciter desponsati fuissent.

XIV. Probatur tertiò ex eodem Matthæo cap. 1. v. 20. *Ioseph fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam*, ubi vides quomodo Evangelista illam quam jam *desponsatam* pronunciavit vocet mox & continenter ejus *Conjugem*: Ut enim optimè observat Doctor Henricus Rampenne Huensis tomo 1. in Evang. ad illa verba. Si Maria tunc non fuisset nupta Josepho non dixisset noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, sed dicendum fuerat noli timere accipere Mariam in Conjugem tuam. Porrò illud accipere, cùm contra ponatur ad dimittere quod cogitabat, eique ex adverso respondeat, significat retinere, quod est accipere constanter eam quam jam mente & voluntate dimiserat: Non poterat autem eam occultè dimittere, nisi jam illam accepisset, eique cohabitasset, nemo enim dimittit nisi quod accepit: ex quo manet probata secunda pars nostræ propositionis.

XV. Probatur quartò hoc firmissimo argumento quo utuntur communiter omnes Interpretes, inter quos Doctor Rampenne mox citatus, & ex nostris Guido Perpinianus, Beauxamis & Sylveira in Evangelia. Ideò enim ut Sancti Patres docent, Beata Virgo debuit desponsari, ut sub hoc integumento ipsa & Christus Dominus omnem infamiæ notam evaderent: si enim de non desponsatâ conceptus fuisset & natus Christus, illa ut adultera vel fornicaria, hic ut illegitimus habitus fuisset: putassentque Judæi, qui ei restiterunt, se habere aliquem suæ obstinationi prætextum & excusationem. *Quid enim*, inquit D. Ambrosius lib. 2. in Luc. cap. 1. *quid Iudæis? quid Herodi posset adscribi si natum ex adulterio* vel fornicatione *viderentur persecuti*? sed si sponsalia tantùm de futuro præcessissent Christi conceptionem, vel necdum tunc cohabitassent nupti, ex fornicatione vel adulterio Christus prodiisse visus fuisset, ergò fuit tunc nupta Virgo D Josepho, & ab eo domi habita.

Respondet Cajetanus, licet non cohabitarent, talem tamen ac tantam inter illos à nuptiis potuisse intercedere familiaritatem, ut posset Virgo illo tempore existimari non ab alio quàm à Divo Josepho Sponso suo imprægnata, ut de facto existimata est: præsertim cùm verisimile sit, inquit, quod simul cum Virgine ascenderit in Montana Judeæ, ibique cum illâ manserit. XVI.

Sed quàm hęc evasio! Primò enim ut possit Cajetanus negare nuptias seu cohabitationem licitam & honestam, ne cum aliis sentire videatur, fingit familiaritatem tantam, quæ eundem cum cohabitatione habeat effectum, ut scilicet ex eâ Beata Virgo gravida effecta potuerit existimari, & de facto existimata sit à Sponso suo cognita, sicque omnis infamia vitari: sed non advertit se illis inurere notam præcipitis libidinis, vel etiam gravissimi peccati mortalis in materiâ carnis, quam tamen ab his purissimis Cõjugibus quàm longissimè remotam esse decuit & voluit Deus, ut à totius continentiæ maximè verò conjugalis exemplaribus. XVII.

Etenim si quando Beata Virgo gravida apparuit nupserat, benè præsumpta fuisset præcipitata libido, quippe qui se cognovissent ex hypothesi ante expletam nuptiarum solemnitatem & præscriptum tempus ad cohabitationem: Si verò tunc fuit tantùm desponsata per verba de futuro (quæ quidem est opinio Cajetani) eandem & majorem adhuc prurientis in eis libidinis incurrerunt notam, ac insuper fornicationis, quia nec sponsis ante initum matrimonium unquam licita fuit copula XVIII.

carnalis, & dictus fuisset Christus natus ex coitu illicito.

XVIII. Quod addit Caietanus verisimile esse Josephũ sponsum cum Mariâ sponsâ in montana ascendisse ad domum Elizabeth, ibique cum eâ mansisse, non cohęret, habetque aliquam implicantiam: Nam si necdum nupserant, nec cohabitabant, quomodo ergo potuerunt honestè simul peregrinari, ibique tamdiu commanere? Deinde quid est cohabitare nisi ita commanere? Aut si non ascendit & necdum domi habita fuerat, quomodo in reditu imprægnata apparens, potuit suspicionem & notam viciosæ copulæ vitasse?

Probatur quintò efficacissimè, quia si tunc quando inventa est Maria habens in utero necdum erant inter illos nisi sola sponsalia de futuro, quorsum fuisset Joseph tam anxius pro eâ dimittendâ, & quidem occultè, quandoquidem omni tempore, & apud omnes gentes, sponsalia nuda per simplicem fornicationem dirimi notum sit?

XIX. Probatur sextò, quia si quando Beata Virgo inventa est in utero habens, inter illum & D. Josephum non fuerunt nisi sponsalia de futuro: vel jam cohabitaverant, vel tantùm postquam Josepho cogitanti eam dimittere eo quod gravida appareret, dixit Angelus noli timere accipere Mariam conjugem tuam, hoc est post tres menses quibus profecta in Montana ad cognatam abfuit etiam ab oculis Joseph: Non primum: Cùm authores tertiæ sententiæ teneant, non fuisse moris apud istam gentem ut nuptæ statim introducerentur ad cohabitationem, sed expectare debuisse solemnitatem nuptiarum, quam perficiebat benedictio Sacerdotalis, conventus amicorum & propinquorum, cum quibus solemniter introducebatur nupta ad sponsum: Quibus ergo horum credemus? si horum alterutris credendum esset, certè postremis potiùs crederem quàm primis: Quis enim admittat in populo Religioso & timente Deum, talem morem, melius talem abusum contra omnem honesti rationem, qualem invehunt illi primi qui dicunt cohabitasse Judæos sponsis cum solis sponsalibus de futuro? Et Deus immortalis! quàm plena periculi fuisset hæc alea sponsam juvenem ante conjugium initum committi sponso, eique cohabitare eo tempore toto quo sponsalia illud præcedere solent, & tunc quando maximè fervet amor? ergo postremis fides adhibenda potius, quàm primis, quia in eo quod asserunt plus est honestatis: non tamen etiam secundum, qualis enim fuisset existimatus D. Josephus, qui sponsam post trium mensium absẽtiam in reditu gravidam cum evidentiâ apparentem in uxorem accipere voluisset? Qualis Virgo? nonne fornicaria? Qualis filius? nonne spurius ab omnibus habitus fuisset? quid clarius?

Quæres cur ne septimanâ, ne die, XX neve momento quidem ante matrimonium voluerit Spiritus sanctus fœcundare Virginem? poterat enim, & exiguitas illa temporis nil impedisset quin Maria & Jesus à nota infamiæ liberi fuissent. Respõdeo primò, cur Deus seu Spiritus sanctus hoc affectasset? Respondeo secundò, non tantùm ab hoc conjugio removenda est omnis suspicio infamiæ, sed etiam immodestiæ seu immoderationis: quare etiã non decuit ut statim ac juncti fuerunt, Beata Virgo annunciaretur ab Angelo ac concipeperet ut præcisè expleto nono conjunctionis mense pareret, ne viderentur cito in libidinem ruisse. Respondeo tertiò, id divino factum consilio, ut scilicet Divus Josephus Christi verus Pater evaderet, idque strictissimo modo, maximèq; ad Patrem generatione appropinquante, ut explicabimus Tractatu sequenti: Sic Deus curavit Divum Josephum sublimare.

## SECTIO III.

### *Satisfit oppositarum Sententiarum argumentis.*

PRæcedenti Sectione earum Sententiarum absurditates palam fecimus, XXI quibus nostra gravissimis suis argumentis communita, firmior evasit: ne tamen vel minimus cuiquam de ejus certissimâ veritate restet scrupulus, earumdem oppositarum Sententiarum

tiarum argumenta Sectione primâ adducta hîc diluemus, ut sic nostræ assertioni fides sit plenissima & abundantissima.

XXII. Ad ea quæ adducta sunt pro primâ parte primæ Sententiæ ex Matth. c. 1. vers. 18. & vers. 20. quod scilicet Beata Virgo tunc desponsata tantùm dicatur, non verò nupta, satisfactum est Sect. præcedenti num. 11. 12. & 13.

XXIII. Ad primum pro secundâ parte ejusdem primæ sententiæ sumptum ex illis verbis Matth. c. 1. vers. 18. *Antequam convenirent, inventa est in utero habens*, solutio est in illis quæ habentur sectione præcedenti num. 12. ad quæ pro vitandâ repetitione remittimus.

XXIV. Ad secundum, Respondeo illud, *& nollet eam traducere* non significari de loco in locum, de templo vel domo paterna in suam ducere, ut intendit ista sententia, sed significat infamare, divulgare, inhonorare, & ut adulteram publicare: ita omnes expositores post Origenem hom. 1. de diversis, & Divum Augustinum epist. 54. eodem modo sumitur idem verbum *traducere* Sapientiæ cap. 4. vers. 20. *Et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum*, eodem modo Livius lib. 2. ubi de Volscis loquens publico consilio ac voce præconis à spectaculis proscriptis. *Vos*, inquit, *Volsci omnibus civibus, peregrinis populis, spectaculo abeuntes fuisse, vestras conjuges, vestros liberos* traductos *per ora hominum*. Et est certa traditio si vis verbi Græci *para digmatisai* consideretur: vox enim illa significat exemplum statuere, publicæ infamiæ exponere: innuunt idem quoque hæc verba: *Cùm esset justus, &c.* quibus redditur ratio cur noluerit eam D. Josephus inventam gravidam antequam convenirent, traducere, sed prætulerit eam occultè dimittere: non enim magna fuisset justitia illam ob istam causam nolle ad convictum recipere, quis non idem fecisset? sed magna fuit justitia id fecisse quod nullus alius fecisset, abstinuisse ab accusatione, ne fortè innocens esset, & elegisse eam occultè dimittendo, ideò exulando, rem totam divinæ Providentiæ committere.

XXV. Ad tertium ex Caietano futile est, non enim dicitur domus, in quam reversa est B. Virgo post visitatam cognatam, sua, quod ipsa sola in eâ habitaret necdum juncta Josepho, sed dicitur sua, quia non aliena: aliena autem non fuit, quæ domus viri seu mariti sui fuit.

XXVI. Ad quartum adhuc inane est, Respondeo enim Beatam Virginem & Divum Josephum in eâdem domo habuisse diversos lectos, & ut credibile est in diversis locis, ideoque potuisse Angelum Josepho non audiente & insscio, vel eo dormiente, aut tunc absente, vel in suâ officinâ operi suo intento, Deiparæ apparuisse & cum illâ eos, quos refert Evangelium, sermones miscuisse.

XXVII. Ad id quod adjicitur potuisse hanc sententiam arrisisse suis authoribus, quod magis faceret apud infideles ad fidem virginei partus, Respondeo qui hoc cogitarunt decepti sunt: nam si infideles manent tales, nec sic credent Virginem concepisse: si verò ad Dei verbum convertantur, tam facilè consentient quàm nos, quod sicut Virgo ex Dei dono manens Virgo concipere potuit, ita ex eodem Dei dono, cum viro vivens virgo manere.

XXVIII. Ad argumenta pro secundâ parte secundæ sententiæ, hæc utitur iisdem argumentis ferè quibus nos, quod scilicet Divus Josephus licet esset tantùm sponsus non maritus, tali tamen modo erat Virgini aptandus ut conceptus ei addici posset ob honorem Virginis & filii ejus: atque adeò dum hic conceptus est, debuerit illa esse domi habita: ut etiam dicimus in nostrâ. Sed ineptè: nec enim ea est congruentia in cohabitatione simpliciter desponsatorum quę in maritatorum, ut proinde quoad hoc non possit simpliciter sponsus aptari sponsæ ut maritus conjugi, ut patet.

XXIX. Quoad authoritatem D. Hieronymi, illud *penè licentiâ maritali*, facilè explicatur dicendo quod per hoc nihil detrahere voluit de veritate matrimonii & mariti, sed tantùm de licentiâ maritali, quam utique nunquam sibi arrogare voluit D. Josephus, ut alii mariti, ob propositum & votum perpetuæ continentiæ: quoad illud verò *futuræ uxoris*, dicendo non negari à Hiero-

nymo fuisse uxorem de præsenti, non tamen pronunciari uxorem de præsenti, sed tantùm de futuro, quia videbatur non amplius futura seu abjicienda, eo quod antequam convenissent inventa fuerat habens in utero.

XXX. Quoad D. Chrysostomum fatendum est illum in eâ opinione fuisse, quod talis esset mos apud Judeos, ut sponsæ à sponsaliorum tempore in sponsorum domibus haberentur, usque ad tempus nuptiarum: sed videtur Divus Chrysostomus deceptus & consequenter alii qui eum sunt secuti in exemplo de filiabus Loth ex cap. 19. Geneseos, quo istum morem probari existimavit: Etenim cum Angeli, quos Loth hospitio exceperat, ei dixissent: *Habes hîc quempiam tuorum generum? aut filios, aut filias, omnes qui tui sunt educ de urbe hâc, delebimus enim locum istum?* Subdit mox Scriptura. *Egressus itaque Loth loquutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus, & dixit, surgite & egredimini de loco, quia delebit Dominus Civitatem hanc*, Viden' quomodo Loth dicitur egressus ut loqueretur ad generos suos qui accepturi erant filias ejus: non ergo tunc habitabant in domo ejus cum filiabus suis. Ad cæteros Patres scilicet Euthymium & D. Bernardum pro illâ opinione citatos, cùm Divum Chrysostomum sequantur, nihil habemus addendum ad responsionem præcedentem.

XXXI. Ad argumenta tertiæ Sententiæ Respondeo ad primum ex Geneseos cap. 19. de filiabus Loth, ubi illi qui erant eas accepturi dicuntur ejus generi hanc locutionem esse accipiendam in sensu commodo: generi autem qui accepturi sunt filias alicujus manifestè sunt generi futuri, non verò de præsenti: ita Dionysius Carthus. in hunc locum ex Eusebio. Confitmaturque ex Divo Hieronymo apud eundem Carthusianum dicentem, ut sequitur: *Hebraica veritas habet, locutus est Loth ad sponsos qui accepturi erant filias suas virgines. Ergo filiæ necdum erant maritatæ.* Ita Divus Hieronymus ex textu Hebraico originali.

XXXII. Ad secundum ex Geneseos cap. 29. de Jacob & Rachele quod scilicet Rachel non fuerit introducta ad Jacob, sive pro ipsâ per fraudem soror ejus Lia, nisi postquam vocatis multis amicorum turbis ad convivium feciisset nuptias; nec de facto ei actu tradita, quamvis jam præfata pro illâ peracta essent nisi post hebdomadam unam; Respondeo nescio quomodo id possit adducere ad suum intentum P. Escobar: cùm manifestum sit ex capite citato Genes. Jacob apud Laban Patrem Rachelis in eâdem domo cum ipsâ habitasse non solùm ante conventum illum amicorum, sed totis septem annis quibus servivit pro ipsâ, ei pro hâc servitute promissâ. Secundò, manifestè hallucinatus est Pater Escobar, qui verba illa, *Vespere filiam suam Liam introduxit ad eum*, quæ intelliguntur de introductione ad thorum, ut patet, accepit pro introductione ad cohabitationem. Nec etiam ex hoc quod non est ei de facto tradita Rachel post sororem suam Liam, nisi expletâ hebdomadâ unâ, potest colligi iste mos assertus à Patre Escobar: Sed id inde provenit quod cùm supposita fuisset in locum Rachelis Lia, ac propterea hujus tunc nuptiæ solemnes essent, quæ tunc temporis durabant per septem dies, ut constat, ex lib. Judic. cap. 14. fuisset indecorum, & contra omnem honestatem intra dies nuptiales unius, aliam superinducere: aliis exemplis Sect. 1. hujus capitis pro hoc more probando congestis non immoror, quandoquidem minus urgere quam præcedentia, vel ex hoc colligere licet, quod ipse Escobar illorum loca notasse contentus fuerit.

Ad secundum fundamentum hujus XIII tertiæ sententiæ quæ est Patris Escobar, quod scilicet putet Divum Josephum, quando Virgo ei data est in matrimonium, venisse ex oppido Bethleem, ac proinde cùm inde venisset nihil cogitans de futuro conjugio, hoc celebrato, eò remeasse vel saltem statim post Beatam Virginem in Nazareth deductam, eò se contulisse, ut ibi de rebus ad se pertinentibus disponeret: ac interim Virginem in Nazareth Angelicum nuncium recepisse, & Verbū divinum concepisse: Respondeo etiam dato quod Divus Josephus Bethleemites fuisset, quod non, ut ostendimus part. 1. tract. 2. cap. 14. sect. 1. Quare

non

non potuisset cum uxore suâ illàc transire, ibique sua agere, ac illis peractis unà cum eâ in Nazareth rectà tendere: Nunquid hoc verosimilius est quàm istud?

## SECTIO IV.

### *Quo mense, quove die hoc matrimonium celebratum fuerit?*

XXXIV. PRima Sententia est illorum qui volunt hoc matrimonium celebratum fuisse decimâ nonâ Martii, quia isto die Ecclesia celebrat festum S. Josephi; utpote paulò & sufficienter ante verbi Conceptionem in Virgine, propter quam solùm hoc matrimonium ordinatum est à Deo, sex scilicet vel septem diebus ante eandem conceptionem: non enim, inquiunt illi, apparet ulla ratio propter quam isto die Ecclesia Festum D. Josephi instituerit potius quàm alio, verosimilior hâc, à quâ omnis fœlicitatis ejus initium. Sed hæc ratio imbecillis est valdè, quia dies obitus est dies cumuli fœlicitatis ejus, ergo potius existimandum 19. Martii fuisse diem obitus ejus ut in aliis Sanctis, imò in conjuge suâ Deiparâ, cujus dies festus præcipuus, est dies Assumptionis ejus in Cœlum.

XXXV. Secunda Sententia est illorum inter cæteros Petri Aurati Ordinis Prædicatorum qui composuit officium de hâc desponsatione, quod obtulit Paulo III. Summo Pontifici qui ex variis Authoribus antiquis, ut refert Ferreolus Locrius lib. 6. cap. 4. aserit contigisse 22. Januarii, obtinuitque, ut dicitur, ab eodem Pontifice concessionem, ut eo die celebraretur cum eo officio quod ei obtulerat, quodque consequenter anno 1546. illud eo die cœpit Ecclesia Gallicana, quam deinde anno 1555. sequuta est Ecclesia Atrebatensis in Belgio, licet illud remiserit ad diem 23. sequentem, fortè propter aliquod impedimentum die præcedenti: Vide pro hoc Ferreolum Locrium citatum, qui refert litteras dicti Petri Aurati ad Summum Pontificem. *Carthagenam* tomo 4. lib. 18. homil. 9. Anthonium Balinghem in Kalendar. Deipar. ad 22. Januarii. Tossanum Bridoul lib. cui titulus Gallicè *Le Triomphe Annuel de Nostre Dame.*

Tertia sententia, & quæ mihi magis placet, est has nuptias contigisse mense Decembri, idque non longè ab initio: ita Christophorus à Castro Hist. Deip. cap. 4. & alii: & colligitur ex Sancto Evodio Apostolorum contemporaneo apud Nicephorum lib. 2. Histor. cap. 3. ubi docet Beatam Virginem cum Divo Josepho mansisse (utique nuptam) quatuor mensibus intellige circiter antequam ab Angelo annunciaretur, & Verbum Dei in castissimis conciperet visceribus. Cùm enim annunciata fuerit ad finem mensis Martii scilicet vigesimâ quintâ die, ut constat; initium autem Decembris ascendendo sit quartus mensis circiter ante vigesimamquintam Martii, sequitur ex sententiâ Sancti Evodii & Nicephori tunc desponsatam seu nuptam fuisse. XXXVI.

Cæterùm probatur hæc nostra sententia hâc solidissimâ ratione, quod scilicet Beata Virgo tradita fuerit à Sacerdotibus Divo Josepho quando ipsa exivit è Cœtu Virginum apud Templum degentium, eo modo quo diximus hoc Tractatu c. 3. Cùm enim ipsa trimula oblata fuerit in Templo à Parentibus, ibique undecim annis manserit: ad finem autem ultimi anni mansionis ejus ibidem dum Sacerdotes agerent de eâ in matrimonium collocanda, instaret solemne festum Enceniorum, seu Dedicationis Templi, quæ solemnitas incipiebat à 25. mensis Casleu, idest Novembris, & durabat octo diebus continuis, sicque terminabatur tertiâ Decembris, ut colligitur ex primo Machabæorum cap. 4. vers. 59. videtur omninò quod à Sacerdotibus captata sit hujus sanctæ Solemnitatis occasio, quia nimirùm in illâ concursus erat venientium Jerosolymam ad diem festum: sic enim facilè intelligitur quo modo potuerit convocatio fieri, ac indici conventus virorum non nuptorum ex Tribu Judâ, ibique Divus Josephus ex Nazareth adfuisse, ut cum virgis suis venirent ad Altare juxta præscriptũ Oraculi, eiq; Virgo de templo tunc exitura tradi: quod aliàs quo- XXXVII.

dò benè obtineri posset non apparet: Quomodò enim potuissent convocari qui erant ex Tribu David & cognatione Virginis?

## CAPUT XVI.

### *Cur Deus hoc ab illis Matrimonium iniri voluerit?*

I. DIvus noster Damascenus lib. 4. de Fide orthodoxâ cap. 15. ait: *Hâc desponsatione id agebatur, ut & Virgini Custos præsto esset, & ei qui virgines observabat impostura fieret.* Divus Ambrosius lib. 2. in Lucam. *Benè desponsata*, inquit, *sed Virgo, quia Ecclesiæ est typus, quæ est immaculata, sed nupta concepit nos Virgo de Spiritu, parit nos Virgo sine gemitu: & ideò fortasse Sancta Maria alii nupta, ab altero repleta, quia & singulæ Ecclesiæ Spiritu quidem replentur & gratiâ, junguntur tamen ad temporalis speciem Sacerdoti.*

II. Sed cùm à Deo decretum esset, ut Beata Virgo, non de Viro, sed de Spiritu Sancto Filium Dei conciperet, & de facto ita concepisse omninò hominibus persuadendum foret, cur Deus voluit illud matrimonium ex quo perversi ansam & prætextum accepturi erant contra sentiendi?

III. Albertus Magnus super *Missus est* c. 38. non unam hujus rei assignat rationem. *Desponsatio Deiparæ*, inquit, *& Iosephi utilis fuit ad multa. Primò, ut matrimonium bonum ostenderetur. Secundo, ut Domina bonorum omnium, nullo bono privaretur. Tertiò, ut hostis tollatur. Quartò, ut testis castitatis adsit. Quintò, ut origo Dominæ per conjugē suum describatur. Sextò, ut ab infamia servetur. Septimò, ut pœna caveatur. Octavò, ut à Christo tollatur persecutio. Nonò, ut Filius Dei comprobetur scilicet ex testimonio Iosephi, cui dixit Angelus, quod enim in eâ natum est de Spiritu Sancto est. Decimò, ut Domino serviatur. Undecimò, ut spirituale Matrimonium significetur. Duodecimò, ut Parentes spirituales ostendantur. Decimo tertiò, ut humilitas Virginitati conjungatur. Decimo quartò, ut occasio injuriæ de famâ virginibus tollatur. Decimo-quintò, ut humilitas & charitas Filii Dei ostendatur, qui potius voluit filius Fabri reputari, quàm infamari Matrem. Decimo-sextò, ut Matris dignitas humilitati societur, ut quanto major sit, humiliet se in omnibus, ut sit Mater Dei & uxor Fabri.* Hæc Albertus Magnus, quibus similia multi Sancti Patres.

Sed ea omnia clarius & distinctius ad IV. tria capita reducit Angelicus Doctor 3. part. quæst. 29. art. 1. in corp. ubi docet ex tribus capitibus conveniens fuisse hoc Divæ Deiparæ matrimonium: quibus quartum addo: primò conveniens fuit propter Christum: Secundò propter Matrem: Tertiò propter nos. Quartò denique (hoc membrum addo) propter Divum Josephum, quæ omnia per totidem Sectiones prosequemur.

## SECTIO PRIMA.

### *Causæ seu Convenientiæ hujus Matrimonii ex parte Christi Domini.*

COnvenientia hujus matrimonii ex V. parte Christi multiplici probatur ex capite primo, inquit Divus Thomas citatus, *ne ab infidelibus tanquam illegitimè natus abjiceretur.* Undè Divus Ambrosius lib. 2. in Luc. cap. 1. inter medium & finem. *Quid Iudæis, quid Herodi posset adscribi, si natum ex adulterio viderentur persecuti?* Si enim non fuisset Mater ejus desponsata quando de ea natus est & conceptus (quod Scribæ & Pharisæi ejus æmuli quacumque tandem viâ detexissent) non exiguum potuisset exinde oriri incommodum, & quidem non sine aliquo colore. Si enim leviora in eo calumniabantur & objiciebant, ut Messiam esse negarent; nunquam certè hoc tam grave, & in speciem apparens prætermisissent, cum luce clarius esset Messiam non posse ex illicito prodire concubitu.

Secundò, ut consueto modo ejus VI. genealogia per virum describeretur, inquit Divus Thomas. Unde dicit Ambrosius lib. 3. in Lucam non procul à principio. *Qui in sæculum venit, sæculi debuit*

*debuit more describi: viri autem persona quæritur qui in Senatu & reliquis curiis civitatum, generis asserit dignitatem.* Non sufficiebat ad hoc ut Christus à Judæis abjici non posset, quod non appareret illegitimus, sed præterea necessarium fuit quod filius Abrahæ & Davidis probaretur ex quibus descensurum Prophetiæ prædixerant: Quare plurimum intererat ut in promptu haberetur ejus Genealogia quæ Judæis tanquam avitæ suæ nobilitatis tessera ostenderetur, ne prætextum habere viderentur, si eum idcircò repudiarent quod non è Regia Davidis stirpe descenderet: Non erat autem consuetudo apud Judæos ut nec multum apud alias nationes generationum series texere per mulieres, ut observarunt Sancti Patres & Interpretes.

VII. Tertiò, ut partus ejus celaretur diabolo, qui deceptus est per hoc conjugium, dum eum putat, non de Virgine, sed de uxore esse generatum, inquit S. Martyr Ignatius apud D. Hieronymum in cap. 1. Matth. quem sequuntur Origenes homil. 6. in Luc D. Gregorius Taumaturgus serm. 3. de Annunc. D. Basilius homil. de Christi generatione D. Hieron. citatus Divus Ambrosius lib. 2 in Luc. Divus Chrysost. Orat. de Annunciat. Noster Imperfectus in Matth. cap. 4. ad illa verba: *Et cum jejunasset 40. diebus & 40. noctibus postea esuriit*, Divus Damascenus lib. 4. de fid. Orthod. cap. 15. Theophylactus in cap. 1. Matthæi, D. Bernardus homil. 3. super missus est & homil. 4. in vigiliâ nativitatis Rupertus Abbas de victoriâ Verbi lib. 11. cap. 19. S. Thomas citatus & communiter Theologi & Interpretes. Nam si per matrimonium diabolo & affectis ejus non fuisset occultatum Incarnationis Mysterium, sed clarè sciviſſent non de uxore sed de Virgine esse generatum, utique cognovissent esse plusquam hominem, & ideò mortem Christi, ex qua salus nostra, non promovissent, sed potius impedivissent. Hinc Apostolus 1. Corinth. cap. 2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo Principum hujus sæculi cognovit; si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Hanc rationem præ cæteris eruditè VIII.
prosequitur noster Joannes Sylvanus Jerosolymitanus Patriarcha XLIV. vulgò Imperfectus in Matthæum loco mox citato num. superiore explicans Christi tentationem, cujus verba hîc admetior: *Multis modis*, inquit, *diabolus audierat quia Christus natus est in mundo, vel Angelis prædicantibus ad Pastores, vel Pastoribus referentibus ad Mariam, vel Magis quærentibus in Jerusalem adorare cujus viderant stellam, vel Joanne ostendente Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: sed faciebat eum incertum natura ejus carnalis. Dicebat enim apud se. Hic non potest esse Filius Dei qui de muliere & de viro natus est: nam & ideò de desponsatâ & de domi habitâ natus est, ut partus virginis diabolo celaretur. Si autem de simplice virgine natus fuisset, facile poterat cognoscere diabolus, quia Filius est Dei. Cogitaret enim apud se, Maria fornicata non est, si enim fornicata fuisset, ego sine dubio scirem, quia omnis fornicatio me ministrante committitur: sine dubio ergo iste Filius Dei est: nec enim potest fieri ut de muliere homo sine viro nascatur: Ideò desponsata intravit in domum Ioseph, ut dum maritalis conceptio æstimatur, unigeniti Dei nativitas non cognoscatur.*

Prosequitur Imperfectus dæmonis IX.
hallucinationem: *Hic est*, inquit, *Rex gloriæ, qui pannis involutus, nec locum in diversorio potuit invenire. Sed in præsepio positus est? Hic est Creator rerum qui crevit & per singulos ætatis gradus ascendit? Hic est ille sanctus, qui cum peccatoribus ut peccator est baptizatus? Quid ergo? ipse eum tentabo: & siquidem invenero eum hominem sicut puto, dominabor illius sicut omnium hominum: si autem invenero eum sicut audio filium Dei postmodum recedam ab eo, nec congrediar contra eum, quoniam qui vadit contra fortiorem, occasionem illi victoriæ providet, si autem subduxerit se, evacuat virtutem ipsius.*

Hanc tamen rationem licet proba- X.
tissimam non probant Scotus in 3. dist. 30. quæst. 2. nec Tostatus Episcopus Abulensis quæst. 31. in cap. 1. Matth. Cùm enim diabolus omnia quæ corporaliter

raliter fiunt perspicacitate sui intellectus naturaliter penetret ac pervadat; potuit primò advertere hos sanctos conjuges nunquam coivisse: Secundò, etsi ad hoc non advertisset, poterat videre virginalia claustra & facilè illa à corruptis discernere: Tandem potuit etiam eâdem perspicacitate suâ agnoscere nullum in eâ esse semen virile.

XI. Sed hoc argumentum prævidit & prævenit Doctor Angelicus loco citato, ibique ad tertium illud sic solvit: dicendũ quod sicut Augustinus dicit lib. 3. de Trinit. diabolus multa potest virtute suæ naturæ, à quibus tamen prohibetur virtute divinâ: quare diabolum prohibitum fuisse divinitus, ne id adverteret in Deiparâ, quod aliàs virtute naturæ & sui intellectus perspicacitate cognoscere potuisset.

XII. Quamvis hæc responsio plenissimè objectioni satisfaciat, urgebit tamen aliquis potuisse quoque dæmonem impediri ne virginitatem Deiparæ exploraret, etsi sine conjugio Filium Dei pareret. Respondeo primò, hoc argumento nihil effici, potuit enim etiam alio modo Christi legitimitati provideri, alio modo carnem sumere, alio modo filius Davidis comprobari, ab Herode liberari, &c. sed placuit Deo hoc & non isto modo hoc & ista omnia præstare. Respondeo secundò, isto modo non tantùm id obtinebatur, sed & alia quæ hîc allegavimus, & deinceps allegabimus, non verò hoc modo. Respondeo tertiò, hoc modo non adeò congruè & connaturaliter fuisset dæmon impeditus: & si impeditus fuisset non tamen positivè ut fuit in nostro casu, dum putavit esse filium Ioseph; ex quo Joseph erat matri ejus conjunctus quando fuit ex eâ conceptus.

XIII. Urgebis iterùm sicut nunc existimavit dæmon Matrem Christi concepisse ex Divo Josepho, ita tunc ex alieno viro concepisse putasset, ac sic æquè hoc modo deceptus fuisset ac nostro. Respondet optimè P. Suarez in 3. part. ad quæst. 29. non videtur Scotus piissimam SS. Patrum mentem assecutus: Tantam enim illi habuerunt de Virginis puritate & virtute opinionem, tam sublimem idæam (quod te Lector velim benè observare) ut non crediderint ipsam etiam apud ipsum dæmonem in sinistram suspicionem venire potuisse: unde si non potuisset existimare ut nunc illam concepisse de marito, quia in hâc hypothesi non fuisset nupta, potius consensisset admittere sine viri operâ concepisse quam ex concubitu vitioso: diuturnâ quippe experientiâ & observatione probè cognoscebat Virginis puritatem & sanctitatem: Expertus enim erat nunquam se potuisse vel minimum in eâ motum pravum excitare, cum tamen aliàs non ignoret nullam ferè fornicationem fieri, nisi se authore & incentore. Et ideò omnibus pensatis, nullo modo posset adduci ut sentiret Beatam Virginem turpiter concepisse. Ergo ut commodius & aptius mysterium Incarnationis dæmoni occultaretur, ipseque facilius à curiosâ observatione & inquisitione averteretur, aptissimum medium fuit ut Virgo paritura prius Divo Josepho desponsaretur.

XIV. Fuit ergo Conjugium hoc maximi mysterii, idest Incarnationis Verbi Divini, velut integumentum, ut proinde non incongruè dixerim, quod quemadmodùm olim Exodi cap. 26. ante Sancta Sanctorum velum ex hyacintho, purpurâ, coccoque bis tincto & byssо retorta, opere plumario, & pulchra varietate contextum Deus jusserat oppandi, ita ante Sanctissima illa Dominicæ Incarnationis Mysteria Sacrum ex Mariâ & Josepho Conjugium omnium virtutum varietate ornatum veluti velum voluit obtendi.

XV. Videtur hîc elusus diabolus, inquit Justinus Miechovienſis super Litanias Lauretanas disc. 107. ut olim Saul quando occultè unctus fuit David in Regem à Samuele: Præceperat Samueli Deus: *Imple cornu tuum oleo & veni, ut mittam te ad Isai Bethleemitem. providi enim in filiis ejus mihi Regem. Tunc Samuel, quomodo vadam? audiet enim Saul & interficiet me. Et ait Dominus, vitulum de armento tolles in manu tuâ, & dices ad immolandum Domino veni.* 1. Regum cap. 17. vers. 2. Hâc arte delusus fuit Saul, ne cognosceret sibi auferri

auferri regnum & tradi Davidi. Ad eundem planè modum cùm Christus in utero Virginis ungendus esset à Spiritu Sancto *Oleo lætitiæ præ participibus suis.* Psalm. 44. ne diabolus hoc resciret, objectum est oculis ejus Virginis & Iosephi matrimonium, ut non adverteret Sacramentum.

XVI. Quartò, ut haberet à quo nutriretur, ideſt certò, ex officio & obligatione, & abeo quantum egere voluit (voluit porrò quantùm alii) curaretur. Joseph autem per desponsationem cum Mariâ Matre ejus antequam ipse in eâ conciperetur, strictissimè tenebatur eum alere & curare quantùm egebat, tanquam qui hoc modo erat verè Pater ejus. Et per hoc etiam Christus, ut ita loquar debitor Divi Josephi constitui voluit: Ex quo quanta ejus dignitas? quanta excellentia? quanta merita? fusius patebit ex iis quæ postea dicemus?

XVII. Quintò denique & ultimò, ut sub eo sibi hoc modo obstricto securus esset à malevolis, securè deportaretur in Ægyptum, & liberaretur ab impiissimo Herode qui quæsiturus erat puerum ad perdendum cum, à perfidis Judæis, qui ut impio Regi placerent, quærebant animam pueri. Ad rem D. Chrysologus serm. 146. circa med. *Quid est*, inquit *quod ad Sponsam & non ad liberam cœlestis innocentiæ destinatur arcanum.* Et post multas rationes hanc inter alias tangit his verbis. *Prædixerat Isaias cap. 7. Virginem parere Deum Cœli, Regem terræ, orbis Dominum, Reparatorem mundi, mortificatorem mortis, Redditorem vitæ, perpetuitatis Authorem: hoc quàm esset mundanis triste, terribile Regibus, pavendum Iudæis, ipsa Dominicæ Nativitatis probavit eventus. Namq; ibi natum Christum nunciantibus Magis audivit Iudæa, Herodes didicit, mox perdere Iudæi, Herodes occidere molitus est Christum, & dum successorem sibi timent, omnium perdere conati sunt Salvatorem: Denique quia ipsum invenire nequierunt, delent patriam, lac miscent sanguini, coævos ejus parricidali furore collidunt, laniant innocentiæ socios, quia culpæ participes invenire non poterant quos punirent: Et si jam nato Christo hæc faciunt, concepto Christo tanta feritas quid feciſſet? Hinc est quod providetur Sponsus, providetur maritalis species, ut celet miraculum, ut tegat signum, ut velet Virginis partum, ut crimini non det locum, ut furentis insidias sic eludat: Christus quamvis morti debitus, statim si fuisset ab utero extinctus, mors præceps quod nostræ saluti venerat, abstulisset.* Hæc D. Chrysologus.

## SECTIO II.

### *Causa seu convenientiæ ejusdem Matrimonii ex parte Deiparæ.*

PRima hujus sacri conjugii ex parte Christi convenientia fuit ipsius honos, ne scilicet haberetur tunc ut illegitimus: fuit etiam prima ex parte Virginis Matris ejus. Si enim ipsa extra conjugium peperisset apud ignaros mysterii, & perfidos Iudæos, non virgo sed scortum habita fuisset. Quis namque videns puellam gravidam & non desponsatam, putaret virginem & non potius corruptam? Quis puellæ adultæ dicenti se absque ullius viri commercio concepisse & uterum gestare, crederet? si filio Dei tot miraculis inclyto, tantâ vitæ integritate conspicuo, tam admirabili sapientiâ & prudentiâ prædito, isti non pepercerunt, cum modò voracem, modò vini potatorem, modò peccatorum & Publicanorum amicum, modo Samaritanorum & dæmonium habentem, modò insanum, modò blasphemum, modò populi subversorem, modò seditiosum appellantes, quomodo puellæ matri ejus sine viro gravidæ, pepercissent? *Fuit ergo*, inquit D. Ambrosius lib. 2. in Lucam, *desponsata Virgo ne temeratæ virginitatis aduceretur infamiâ, cui gravis alvus corruptelæ videretur insigne præferre. Tolerabilius verò*, inquit Divus Bernardus homil. 2. super missus est, *atque honestius fuit putari ad tempus Christum de conjuge fuisse natum, quam de fornicatione.* XVIII.

Discant hinc virgines non solùm castitati suæ consulere, sed & bonæ famæ, nec putent se feciſſe satis quod non cadant in impuritatem carnis, nisi etiam tollant causas & occasiones malæ suspicionis: utrumque necessarium est veræ XIX.

virgini, conscientia, & fama: conscientia, sibi: fama, proximo. Hinc Divus Ambrosius loco mox citato: *Sciebat*, inquit, *teneram esse Virginis & lubricam famam pudoris: servatur itaque Sanctæ Mariæ sicut pudore integra, ita inviolabilis opinione virginitas: oportet enim Sanctos & ab iis bonum testimonium habere qui foris sunt, nec decuit sinistrâ virginibus opinione viventibus velamen excusationis relinqui, quod infamata Mater quoque Domini videretur.* Et D. Hieronymus in illud Isaiæ cap. 11. Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet: *Maria*, inquit, *virga est, flos Christus: at nunquam flos ascendit de virga foliis nudâ, prius virga foliis adumbratur & honestatur, quam flos ascendat. Prius ergo Maria viro erat honestanda, quam Christus nasceretur.* Adjicitque. *Ex quo colligere licebit quantâ observatione mulieres curare debeant, ut honorem ac bonam famam conservent, ne aliquid occasionis dent, ut de eis verbum dicatur malum.*

XX. Placet iterum audire Divum Anselmum, si tamen Anselmus est in epist. ad Philipp. cap. 4. vers. 8. terentem vestigia D. Augustini lib. de Bono Viduit. cap. 22. ubi sic fatur. *Sanctorum conversatio etiam cauta debet esse, ne forte cum mala vita non sit per lasciviam, mala sit fama per negligentiam: nec audiendi sunt, qui quando reprehensi aliquâ negligentiâ suâ, per quam fit ut in malam veniant suspicionem, unde suam vitam longè abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam existimationem hominum non solum imprudenter, sed etiam crudeliter contemnentes, cum occidunt animas aliorum, sive blasphemantium Verbum Dei, quibus secundum suâ suspicionem, quasi turpis quæ cæpta est, displicet vita Sanctorum: sive etiam cum excusatione imitantium non quod vident, sed quod putant.* Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benè facit, quisquis autem famam, & in alios misericors est: nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra. Et utique etiam quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoq; redundat utilitatem.

XXI. Discant etiam omnes summam Dei nostri bonitatem quam imitari debent: dum enim homo propter hominem fieri voluit, consuluit ut id fieret cum virginei honoris incolumitate, quare maluit filius Fabri reputari; quod sibi præjudicare videbatur, quàm Matrem suam infamiam pati, inquiebat supra hoc cap. num. 3. versus finem Albertus Magnus.

Cùm Alexander Magnus aliquando XX
ad matrem suam Olympiam scriberet, legimus hunc sibi titulum arrogasse, *Alexander Iovis filius*, quem mater increpavit rescribens, quod ut se Jovis filium faceret, matrem suam faciebat adulteram. Non ita Christus Dominus, ut humilitatis, ita & charitatis exemplar: cùm enim verè esset Filius Dei, voluit tamen filius Fabri haberi, ne Sanctissima Virgo Mater sua aliquam infamiæ notam incurreret. Illud est Dei genium nihil velle ad honorem suũ cum detrimento tertii, cum tamen de supremo quod ei in omnes creaturas cõpetit dominio, de omnibus & in omnibus pro suo nutu & arbitrio absolutissimè disponere possit. Quin potius licet se quoad affectum velit omnibus præferri tamen quoad effectum & opera desiderat primo proximo subveniri & satisfieri: hoc observat Lanuza tom. 2. homil 23. §. 19. num. 58. & seqq. ex illâ Responsione quâ Dominus Pharisæos retundit, quando associatis sibi Herodianis, eâ mente ut illum caperẽt in sermone, percunctati sunt an liceret tributum dare Cæsari an non? fuit autẽ hæc Christi responsio: *Ostendite mihi Numisma census*: quo exhibito, *Cujus est*, inquit, *imago hæc & superscriptio?* iisq; respõdentibus, *Cæsaris*. Intulit ille, *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo:* sed nunquid Deus prior & potior Cæsare? quare ergo non dixit reddite quæ sunt Dei Deo, & Cæsari quæ sunt Cæsaris? hoc videbatur rectus ordo requirere: sed non ita Christus cœlestis magister: hâc responsione non Pharisæis solùm & Herodianis satisfacere voluit, sed etiam nos docere, non solum solvendum esse à nobis Deo, quod Deo; & Cæsari, quod Cæsari debemus; sed etiam eo ordine illis solvendum quo verba hîc proferuntur, & exteriora ista: ideſt primò Cæsari, secundò Deo: si enim primò Deo quæ sunt Dei reddiderimus, cùm omnia

ista

ista omninò, & quæcumque, sint Dei, quid restabit quod Cæsari, quod proximo reddamus? prorsus nihil: Vide pro hâc doctrinâ D. Bernardum serm. 50. in Cantic. ubi de ordine charitatis ad illa verba: *Introduxit me Rex in cellam vinariam & ordinavit in me charitatem*, Cantic. cap. 1. vers. 4.

XXIII. Secunda convenientia hujus matrimonii ex parte Deiparæ, quam tamen Divus Thomas citatus primo loco ponit, est D. Hieronymi in illud Matth. cap. 1. *Cùm esset desponsata Mater IESV Maria Ioseph.* Eusebii Emissenihomil. in vigil. Nativ. Dom. & aliorum quàm plurimorum, ne scilicet ipsa lapidaretur à Judæis. *Si virum non habuisset*, inquit Emissenus citatus, *& gravida videretur, nulla ei excusatio subvenire posset, ut quasi adultera non lapidaretur. Quis enim ei crederet de Spiritu sancto ejus uterum intumuisse? erat enim hoc inusitatum & sine exemplo.*

XXIV. Sed si Beata Virgo non fuisset desponsata, quare lapidata fuisset, cùm hoc supplicium esset adulteratum? ubi enim tunc fuisset adulterium si non erat matrimonium? Respondet Divus Thomas loco citato ad 4. tripliciter, primò, quod judicio adulterarum lapidabatur secundùm legem non illa solùm quæ jam desponsata erat vel nupta, sed etiam illa, quæ in domo Patris custodiebatur ut virgo quandoque nuptura: unde dicitur Deuteronomii cap. 22. si non est in puella inventa virginitas, lapidibus obruent eam viri civitatis illius & morietur, quia fecit nefas in Israël ut fornicaretur in domo Patris sui: juxta quod cum dicitur ne virgo lapidaretur ut adultera, non erit intelligendum quod lapidanda fuisset propter adulterium existimatum, sed quod punienda esset eâdem pœnâ adulteræ. Sed hæc Responsio mihi non satisfacit, nam primò, Beata Virgo non custodiebatur ut virgo in domo Patris cùm ejus parentes tunc essent mortui. Secundò, Levitici cap. 21. prohibetur Sacerdoti ne ducat scortum, non ergo tunc puniebantur puellæ simpliciter corruptæ pœnâ mortis: & Exodi 22. vers. 16. & 17. statuitur quod *si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritq; cum eâ, dotabit eam, & habebit eam uxorem: si Pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis quam virgines accipere consueverunt.* Ex quibus locis aliisque quàm plurimis manifestè colligitur in antiquâ lege simplicem fornicationem non fuisse morte punitam.

In duobus tamen casibus fornicaria XXV. morte plectebatur. Primò, si commisit fornicationem dum jam desponsata erat, propter violatam fidem sponsalium: Secundò, quando fornicaria post fornicationem in domo Patris commissam, ubi æstimabatur virgo, pro virgine se vendirans nubebat si probabatur ante fuisse corruptam, propter imposituram marito factam. De hâc loquitur locus Deuteronomii citatus à D. Thomâ in responsione: & propterea in hoc casu, ut & in adulterio, ad quod hic proximè accedebat & aliquo modo reducebatur, Deus dederat signum ad dignoscendam illam quæ fuisset corrupta, ut patet ex eodem Deuteronomii loco: cùm ergo in Beatâ Virgine si desponsata non fuisset non hi duo casus, sed simplex tantùm fornicatio præsumi potuisset non veniebat lapidanda.

Respondet ibidem D. Thomas se- XXVI. cundò, potest dici secundùm quosdam quod Beata Virgo erat de stirpe Aaron: unde erat cognata Elizabeth ut dicitur Luc. cap. 1. Virgo autem de genere Sacerdotali propter stuprum occidebatur: legitur enim Levitic. c. 21. Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro & violaverit nomen Patris sui flammis exuretur: sed hâc Levitici lege non comprehenditur nisi filia ex Patre Sacerdote immediatè genita; qualis non fuit Beata Virgo.

Respondet tertiò, ibidem D. Tho- XXVII. mas, ex mente quorumdam, dictum D. Hieronymi *ne lapidaretur à Iudæis*, referri ad lapidationem infamiæ. Sed tunc hæc convenientia eadem est cum præcedente. Quare hâc dimissâ ad tertiam progrediamur.

Quæ dicit ideò Deum voluisse hoc XXVIII. matrimonium, ut Virgo à D. Josepho curaretur quemadmodum & filius ejus, eique ab eo de necessariis provideretur: quæ quidem ratio se tenet ex

parte Virginis : eguit namque Maria adhuc tenera stirpis Davidicæ virguncula cum prole tot miseriis & persecutionibus obnoxia, curatore qui eam adjuvaret in istis, debuitque ei esse certo quodam modo ac necessario obstrictus, ut fuit D. Josephus ei matrimonio conjunctus.

XXIX. Hanc convenientiam eruo ex illis verbis Angeli ad D. Josephum Matth. cap. 2. *Accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, &c.* & ex illis ibidem : *Accipe puerum & Matrem ejus & vade in terram Israël.* Ex quibus evidenter patet & Puerum & Matrem cœlitus fuisse curæ D. Josephi commissos : sed dicitur primò, ut accipiat puerum. deinde Matrem, triplici de causa : prima se tenente ex parte rerum commissarum. Secunda, ex parte Dei committentis ministerio istius Angeli. Tertia, ex parte Sancti Josephi commissarii. Ex parte rerum commissarum ut enim ait Albertus Magnus dicit puerum primo, *quia dignitatem habet per se, & prior debet esse in curâ & postea matrem, quia dignitas & cura Matris est propter puerum*, vel ut noster Imperfectus in Matth. Homil. 2. *Non propter matrem puer natus est, sed propter puerum Mater præparata est.* Ex parte Dei committentis, quia ab eo primariò electus, D. Josephus propter puerum ; secundariò propter Matrem : vide quæ dicturi sumus Tract. seq. cap. 10. Tandem ex parte D. Josephi commissarii, quia prima ipsius cura, amor, omniaque ipsius studia, cogitationes, sollicitudines, labores, cœlicam illam sibi commissam prolem respiciebant, propter quod Angelus ei eo modo loquebatur, quo ipse intus afficiebatur.

XXX. Sed quare tollenda Mater cum filio ? an fortè si inventus fuisset Christus etiam in eo casu Mater cum illo occidenda, ne fortè Christo sublato, alium fortè pareret, qui succeßurus esset loco Christi occisi in Regnum Davidis, & ex eo Herodem deturbaturus ? an Christum ob periculum ? Mariam ob consortium & individuam vitæ societatem ? hoc omninò certum : illud etiam probabilissimè.

XXXI. Tertia convenientia ut Matris dignitas humilitati societur, ut quantò ipsa major est tantò se humiliet in omnibus, ut sit Mater Dei & uxor Fabri, hoc est summa simul & infima : summa dignitate, infima humilitate : sicque merita sua in immensum augeat, dum electa ad summum mundi fastigium, subditur tamen Fabro, atque ab ejus voluntate & nutibus tota dependet.

Dixit olim Plinius ad Trajanum XXX Imperatorem & rectè, *Cui nihil ad augendum fastigium supereſt, hic adhuc uno modo crescere potest, si se submittat.* Ita crescere potuit, & certè etiam crevit Summa Mater mundique Induperatrix Maria. Quid altius illâ quæ erat Dei Mater electa & effecta ? nihil : submisit illa sese. Primò, dum ancillam se dixit. Secundò, dum Elisabethæ in puerperio ministravit. Tertiò, dum Josepho per omnia morem gessit ex animo : Quare assurrexit, & eò quidem altius quò se demisit profundius.

## SECTIO III.

### *Causæ seu convenientiæ hujus conjugii ex parte nostra.*

COnveniens etiam fuit hoc matri- XXX monium quoad nos ex multiplici capite, atque imprimis ut in illis sacris conjugibus haberemus extremæ continentiæ exemplar absolutissimum, virginitatis nimirum etiam *in ipso* conjugio illibatæ : ut ab *illis* discant ii qui habent uxores, ut sint tanquam non habentes : quod licet sit maximè arduum, non tamen impossibile, ut patet in tot & tantis horum sequacibus, quos hîc supra recensuimus cap. octavo per quatuor sectiones.

Secundò, voluit Christus Dominus XXX dum homo fieri dignatus est propter homines, nasci ex virgine, ut virginitatem sibi acceptam esse demonstraret : voluit tamen esse desponsatam & conjugatam, ne videretur matrimonium aversatus : hâcque ratione duplicem hæresim confutaret, illorum scilicet qui castitati bellum indicturi erant, & eorum qui damnaturi erant nuptias : hinc D. Basilius Magnus homil. de humanâ Christi generatione loquens de Deiparâ, reddensque rationem cur desponsata

desponsata fuerit, *Virgo erat & viro desponsata, & apta conjugali officio obeundo putata, ut & virginitas in honore ante omnia haberetur, & matrimonium non propterea improbaretur.*

XXXV. Tertiò, ut hinc disceremus homines non ex paupertate aut conditionis & exercitii vilitate metiri & spernere, quia sæpenumero contingit, quod qui viliores sunt coram hominibus, Deo prætiosores existant & chariores: Ecce enim D. Ioseph, si eum humanis oculis inspiciamus, contemptibilis erat, faber erat, pauper erat: unde & per contemptum Christus dictus est à Judæis carnalibus Faber & Fabri filius: & tamen in oculis Dei quantus ille fuit, qui in Dei Patrem & Virginis Deiparæ conjugem eligi, & erigi meruit? sic sic ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus 1. Corinth. c. 1. Vide S. Augustin. l. de Opere Monach. tom. 3. cap. 13.

XXXVI. Quartò, potissimum conveniens fuit hoc matrimonium ad adstruendam in nobis fidem Dominicæ Incarnationis: Per hoc enim matrimonium Deus nobis in D. Josepho providit primarium testem, omniqúe exceptione majorem, quod Christus ex Virgine natus est, permissúsque est dubitare, ut in illius hæsitatione omnes postea in Ecclesiâ orituræ dubitationes, efficacissimè resolverentur: dum enim ille confirmatur, nos instruimur. Hinc D. Ambrosius in Lucam, quem sequitur D. Thomas citatus ait: *Locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset & dolere injuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret Sacramentum.*

XXXVII. Divus verò Chrysostomus homil. 4. in cap. 1. ad illa verba: *Ioseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*, ita loquitur, *postquam dixit quia esset ex Spiritu Sancto, & absque ullâ mixtione sexuum: sermonem suum etiam aliunde confirmat: Ne enim aliquis diceret, & unde hoc potest esse manifestum? quis vidit? quis audivit aliquando tale aliquid contigisse? neque putares discipulum quasi gratificatum Magistro ista confingere; introducit Ioseph ex his quæ passus est fidem dictis per cuncta facientem, ut planè hinc dicere Evangelista videatur: si non credis mihi, & testimonium tibi fortè meum suspectum est: crede igitur vel marito:* & post pauca, *Propterea verò Evangelista dixit quid justo illi acciderit ante notitiam, ut nequaquam de his quæ post notitiam rei sunt facta dubitares. Et certè si Maria talis fuisset, qualem illam suspicio fingebat, non modo publicari meruerat, verùm etiam ex legis authoritate puniri.*

Sed inter omnes eximiè ad hoc pro- XXXVIII
positum eximius Divus Bernardus homil. 2. super missus est post med. *Cùm esset Virgo electa, & ut ostensum est Virgo conceptura, Virgo paritura, mirum cur desponsata fuerit? nunquid vel hoc casu factum quis dixerit? non est casu factum quod rationabilis causa commendat, causa valdè utilis & necessaria, & divini prorsus adinventione consilii digna. Dicam quod mihi, imò quod ante me Patribus visum fuit. Illa utique fuit ratio desponsationis Mariæ, quæ & dubitationis Thomæ, &c. Sicut ergo Thomas dubitando, palpando, cōstantissimus factus est Dominicæ Confessor Resurrectionis: ita & Ioseph Mariam sibi desponsando, ejusq; conversationem in tempore custodiæ studiosius comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia, & dubitatio Thomæ, & desponsatio Mariæ. Poterant quidem similis erroris laqueum nobis injicere, fidei videlicet in illo, Castitatis in illa, veritatem in suspicionem adducere: sed valdè prudenter & piè factum est per contrarium, ut unde metuebatur suspicio, firma sit certitudo: nam & defilii Resurrectione citius quidem ego, qui infirmus sum, crediderim Thomæ dubitanti & palpanti, quàm Cephæ anaienti & credenti: & de Matris continentia facilius sponso ejus custodienti, & experienti, quàm ipsi quoque Virgini de solâ suâ conscientiâ se defendenti. Dic quæso quis eam videns gravidam non potius diceret corruptam quàm Virginem? Non autem decebat hoc dici de Matre Domini: Tolerabilius verò atque honestius fuit, putari ad tempus Christum de conjugio fuisse natum, quàm de fornicatione. Sed non poterat, inquies, Deus apertum aliquod ostendere signum? quo videlicet fieret, ut ejus nec ortus infamaretur, nec Mater crimina-*

*criminaretur? Poterat utique, sed non poterat latère dæmones quod scirent homines. oportebat autem à Principe mundi aliquamdiu cælari divini Consilii Sacramentum: non quod Deus si palam opus suum facere vellet impediri posse ab ullo metueret: sed quia ipse, qui non solum potenter, sed etiam sapienter quæcumque voluit fecit; sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias, propter ordinis pulchritudinem servare consuevit; ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantùm potentiam suam, sed & prudentiam ostendere voluit. Et quamquam illud aliter quomodò vellet, perficere potuisset, placuit ei tamen eo potius & modo & ordine hominem sibi reconciliare, quo noverat cecidisse: ut sicut Diabolus prius seduxit fœminam, & postmodum virum per fœminam vicit, ita prius à fœminâ Virgine seduceretur, & post à viro Christo aperte debellaretur: quatenus malitiæ fraudi dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo Deus & prudentior appareret & fortior. Ita quippe decuit Incarnatam Sapientiam spiritualem vincere malitiam, quo non solum attingeret à fine usque ad finem fortiter, sed & disponeret omnia suaviter. Attigit autem à fine usque ad finem, ideòt à Cœlo usque ad infernum, Si ascendero, inquit, in Cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades. Utrobique verò fortiter quando & de supernis expulit superbum, & apud inferos spoliavit avarum. Conveniens ergo erat ut suaviter quoque omnia, cælestia scilicet & terrena disponeret, quatenus & illic dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret: & hic debellaturus mundum, nobis prius suæ humilitatis & mansuetudinis valdè necessarium exemplum relinqueret, sicq; mirabili fieret moderamine sapientiæ ut & suis suavis & hostibus fortis appareret. Quid enim prodesset Diabolum à Deo vinci nobis manentibus superbis? necessariò igitur desponsata & Maria Joseph, quando per hoc & à canibus sanctum absconditur, & à sponso virginitas comprobatur, & Virginis tam verecundiæ parcitur, quàm famæ providetur. Quid sapientius? quid dignius divinâ providentia? uno tali consilio secretis cœlestibus & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra servatur fama Virginis Matris. Alioquin quando pepercisset justus adulteræ?* Hactenus D. Bernardus, quo quid eximius?

Sed quia Divus Bernardus in præ- XII.
tactis comparat desponsationem & dubium D. Josephi cum dubitatione D. Thomæ, differentiam tamen inter utrumque magnam observari cupio: Nam Thomas positivè discredidit, & cum incredulitate ac peccato, quem propterea Christus arguit dicendo, *Mitte manum tuam, &c. & noli esse incredulus sed fidelis.* D. Josephus autem tantùm hæsitavit nesciens quam partem amplecti deberet, utpote cui eò usque mysterium necdum revelatum fuerat: sed tamen, modestiam & virtutem suæ conjugis expertam habebat, & ideò Angelus cum consolatur dicens, Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, &c. Thomas postea credidit, sed cum vidit manifestè resuscitatum. Divus Josephus autem non vidit, nec potuit videre Christum, fuisse in utero conjugis de Spiritu Sancto conceptum, sed ad nudum Angeli asserentis verbum hęsitationem suam statim deposuit.

## SECTIO IV.

### *Causæ seu convenientiæ hujus matrimonii ex parte Divi Josephi.*

HÆ licet paucæ sint non tamen XI.
parvæ; & quamvis solæ faciant directè ad intentum nostrum in hoc opere, ostendemus tamen ad harum calcem, nec in præcedentibus omninò à proposito nostro digressos fuisse. Igitur ad rem.

Primâ ex parte D. Josephi hujus XII.
matrimonii convenientia fuit, ad ostentionem & evidentiam meritorum ejus. *Bona enim mulier*, inquit Sapiens Ecclesiast. cap. 26. vers. 3. *est in parte bonâ timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis.* In quem locum Palacio hujus libri Commentator insignis. Intellige, inquit Deum habere bona quę- «
dam quæ tamen ut plurimùm nocent: «
alia bona quæ nocere & prodesse so- «
lent: alia bona quæ prosunt non tamen «
obsunt.

obsunt. Partem illam bonorum quæ
" prima est largitur malis pro merito eo-
" rum, juxta illud psalm. 72. *Verumta-*
" *men propter dolos posuisti eis: dejecisti eos*
" *dum allevarentur*: & illud ibid. *Ecce ipsi*
" *peccatores abundantes in sæculo obtinue-*
" *runt divitias*. Partem alteram dat qui-
" busdam bonis hominibus, qui cadere
" solent & surgere. Tertiam partem dat
" Prædestinatis seu cõstantibus in bono.
" In hac classe est mulier bona. *Est enim*
*in parte timentium Deum, & eis datur*
*pro factis bonis*. Ita ut mulier bona ca-
dat sub meritum tanquam medium
quod maximè adjuvat ad vitam æter-
nam consequendam: ejus enim con-
victu, & conversatione optimâ, vir &
avocatur à malo, & promovetur ad
bonum: quod cum ita sit, vide quanta
oportuerit fuisse D. Josephi merita, ob
quæ talis ei à Deo mulier data: ob me-
rita enim ipsius eam ipsi datam colligo
ex Luc. cap. 1. v. 26 ubi pro eo quod
legimus in vulgatâ nostrâ, *Missus est*
*Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam*
*viro, cui nomen erat Ioseph*, Mariana ex
Syriaco apud nostrum Sylveiram tom.
1. in Evang. lib. 1. cap. 5. vertit, *ad Vir-*
*ginem venditam viro cui nomem erat Io-*
*seph*: quod utique significat illam me-
ruisse, atque pro eâ habendâ pretium
tradidisse: quod verò illud pretium?
non utique aurum vel argentum, quod
nihil æstimabitur in comparatione il-
lius: sed merita grandia: & quanta
Deus immortalis! illa esse oportuit,
quibus talem ac tantam mulierem sibi
comparare & mereri à Deo potuit?

XLII. Secunda, ut in particulari ex hoc Conjugio summa Divi Josephi puritas patesceret, constaretque eum fuisse omnium mortalium castissimũ. Quod vel ex hoc conjugio liquet manifestissimè, nec video quonam argumento hoc validiori id probari posset, quomodò enim Deus tantæ Virgini alium quàm virginem conjungere potuisset? Tero vestigia Divi Bernardini Senensis, qui ante me hoc argumentum pressit serm. de Sancto Josepho tomo 3. ubi sic ille. *Quomodo potest mens discreta*
*cogitare quod Spiritus sanctus tantâ unio-*
*ne (conjugii scilicet) uniret menti tantæ*
*Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum*
*operatione simillimam? unde credo Ioseph*
*fuisse mundissimum in virginitate profun-*
*dissimum in humilitate, ardentissimum in*
*charitate, altissimum in contemplatione.*

Tertia, ut in D. Josepho per Incarna- XLIII.
tionem Verbi Divini tantùm elevaretur & dignificaretur purus homo de sexu virili, quantùm elevari & dignificari potuit: ita enim videtur oportuisse, quandoquidem per eandem Incarnationem sexus fœmineus in Virgine elevabatur ad Matris Dei dignitatem quâ nulla major excogitari poterat. Vide à nobis dicta Parte 1. Tractatu 1. Proludio 5. Per hoc autem Conjugium hoc obtentum est: factus est enim per illud Divus Josephus ejusdem Verbi Divini Pater tam strictè, ut non poterit strictius, saltem attentâ Dei sapientiâ. Vide quæ Tractatu sequenti de hâc materiâ dicturi sumus. Undè consequenter quemadmodum de Deiparâ dicimus, eam propter Maternitatem omnibus Cœlitibus esse prælatam, ita Divum Josephum, ex eo quod Christi Pater est (quod est per hoc conjugium) omnes omninò Sanctos, quanti quanti sint, in merito & gratiâ quemadmodum & in dignitate, Mariâ solâ exceptâ, antecedere necessum est.

Quarta, ut sic elevatus, adhuc ex XLIV.
hoc conjugio meritum ejus accresceret: hinc enim factum, ut non tantùm ex Matris & Filii conversatione proficeret, sed etiam ut ex officio, quod ei per hoc conjugium obtigerat, Virginis & Christi Domini curam gerens, *eos*
*paverit in innocentiâ cordis sui, & eos in*
*intellectibus manuum suarum deduxerit*,
*&c.* Ex quibus quantum hujus Sanctissimi Patriarchæ merita excreverint, quis vel cogitatione assequi, vel dignis possit sermonibus prosequi.

Ad hæc omnes aut ferè omnes aliæ XLV.
convenientiæ in superioribus Sectionibus adductæ in eum etiam redundant: sub eo enim Christus Dominus legitimus habitus est, & Davidis ac Abrahæ filius. Sub eo Mater famam conservavit, sub eo Divinus partus dæmonem latuit, per eum Herodis persecutionem effugit: sicque mysterium humanæ salutis congruo modo juxta divinæ Providentiæ dispositionem impletum est, quæ omnia quantùm ad ejus gloriam conferant, quis non videt?

CAPUT

## CAPUT XVII.

### *Cur ipsi hoc Matrimonium inierint?*

I. HÆc Quæstio multùm differt à præcedenti, quæ enim in præcedenti Capite ex Angelico Doctore Divo Thomâ 3. part. quæst. 29. art. 1. latè deduximus, cum additionibus nostris, rationes sunt sumptæ ex parte Dei & Divinæ Providentiæ, ob quas ipse specialiter hoc matrimonium ordinavit. Hîc videndum ex parte B. Virginis & D. Josephi quid ipsos ad hoc matrimonium ineundum inclinaverit? Cùm enim Beata Virgo virginitatem vovisset, ut asserunt Sancti Patres, quod similiter fecisse Divum Iosephum docuimus supra: Nec ullus sit Catholicus qui neget eos saltem firmissimum habuisse propositum servandæ in conjugio virginitatis: Certum est non contraxisse matrimonium propter filiorum procreationem, qui solet esse velut proprius & intrinsecus matrimonii finis, quia fuisset contra votum: nec etiam potuerunt ad hoc contrahendum iis rationibus moveri, quæ ex parte Divinæ Providentiæ allatæ sunt Capite præcedenti, cùm illæ omnes Incarnationis mysterium respiciant, & futuram divinæ Prolis conceptionem mirabilem, de quâ ipsi ante Gabrielis Annuntiationem nihil cogitare potuerunt.

II. Quod enim dicit Cedrenus in Compendio Histor. Mariam duodecimo ætatis suæ anno revelatione divinâ didicisse se futuram Matrem Dei & Hominis, omninò falsum est: cum evidenter repugnet iis quæ dicit D. Lucas de Angelicâ Annunciatione. Turbatio enim Virginis, ejusque cogitatio qualis esset Angeli salutatio, ejusque interrogatio, quomodò istud fieri posset quod ei Angelus annunciabat? planè indicant eam prius fuisse tanti mysterii ignaram, quod ei per Angelum nunciabatur, ut etiam omnes Patres interpretantur. Quare aliâ ex parte istorum sacrorum Conjugum ratio quærenda est, cum quâ rectè & sine peccato contrahere potuerint voto virginitatis obstricti.

III. Voluêre nonnulli hos sacros Conjuges, ut erant divinæ legis observantissimi, ideò nupsisse ut obedirent legis præcepto, quod dicunt obligasse illo tempore viros & fœminas ad nubendum. Illud porrò præceptum probant ex illo Exodi cap. 23. vers. 26. *Non erit infœcunda nec sterilis in terra tua.* & ex illo Deuteronomii cap. 17. vers. 14. *Non erit apud te sterilis utriusq; sexus.* Hocque imprimis locum habebat in illis qui erant ex Tribu Regali Iuda, ex quâ futurus erat Messias, ut notavit D. Augustinus lib. 6. de Bono Conjugali, tandem ex illo Deuteron. cap. 25. *Maledictus qui non suscitaverit semen in Israel.*

IV. Sed non est credibile tale præceptum à Deo positum fuisse, saltem quod obligaret omni tempore: In principio mundi quando propagandum genus humanum, vel post diluvium quando erat reparandum, videbatur præceptum generationi vacare, sed postmodum non: nec fuit sub lege Moysi contra legem virginitatem servare; sed supra legem, ut docent SS. Patres & Theologi: unde illo tempore multi viri sanctissimi virginitatem coluerunt, quod non fecissent, si fuisset aliquod præceptum divinum quod illos ad generandum obligasset: Melchisedech etiam ante Moysen, & Josue Moysis socium & successorem virgines fuisse scribit sanctissimus Martyr Ignatius epist. ad Philadelph. Eliam Prophetam Patrem nostrum: Sanctus Ambrosius lib. 1. de Virg. & alii: Elisæum & Jeremiam: Divus Hieronymus l. contra Jovinian. Danielem: D. Damascenus, lib. 4. de fide Orthod. cap. 25. tres pueros Sidrach, Misach, & Abdenago, à Nabuchodonozor in in fornacem ardentem missos, idem ibidem. Essenos: Iosephus de antiquit. Judaicis lib. 2 cap. 8. & lib. 2. de bello Iudaico, & Plinius lib. 5. cap. 17. idemque dicendum de Sancto Domini Præcursore Joanne Baptista.

V. Non ergo erat lege præceptum dare operam generationi, sed videbatur, quia sic judicabant ut plurimùm Judæi carnales propter largas illas benedi-

ctiones

ctiones, quas Deus generantibus promittebat: unde eos peccare arbitrabantur, qui tantis benedictionibus suâ se voluntate privabant.

VI. Nec verba ex libro Exodi cap. 23. vers. 26. & Deuteronom. cap. 17. v. 24. supra adducta pro oppositâ sententiâ vim habent præcepti: sed sunt promissiones Dei ut patet evidenter legenti antecedentia & consequentia ad textus illos.

VII. Ad illud Deuterononomii cap. 25. *Maledictus qui non suscitaverit semen in Israël*, Respondeo verba illa in vulgatâ nostrâ non haberi, quamvis ea citent Divus Hieronymus in cap. 56. Isayæ, & Divus Augustinus lib. 14. contra Faustum cap. 13. Respondeo secundò, intelligi de illis qui generationi vacabant, non verò de illis, qui voluntariè & ex motivo virtutis studiosè virginitatem servabant: aliàs maledictus fuisset Melchisedech, maledictus Josue, maledictus Elias, maledicti Elisæus, Jeremias, Daniel, Sidrach, Misach, Abdenago, Esseni; maledictus Divus Joannes Baptista quod nemo dixerit.

VIII. Deinde directè contra hanc sententiam: si Beata Virgo & Divus Josephus propter assertum legis præceptum nupsissent ut ei obedirent, debuissent etiam nubendo matrimonii consummationem intendisse, & generationi vacasse, cùm ideò matrimonium fuisset in præcepto ne esset sterilis in Israel. Falsum istud consequens, ergo & antecedens.

IX. Alii voluerunt nupsisse ut in externo vitæ statu se suæ genti conformarent, ne singulares apparerent. Ita Divus Augustinus lib. de Sanctâ Virginit. cap. 4 *Licet*, inquit, *Virginem se antea Deo vovisset: quia tamen Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa voverat.*

X. Vera, firma & absoluta omnium est sententia Doctorum admirandi, hujus consilii non alium fuisse Authorem quam Spiritum Sanctum. In omnibus siquidem actionibus, maximè verò in iis quæ ad futuram Filii Dei spectabant Incarnationem, Beata Virgo à Spiritu Sancto regebatur, & D. Josephus. Ipse igitur Spiritus Sanctus Divæ Virgini inspiravit ut perpetuum Virginitatis propositum in animo conciperet, illudque voto firmaret; concepit & voto firmavit: Ipse postea hanc ei mentem indidit ut se in matrimonium Josepho traderet; tradidit: Ipse eam edocuit quomodo animum alienum à copulâ haberet, & tamen matrimonio consensum necessarium præberet; præbuit: Similiter ipse D. Josephum disposuit ut eatenus castitatem coleret: Ipse ei aures hominis interioris aperuit ut Deiparam ad virginitatem ejusque votum exhortantem audiret; audivit & animum castum & pudicum ut servaret dedit.

## CAPUT XVIII.

### *Quàm fœlix hoc Matrimonium Divi Josephi, & undè?*

DIvus Augustinus lib. 9. de Genes. ad litt. cap. 3. Divus Gregorius in Psalmum quinquagesimum. D. Thomas & Scholastici part. 1. quæst. 98. artic. 2. Hugo à S. Victore lib. 1. de Sacram. part. 6. c. 24. docent quod in statu innocentiæ fuissent nuptiæ, quodq; per eas, ut nunc, propagatum fuisset genus humanum; Resq; est in confesso apud omnes, tum quia Deus in illo statu condens homines, masculum & fœminam fecerat eos: tum quia Eva dicitur tunc facta ut esset Adæ adjutorium, at in quod adjutorium, inquit D. Augustinus citatus, si nó in adjutorium gignendi liberos? tum quia illis in eo statu dictum est: *Crescite & multiplicamini*: tum denique quia quomodo in Adamo peccassemus & ex illo traheremus originale peccatum, nisi in illo fuisset gratia in descensuros ex eo transfundenda, quæ per ipsius peccatum in nostram perniciem fuit exhausta? I.

Hæc res clarissima est, sed quales quæso fuissent tunc nuptiæ? utique eo statu dignæ, hoc est ut sanctæ, ita fœlicissimæ, nullâque ne vel minimâ molestiâ admixtæ. Nullus libidinis ardor, nulla uteri tædia, nulli partus dolores, II.

vel pericula, nulla discordia inter conjuges, nullæ rixæ, nulla infidelitas, nulla suspicio, zelotypia nulla, nulla paupertas, nulla orbitas, nullæ curæ, nulla matrimonii onera. Conjugum summa consensio, gaudium ex invicem summum, liberorum utpotè Deo perfectè subjectorum educatio suavissima.

III. Quibus ô miserandam sortem nostram! quam dissimiles sunt nostræ? Nunc enim cum ardore libidinis filii procreantur, cum tædio in ventre portantur, cum dolore in lucem eduntur, cum labore educantur: Paupertas conjuges affligit, abundãtia inflat, zelotypia urit, rixę incendunt, mœror torquet, discordia lacerat, curę premunt, matrimonii pondus obruit, mors deniq; separat.

IV. Quàm benè ergo matrimonium alio nomine dicitur Conjugium quod significat quasi cõmune jugum? ut etiam ipsum nomen indicet matrimonium rem esse molestię plenissimam: Quamvis enim cætera vitæ genera suis non careant molestiis, hoc tamen inter omnia omnium sentina est. Quare Dardanenses Illyrici Eliano teste lib. 4. var. histor. cap. 1. ter solummodò per totam vitam lavari consueverant, in ortu, in obitu, & in nupriis: ut significarent æquè sinistri loco præsagii: habuisse nubere, ac nasci, vel mori, ut proinde in nuptiis eâdem quâ in ortu vel obitu ceremoniâ uterentur: nec ineptè certè, quemadmodum enim ad miserias nascuntur, qui in hanc lucem prodeunt, & vermium esca fiunt qui eâ exeunt: ita planè illi qui matrimonio copulãtur, obligantur ad colluctandum cum ingẽti curarum molestiarum & laborum exercitu, fiuntq; miseri sollicitudinum & ærumnarum pabulum.

V. Quid quod in eo ipso in quo voluptatem sibi promittebant, tribulationem inveniunt? negas? nonne antequam jugum conjugii subeant sibi voluptatem carnis promittebant conjuges? nihil hâc veritate verius At Paulus 1. Corinth. cap. 7. vers. 28. *Si acceperis uxorem*, inquit, *non peccasti, & si nupserit Virgo non peccavit, tribulationem tamẽ carnis habebunt hujusmodi* Et equidem verè, voluptas enim quæ est in actu conjugali quàm vilis est, quàm brutalis? quàm pudenda, sed quàm illi brevis, nonne momento transit, sed quanta, quàm innumera eam à tergo sequuntur aspera: iis illa ita opprimitur & eliditur, ut omninò absorbeatur. Mox enim à conceptu subeunt fastidia, insomnia, vertigines, melancholiæ, præcordiorum angustię, absurdi appetitus, & totius naturæ perturbatio, sequuntur partus dolores acerrimi, ex quibus quàm sæpè morbi insanabiles & mors? &c. quæ quisque sibi ipsi repræsentare potest uxorum à maritis, maritorum ab uxoribus, utrorumque à liberis, ab affinibus, à fortunâ, à morte, &c.

Quare Divus Hieronymus lib. 1. contra Jovinian. versans mox citatum Apostoli locum. *Nos ignari rerum*, inquit, *putabamus nuptias saltem carnis habere lætitiam, cum tamen carnis habeant tribulationem. Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio est, in quo solo videbantur habere delicias, quid erit reliquum propter quod nubunt.*

Sed quid his immoramur tamdiu? in illud Virgineum Mariæ & Josephi conjugium convertamus oculos, quod etiam in præsenti rerum statu per peccatum funestato (in quo nullum quantumvis faustum sine molestiâ) fœlicius tamen longè omnium fœlicissimis, illis etiam quæ in illo priori fuissent innocentiæ statu, conjugium, inquam, illud omnium conjugiorum primum & faustissimum, quod suâ bonitate omnium præsentis status malignitatem abstergit, & prioris fœlicitatem status incomparabiliter superat & obscurat: conjugium in quo omne nuptiarũ bonum proles, fides, Sacramentum: conjugium denique in quo convictus sine libidine, proles sine concubitu & sordibus, uterus sine gravedine, sine dolore partus, Mater sine viro, Pater sine generatione, procuratio familiæ sine distractione, omnia necessaria sine curis & inquietudine.

VII.

VIII. Sed ad rem propius accedamus, quod nam quæso potuit esse conjugium illo fœlicius, aut illi unquam simile, quod à Deo ipso fuit, & ex quo ipse Deus? quam hoc magnum! quam hoc incomparabile & divinum!

IX. Fœlix fuit Adæ & Evæ matrimonium quia à Deo fuit, non tamen fœlicissimum

mum, quia non ex illo Deus. Felicissimum ergo Mariæ & Divi Josephi fuit quod utrumque habuit: Non illos libido, vel alia quævis passio copulavit, non Parentes, non propinqui ad illud impulerunt, quin etiam nec ipsi quidquam de hoc cogitabant, quibus animus erat longè alius, perpetuam scilicet servandi continentiam: sed Deus solus qui illud voluit, ad illud eos singulari modo, oraculo scilicet & miraculo accivit, ut docuimus supra. Quàm sanctum ergò illud matrimonium, quod ita ab omni passione & homine liberum? sed cùm nullum sit in matrimonio bonum quod non sit à Deo, nonne Deus omninò in hoc effusus, cujus ipse tam singulari ratione Author? cui ipse præfuit? quod ipse ordinavit, procuravit, promovit?

X. Quod si ex hoc capite, scilicet quod sit à Deo tam fœlix esse debuit hoc conjugium, quantum quæso ex hoc quod Deus ex illo, quod huic soli contigit & continget? In cœteris conjugiis si proles, hæc ex concubitu & nonnisi homo: in hoc, nullus concubitus, & tamen proles, & hæc Deus, & ex hoc illa Mater Dei: iste ejus Pater. Quid hoc divinius? Quis unquam prolem ausus fuisset cogitare, quis sperare sine concubitu? sed quis prolem ipsummet Deum? Quanta ergo hujus sacri fœlicitas conjugii, quæ omnem spem, omnem superat hominis cogitationem? O quãtus tu ex hoc Sanctissime Joseph! te enim alloquor, quia tua hîc res agitur, qui per hoc factus es Pater Dei, idque modo tam perfecto & sublimi, ut saltem in præsenti rerum statu non potueris sublimiori. Potuisset quippe Deus absolutè si voluisset ex Virgine innuptâ concipi & nasci: propter te ergo aliter voluit, ut quod ab æterno de te cogitaverat & disposuerat, in tempore adimpleret. Cogitaverat inter puros homines de virili sexu te ad summam attollere dignitatem, quemadmodum & Conjugem tuam inter fœminas: ut ergò illud exequeretur, hoc Conjugium elegit, quo quidem tantus effectus es, ut quo altius ascẽderes nihil excogitari possit, non enim potest purus homo altius ascendere quàm ut sit Pater Dei eo modo quo tu es.

Sed & alia est in hac Divi Josephi fœlicitate fœlicitas singularis, quam hîc omittere non possum, & quænam illa? Audi, Apostolus 1. Corinth. cap. 7. vers. 33. docet quod in aliis conjugiis vir qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori, & divisus est, in multas nimirùm curas, ita ut uni Domino non possit vacare integrè, sed partem Deus, partem uxor, eamque non modicam, partem liberi non minorem sibi vendicent, quod etiam verum est in conjugiis aliàs castis & sanctis, sicque infœliciter homo conjugatus dividitur inter cœlum & terram, sed in hoc Divus Josephus fuit cæteris fœlicior, quod in suo conjugio omnes illius curæ, cogitationes, labores in Deum rectà tendebãt, eumq; Deo uniebant: Nam si de prole alenda cogitaret, proles Deus erat, Deum ergo tunc cogitabat & attingebat, immò in ipsum totus immergebatur. Cùm enim cogitabat se Deo laborare, se Deo sudare, se de laboribus & sudoribus Deum alere, ò quantâ quàm divinâ perfundebatur suavitate! Si verò de Sponsâ, in ipsâ nihil videbat quod ipsam non spiraret & inspiraret sanctitatem: in ipsâ verba mentem ejus in Deum efferebant, aspectus ipsi, cor & animam sanctificabant: Modestia norma vitæ erat & actionum; forma denique ô miraculum! nonnisi castas in ejus mentem cogitationes ingerebat, puras in pectore flammas accendebat. Miraculum dico & meritò, nam formâ licet vim habeat magnam, ut corda nectat conjugatorum; quia tamen non est innoxia post peccatum, quod illam veneno & contagione suâ ut cætera infecit, vix ulla reperitur quæ non ei famuletur, nulla quæ non impura excitet desideria, quæ vix abstinentia, mortificatio, & pugna extinguere possint. Quare graviter Tertullianus lib. de cultu fœminarum. *Decorem*, dicit, *naturaliter invitatorem libidinis*. Sed Sanctissimæ Virginis forma & pulchritudo, cùm nunquam fuerit conjuncta cum peccato, quin è contra fuerit semper cum summâ gratiâ, pudore, sanctitate maritata, effectus omninò contrarios nata erat producere, castas inquam afflare cogitationes, sancta accendere

X I.

desideria, pudoremque sanctum in ipsis etiam impudicorum cordibus instillare. Quid ergo in D. Joseph qui tam sanctus erat & purus? Quàm ergò ille erigebatur in Deum quando illam aspiciebat? quàm illius cor in amorem Dei exardescebat dum illam audiebat? ut verè illi, & sanctè posset ipse dicere quod Cantic. cap. 2. vers. 14. Sponsus enim ipse erat, illa sponsa. *Surge Amica mea, speciosa mea, columba mea, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Per uxorem ergo adhuc magis Deo uniebatur, per quam cæteri ab eo miserè distrahuntur: nonne ergo Divus Joseph ex hoc Conjugio summè fœlix.

XII. Illud ergò primum & summum hujus Conjugii bonum, nullique unquam commune quod illud à Deo, quodque ex illo Deus. Et ex hoc quasi ex perenni quodam fonte rivuli, omnia alia bona, quæ ad Conjugium summè fœlicitandum excogitari possent, profluxerunt.

## CAPUT XIX.

### *Alia ex quibus hoc D. Josephi fœlix matrimonium.*

I. TRia adhuc invenio ex quibus fœlix evasit hoc Divi Josephi cum gloriosâ Dei Genitrice matrimonium: primum est eorum inter se proportio & similitudo. Secundùm, Amor mutuus. Tertium. eorum concordia, consensio, & unanimitas, de quibus per totidem Sectiones.

## SECTIO PRIMA.

### *De perfectâ eorum proportione & similitudine.*

II. PRima lex Conjugii est ut sit proportio, & aliqualis paritas inter eos qui nubere volunt, hocque ut matrimonium faustum sit, suâque fœlicitate non careat, vix enim aliter faustum erit: inde illud Ovidii in epist. Dejaniræ ad Herculem.

*Si qua voles aptè, nubere, nube pari.*

eademque fuit septem Græciæ Sapientum, aliorumque plurimorum sententia, uti fusè tradit Tiraquellus lib. 5. Connubial. num. 16. & seqq. unde Ausonius Solonem ita inducit loquentem, *Par pari jugato Conjux, quod impar est dissidet.*

III. Neque hæc paritas aut proportio tantùm debet esse in conditione, ætate & opibus, sed etiam, & hoc maximè, in moribus & ingenio: si enim mitem v. c. tradas fero & turbulento, nonne ovem commitis innoxiam lupo? columbam accipitri? quæ concordia? quæ animorum unio? quæ pax domi? quomodo tranquilla familia esse poterit, ubi est tanta animorum & affectuum dissimilitudo? In naturalibus asser non adglutinatur marmori aut lapidi, propter nimiam dissimilitudinem, sed alteri ligno sive asseri, ferrum propter eandem rationem non unitur auro vel argento, sed ferro vel chalibi: similiter surculus nucis non inseritur pomo, nec pomus nuci, sed nux nuci, pomus pomo, quomodo ergo adglutinabitur, inseretur, unietur uxor viro moribus & ingenio dissimili?

IV. Hæc etiam mihi videtur una ex causis istius legis apud Judæos quâ vetitum erat ne viri vel mulieres unius tribus desponsarentur alteri ex aliâ Tribu: primò, enim per hoc procurabatur paritas vel proportio in conditione, hoc est in genere, & aliquo modo in opibus: Secundò, etiam in complexione & inclinationibus, cùm enim in eo casu essent eodem sanguine propagati, & ex eodem communi stipite orti, videbantur ex hoc habituri aliquam complexionum consonantiam, quodque retinentes suæ qualitates originis, tam facilè essent inter se uniendi, quam duæ aquæ guttæ ex eodem fonte & canali decurrentes.

V. Cæterùm quidquid sit de istâ lege, certum est quod Deus illam similitudinem & proportionem posuit perfectè in Adamo & Evâ, quos ipse conjunxit, quorum matrimonium, utpote primum, debebat esse regula cæterorum: patet ex illo Genes. cap. 2. vers. 18. *Dixit quoque Dominus Deus non est bonum*

*num hominem esse solum; faciamus ei adjutorium simile sibi*: ubi pro illis verbis: *Faciamus ei adjutorium simile sibi*, Septuaginta verterunt, *faciamus ei adjutorium secundum ipsum*, ideſt reſpondens & congruens ipſi: quod adjutorium fuit mulier, quam Deus ex illo formavit, eiſque dedit uxorem.

VI. Porrò quam putas fuiſſe hanc ſimilitudinem? non utique in naturâ ſolùm, ſed etiam in gratiâ & in moribus, ut exponunt SS. Patres & Interpretes: & ratio eſt manifeſta, quia aliàs ſi mulier quam Deus dedit Adæ in uxorem tantoque univit fœdere, fuiſſet ei diſſimilis in moribus & ingenio, licet fuiſſet ei ſimilis in naturâ, non tamen fuiſſet ei adjutorium ſecundùm ipſum, reſpondens & congruens ipſi, ſed potius impedimentum magnum ut conſtat. Quare dedit Deus huic mulieri non tantùm ut erecta eſſet in pedes, excelſo vultu, rectoque totius corporis habitu, ut Adam, non tantùm animam immortalem libero arbitrio præditam, & ſupernaturalium bonorum ac fœlicitatis æternæ capacem, ſed ei etiam contulit gratiam & juſtitiam originalem, & cæteras virtutes, perfectam corporis & appetitus ad rationem ſubjectionem, & rationis ad Deum, ſecundùm quam poterat ſine difficultate, ut Adam, à malo declinare, & bonum facere, ſicque in acceptâ juſtitiâ perſeverare.

VII. Hanc quoque ſimilitudinem poſuit Deus in hoc Divi Joſephi & Deiparæ omnium ſublimiſſimo Conjugio, eamque omnium perfectiſſimam & abſolutiſſimam: ſi enim in illo Adæ & Evæ Conjugio, quod à Deo & recto deviavit, tanta ſimilitudo & proportio ex hoc quia à Deo quanta hic, ubi & ex Deo, & propter Deum, quia Deus ex illo proditurus erat?

VIII. Deuteronomii cap. 2. verſ. 10. *Non arabis*, inquit Deus Iſraeli, *in bove ſimul & aſino*. Non vult Deus illa duo animalia eidem jugo copulari, quod ſcilicet eſſent diſparia, non tantùm in naturâ, ſed maximè in viribus. Cavet ergo Deus ne illa diverſæ ſpeciei bruta ex conſociatione ſub eodem jugo forte, ut fieri poſſet, commiſcecantur extra ordinem naturalem: & ne ex imparitate virium totum onus recidat in debilius: ſi ergo in Deo tantus eſt recti ordinis amor, ut eum etiam in ipſis procuret animalibus, quantò magis in hominibus, qui eidem matrimonii jugo alligari debent, à quo ducuntur Conjuges? *Nonne enim Domino cura eſt de bobus*, & non de hominibus? non vult ergo Deus diſſimilitudinem aut diſproportionem in illis qui conjugari debent, quandoquidem nec illam approbet in brutis. Et ideò Apoſtolus 1. Corinth. cap. 6. hoc præceptum ponit, *Nolite jugum ducere cum infidelibus*.

IX. Quod ſi Deus ita curat & in conſociatione brutorum, & in hominum conjugiis, quod ipſimet homines diſponunt, ut ſit proportio inter conjugandos, illene hoc neglexerit in hoc ſingulari matris ſuę Diviq; Joſephi, quod ipſemet præ omnibus curavit matrimonio? cui ipſe ſolus intendit? quod voluit eſſe omnium exemplar? ex quo ipſe proditurus erat? fuit ergo debita inter Mariam & Joſephum proportio.

X. Planè fuit & quidem in omnibus. Primò, in conditione erant enim ambo ex eâdem Tribu, imò ex eâdem Regiâ Davidis familiâ, imò etiam conſanguinei. Secundò, in ætate: hinc illud Iſaiæ cap. 62. v. 5. *Habitabit juvenis cum Virgine*, hoc eſt, ut ait utraque Gloſſa, *Joſeph cum Maria*. Tertiò, in opibus erant enim ambo ditiſſimâ, quam ex mentis opulentiâ elegerunt, paupertate contenti. Quartò, in formâ & ſpecie, ſi enim Maria erat pulchra ut Luna, Joſeph poſt JESUM filium ſuum fuit ſpecioſus formâ præ cæteris filiis hominum, quia JESUS in formâ vultus & habitu corporis debuit ei aſſimilari, ut melius ejus filius æſtimaretur, quod fuit neceſſarium ad tempus.

XI. Quod ſi in his caducis voluit etiam Deus cavere, ut eſſent invicem ſimiles, quantò magis ut eſſent tales in inclinationibus & affectionibus: & ut ex his ad majora trâſeamus quantò magis adhuc in gratiis & prærogativis? tandem quantò ampliùs adhuc in virtutibus: ne verò verba tantùm dediſſe videamur, quamvis hæc ratiocinatio efficaciter concludat, nonnulla etiam iſtorum omnium accipe exempla.

XII. Quoad inclinationes & affectiones, fuit similitudo & proportio in illis ex indole & naturali complexione; fuit ex gratiâ, fuit ex illorum studio: fuit. Maria integritatis carnis amantissima, fuit & Joseph ad eam ita propensus, ut illicò ipsâ suadente, eam cum ipsâ voverit: fuit Mariæ animus à terrenorum affectu liberrimus, fuit & Divi Josephi, cui non fuit difficile Magorum munera in pauperes distribuere, retentâ sibi solâ providentiâ Divinâ. Fuerunt ambo devotissimi, ibant enim ambo per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ, Lucæ cap. 2. & etiam in aliis anni solemnitatibus, ut censent SS. Patres: Ambo mirabantur simul, simul dolebant, simul gaudebant. Mirabantur super his quæ dicebatur de Jesu, dolebant de Jesu amisso, gaudebant de reperto.

XIII. Quoad gratias & prærogativas, fuit Maria prædestinata ut esset Mater Dei, Joseph ut esset illius Pater: Fuit illa præfigurata & prophetizata, similiter & ille: Nata illa ex patribus sterilibus Divino munere, ille genitus ex Patre procedente ad ejus generationem, non ex libidine, sed ex Dei lege: Fuit illa in Conceptione Sancta, hic statim à Conceptione, &c.

XIV. Quoad virtutes, hoc patet ferè ex toto opere, ut tamen uno probemus exemplo, expende quomodo uterque se gesserit in illâ urentissimâ tentatione, quando Virgine cœlitus imprægnata, ignorante mysterium Divo Josepho, cogitabat hic de illâ occultè dimittendâ: ac primò quidem Virginis hoc in casu expende virtutes, postea Josephi.

XV. Primò quæ hujus Sanctissimæ Virginis prudentia, quæ Sponsi tristitiam & dubium perspiciens, causamque sciens, noluit quidquam dicere ejus quod sibi contigerat. *Prudenter reputans*, inquit D. Chrysostomus homil 4. in Matth. *parùm profuturum si Sponso ipsa secretum revelaret, non dixit, quia non existimabat sibi credi à Sponso, & maximè in suspicionem non ex levi causâ adducto.*

XVI. Expende deindè animi fortitudinem, dum cuilibet periculo infamiæ & etiam vitæ maluit se exponere, quàm gratiam sibi à Deo factam, & revelationem viro propalando, vel tantillum ab honesto seu recto deviare.

XVII. Expende etiam in hoc facto ejus justitiam eximiam, dum sic Sponso suo humiliter submissionem deferebat, ut pro hoc ipse contra eam offendi non potuerit, & tamen Deo quod suum erat, scilicet secretum & taciturnitatem non denegaret.

XVIII. Quartò, denique expende ejus hîc temperantiam: & quænam ei similis? suam sic temperavit de Sponsi sui longè amantissimi afflictione teneritudinẽ, ut ne verbum, imò nec signum foras effuderit vel minimùm, intrinseci, quem patiebatur in corde ob ejus inquietudinẽ, doloris. Discurre similiter de ejus hic quoque Fide, Spe, Charitate. Fides in eâ in hoc casu non tepuit cùm non discrediderit de Prole Divinâ quam gestabat, etsi videret Deum permittere Sponsum suum de fidelitate suâ dubitare, quod impedire potuisset: Nonne enim poterat cogitare, etsi ventrem gestaret, illusionem tamen aliquam subesse previæ revelationi, quandoquidem Deus Sponsum suum non relevaret, sed se in ultimum discrimen adduci videret. Sed quid de ejus spe, quam sic firmam hîc habuit, ut certissimè expectaret sibi Deum in illo adfuturum periculo in quo exposita erat: quare nec de se apud Sponsum purgandâ cogitare voluit, sed totam rem Deo fiduciâ plena commisit. Charitatem etiam licet hîc non ita manifestam, non tamen minùs veram: non tantùm quia nihil contra virum, de se omninò innoxia, dubitantem, per iram, aut certè aliquam animi ægritudinem effutiit, sed etiam ex hoc, quod tunc istud de se dubium ob Dei amorem sustinens, & è Cœlo auxilium firmiter expectans, ei tunc maximas à Deo gratias impetrarit, cum quibus ita se gessit in hac anxietate, ut ab eâ meruerit liberari, & in eâ merita sua cumulari supra modum.

XIX. Jam perpendendũ quàm similes sint his hujus Sanctissimi ejus Sponsi virtutes in hoc eodem quem versamus casu.

XX. Primò, quæ major prudentia quàm Divi Josephi, qui etsi ad oculum offensam videret suam, tamen non citò, non illicò, non statim, nó præcipitanter se

se gerit, sed consultè, sed maturè: & quomodò potuisset aut consultius, aut maturius? Hinc Evangelium. *Hæc autem eo cogitante*, in quæ verba Glossa, *Notatur* inquit, *animus Sapientis qui nihil temerè vult incipere.* Iterùm quæ major prudentia quàm Divi Josephi, qui illum modum adinvenit in tam lubricâ occasione, occultè discedendi ab eâ, quo & Virginem non offenderet si esset innoxia, & se interim ab omni noxâ liberaret, si fortè è contra non esset innocens? *Intelligens*, inquit Divus Augustinus serm. de Nativit. *Mariæ uterum gravari turbatur, quod Mariam quam de Templo acceperat, & nondum cognoverat gravidam sentiebat, secumq; æstuabat disputans & dicens: Quid faciam? prodo, aut taceo: si prodidero, ad ulterio non consentio, sed vitium crudelitatis incurro: si tacuero, malo consentio, & cum adulteris portionem meam pono: quoniam ergo tacere malum est, adulterium prodere pejus dimittam eam.*

XXI. Ac si fortitudinem consideras, quæ major? cùm ut ab honesto ne discederet, sic se temperavit, ut non solum nihil foris extrancis prodoret, sed nec etiam domi, sic mansuetè se gerens, ut nec ipsi uxori, quæ apparebat culpabilis, verbum illum, multò minus durum, diceret: unde pulchrè D. Chrysostomus Homil. 4. in Matthæum paulò ante med. in supradicta Evangelii verba: *Hæc autem eo cogitante notatur*, inquit, *mansuetudo Joseph, quia nulli narravit suam suspicionem, neque ei quæ suspecta erat, sed in se cogitabat.*

XXII. De Justitiâ verò patet, quia ex hoc ipso eum vocat justum sacer Evangelista dicens, *Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere voluit occultè dimittere eam.*

XXIII. Quod si de temperantiâ sit sermo & de mansuetudine, quænam fuit major quam D. Josephi in hoc casu? Certè scisciter ubi ulla unquam fuit major amaritudinis occasio. Nulla ergo mansuetudo major, & ita de reliquis virtutibus: fuit ergo verè Joseph adjutorium Mariæ simile sibi.

XXIV. Quod cum ita sit, expende nunc magnitudinem gratiarum, prærogativarum, & virtutum Sanctissimi Josephi, eamque invenies omnem superare captum humanum; adjutorium enim simile debebat esse Dei Genitrici, *seu secundùm ipsam*, quare & simile in gratiis & virtutibus: sed quales hæ erunt? quid dicam? Sanctus ob hoc Divus Joseph quantum Beata Virgo, non quidem, sed ad instar illius. sed secundus ab illâ *seu secundùm ipsam*, cui nullus æquiparandus, tantùm abest ut præferendus.

Et certè inquit D. Bernardinus Senensis tom. 3. ser. de S. Josepho art. 2. c. 1. XXV. *Quomodò cogitare potest mens discreta, quod Spiritus sanctus tantâ unione (conjugii scilicet) uniret menti tantæ Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? unde credo Joseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione, &c. ut esset adjutorium simile Virgini*, seu secundum ipsam.

Eodem modo de eruditione ita pietate insignis vir Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis Serm. de Nativit. B. V. Decuit, inquit, ut Maria tantâ puritate niteret quâ nulla sub Deo major queat intelligi, ut Sanctus Anselmus ait, ita decuit ut Joseph tantâ prærogativâ polleret, quæ similitudinem & convenientiam exprimeret talis Sponsi ad talem Sponsam, de quâ natus est JESUS qui vocatus est Christus & ut potest intelligi ex Matthæi cap. 1. Beatissimus Joseph fuit super omnes homines purus, similis Virgini gloriosæ. XXVI.

## SECTIO II.

### *De eorum Amore.*

INter omnes amicitiæ amores conjugalem esse summum & excellentissimum, cui proinde cæteri primas cedere debent, sententia est Aristotelis lib. 2. Ethic. cap. 2. & omnium Philosophorum. Adeò perfectum esse hunc amorem constat Theologis & divinis Scripturis, ut cum amore proprio sui ipsius, non tam contendere, quàm unà ire videatur: quare cum Deus in reliquis animalium speciebus marem & fœminam seorsim cõdiderit, XXVII.

in

in humanâ specie tamen non sic, sed ex viro mulierem fabricavit, ut per hoc disceret homo, mulierem à se, ut partem sui, diligendam. Sed clarius & expressius Apostolus ad Ephes. c. 5. Qui uxorem suam diligit seipsum diligit, quia nimirùm vir & uxor sunt duo in carne unâ: unde D. Thomas in Commentariis in hunc locum Apostoli, infert odium in Conjugem esse contra naturam, & peccatum ejusdem speciei cum odio sui ipsius, quod est tantùm hominum perditorum, & desperatorum.

XXVIII Quare cùm amicitia ut sic, hoc est generaliter loquendo, docente Petro Blesensi Tract. de Amicitiâ, qui extat Tom. 12. Biblioth. Magnæ SS. Patrum part 2. *Sit quædam vita hominum, sine quâ nullum est vitæ humanæ solatium*, quid esset conjugium sine illâ, nisi infausta catena, quâ duo remiges miserè colligantur, ut ab invicem torqueantur, & simul tabescant? Sed cum eodem Blesensi attestante ibidem paulò ante verba jam citata: *Amicitia sit divitibus pro gloriâ, pauperibus pro censu, exulibus pro Patriâ, imbecillibus pro virtute, ægrotis pro medicinâ*: quid ergo efficiet conjugalis quæ inter omnes amicitias est summa?

XXIX. Cùm ergo amor conjugalis, qui inter omnes amicitiæ amores est primus, tantùm conferat ad conjugiorum fœlicitatem: videndum quantus fuerit Mariæ & Josephi amor, & quam fœlix fuerit eorum conjugium aliquo usque postea conjicere valeamus. Summum verò illum fuisse, & talẽ cui nullus unquam similis, quis inficiabitur? sed accipe hujusce veritatis argumenta locupletissima.

XXX. Perfectio amoris conjugalis altius erigi non potuit, quàm quo illam erexit Apostolus ad Ephes. cap. 5. dicens: *Viri diligite uxores vestras sicut Christus Ecclesiam*, cujus proinde reciprocum erit, ut uxores viros suos diligant sicut Ecclesia Christum. Scopum ad quem conjuges in amore suo collimare debent ita erigere voluit Magnus Doctor gentium, non quod fieri posse putarit ut eo unquam pertingerent; sed voluit ut amorem suum quantùm possent intenderent, ut hâc ratione saltem eò ille perveniret, quo debet: sciebat quippe quod quantumvis intentionem suam erigerent, fore ut ex humanâ infirmitate satis remitteretur, atque nimis sæpè etiam infrà id quod sibi invicem debent caderet.

Perfectior est ergo ille Conjugum XXXI amor, non qui omninò similis est ei quo Christus & Ecclesia se invicem prosequuti sunt, sed qui propius ad illum accedit: nullus verò ad illum Christi & Ecclesiæ amorem ita prope accessit ut Josephi & Mariæ: hoc enim huic sacro Conjugio Deus debebat & concessum est: quod ut videas & fateare, tria observanda in amore Christi ad Ecclesiam, & Ecclesiæ ad Christum. Primò, ejus puritas: Secundò, firmitas: Tertiò, effectus: In quibus omnibus nullus amor ita accessit ad istum Christi & Ecclesiæ amorem, ut amor Josephi & Mariæ reciprocus. Singula videamus.

Primò, quàm purus ille amor quem XXXII Deus ut hujus author Conjugii de suo accendit! quàm purus ille amor quem non in carne sed in spiritu uterque consummavit! quàm purus ille amor utrimque infusus spiritui licet carni inserto, carni tamen sine carne, ut ita loquar, id est sine fomite, & undequaque sanctæ, à quâ proindè corrumpi spiritus vel amor, aut inficì minimè potuit! quàm purus denique amor quo hæc meruit esse Mater, ille Pater, Domesticus, Bajulus, & Nutritius Agni Immaculati!

Fuit Deus singulariter Author con- XXXIII jugii Adæ & Evæ, quare etiam illis implantavit amorem istum mutuum, ut eximium, ita purissimum. An non eximius ille amor quem aquæ multæ nec flamma ipsa obruere potuerunt? Quid enim? nisi fuisset eximius ille amor in Conjugem quem Deus in primi pectore parentis Adæ accenderat, an post peccatum, ad quod illa eum induxerat, potuisset adhuc illam in suis oculis sustinere? Cùm recordatus fuisset ex illius persuasione provenire, quod paradiso expulsus esset in terram laboris, quod cœli favoribus exutus in tam fœdam omnium miseriarum sentinam decidisset, nonne molestia quam ex hac recordatione passus fuisset, tantùm illius

illius odium & horrorem ei inuſſiſſet, ut eam amplius ferre non potuiſſet? an illam deinceps aſpexiſſet niſi ut funeſtum Tartari Titionem? ut cauſam ſuæ maledictionis abominandam? Quare Deus qui hanc prævidebat offenſam ſeu indignationis occaſionem, & quod niſi ſeriò & ſummè præcaveret, nunquam ſiſteretur odium ex recordatione tam funeſti eventus enaſciturum, eum ita fortiter illius amori illigavit, quod quidquid deinceps accideret, odiſſe minimè poſſet, & nonne etiam poſt iſtum ſuum à tantâ fœlicitate lapſum, ejus adhuc quaſi cœcus amore, eam vocat Matrem viventium, quæ morientium potius merebatur appellari? nec dubitandum in Evâ erga virum amorem fuiſſe reciprocum & ſimilem.

XXXIV. Sed ut ille amor primis parentibus à Deo conjugii illorum authore impreſſus eximius, ita etiam puriſſimus. Vis & illud videre? generationi quidem illi in eo ſtatu, in quo Deus illos conjunxerat ſi manſiſſent, vacaturi erant? ſed quomodò? omninò ſine libidine, & ex ſolo rationis ductu & imperio, ita docent Theologi: quàm pura ergo illorum conjunctio! quàm purus illorum amor! ſed quantus ille ſi cum amore Joſephi & Mariæ comparetur? attende.

XXXV. Quàm magnus ille caſus quod Virgo recenter nupta Joſepho, *antequam convenirent inventa ſit in utero habens*? Quis poſſet unquam in conjugio contingere atrocior viro? ſed quid viro ſtatim à contractis nuptiis quando amor maximè fervet? quid denique viro quem ipſa induxerat, ut à ſe continere vellet? certè ſanctus Henricus Imperator è domo Bavaricâ, licet Sanctus, poſt multos annos probatæ converſationis, ſine ullâ vel minimâ apparentiâ, ſed neſcio quâ tentatione, in ſuſpicionem fidelitatis ſuæ Conjugis Sanctæ Cunegundis adductus, quantumvis conaretur quietari, non potuit niſi poſtquam illa Deo inſpirante, in teſtimonium innocentiæ ſuæ ſuper candente ferro longurio nudis pedibus ad quindecim paſſus nihil uſtulata ambulavit ingenti prodigio. Quam major hic caſus imprægnationis Mariæ certiſſimè & evidenter apparentis, quam ſe non cognoviſſe ſciebat? Quam ergo fuit D. Joſepho cœleſtis Myſterii, quod in eâ Deus operatus fuerat, minimè conſcio gravis? an ille tamen tantus quantus eſt ejus extinxit amorem? imò ne verbum quidem quod illam contriſtare potuiſſet extorquere potuit. Sed an minuit ardorem? è contra tùm primum ſenſit quantum illam amabat, quando vidit eam ſibi relinquendam: ſed quantumvis eam amaret, prius tamen Deum: & ideò nec illi nocere voluit eam traducendo, quia eam amabat: nec Deum offendere cum illâ manendo quamvis doleret, quia Deum præ illâ diligebat. O quam magnus amor! ſed quam juſtus, quam ordinatus amor!

Vis jam videre quàm purus ille XXXVI.
amor? audi non me ſed D. Auguſtinum tom. 10. ſerm. 63. de diverſis cap. 6. ad finem, ubi verſans illa verba: *Voluit occultè dimittere eam*, ita loquitur. *Turbatur quidem maritus, ſed non ſævit juſtus: tanta enim juſtitia tribuitur huic viro, ut nec vellet habere adulteram nec auderet punire vulgatam. Voluit eam, inquit, occultè dimittere, quia non ſolùm eam punire noluit, ſed nec prodere: Attendite ſinceram juſtitiam: Non enim propterea parcere volebat, quod habere cupiebat: Multi enim amore carnali adulteris uxoribus parcunt, volentes eas & adulteras habere, ut eis per carnalem concupiſcentiam perfruantur: Hic autem vir virtuoſus habere eam non vult, ergo non carnaliter diligit. Et tamen non vult punire, ergo miſericorditer parcit. Qualis hic juſtus eſt? nec tenet adulteram, nec propterea parcere videtur, quia libidinosè diligeret: & tamen nec punit, nec prodit: meritò planè teſtis electus eſt virginitatis uxoris. Qui ergo humanâ infirmitate turbabatur, divinâ authoritate firmatus eſt.*

Vis iterum videre quàm purus ille XXXVII.
amor? quis vir caſtius dilexit uxorem quàm Joſeph Mariam? an in eo, etiam cum tanta eſſet anſa, fuit zelotypia? Quæ uxor virum amavit purius quam Maria ſuum Joſephum? nonne illa eum ad vovendam carnis integritatem incitavit? an ſi Maria cum Angelo, licet ſine corpore, purius converſata fuiſſet?

purius convixisset ? purius tractasset ? purius locuta fuisset quàm cum suo Josepho ?

XXXVIII. Sed quid firmius hoc amore ? fuit ex fonte purissimo, Deo scilicet derivatus : fuit totus in spiritu : & ideò quod non habuerunt in carne, auctum eis fuit in spiritu : fuit ergo ut eximius & purissimus : ita & firmissimus : quis enim nescit vinculum spiritus esse longe fortius vinculo carnis ? nonne scriptum est digito Dei ; *Spiritus promptus est, caro autem infirma* ?

XXXIX. Non parùm juvabit ad illustrandum & commendandum hunc D. Josephi & Deiparæ singularem amorem adducere exemplum, quod nisi author omni exceptione major D. Gregorius Turonensis referret lib. de Gloriâ Confess. cap. 42. incredibile videretur, de duobus conjugibus, qui se etiam mortui in sepulchro invicem complexi sunt : defuncto quodam Hilario viro Senatorio, anno vertente obiit & uxor; quæ cùm eodem tumulo quo ille utpote satis capaci conderetur, subitò elevatâ vir dexterâ conjugis cervicem amplexus est, quod admirans populus, depositò secessit operculo, cognovitque quæ eis castitas ? quis timor in Domino ? quæ etiam inter ipsos dilectio fuisset in sęculo qui se ita amplexi sunt in sepulchro.

XL. Huic subnecto & alterum non minori admiratione dignum par conjugum apud Arvernos ex eodem Divo Gregorio Turonensi ibidem cap. 32. & Ferrando de reliquiis pag. 427. qui exemplo Mariæ & Josephi conjuncti conjugio, non coitu ; non sunt ab alterutro in voluptate carnali polluti. Mortuâ uxore post multos annos castissimæ vitæ, & ille non multò post migravit à sæculo, sepultusque est in loco suo. Porrò cum utriusque sepulchrum è diversis parietibus collocatum fuisset, & viri quidem ad meridiem, alterum autem ad Septentrionem : miraculi novitas, quæ eorum castitatem manifestaret, apparuit : nam manè facto, cum ad locum populi accederent, invenerunt sepulchra pariter, quæ inter se distare reliquerant ; scilicet ut quos tenet socios Cœlum, sepultorum hîc corporum non separet monumentum. Hos usque hodie *Duos Amantes* vocitare incolæ loci voluerunt, eosque summo venerantur honore, quid firmius isto amore qui adhuc post fata durat ?

An D. Josephus & Deipara minus XLI. dilexerunt se quam illi ? dubitas ? dubium depone : nonne enim post mortem se invicem cõplectuntur ? an eos ab invicem mors separavit ? nequaquam : simul enim sunt in corpore & animâ in cœlo. Vide hujus asserti argumenta infra part. 2. Tract. 1. cap. 5. cui & hoc exemplum suffragatur cùm sit divinum : nimirùm glorioſi hi Principes terræ quomodò in vitâ suâ dilexerunt se, ita & post mortem non sunt ab invicem nec corpore nec animâ separati.

Tandem quoad effectus, quis in his XLII. iterùm Divum antecessit Josephum ? quis maritus plura fecit pro uxore, aut pertulit quàm ille ? taceo labores pro eâ & ejus prole exanthlatos, sileo ejus sudores, sollicitudines, peregrinationes, &c. Nonne ut sponsæ suæ inclinationibus se conformaret & aptaret ; etiam in votum castitatis, seu continentiam, inter conjuges tam arduam, & eo usque inauditam consensit ? qualis iste amor ! nonne pro eâ vagus esse elegit, & peregrinus super terram, ne eam cum dedecore propalare teneretur ?

Mirantur multi nec immeritò amo- XLIII. rem cujusdam rustici Neapolitani erga conjugem, de quo fusè P. Cordier libro cui titulus Gallicè, *La Famille Sainte*, part. 1. cap. 3. § 1. ex Joviano Pontano lib. 3. de *obedientiâ*, cap. 4. quem eo libentiùs huc adduco, quo jucundius erit illud videre in personâ tam vili & abjectâ, à quâ nihil simile sperandum videbatur.

Itaque Barbariæ Piratæ excurrentes XLIV. ad prædam, descenderunt in ejus Regionem, quando ipse in agro æstate metebat : Ut ibi calores solent esse tunc maximi, suæ conjugi fortè spicilegium agenti, fecerat facultatem umbram ut quæreret alicujus arboris vel sæpis è vicinià, quâ inventâ, ibi stetit aliquamdiu mulier, sed malo suo ; in manus namque Piratarum istorum incidit, qui eam triremibus impositam in captivitatem abduxerunt. Facto aliquo temporis intervallo, cum omnes circumquàque à facie Piratarum fugerent

fugerent, nec illam ad se reverti videret rusticus, cœpit suspicari quod verum erat, eam ab illis captam & abducendam: hinc lachrymari, flere, gemitibus ac suspiriis aërem implere, exclamare, ah conjux amantissima, deliciæ meæ, animula mea, ubi es modò? quomodò te amisi? ubi te inveniam? cumque se sine illa vivere non posse crederet, statuit tandem apud se, vel cum eâ captivus vivere, vel eam recuperare; & libertati asserere. Postquam ergo hinc inde de eâ inquirendo discurrisset, minimèque reperisset, ad littus tandem perveniens vidit inde Triremes ad anchoram, nihilq; cunctatus existimans illam certissimè ibi esse, mari se commisit, atque ad illas enatavit, quas ubi attigit, causam quæ ipsum eò adduxerat aperit. Cui Barbari funem protendunt, ut per eum in navim conscendat. Hic ad gubernatoris pedes provolutus rusticus, Domine, inquit, vides ad pedes tuos omnium maritorum infaustissimum pro uxore suâ supplicabundum. Expertus maris clementiam, quod ad te mihi aditum concesserit, de tuâ desperare non possum. Nec tamè illius libertatem depoſco nisi velis (non mihi supperit unde illam redimere possim) sed tantùm ut cum illâ mihi vivere liceat sive liber sive captivus. A die quâ illam despondi, promisi eam me servaturum sicut me ipsum, nec unquam derelicturum, sed cum eâ seu mala seu bona patiturum: Sacramento teneor, vel igitur illam mihi redde, vel si magis placet, me cum illa constringe; mihi acceptius erit cum eâ pati, immò & mori, quam sine eâ vivere. His rustici verbis, melius dicam, hoc miro & stupendo amoris prodigio commotus gubernator, Respondet non ei esse liberum suam ei uxorem reddere; Tunitii Regem, cui militabat, audiendum: interim bono animo esse jubet, spondens se in ejus favorem Regi locuturum: Quo responso contentus rusticus, cui sufficiebat cum prædilectâ uxore posse vivere, Tunitium appellunt, exonerantur rates, prædaque educitur: dum ad captivos ventum, ecce meus rusticus cum uxore Regi præsentatur, hæc, ut mancipium; ille, ut captivus voluntarius: factum ejus narratur, quod cum voluptate excepit Rex barbarus, miratusque tantam in tam vili personâ virtutem quamvis ad mortem Christianos odio prosequeretur, eum uxoremque ejus in libertatem asseruit, oblato etiam illi ut eum apud se retineret in domo suâ, officio & stipendio non exiguo.

LXV. Quantus ille ignis, quam firmus iste amor, qui in istius pectore rustici arsit? qui omnia pericula maris, captivitatis incommoda nihili fecit, ne ab animæ dimidio suæ avelleretur: sed quis ille si cum amore Divi Josephi erga Beatissimam Virginem conjugem suam longè charissimam comparetur? iste enim Rusticus se quidem in captivitatem tradidit pro dilecta sua uxore, sed in ipsa captivitate suâ solatium & satisfactionem quærebat, & inveniebat de illius præsentiâ, molestiâ captivitatis longè majorem: At D. Josephus dum Mariam suavissimam conjugẽ suam inventam gravidam occultè dimittere voluit, utique pro ejus intimâ dilectione (ne scilicet eam traducere deberet) exilio se condemnavit; (hoc enim sonant ista verba: *Voluit occultè dimittere eam,*) in eo longè adhuc majus supplicium & separatione ab eâ quæ in oculis ejus tam gratiosè lucebat, experturus. Iste omninò sperabat se obtenturum suam suæque uxoris libertatem; Joseph nihil nisi perpetuum exilium, separationem morte acerbiorem perpetuam: iste movebatur ab amore carnali; Joseph nonnisi ex amore spirituali: quanta ergo inter utrumque differentia?

XLVI. Sed quantùm iste amor crevit? quantùm auctus est utrimque in hâc occasione? ex parte Divi Josephi quidem, quando post talem anxietatem, cœlitus didicit suam uxorem esse Deo gravidam, & se per illam, patrem tantæ prolis omniumque mortalium fœlicissimum? quo putas illam deinceps aspexit oculo? quo in honore, pretio, & amore habuit? qui ante pro eâ exulare paratus erat, an non post etiam mori paratus fuisset?

XLVII. Ex parte etiam Sanctissimæ Virginis: nonne enim mulieres pudicæ sic honorem, sic æstimant pudorem, ut mallent potius quodvis subire vitæ discrimẽ quàm ejus vel minimum nævum

incurrere? graviusque putent hujus damnum quam illius? quod cum sit attende ergo quantum sanctissima Virgo debuerit Divo Josepho? quantùm illi se senserit obstrictam, dum prima inter pudicas, verecundissima inter omnes verecundas, ei illud debuit quod supra ipsam æstimabat vitam, scilicet pudoris famam? quales ergo dilectionis flammas erga Sanctissimum maritum putamus in Virgine excitasse illud, scilicet quod viderit se ab eo ita dilectam, ut cum posset illam traducere, idest propalare (quamvis nihil timeret) non fecerit tamen, sed potius elegerit exulare & vagus esse super terram cum tantâ molestiâ & amaritudine?

LXVIII Quinque amoris amicitiæ (qui in conjugibus summis esse debet ut diximus) enumerat effectus D. Thomas secundâ secundæ quæst. 25. art. 7. in corpore ex Aristole 9. Ethic. cap. 4. *Unusquisque amicus*, inquit, *primò, quidem vult suum amicum esse & vivere: Secundò, vult ei bona: Tertiò, operatur bona ad ipsum: Quartò, convivit ei delectabiliter: Quintò, concordat cum ipso quasi cum eodem delectatus & contristatus.* Ex his quinque tres primos fuisse eminentissimè in D. Josepho respectu suæ lectissimæ conjugis clarum est ex dictis. An non enim illam voluit esse & vivere, pro quâ ut ne propalaretur, & vel minimum periclitaretur, voluit ipse in perpetuum exulare? an non ei bona voluit, pro quâ adeò semper sollicitus fuit? de cujus bonis & exaltatione ut de suis semper gavisus est? an non operatus est bona ad ipsam, pro pro quâ de facto exulavit in Ægypto? quam in exilium comitatus est? pro quâ laboravit, sudavit, cujus virginitatem, famam, &c. custodivit? In quibus an putas Virginem passam se ab amantissimo suo in amore superari? quis unquam in hoc dubium consentiet? Itaque de duobus ultimis effectibus restat videndum.

XLIX. Convivunt ex Divo Thomâ & Aristotele amici, & maximè boni conjuges, delectabiliter: sed qui sic ut Joseph & Maria? hinc cum Beata Virgo inventa esset habens in utero antequam convenissent, eaque idcircò ab eo mysterii, quod in eâ Deus mirabiliter operatus fuerat minimè conscio, esset dimittenda, ne peccaret vel eam traducendo, vel cum eâ manendo, quanta utrimque pœna? quanta molestia? quantus dolor? adglutinatæ erant perfectæ duæ istæ animæ si ullæ unquam, quàm ergo dura, quàm sensibilis futurat erat Divo Josepho ista separatio? & quam illi triste de eâ cogitare! proh Deus immortalis, inquiebat, quomodo conversa est in luctum cithara mea? quomodo subito evanuit omne gaudium meum? quomodo Sol meus mihi obtenebratus est? ah me miserum! quandoquidem ab illâ avellor quæ tamen gratiosè lucebat in oculis meis. Quid? ergone oportet me Mariam relinquere? me sponsam dimittere? sponsam adeò amabilem & mihi charam? ô durum casum! ô eventum acerbum! quod mihi vivendum & sine illâ vivendum in quâ totum vitæ meæ bonum. O munde sine requie! ô Maria! ô quàm angor, & ut maneam tecum, & ut te deseram! qui tuæ suavissimæ præsentiæ assuetus est quomodo ille poterit tuum scribere repudium? ô sponsa! ô dilecta mea! cujus hoc aggredietur manus? saltem non erit mea, non erit manus hujus tui infœliciſſimi sponsi, qui se semper tam beatum in tuo reputabat convictu: nam etsi à te recedo, te tamen diligo: ergo ut peregrinus abeo, ut vagus & confusus per orbem oberrabo: Malo enim meo gustui detractum & voluptati, quam aut Deum offendere, aut tuam reputationem lædere: hæc vel similia D. Josephus apud se. Si cum eâ non vixisset delectabilissimè, an ex solâ separationis cogitatione ita excruciatus fuisset? & tantam passus fuisset suarum cogitationum lanienam?

L Quod si tunc cum eam simpliciter ut uxorem suam respiciebat nec quidquam altius de eâ cogitabat, ita delectabiliter convivebat, quam putas delectabiliter convixit, cùm ab Angelo divinitus confortatus didicit illam ipsam suam uxorem in oculis suis tam gratiosam, esse ipsissimam Summi Dei Matrem & parentem?

LI Video aliquod hujus rei indicium in Evangelio, in eo scilicet quod vix unquam

quam unus, quoad uterque vixit, sine altero deprehendatur: ita nimirùm convictu mutuo delectabantur, ut nec vel tantillum ab invicem disjungi possent, aut alterutrius absentiam ferre: hinc simul in Montana Judeæ ad salutationem Elizabeth ascendisse censent quàm plurimi Doctores & Interpretes, inter quos noster Sylveira in Evangelia: non enim videtur statim à contractis nuptiis eam tunc solam dimittere potuisse: Sed ut indubitata proferamus, cum omnes irent ut profiterentur singuli in Civitatem suam, ascenderunt uterque in Bethleem, quamvis ad id non tenerentur fœminæ: Hinc Pastores invenerunt Mariam & Joseph & infantem positum in præsepio: hinc postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, tulerunt uterque simul JESUM in Jerusalem, ut sisterent eum Domino: Hinc, ut perfecerunt omnia secundùm legem, reversi sunt simul in Galilæam in Civitatem suam Nazareth: hinc, ibant uterque simul per singulos annos in Jerusalem in solemni die Paschæ; & juxta plurimos Interpretes in omnibus anni festivitatibus: hinc, simul pergunt in Ægyptum, ut puerum eriperent de manu impii Herodis: hinc, simul ibi manserunt usque ad ejusdem Herodis obitum: hinc, eo mortuo, simul inde reversi in terram Israël: hinc, audito quod ibi Archelaus filius Herodis regnaret pro eo, simul secesserunt in partes Galileæ.

LII. Verbo uno ita sibi adhærent ubique Joseph & Maria, ut vix de Josepho loquatur Scriptura, quin etiam loquatur de Mariâ, *Iacob autem genuit Ioseph Virum Mariæ. Cùm esset desponsata Mater IESV Maria Ioseph, &c. Ioseph autem vir ejus, &c. Ioseph fili David noli timere accipere Mariam, &c. erant Pater IESV & Mater mirantes super his. &c.* Et alia eodem modo frequentissimè: ita nimirùm adglutinatus erat Divus Joseph, dilectæ sponsæ suæ, ut nec sine illâ esse, nec sine illâ queat nominari. Quoad quintum effectum amoris quod scilicet concordat cum amico quasi cum eodem delectatus & contristatus, argumentum est sequentis Sectionis.

## SECTIO III.

### *De eorum concordiâ, consensione & unanimitate.*

MAtrimonii fœlicitas, quæ inchoatur in Conjugum ad invicem similitudine & proportione, crescitque & augmentum capit ex mutuo & reciproco eorum amore, omnino absolvitur, perficitur, & consummatur in hâc eorum concordiâ, consensione, & unanimitate, secundùm quam idem est utriusque Conjugis in omnibus sentire, idem quoque & velle. LIII.

De hâc concordiâ loquens ex æternæ sensu sapientiæ Syracides Ecclesiastic. cap 25 vers. 1. & 2. *In tribus*, inquit, *placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes.* Ubi nota illud *benè sibi consentientes*, per quod inquit noster Robertus Ivorius Anglus in suis Commentariis in hunc locum, indicat scriptura qualis sit illa Conjugum concordia quæ Deo probata est, nimirùm concordia & consensio in bono; hoc enim vult istud, *sibi bene consentientes*, nam si vir vel uxor ad malum provocat, & hic vel illa consentiat, non sibi benè consentiunt: *Qui enim non odit patrem & matrem & uxorem*, inquit Christus Matth. cap. 10. utique in hoc casu, *non potest meus esse discipulus.* LIV.

Licet porrò hoc ita esse indubitatum sit propter istius Scripturæ authoritatem, & quia naturali lumine notum: amplius tamen manifestare voluit eadē Divina Sapientia, quando ipsa carnem assumptura humanam, non eam ex Virgine simpliciter sumere voluit, sed ex Virgine conjugatâ, & pacatissimè cum optimo sponso convivente: adeò verum est, & nullibi quantùm hîc, quod ubi fuerint duo vel tres consentientes congregati in nomine Dei, ibi sit Deus in medio eorum Matth. c. 10. vers. 19. & 20. LV.

Sed ut ex hoc manifestè constat castam Conjugum consensionem Deo summè placere; ita ex eodem eam LVI.

quoque Deiparæ & Sanctissimi Joseph Conjugum incomparabilium consensionem summam fuisse manifestissimum est, utpote quæ Deo ita placuit, placereque tanto argumento demonstravit.

LVII. Quod ut amplius assequare, attende primo divinam istam prolem quæ ex eorum sacro prodiit Conjugio. Quis nescit in aliis conjugiis prolem esse maximum & præcipuum conjugum nexum & unionem, in quâ sunt propriè duo in carne unâ, & in quam tendit eorum amor & conjunctio ut in finem, quem si non assequuntur vacillant semper & turbantur sæpè, tristes sunt ut plurimùm & inquieti: sed quantumcumque ante prolem triste fuerit conjugium, si ex eâ proles prodit serenitatem advehit & gaudium, amorem firmat & pacem, deincepsque qui ante vix se poterant amare jucundè & pacificè convivunt. Sed quid hæ terrenæ proles ad illam divinam quæ Mariæ & Josepho obtigit, & obtigit tam divino modo? Præterquâ quod aliter hęc unanimitatem istam causat in eorum conjugio, quàm illæ in aliis, nempè ut causa efficiens sine quâ nulla usquam pax aut concordia: Deus enim est *qui inhabitare facit unius moris in domo*, psal. 67. vers. 7. quantus ergo ille amor? quantus nexus? quanta unio? quanta concordia? quanta unanimitas?

LVIII. Attende secundò, pulchram horum trium, ex quibus tota coalescit matrimonii fœlicitas, similitudinis scilicet, amoris, & consensionis, commissuram: similitudo quippe ista, cum sit conformitas & similitudo inter conjuges secundum qualitates virtutes & habitus, uti diximus Sectione primâ, quid est nisi concordia, consensio, & unanimitas inchoata & in actu primo? quid verò hæc consensio secundùm quam idem de facto sentiunt, & volunt conjuges, nisi ista conformitas, & similitudo perfecta & in actu secundo? amor verò medius est inter istam similitudinem & inter consensionem, quia nec se amare possent si dissimiles essent, & si non se amarent, nec inter se concordiam & unanimitatem habere, idemne sentire, & velle possent? Itaque amor nascitur ex similitudine, & ex eâ natus efficit consensionem & unanimitatem. Cùm ergo tam justa sit & tam perfecta inter hæc tria commissura; oportet etiam ut inter illa sit accurata proportio: quare quo major erit inter illos similitudo, & proportio, eò & illorum amor erit major, & quantus amor, tanta & concordia, consensio, & unanimitas. Ex quo infero: cum ex dictis in duabus præcedentibus sectionibus, fuerit summa inter Deiparam & D. Josephum similitudo, conformitas, & proportio; & inde summus eorum amor: consequenter fuit & inter eos summa concordia, consensio summa, summaque unanimitas.

Sed hanc veritatem tantâ ratione firmatam, ab effectibus iterum probemus ad conjugatorum institutionem. Hæc concordia quid est nisi ordo inter conjuges, secundùm quem uxor & ratione & sponte viro tanquam capiti suo se submittit, & vicissim vir mulieri honorem defert tanquam consorti, eique quantum potest cedit & complacere studet? *Pax domestica*, inquit Divus Augustinus in sententiis num. 163, *est ordinata cohabitantium imperantii, obediendiq; concordia: imperant enim qui consulunt, sicut vir uxori, parentes filiis, Domini servis, obediunt autem quibus consulitur, sicut mulieres maritis, filii parentibus, servi dominis.* Adstipulantur D. Joannes Chrysostomus homil. 10. in epist. ad Colos. *Virorum*, inquit, *est diligere, obtemperare uxorum: si quisque quod se decet attulerit ac præstiterit & firma persistent omnia. vir si diligat, uxor quoque ex eo reddetur amica: uxor si subdita sit, reddetur ex eo vir mansuetus*, & D. Ambrosius lib 3. epist. 25. ad Eccles. Vercellens. sub finem: *Mulier*, inquit, *viro deferat non serviat, regendam se præbeat non coercendam, indigna est conjugio quæ digna est jurgio: vir quoque uxorem tanquam gubernator dirigat, tanquam consortem vitæ honoret, participet ut cohæredi gratiæ.*

At ubi hæc magis quàm inter D. Josephum & Deiparam? de hujus ad illum subjectione, vide à nobis dicenda cap. seq. sect. 2. à num. 14. usque ad 19. quoad D. Josephum verò habuit authoritatem in Beatam Virginem ut ejus sponsus & maritus, eâ se sponte ac lubentissimè

bentissimè ei subjiciente: sed quomodo eâ usus est? attendant hoc benè mariti: putatisne ipsum ei unquam imperitasse? ipsum unquam ei duriusculè locutum? absit, qui tam mitis fuit & moderatus dum eam vidit impræg-natam, & nesciens esse de Deo, ut ne verbum aut nutum qui eam contristare posset protulerit; quando eam Matrem Dei esse cognovit quomodo quæso illam suspexit? cum quantâ observantiâ, honore, & reverentiâ erga illam se gessit? Hujus aliquale vestigium accipe ex ipso Evangelio: JESU enim duodenni amisso eoque post tres dies in tẽplo & inter Doctores reperto. Virgo sola, utriusq; tamen nomine ad eum locuta est dicens: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Nihil ipse licet ipsius curæ commissus esset cœlitus, licet Pater esset & caput familiæ, licet pro eo alẽdo laboraret & sudaret, sibi propterea arrogavit, sed per reverentiam & summã modestiam sponsæ suæ ut quæ eum de se genuerat, reliquit existimans ex modestiâ prorsus admirabili non sibi licere quod matri: sed vicissim Virgo ipso ex humilitate & deferentiâ tacente, filium interpellans, Josephum sibi anteponit dicens: *Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Hinc S. August. serm. 63 sæpius cit. cap. 11. *Nec se marito in ordine nominis præferat, ut diceret ego & Pater tuus, sed Pater tuus & ego; non attendit uteri sui dignitatem, sed attendit ordinem conjugalem.* O mirum humilitatis utriusque certamen! sic fortis impegit in fortem & ambo pariter ceciderunt, ubi ergo hæc, quid mirum si pax tanta, si tanta concordia, si tanta consensio?

LXI. Sed alia adhuc accipe hujus consensionis ab effectibus argumenta: unde inter conjuges jurgia & discordiæ? nonne ex eo quod aliud vult uxor, aliud maritus? hinc illud Terentii in Eunuch.

*Novi ingenium mulierum.*
*Nolunt ubi velis, ubi non velis cupiunt ultro.*

Sed in his sacris conjugibus Mariâ & Josepho quam eorum sentire, & velle, cogitationes, studia, desideria, vota erant unita? licet unum fuisset cor amborum anima una, non potuissent esse magis: hinc simul mirabantur, simul dolebant, simul gaudebant. Erant Pater JESU & Mater mirantes super his quę dicebantur de illo, Lucæ cap. 2. Ecce admirationem communem & simultaneam. *Fili quid fecisti nobis sic? ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Ecce dolorem communem de amissione pueri, & communem sollicitudinem & diligentiam ad eum requirendum, desiderium commnne ad eum recuperandum, consequenter & commune gaudium de ejus inventione. *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ,* & iterùm: *Cum factus esset JESVS annorum duodecim ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi:* ecce communem utriusque devotionem.

Sed accipe majora: nonne D. Josephus ut Virgini pudicissimæ se conformaret vovit castitatem? vel, etsi hoc nolles, servavit illam totis triginta annis quibus ei convixit? nonne ditissimam spiritus paupertatem cum eâ amplexatus est? quæ quam ardua sint, & tunc rara essent, nemo est qui non sciat: meritò proinde Abbas Rupertus lib. de Glor. filii hominis. *O conjugium verum & sanctum! Conjugium cœleste non terrenum! quomodo enim vel in quo conjugati fuerunt? nimirum in eo quod unus spiritus, & una fides erant in eis, sola illic desivit corruptio carnis. Propterea verissimè dixit Apostolus,* quia primus homo de terrâ terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis: *Non quod iste JESVS Christus, qui ex Mariâ natus est, de cælo cum carne venerit; & per Mariam quasi per fistulam transierit, sicut quidam dixerunt hæretici. sed quod conjugum vita sive conjunctio tota fuerit cœlestis, & Spiritus Sanctus amborum conjugalis amor in ambobus præsidens.* LXII.

Quare liceat mihi his ea attexere quæ gravissimus Tertullianus lib. 2. ad uxorem in fine scribit in laudem matrimonii Christianorum in eâdem fide & religione concordantium, his verbis: *Unde sufficiam ad enarrandam fœlicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renunciant, Pater rato habet? Quale jugum fidelium duorum unius spei, unius voti,* LXIII.

*voti, unius disciplinæ ejusdem servitutis? Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio, ubi caro una, unus & spiritus: simul orant, simul volutantur, & simul jejunia transigunt, alterutrò ducentes, alterutrò hortantes, in Ecclesiâ Dei pariter, in connubio Dei pariter, in angustiis, in refrigeriis: neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis est, liberè æger visitatur, indigens sustentatur: Eleemosinæ sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento ..... sonant inter duos psalmi & hymni, & mutuò provocant quis melius Deo suo canet. Talia Christus videns & audiens gaudet, his pacem suam mittit, ubi duo, ibi ipse, ubi & ipse, ibi & malus non est: Paradisi terrestris instar est ejusmodi matrimonium, sed sine serpente. Societas est inter Priscæ & Aquilæ, quam Apostolus, domesticam Ecclesiam, vocat ad Romanos cap. 16 v. 5. non celebratur in Canâ ideſt zelo & æmulatione, non in Galilea, id est volubilitate & mutabilitate: neque unquam vinum deficit, & amor arescit: prægustus est æternarum nuptiarum ad quas vocati sunt Christus, Mater, & discipuli, & discipulorum successores inebriati torrente voluptatis, ditentesque Christo servasti bonum vinum usque adhuc.*

LXIV. Dives est hæc matrimonii concordis descriptio, sed quantacumque sit, levis est tantùm expressio, & imperfecta adumbratio illius Divæ Deiparæ & Sancti Josephi, de quo hîc nobis sermo. Nam quanta putas fuit inter illos concordia? quanta consensio ubi omnis concupiscentiæ tomes religatus, omnes passiones, non solùm moderatæ sed omninò extinctæ, ubi suavissimus omnium virtutum concentus, ubi denique Jesus æternus amor, amborum nexus, utriusque corda in seipso strictissimè unita inter se tenebat, fovebat, accendebat, perfundebat: ut proinde de illis justius dixerim quod de Theodohado Gothorum Rege & Amalescentha ejus conjuge Cassiodorus lib. 10. variar. *Inierunt sacra connubii fœdera, ut tanquam in duobus luminibus, unus esset aspectus, & concordem sensum nemo crederet segregatum: sic sunt etiam simul quos gratia conjunxit, & parentela conciliat. Arduum sibi hoc forsitan æstimet impares mores; difficile est illos aliter vivere, qui sibi possunt bonarum cogitationum similitudine convenire.*

## SECTIO ULTIMA.

### *Quâ ratione fœlix erit & Christianorum matrimonium?*

FOelix erit si fuerit ad normam LXV
matrimonii Divi Josephi & Sanctæ Deiparentis: cùm enim ex dictis illud inter omnia fuerit fœliciſſimum, proculdubio fœlix erit & vestrum ô Christiani Conjuges! quantum fert præsens rerum status, si huic fuerit simile, tantoque fœlicius erit & melius quantò fuerit illi similius & conformius. Quare illud vobis, vos qui contrahere vultis, ob oculos proponite, in illud tanquam in omnium conjugiorum exemplar præstantissimum, & speculum perfectissimum animum intendite, ut ea quæ in illo observaveritis, vobis vestroque statui congruentia, fideliter omnique studio exprimere, saltem adumbrare satagitis.

Erit verò vestrum ad illius normam, LXVI
si quod illi, hoc vos quoque effeceritis: præcedant scilicet vestrum matrimonium nonnulla, comitentur alia, alia denique subsequantur: ut enim fœlix sit matrimonium, benèque eis qui illud suscipiunt succedat, *illud præcedere debent intentio & consultatio; libertas & judicium comitari; amor & patientia subsequi*: quæ quia in matrimonio D. Josephi & Deiparæ Virginis in summo gradu inventa sunt, ideò fuit in summo gradu fœlix.

Primò, intentio debet præcedere, LXVII
quia ab eâ bonitas vel malitia cujusque actus humani, ut docent Theologi in moralibus: Matrimonium ob duos præcipuè fines institutum. Primò, ab initio in officium naturæ, ut scilicet hâc viâ natura humana congruo modo conservaretur & propagaretur. Secundò, post lapsum etiam in remedium prurientis concupiscentiæ: cum enim homo per peccatum factus sit lubricus, & ad libidinem proclivis, vix sibi continere potest: & ideò Deus matrimonium remedium esse voluit tanti pruritus,

pruritus, ut sic extra occasionem peccati fieret. Ita omnes Theologi.

LXVIII Qui ergo alio fine, aliâ intentione quam istis contrahunt, vel contracto utuntur matrimonio, ut scilicet libidinem suam expleant, non homines sunt, sed equi & muli, & potestatem habet super illos dæmonium, inquit Angelus ad Tobiam Tobiæ cap. 6 Quia nimirum hi Deum à se & à mente suâ excludunt, in eo quod matrimonio cujus Deus Author Genes. cap. 2. v. 23. & 24. & Matthæi cap. 19. vers. 5. sceleratissimè abutuntur, ejusque sanctitatem & finem à Deo præstitum impiè pervertunt.

LXIX. Sed aliquid amplius à conjugatis timoratis exigit propositum Divæ Deiparæ & Sancti Josephi exemplum: quid verò illud? quid scilicet cum ipsi contraxerint cum proposito nunquam utendi matrimonio, discant hinc Christiani conjuges, si ut illi continere non possunt, saltem sic matrimonio suo uti, ut in eo nec ipsum quærant concupiscentiæ remedium, nec consentiant in carnis voluptatem quamvis subintret, sed tantùm prolis intendant procreationem, ut si fieri posset quod, ut Maria & Joseph, haberent prolem sine matrimonii usu, per quem cadunt in libidinem, ab eo abstinere vellent.

LXX. *Iustitiâ utendi conjugii*, inquit D. Fulgentius Ruspensis Episcopus epist. 1. cap. 3. *hæc est ut non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu sibi conjuges congruo tempore misceantur: sic ergo quæri debet & nuptiis fructus, ut cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus.* Hinc D. Chrysostomus homil. 21 in epist. ad Ephes. & homil. 5. in epist. ad Thessalonic. *Propter vitæ communionem, & liberorum procreationem puella adjuncta est viro, non turpitudinis risusq; gratiâ.* Et Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromat. *Matrimonium propter liberos non propter voluptatem esse debet* De quâ materiâ disputans D. Augustinus in Enchiridio cap 78 ita pronuntiat: *Putari posset non esse peccatum misceri conjugi non filiorum procreandorum causâ, quod est bonum nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis: ut fornicationis sive adulterii, sive cujusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quò potest tentante satanâ libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo ut dixi hoc putari non esse peccatum nisi addidisset Apostolus.* 1. Cor. cap 7. hoc autem dico secundùm veniam non secundùm imperium: *Quis autem iam esse peccatum neget cum dari veniam facientibus Apostolica authoritas fateatur?* O si hoc modo essent moderata Christianorum conjugia, quàm essent sancta? quam boni ex talibus matrimoniis filii procrearī? at quia è contra evenit, ideò tot confusiones inter conjuges, & filii tam pravi.

Audite conjuges ad rem Imperfectum nostrum in Matth. cap. 1. ad illa verba: *Booz autem genuit Obed ex Ruth*, mirè philosophantem. *Booz*, inquit, *senior constitutus, non sibi uxorem accepit, sed Deo, non propter passionem corporis sui sed propter iustitiam legis, ut suscitaret semen proximo suo non magis amore prolis quam Religione fervens.* De Ruth verò paulo infrà sic. *Si communicationem viri desiderasset quasi puella lasciva, aliquem juvenem potius appetivisset: Quoniam autem non lasciviæ suæ sed Religioni satisfacere cupiens fuit familiam potius sanctam elegit, quàm iuventlem ætatem.* Tum deinde post pauca sic infert ex his. *Talis ergo Booz ex tali coniuge Ruth qualem filium genuit? Obed, qui interpretatur subditus: nunc autem qui divitias eligunt & non mores, pulchritudinem & non fidem, & quod in meretricibus solet quæri, hoc in coniugibus optant, propterea non generant filios subditos sibi, vel Deo sed contumaces contra se, & contra Deum, ut filii eorum non sint fructus iustæ coniunctionis eorum, sed pœna condigna irreligiositatis ipsorum.* Quàm eleganter! quàm verè! LXXI.

Debet etiam præcedere consultatio, LXXII.
primò, apud ipsos contrahentes, non enim in tanti negotio momenti sine magnâ deliberatione & maturo examine procedendum: Deinde cum aliis qui benè consulere possunt, maximè verò cum Parentibus tùm ob reverentiam illis à prolibus debitam, tùm ob amorem eorum & benevolentiam junctam cum maiori prudentiâ, & experientiâ ejusdem jugi quod susceperuri sunt: Ante omnes tamen Deus consu-

fulendus, tùm quia primus & præcipuus Pater; tùm quia ab ipso pendent omnia, adde in particulari quod ex Scripturâ Proverb. cap. 19. vers. 14. *Domus & divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens.* Non quod domus & divitiæ non sint etiam donum Dei, sed quia illa à parentibus hæreditate filiis relinqui possunt, uxor verò prudens, licet sollicitè, adhibito etiam aliorum prudentium amicorum consilio, ab eis quæratur, attamen à Deo maximè procuratur, & ab eo precibus, eleemosynis, jejuniis, aliisq; bonis operibus petenda & promerenda: Etsi enim Deus cuncta disponat, suâq; providentiâ etiam minima attingat, magis tamen majora & magis necessaria vel oportuniora, qualis est homini uxor prudens, moribus & viri ingenio congruens, quia nimirum ab eo pendet & hæc prudentia, & sine illo haberi non potest.

LXXIII Hoc planè modo Diva Deipara & Divus Josephus contraxerunt, de quibus licet incertum sit an eorum tunc parentes in vivis essent, illud tamen ex dictis certum, nonnisi de consilio Sacerdotum & Dei, quem sibi bonis operibus demeruerant nutu & voluntate, etiam per oraculum & miraculum patefactâ de matrimonio ineundo cogitasse.

LXXIV Secundò, libertas debet comitari matrimonium: cum enim unio viri ad uxorem, & uxoris ad virum, sit usque ad mortem, & adeò stricta, tantisque incommodis obnoxia, nulli debet nisi volenti tantum jugum imponi: Quocirca ut ratio parentum à liberis dum hâc de re deliberatur audienda, ita vicissim & à parentibus horum libertati multum concedendum, quia eorum res agitur. Et quidem cùm de ipso statu eligendo deliberandum, an scilicet nupturi sint, an non, ita hæc optio illis relinquitur, ut vix quidquam in eo sibi parentes prætendere debeant: cujus tamen contrarium, quam multi parentes præstant cum magno animæ suæ & liberorum suorum periculo, qui hos deputant claustris, istos avocant & illigant nuptiis. Si verò de personâ tantùm deliberatur ideò cui nubendum, parentum simul rationi & liberorum inclinationi ac libertati dandus locus, ut nec illorum consilium ab his contemnatur, nec horum libertas ab his cogatur; sed quantum fieri poterit inter se concilientur. Si enim totum hîc liberorum inclinationi concedatur, cum illa ut plurimùm cœca sit, quam absurdos liberi committent errores, plus enim sæpè juvenculo placebit scenica mulier, quàm modesta: similiter si parentum authoritati totum, & libertati nihil concesseris, illi sæpè plus conditionem, genus & divitias attendunt, quam mores & ingenium: quomodò ergo unanimes illi erunt, quorum mores adeò diversi? quomodò ibi pax; ubi nullus amor?

Dices Maria & Josephus nihil minus cogitabant quam nuptias, imò ab illis toti alieni erant: Maria quidem, nam cùm post exactos in templo annos consuetos, sacerdotes curarent vitem pulcherrimam ulmo alligari, quod non deceret tantâ pulchritudine præditam puellam diutius apud templum commorari, recusabat illa egressum, affirmans se teneri ex virginitatis libamine. Joseph verò, cum enim Pontifice authore res tam nova cœlesti commissa fuisset oraculo, responso inde accepto viros solutos ex Davidis familiâ die Enceniorum solemni congregatos in Jerusalem, monendos esse ut gestantes ad altare virgas, ille ascenderet in Mariæ Conjugem cujus florens virga descendenti è Templi vertice columbæ nidulum offerret. Joseph solus, quem tenebat, propositum castitatis, fugit ad latebras, qui tamen ad illius castissimę Virginis Connubium electus erat. qui tandem sacerdotali præcepto evocatus, profert virgam, quæ mox in conspectu germinans, columbam è culmine delapsam excipit, per quod signum apparuit evidenter quod esset cœlitus designatus Mariæ Sponsus.

Sed etsi nuptias ita aversarentur, ubi tamen hoc miraculo uterque didicit voluntatem Dei ô quam libenter illam amplexati sunt! istâ enim Dei voluntate magis volebant illi quæcumque volebant, quàm quæ suâ propriâ; cum in illis non propria sed sola Dei voluntas regnaret: & hoc ipsum quod hactenus nuptias noluerant, ideò noluissent,

sent, quod Deus nolle voluisser.

LXXVII Judicium quoque matrimonium comitari debet, quia plurimùm illorum interest qui contrahunt ut benè animadvertant quid faciunt: quantùm durat contractus: quid ex illo sequi possit: & quid in plerisque frequentius sequatur: ponderare an matrimonium sit melius quàm non ipsum: an non in comparte sit aliquid cum proprio ingenio, moribus, & indole incompatibile: ne si fortè ex defectu advertentiæ aqua igni conjungatur, bellum ex contrariis illorum qualitatibus sequatur non desiturum, nisi per unius vel alterius partis interitum & destructionem.

LXXVIII Maximè non est nubendum cum aliquâ passione, quæ rationem præoccupet: v. c. propter amorem divitiarum & pecuniæ, libidinis, ob tantillam perituram pulchritudinem, &c. Cùm enim passio sit violenta, nullum autem violentum sit durabile, periculum est ne ejusmodi amor tandem in odium deflectat acerbum.

LXXIX. Quoad hanc partem cùm inter Divam Deiparam & Sanctum Josephum tanta esset similitudo & proportio morum, tanta affectuum sympathia quid illis fuit cunctandum ut uterque hanc partem amplecteretur? Deinde quæ passio potuit in hoc matrimonio partium turbare judicium, ubi nonnisi ex Dei nutu & voluntate processum?

LXXX. Tandem amor debet subsequi & patientia: Amor quidem: quantumvis enim intentio & consultatio præcessissent, libertas & judicium comitaretur, si ex his amor non sequatur, quid illa proderunt ad matrimonii fœlicitatem? è contra verò, ut illa defuissent, si amor adsit, ut potest, quamvis rarò & difficillimè, hic solus omnia præstare poterit, conjugibusque avitam pacem dare in qua fœlicitatis matrimonii summa. Plura de Divi Josephi & Deiparæ amore mutuo vide hoc cap. sect. 2.

LXXXI. Patientia verò, tùm quia si fortè ea quæ supra, vel illorum aliqua abfuerint, maximè verò amor, patientia erit ultimum remedium, & secunda post naufragium tabula: tùm quia fieri nequit, ut homo & mulier ita perfectè per omnia quadrent, quin aliquâ ex parte aliquando claudicent: nullus est qui non habeat suum defectum: si vis ergo portari, porta: ita Apostolus *alter alterius onera portate*: tùm denique quia potest quoque contingere, ut etiam sine alterutrius culpâ aliqua contingant, quæ inter se ferre debeant: exempli causâ, prout Divo contigit Josepho & Deiparenti in ipso limine sui matrimonii: Cùm enim ille vidisset gravidam Mariam, quam sciebat se non cognovisse, & nesciret mysterium: hinc cœpit alter ex altero torqueri, sic ut sibi invicem remedium afferre nequirent. Affligebatur Joseph videns uxorem suam non ex facto suo gravidam, & quod propterea necessum erat eam deserere quam oculitus amabat. Afflictabatur & Maria videns conjugis sui longè dilectissimi mœstitudinem, & quod illi enudare secretum nec posset, nec tunc quidquam profuisset. Quod si hoc matrimonium tam sanctum tantis fuit amaritudinibus respersum, quid mirum si alia suis etiam aliquando divexentur.

Legimus apud Ezechielem cap. 1. de Animalibus quorum unum habebat faciem hominis, Secundum Leonis, Tertium Bovis, Quartum denique Aquilæ: cum eadem animalia idem Propheta cap. 10 rursum enumerat bovi Cherub subrogat. Quid mysterii hic? quomodo qui paulò ante vultum præferebat bovis, postea faciem Cherub induit? Res est, inquit, noster Avendano serm de Sancto Josepho §. 6. ad finem, Quod Bos cum Leone commune jugum ducebat, quorum animalium sunt admodum contrariæ qualitates. Leo namque est rapidus, iracundus, incitatus, sævus: Bos verò tardus & mansuetus. Quis hæc tam diversa indole conjugavit animalia? Deus. Bos autem Leonem conjugem tam imparem patienter tulit, quamobrem ex bove in Cherub transformatus est. Apologus est accipe mysterium. LXXXII.

Multoties uni jugo adstringuntur vir ingenii Leonini, & mulier mitis indolis, quæ bovis instar domus jugum & omne illius onus portat, & prudenter omnia facit, fertque omnia æquanimiter. LXXXIII

nimiter. At quo præmio putas? Cùm ex hâc vitâ demigrat Cherubini merito ornata; Cherubini præmio cumulatur. Ferant ergo patienter uxores quæcumque jugum duxerunt cum viris asperis & austeris, dives enim eas manet remuneratio: hoc autem crebro secum recogitent: cum in matrimonio Mariæ & Joseph fuerint etiam suæ spinæ & ærumnæ, suum absque iis usquequaq; esse non posse, Deumque velle ut per Crucem quisque prædestinatorum ut Crucis filius tendat in cœlum, & perveniat ad coronam.

## CAPUT VIGESIMUM ET ULTIMUM.

### *Quæ bona Divo Iosepho ex eo quod Virginis fuerit Sponsus provenerint?*

I. MAGNA sunt omninò quæ hujus singularis intuitu dignitatis Divo Josepho sunt à Deo collata dona cœlestia, & quis ea vel mente assequi, vel dictione complecti sufficiat? impar est omnis eloquentiæ vis explicandæ gloriæ tantæ. Hinc noster D. Damascenus Orat. de Nativ. Beat. Virg. *Dignitas hæc*, inquit, *fuit concessa Divo Iosepho singulari Dei dono, & per dispensationem omni sermone præstantiorem.* Similiter alii Patres & Doctores loquuntur. Sed si ita est, quid ergo hîc aggredimur? quid nitimur? imò ex hoc magis audendum, quandoquidem materia ipsa, ex hoc quod est ineffabilis, fandi tribuat copiam, nec possit deficere quod dicatur, ubi nunquam poterit esse satis omne quod de eâ dicitur: Quare ex hoc ipso supra omnia hactenus eâ de re dicta, vel deinceps, seu à nobis, seu à quocumque dicenda, mente consurgamus, agnoscamusque illa quantacumque sint, & nobis videantur, minora tamen esse meritis ejus & dignitate: quibus præludis ad rem veniamus.

II. Distinguo itaque dona quæ Divus Josephus sub hoc titulo Sponsi accepit & illa in tres Classes divido: sunt enim nonnulla quæ hic titulus supponit, seu quæ hunc sponsi titulum præcedunt; alia quæ illum comitantur; alia denique quæ illum consequuntur. Quæ hunc titulum præcedunt; illa sunt quæ ei à Deo collata sunt ut ad hanc dignitatem dignè & ut par erat præpararetur: Quæ comitantur, illa sunt quæ ipsa dignitas per se confert & secum advehit: quæ consequuntur, sunt illa quæ ei propter istam dignitatem ad ornamentum adjecta sunt: quæ totidem Sectionibus, eodemque ordine prosequemur.

## SECTIO PRIMA.

### *Dona Divo Josepho collata ut dignus fieret esse Sponsus Beatissimæ Virginis.*

PUlchram noster Sylveira tomo 5. in Evang. lib. 8. cap. 18. quæst. 9. movet difficultatem, per quam nobis ad præsentem, quam versamus materiam, facimus aditum. Quærit ille cur Christus Dominus cum matrem suam Sponso orbatam, moxque filio orbandam, esset Joanni Virgini commendaturus, non illud fecerit in cœnaculo, sed distulerit usque dum esset in Cruce?

Nec valet si dicas id contigisse quod Beata Virgo non esset præsens in cœnaculo, unde nec de illa fieri ullam apud Evangelistas mentionem. Ubi agunt de ultimâ cœnâ, quod tamen non videbatur reticendum si adfuisset. Contrarium enim vel ex eo redditur indubitabile quod Exodi cap. 12. n. 2. ubi de manducatione Agni Paschalis, & institutione cœnæ legalis, lex sic præcipiebat: *Tollat unusquisque agnum per familias & domos suas: sin autem minor est numerus ut sufficere possit ad vescendum Agnum, assumet vicinum suum qui junctus est Domui suæ, &c.* Atqui si Apostoli adfuerunt cœnæ legali quam fecit Christus, cui immediatè successit cœna Sacramentalis (quod hi censerentur esse de familiâ & domo Christi) quantò magis ergo Mater ejus? & certè cum quo Beata Virgo fecisset, juxta hanc legem, cœnam istam

istam Agni, si non fecisset cum filio suo: quod si huic inter fuit, cur subsequente mox Cœnâ Sacramentali à mensâ surrexisset & inde discessisset? Huic nostræ Sententiæ in hac responsione adstipulantur D. Hieronymus epist. 150. quæ est ad Hedibiam quæst. 2. Divus Chrysostomus homil. 83. in Matth. Euthymius & Theophylactus in Matth. Titus Bostrensis in cap. 12. Lucæ, Archiepisc. Paleot. lib. de Pass. chorda 7 cap 11. noster Sylveira tom. 5. in Evang lib. 7. cap. 7. quæst. 26. Cajetanus, Suarez, Vasquez, Cabrera, Lorca, noster Corneio, Cardinalis Lugo, & alii in 3. part. D. Thomæ quæst 81. Imò Christum, Sacram Eucharistiam inter omnes primò Matri suæ porrexisse docent inter alios Christophorus à Castro, Barradius, Paulus Scherlogus apud eundem Sylveiram tomo 3. in Evangel cap. 35. quæst. 19. ubi etiam asserit & probat principaliter propter B. Virginem Eucharistiam institutam fuisse, & magis pro illa, quàm pro omnibus aliis simul collectivè.

V. Quod verò Sacri Evangelistæ loquentes de hujus Sanctissimi Sacramenti institutione, solùm mentionem faciant de Apostolis: præterquam quod argumentum est ab authoritate negativa, ut aiunt, exindè provenit, quod illi cum hujus Sacramenti institutione conjungant Sacerdotum ordinationem per quos hoc Sacramentum est conficiendum, quod cùm non competat Beatæ Virgini ratione sexus sui, idcò solùm mentio facta est Apostolorum.

VI. Respondet igitur ad propositam Quæstionem noster Sylveira citatus, non fuisse committendam Virginem discipulo nisi ob merita: probata autem sunt illius merita, non in Cœnaculo, sed apud Crucem: ibi enim eluxit ejus fidelitas, amor, fortitudo, & constantia; cùm solus ex Apostolis eum non deseruerit, sed ad Crucem usque comitatus sit. Ad hujus Responsionis confirmationem expendenda verba Christi, dum ei Matrem suam commendavit. *Cùm vidisset ergo IESVS*, inquit Evangelista, *Matrem & discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ, Mulier ecce filius tuus, deinde dicit discipulo, ecce Mater tua.* Ubi nota particulam illam *ergo* illativam, per quam manifestè innuitur ideò Joanni hunc delatum honorem & dictum *Ecce Mater tua* quod eum vidisset Jesus sibi in Cruce adstantem. Vides ergò Joanni non fuisse traditam Virginem in Matrem adoptivam ob quæcumque ejus merita, sed requisita fuisse prius grandia valdè, illa scilicet quæ jam jam tetigimus: quantò majora ergo debuerunt esse in Divo Josepho, cui longè sublimiori & excellentiori modo tradi debebat, nempè ut sponsa, idest Conjux, & ut esset unus cum illâ: Scriptum quippe est, *Dimittet homo Patrem & Matrem suam*, etiam naturalem, *& adhærebit uxori suæ.*

Sed quænam illa D. Josephi merita? VII.
1. Regum cap. 13 ait Scriptura. *Quæsivit Dominus virum secundum cor suum, quem Regno Israel præficeret.* Quæ verba D. Chrysostomus homil de David & Goliath ponderans ait. *Quærendo indicari Deum primò singulos homines ac diversos attigisse, examinasse cunctos, plurimosq; prævidisse ex quorum numero eligeret Regem: invenit tandem David, cujus meritum transire non potuit.* Atqui ex D. Bernardo homil. 2. super Missus est *Divum Iosephum tanquam alterum David Dominus invenit.* Prævidit ergò Deus cunctos homines, perpendit singulos, ut videret quem regno suo, quem familiæ sanctæ, quæ regnum Dei in terrâ constituebat, præficeret, unius Divi Josephi meritum invenit, quod transire non potuit. *Inventus est*, inquit Metaphrastes orat. de educat. Mariæ, & ortu Christi, *Ioseph qualem quærebat ratio.* Quid est qualem quærebat ratio, nisi talem ut esset similis Mariæ? omnia ergò quæ in Mariâ summa & ineffabilia sunt reperta gratiæ dona, in Josepho quoque, si non in æquali, quod non velim dicere, in suppari tamen gradu, excelluerunt.

Cùm Sacrum Evangelium de Divo VIII.
Josepho sermonem instituit, mox ut eum virum Mariæ pronunciat, Patrem quoque Christi indicat in eo quod asserit de eâ Christum natum Matth. cap. 1. *Iacob autem genuit Ioseph Virum Mariæ de quâ natus est IESVS.* Et infra ibidem.

*Cùm esset desponsata Mater IESV Maria Ioseph, antequam convenirent, inuenta est in utero habens de Spiritu sancto* Et Luc. c. p. 2. *Ascendit Ioseph à Galilæâ in Bethleem, cum Mariâ desponsata sibi uxore prægnante.* Quid hoc est? nimirùm in Divo Josepho esse Virginis Sponsum & Patrem Christi sunt ita inter se conjuncta, ut vix unum tangi possit, quin alterum resonet: Ratio est quia etsi fuerit electus Divus Josephus ut esset Virginis sponsus, non tamen propter hoc ultimatè & præcisè, sed ut per hoc fieret Christi Pater eo modo quo Tractatu sequenti cap. 10. eoque nomine Christum ut Pater filium per omnia sollicitè curaret: Cùm ergo illæ duæ qualitates ita sint inter se connexæ, consequenter & dona; ut proindè vix possit quidquam de istis donis dici quæ sub unicâ istarum duarum qualitatum accepit, quin simul etiam alia subintelligantur. Ergò cùm Divus Josephus ab æterno electus fuerit ut esset Virginis Sponsus, & per hoc Christi Pater verissimè; certum est quod ex vi hujus electionis eas omnes gratias acceperit, quas dignum fuit illum habere qui ad talia munia electus erat. Cogita jam apud te qualia sint ista munia? Cogita quid sit esse Virginis Sponsum? quid Christi Patrem? & unum æquè verè ac alterum, ut infra ostensuri sumus? Ah Deus immortalis! quem tanta Virgo merebatur Sponsũ? quem Patrem tantus filius? *Inventus est Ioseph qualem quærebat ratio.* Primariæ sunt mundi dignitates istæ, omniumque quas cognoscimus potiores, primas ergò & supremas gratias accepit: & porrò ita est. Gratiæ enim aliæ sunt infusæ, aliæ acquisitæ: quoad infusas habuit omninò primas. Gratiam enim sanctificationis in utero accepit, eamque adeò uberem ut in eo carnis extinxerit fomitem, tantamque ei tribuit firmitatem in bono, ut ne venialiter quidem unquam peccasse censeatur, vide à nobis dicta Parte 1. Tractatu 3. Quoad acquisitas verò ita cum istâ infusâ dietim crevit in sanctitate & virtutibus, ut per illas talem Sponsam à Deo meruerit. Hinc ubi nostra vulgata legit: *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph.* Maria ex Syriaco apud nostrum Sylveiram tomo 1. in Evangel. lib. 1. cap. 5. ut diximus adhuc supra, vertit. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem venditam viro cui nomen erat Ioseph*: quo significatur ipsum illam meruisse, sive pro eâ habendâ pretium dedisse quod merebatur: Castitatem attulisse qualem merebatur castitas ejus; humilitatem, qualem merebatur humilitas ejus; mansuetudinem, fidem, qualem merebatur mansuetudo, fides ejus, & ita de reliquis.

IX. Fuerunt qui dixerunt D. Josephum ideò fuisse valdè senem antequam duceret Virginem, ut removerent à Beatâ Deiparente omnem suspicionem corruptelæ in ipsius cum illo connubio, sed nimis puerilis est hæc ratio, non enim anni faciunt castum, sed Dei gratia, ut patet in senibus illis apud Danielem, qui voluerunt opprimere castam Sutannam, & in Joseph Pro-Rege Ægypti valdè juvene qui è contra Heram ipsum ad luxuriam vehementissimè allicientem delusit è manibus illius elapsus. Quare alii dixerunt per hoc Authores voluisse Divum Josephum multis annis opus habuisse, ut merita congrua comparare posset, quibus dignus redderetur tali conjugio: quemadmodum Jacob quatuordecim annis servire debuit ut pulchram Rachel obtinere posset. Dico ego non longè ab his postremis recedens, Josephum statim à conceptione suâ fuisse in utero sanctificatum, & usu rationis ibi donatum, quo ex tunc posset mereri, & incessanter in gratiâ procedere, sicque ut fierent aptus ad desponsationem tantæ Virginis.

## SECTIO II.

### *Dona quæ hunc titulum Sponsi comitantur.*

X. Titulus Sponsi duo complectitur, titulus est authoritatis, & titulus amoris Quoad primum, quod sit titulus authoritas patet ex Apostolo ad ad Ephes. cap. 5. v. 23. & ad Coloss. cap. 3. vers. 18. Ubi quasi definitivè pronunciat: *Vir est caput mulieris*, & ideò

ideò ibidem mulieres exhortatur ut *subditæ sint viris, sicut Domino.* Hinc etiam sacra Genes. c. 18. v. 12. vocat maritum suum Abraham Dominum suum. *Postquam consenui*, inquit, *& Dominus meus vetulus est voluptati operam dabo?*

XI. Quare Aristoteles licet Gentilis lib. 3. Oeconom. cap. 1. & 2. etiam Gentilibus suis præscribit: *Existimare debet mulier benè composita, mores viri esse legem vitæ suæ, impositam sibi à Deo per conjunctionem matrimonii. Quæ hæc ergo negligit, Deos ipsos videtur negligere, quibus præsentibus sacra fecit, & matrimonium iniit.* Et Cato apud Livium lib. 34. *Majores nostri nullam ne privatam quidem rem agere fœminas sine auctore voluerunt, sed in manu esse virorum.* Et ideò idem Cato apud eundem Livium Decade 4. lib. 4. accusans arrogantiam & supercilium mulierum Romanarum hoc quasi monstrum proponit. *Omnes*, inquit, *homines uxoribus dominantur nos omnibus hominibus: nobis autem uxores.*

XII. Hæc porrò authoritas viri in mulierem & subjectio mulieris ad virum, est ordinis naturalis, & fuisset etiam in statu innocentiæ, cum hâc tamen differentiâ, quod nunc mulier est subdita vi etiam invita, & nolens, in statu verò innocentiæ lubens, & ex ordine rationis.

XIII. Nec contra hoc facit quod Genes. cap. 3. vers. 16. dicitur Evæ post lapsum & in pœnam peccati sui. *Sub viri potestate eris*, non enim non ideò ante sub viro, sed non eodem modo: quia nimirum non lubens, volens, & ex ordine rationis, ut tunc, sed etiam invita & nolens, ut significant verba immediatè sequentia, *& ipse dominabitur tui.* Quod mariti Dominium, & mulieris coactam ac duram subjectionem, meruit mulieris non natura sed culpa, *Quod tamen nisi servetur, depravabitur amplius natura & augebitur culpa* inquit D. August. lib. 11. de Genes. ad litt. c. 37.

XIV. Quare cum Divus Josephus fuerit verus Mariæ Sponsus seu maritus & hæc vera ejus uxor: esto in eâ nulla unquam fuerit culpa neque originalis neque actualis, fuit tamen illa verè ei subdita, sed sicut in statu innocentiæ Eva ex ordine rationis, non sicut hodiernæ mulieres, invita.

XV. Hanc etiam Divi Josephi in Beatam Virginem authoritatem & Virginis ad Divum Josephum subjectionem clarè indicat Evangelium. Hinc prius de ipso loquitur quam de Virgine Matthæi cap. 1. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ*: hic per ipsum non per Mariam deducit Christi genealogiam Matthæi cap. 1. & Lucæ cap. 3. hinc cum de sacris his cõjugibus loquitur, præponit Josephum Mariæ Luc. c. 2. *Erant Pater JESV & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.* Hinc denique ei tanquam capiti fiebant revelationes, & intimabantur mandata divina circa curam pueri, non verò Matri, ne inquit D. Chrysostomus homil. 8. in Matthæum si Virgo revelaret Divo Josepho, videretur in illum habuisse authoritatem, eique quasi legem dare, cum proprium sit mulieris, ut subdita sit viro. Virgini datum fuit ut esset Mater Christi: Josepho ut esset vir ejus & caput familiæ: Noluit Deus illius juri præjudicatum.

XVI. Et ita se porrò erga illum gessit humillima Virgo: in subjectione enim ad D. Josephum verè virum suum quæ est ex ordine naturali, nonobstantibus prærogativis suis, modestè se ex ordine rationis continuit, directionem & regimen subiit, & licet conscia quod divinam in utero suo prolem gestaret, tamẽ non fastidivit maritum: quidquid verò uxor obsequentissima præstare potest conjugi hoc illa multò cumulatius præstitit Josepho: Cum illo proficiscitur ad censum quem Cæsar, indixerat: cum illo peragit omnem Purificationis & Præsentationis Ritum: cum illo diebus solemnibus anni ascendit ad templum: hunc sequitur in Ægyptum: huic adhæret in Ægypto: cum eo revertitur in terram Israël, cum eo recessit in partes Galileæ & venit Nazareth, nec dedignatur dici uxor Fabri, nec molestè ferr filium suum reputari & appellari filium Fabri, quem & ipsa appellabat Patrem ejus. Nulla unquam fuit uxor quæ reverentius obedierit suo marito. Quidni cum oculis suis ipsa cerneret filium suum omnium Dominum illi & sibi per omnia subditum? Lucæ cap. 2. versu 51.

Quid

XVII. Quid dicent hîc illæ mulieres quæ propter formam feroculæ aspernantur sponsos? Quid illæ quæ dotem subinde maritis exprobrant? Quid illæ quæ illis arroganter insultant perinde quasi Dominæ virorum, non uxores & subditæ Domini & Apostoli authoritate? Quid illæ quæ totam domum rixis replent, jurgiis subvertunt? Maria religiosissimè morem gerit, & observat suum Josephum: nec unquam respondat aut præit marito, & vos pudet obsecundare viris vestris, sine quibus steriles essetis & inhonoræ?

XVIII Hujus etiam in Virgine subjectionis ad virum argumentum validissimum est quòd illa de se & de hoc loquens ad filium, Josephum sibi præponit dicens: *Fili quid fecisti nobis sic? ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Lucæ c. 2. v. 48 in quem locum ita D. Augustinus tom. 10. serm. 63. de diversis cap 11. *Non est prætermittenda Fratres maximè propter disciplinam fœminarum sororum nostrarum tam sancta modestia Virginis Mariæ Christum pepererat, Angelus ad eam venerat & dixerat ei.* Ecce concipies in utero & paries filium & vocabis nomen ejus JESUM: hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur. *Meruerat parere filium Altissimi, & erat humillima: nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, ut diceret ego & Pater tuus. Sed Pater tuus, inquit, & ego. Non attendit uteri sui dignitatem sed attendit ordinem conjugalem. Non enim humilis Christus Matrem suam superbire docuisset. Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Pater tuus inquit & ego, quia caput mulieris est vir quantò minus debent superbire cæteræ fœminæ?

XIX. Ex hoc autem manifestè colligitur maxima Divi Josephi gratia: sicut enim Mariæ Sanctissimæ summam fuisse gratiâ, concludimus ex hoc quod ut Mater Christi erat Christo quadantenus superior, propterea enim inter illam & Christum maxima debuit esse similitudo, licet major gratia in Christo: sic summa debuit esse in Divo Josepho gratia ut caput esse posset Mariæ, quia inter eos ut sic debuit esse similitudo & relatio proportionis, licet major gratia in Mariâ.

XX. Dices si Mariæ caput fuit Divus Josephus, ergò hic excelsior illâ: falsum consequens, ergò & istud antecedens undè sequitur. Respondeo fuit excelsior Divus Josephus secundùm quid, concedo, absolutè nego. Nam celsitudo Divo Josepho data est propter Mariam & Christum: Atqui *Propter quod unumquodque tale; & illud magis*, ergo &c Sicut enim Maria est Mater Christi, & in quantùm Mater est quadantenus illius superior, non tamen illo excelsior, quia Mariæ data est celsitudo propter Christum: Sic cum Divo Josepho data sit Sanctitas propter Mariam & Christum, licet hujus & illius respectu, officio sit caput, in gratiâ tamen est inferior, & in illâ Maria quodammodò caput Divi Josephi, quia in gratiâ est supra illum.

Secundò hic titulus Sponsi est titu- XXI.
lus amoris: Et cùm ex amore se invicem sibi tradant Conjuges (non enim ullâ vi, metu, aut coactione fit hæc traditio, sed voluntate, sed amore:) ut hujus sacri fœderis principium est amor, ita & cibus ac nutrimentum: nec enim convivent Conjuges sine amore. Quare licet vir in uxorem habeat authoritatem ut caput, sicut mox dicebamus, non eam tamen regere debet ut Dominus mancipium terrore, sed ut sociam & amicam amore. vel ut anima carnem suam, cui intimè unita est, & ita conglutinata, ut cum eâ unum faciat: quâ etiam comparatione utitur Apostolus ad Ephesios cap 5. vers. 28. & 29. *Viri debent diligere uxores suas sicut corpora sua, qui suam uxorem diligit, seipsum diligit, nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam.* Et ex hoc iterùm amore Divi Josephi qualitas & eximia decora metienda.

Neque seipsos tantùm tradunt sibi XXII.
invicem Conjuges, sed etiam omnia sua. Nec posito matrimonii glutine duo reputandi sunt vir & uxor, sed unum: *Erunt duo in carne unâ.* Hinc si vir Rex sit, uxor verò de infimis puella, quia tamen Regi nupsit, Regni consors facta, Regina est & dicitur: ita Esther nupta Assuero, Regni Assuerici Domina effecta est. Esther. cap. 2. Ita Athenais filia cujusdam Philosophi sed tenuis, ducto Imperatore, Eudoxia dicta;

dicta; Orientis & Occidentis Imperii solium conscendit. Et è contra, si uxor est Regina dum se viro in conjugem tradit, tradit & Regnum & Regem efficit: Hoc modo Sancta Pulcheria Imperatoris Theodosii senioris filia castissima, & Theodosii junioris etiam Imperatoris soror, ac deindè hæres, titulo Conjugii ex Senatus-Consulto Martianum virum ætate maturum, consilio gravem, continentiâ probatum, atque militari virtute spectabilem, ducens, evexit in imperium, ita ex Cedreno Cardinalis Baronius tomo 6. Annal. ad annum Christi 450. numer. 17. Hoc etiam modo Agilulphus, qui in Baptismo Paulus nominatus est, Theodolindâ ductâ, quæ erat Longobardorum Regina, Rex Longobardiæ habitus est: ita Paulus Diaconus lib. 3. cap. ultimo. Hoc modo Philippus I. Austriacus beneficio suæ uxoris Joannæ in apicem Regni Hispanici evectus est: cùm enim legitimo matrimonio juncti essent, cessit fatis Isabella Hispaniarum Regina Mater Joannæ, quare deficiente prole masculâ ad Joannam filiam devolutum est Regnum Hispanicum jure hæreditario, & jus ejus agnoscentibus Regni Ordinibus ab iis Regina conclamata est, ac proindè illius Sponsus qui fuit Philippus I. eodem Regno, Regioque titulo sublimatus. Eodem modo Maria Hungariæ Regina, Sigismundum Caroli IV. Imperatoris filium dum in matrimonium ducit, Regni Hungarici Regem effecit. Eodem modo multæ aliæ Principes Fœminæ Viros suos extulerunt. Si fœlices hi per uxores, quia per illas facti Reges, quantò fœlicior Divus Josephus per Mariam, per quam, ut illa Regina, sic ipse sub Christo Rex & Supremus totius mundi effectus est.

XXIII. Dices, si Maria Regnum terrenum possideret manifestum est Divum Josephum Sponsum ejus Regem futurum, quoniam omnia uxoris bona viri efficiûtur bona per matrimonium: sed cùm Regnum Mariæ non sit de hoc mundo, sed in Cœlo, non sit temporale, sed spirituale & æternum, illud Regnum non videtur in ejus Sponsum transferibile: cùm enim matrimonium sit tantùm vinculum humanum, ea solùm facit communia inter virum & uxorem quæ sunt humana, non verò ea quæ sunt merè spiritualia. Respondeo, licet matrimonium Divi Josephi & Deiparæ esset humanum, idest inter homines, illud tamen à Deo fuisse specialissimè ordinatum, & ad finem specialissimum, & ideò ab illis contractum non in carne sed in spiritu: non enim ideò Deus voluit illos nubere, aut ipsi nupserunt, ut eorum corpora commiscerentur, cùm virgines semper extiterint, sed ut spiritus invicem copularentur in Deo, ut inquam, Joseph esset Mariæ adjutorium simile sibi, seu secundùm ipsam, ad peragenda secum omnia ordinis Divini circa Verbum Incarnatum. Et ideò inter illos omnia omninò fuère communia, non quæ humana dumtaxat, sed etiam quæ divina. Ex quo amplius collige quanta fœlicitas obtigerit Divo Josepho per Mariam, per quam etiam Pater factus est non Regis cujusdam terreni & perituri, sed ipsius Dei Incarnati.

Vide ergò quàm verum sit quod in initio hujus Capitis dixit noster Sanctus Joannes Damascenus. *Hanc dignitatem Sponsi Virginis fuisse concessam Divo Josepho singulari Dei dono, & per dispensationem omni sermone præstantiorem.* Et quis eâ pollet eloquentiâ ut dicere possit quantâ exinde dona cœlestia in eum defluxerint? Paucis tamen ut possum indigeto. Certè quemadmodum Imperatrix vel Regina dum Sponsum in Regem vel Imperatorem, ei nubendo, evehit, non solum & nudum titulum ei confert, sed etiam cum illo omnia Regni jura, omnes Regni opes, plenasque ejus gazas: Ita similiter dum Beata Virgo Divum Josephum in Sponsum accepit, non solùm Regni illius, cujus illa Regina, titulum ei attulit, sed & simul contradidit ejusdem Regni divitias, maximè cum ei datum esset desuper de illis plenè disponere, quodque ille ad istam Sponsi dignitatem, non ullâ hominum dispositione, sed solâ Dei electione & procuratione evectus sit, ut à nobis ante probatum est. XXIV.

XXV. Quare etsi ante desponsationem non fuisset in illis ita dives, ex hoc tamen omnem gratiæ plenitudinem tantæ dignitati commensuratam accepisset: Deus enim ad sua munia vel vocat idoneos, vel idoneos reddit: ita in hâc ipsâ materiâ argumentatur Divus Bernardinus Senensis Tom. 3. de Sancto Josepho. *Quando Divina Providentia*, inquit, *aliquem ad singularem gratiam seu aliquem sublimem statum eligit, omnia charismata donat, quæ illi personæ sic electæ & ejus officio necessaria sunt: atque illum copiosè decorat, ut patet in Moyse, Iosue, Abraham, Isaac, & Iacob, David, & sic de aliis Prophetis. Patet etiam in novo Testamento in Virgine benedictâ, in Apostolis, Evangelistis, Doctoribus, Religionum Institutoribus: Quod maximè verificatum est in Sancto Iosepho qui ab æterno Patre electus est, &c.* Ita Divus Bernardinus Senensis citatus.

XXVI. Idipsum clarissimè mihi videtur innuere Matthæus cap. 1. in his verbis: *Ioseph autem vir ejus cùm esset justus, &c.* In quibus verbis observandum quod ubi Evangelista pronunciavit virum Mariæ, dum etiam justum dicit justitiâ scilicet universaliter sumptâ. Sed quomodo? non utique asserendo, sed supponendo tanquam rem incontestabilem, quæ nulla indiget probatione, quippe ita per se claram & notam, ut de eâ nemo ambigere possit? unde autem ita indubitata, nisi quia virum Mariæ prius pronunciarat? ut porrò hoc ita indubitatum quod justus ex eo quod vir Mariæ, ita eâdem ratione eâ justitiâ justus, quæ decebat virum Mariæ, quæ decebat virum, qui cum uxore tam sublimi, erat spiritus unus, cor unum, anima una.

## SECTIO III.

### *Dona quæ ei adjecta sunt ad ornamentum.*

XXVII. HUjus generis ornamenta ei etiam concessa, & à Deo immediatè, & mediante Virgine Sponsâ suâ lectissimâ, idque sacri hujus contemplatione conjugii, mihi certissimum est, à Deo immediatè, probatur ex loco Divi Bernardini Senensis jam jam. num. 25. allato, ubi evidenter Sanctus ille Pater distinguit inter gratias quas recipiunt illi; quiad communem sanctitatem electi sunt, & illi qui ad singularem, statumque aliquem sublimem: videturque innuere, quod primi illam tantùm recipiant gratiam, quæ sanctitati illi; adquam electi sunt, commensuratur: alii verò, non eam tantùm quæ sublimi suo statui correspondet, sed aliquid amplius, quo *copiosè decorantur*, quæ doctrina verissima est, & vel inde mihi multum placet, quod cum hi ultimi à Deo singulariſſimè diligantur, ideò in illos se quodammodo effudit.

XVIII. Atqui certum est statum sponsi Virginis Matris Dei esse sublimissimum, non ergo illa solum dona recepit ejus contemplatione, quibus ad tam sublimem dignitatem dignè compararetur, neque illa solum quæ tali qualitati & dignitati congrua sunt & conjuncta, sed & alia quàm plurima, quæ Deus, qui dives est in misericordiâ adjecit ut copiosè decoraretur.

XIX. Mediante verò Virgine quæ etiam receperit? quantùm ex ejus conversatione, convictu, & exemplis profecerit? quanta ejus meritis & precibus obtinuerit, quis edicere sufficiat?

XX. Primò, quantùm ex ejus conversatione profecerit, collige ex illo D. Petri Apostoli Epist. 1. Canon. c. 3. vers. 1. & 2. *Mulieres subditæ sint viris suis, ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram*, & ex illo Pauli Apostoli 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem.* Inter peccata nullum durius infidelitate aut hæresi! inter homines, sexus masculinus firmior, & inflexibilior: sanctificare, opus omnium difficillimum: & hoc tamen totum potest mulier licet infirma & imbecillis. Cùm enim sit gratiosa, & ametur à viro, ei-que jugiter adsit, in ejus animam se sicut aquam in spongiam sensim insinuat, illumque occupat, & occupatum tandem quocumque vult inflectit.

XXI. Hoc modo lucrifactus est Sisinius Deo

Deo per uxorem suam Theodoram: Flavius Clemens per sanctam Domitillam: Sanctus Valerianus per Sanctam Ceciliam: S. Adrianus Martyr per Sanctam Nataliam: Patricius pater Sancti Augustini per Sanctam Monicam: & infiniti alii. Eodem modo etiam Reges quàm plurimi, quos inter Clodoveus Rex Francorum adhuc Gentilis per Sanctam Clotildem, apud D. Gregorium Turonens. lib. 2. de Gestis Francorum cap. 30. Hermenegildus Rex Gothorum postea Martyr per Indegundem, apud Baronium tom. 7. ad ann. Christi 383. Agilulphus Hæreticus Arrianus Rex Longobardorum per Theodolindam Bavaricæ domus decus & ornamentum apud Paulum Diaconùm lib. 4. cap. 2. Arnulphus Rex Persarum per Cæsaream tempore Mauritii Imperatoris apud Baron. ad annum Christi 593, ex Paulo Diacono & Gregorio Turonensi.

XXXII. Quod si hæc possunt fœminæ, & potuere jam nominatæ, quid ergo non potuit, quid non effecit Beatissima Virgo verbis & exemplis in Sponsum suum D. Josephum, sibi cœlitus datum, non infidelem, non ferum, sed mitem, mansuetum, tractabilem, Sanctum? *Si nos miseri*, inquit Divus Bernardinus Senensi loco citato, *ex cohabitatione Virorum Sanctorum, qui respectu hujus Virginis nihil sunt sæpè tamen & multum proficimus, quantùm existimabimus Divum Iosephum cum sacra Virgine profecisse?*

XXXIII. Secundò, nec minus suis precibus profuit Beatissima Virgo Divo Josepho Sponso suo. Si enim illa in re temporali vino scilicet quod deficiebat in nuptiis Canæ Galileæ, tantùm potuit ut in gratiam sponsorum Christus Dominus primum signorum suorum ediderit aquam convertendo in vinum, cum tamen, ut ipse testatur, necdum venisset hora sua pro istius modi signis, ne quid matri intempestivum licet, aliquando recusasse videretur. Quid illa non potuit in spiritualibus pro proprio Spōso tam impensè dilecto, & dilectionem tā bene merito? an ab illâ quę temporalia petens, exaudita est tamen pro reverentiâ suâ, Christus avertit faciem suam, quando pro sponso suo sanctissimo, etiam de se bene merito, spiritualia postulavit?

XXXIV. Memorabile est valde quod scribunt Joannes Curopalata & Gennadius Constantinopolitanus Patriarcha in expositione Cōcilii Florentini sess. 5. de Theophylo, Imperatore Balbi Michaëlis filio sceleratissimo, precibus Theodoræ Augustæ & piæ uxoris suæ ab æternâ damnatione evidentissimè liberato. Hic cùm in hæresim eorum prolapsus esset, qui sacras imagines oppugnabant, vulgò Iconoclastarum, in alia quoque scelera pronus statim prorui: Nam in Catholicos ab exordio ad finem Imperii sui diris modis sævire non destitit, ut non in eos iratum, sed furiosum dixisses. Atque ut uno verbo ejus nequitiam complectar, & palam faciam sævitiam Herodianæ similem, quam expirans exercuit, paucis excipe ex Joanne Curopalatâ.

XXXV. Hic perditissimus Imperator ut sibi vitæ finem adesse sensit, in obscurissimum carcerem Theophobum conjici imperat ad Bucoleonem, hoc solo nomine reum, quod de affectato Imperio haberet suspectum, voluisset secum totum Imperium perire ne haberet successorem: hic non stitit ejus barbaries, sed appropinquante fine eum educi jubet, educto caput amputari, caput amputatum sibi affer i: allatum manibus per capillos apprehendit, quod rabie conspiciens, in hanc supremam vocem erupit. *Neque post hæc ero Theophylus, neque tu Theophobus.* Ita miser hâc novissimâ in virum innocentissimum exatiatus crudelitate, ad vitæ finem appropinquavit, in quo constitutus justo Dei judicio os ejus toties blasphemum ita diductum est, ut per illud ejus viscera conspici possent. Rapitur interim ad tribunal, sed ô rem mirabilem supra modum! cùm preces pro eo à Viris Sanctis & piâ Imperatrice assiduè effunderentur, ei venia data est: Theophylum quippe Imperatrix conspexit in somnis vinctum, tractumque ab innumerabili præcedentium & subsequentium multitudine: ante illum ferebantur diversa instrumentorum genera ad torquendum accommodata, ipiaque videbantur eos sequi, qui ad supplicium adducebant,

quo usque ad conspectum terribilis Judicis pervenerunt, Theophylumque ante ipsum statuerunt: Provoluta igitur ad Judicis illius tremendi pedes Augusta profusis lacrymis Judicem pro Viro suo deprecabatur, ad quam dixit, Mulier magna est fides tua, propter te, Sacerdotumque tuorum preces Conjugi tuo do veniam: Tuncque ministris suis dixit: Solvite eum uxorique ejus reddite. Vide Cardinalem Baronium tomo 3. Annal. ad annum Christi 842.

XXXVI. Si ergò potuit Theodora viro suo tam scelesto, capiti cœlo adeò exoso gratiam, veniam, & salutem, cujus adeò indignus erat, suis precibus & lacrymis impetrare, quid non potuit Maria, cui Deus nil potest negare, pro Viro suo Divo Iosepho, inde ab utero tam sancto, & de Deo tam benè merito?

XXXVII. Verùm enimverò cùm Maria Deipara esset super omnes Cœli gazas, ejusque amor quo dilectissimum Sponsum medullitus prosequebatur, non esset in carne, sed in spiritu, immò quod in carne non habuit, in spiritu duplicatum habuerit, quos quæso effectus spirituales produxit tam intensus, tam incensus amor? Quis dubitet illam eum fecisse participem omnium, quibus ipsa affluebat, & ille capax fuit Divinorum Charismatum? idque jam non ex hoc quod utriusque bona conjuges fiant per conjugium communia: sed vel ex eo solùm quod Maria omni cordis affectu eum uti omnium hominum amabilissimum prosequeretur, & ob arctissimam animorum unionem, ob perfectissimam morum conformitatem.

XXXVIII Hinc Divus Bernardinus Senensis loco citato. *Quia*, inquit, *noverat Virgo quanta erat unitas matrimonialis in spirituali amore, & sciebat Iosephum sibi à Spiritu sancto datum in Sponsum, & suæ Virginitatis custodem, & ad participandum secum in charitatis amore & obsequiosâ sollicitudine divinissimam Prolem Dei, ideò credo quod totius ex cordis affectu eum sincerissimè diligebat: Amplius, cùm omnia quæ sunt uxoris sint viri, credo quod Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei liberalissimè exhibebat.*

XLIX. Pulchrè noster Christophorus Avendano sermone de Sancto Josepho §. 4. Habuit, inquit, duos Beatissima Virgo « Sponsos sui amantissimos, Spiritum « Sanctum scilicet & Divum Josephum: « & hoc ei evenit quod Domicellæ, seu « Amasiæ, quæ duos habens Amatores, « ab utroque certatim colitur & amatur: « Diligebat Mariam Spiritus Sanctus, « diligebat & Joseph, & uterque illam « velut ex contentione honorabat. Sed « cùm Spiritus Sanctus eam diligeret a- « more infinito, Joseph autem tantum « non posset, in hoc seipsum consolaba- « tur, quod posset amore laborioso & « operoso, quod vicissim non poterat « Spiritus Sanctus. Hinc Abbas Rupertus in Matthæum. *Ad omnes calamitates & ærumnas, quas ipse Spiritus Sanctus ferre non poterat, pignoravit Sanctissimum Iosephum.*

L. Spiritus Sanctus ergò ex amore illo infinito quo Mariam diligebat, in eam immensa congessit gratiarum dona, ut non sibi solùm plena, sed etiam aliis super-plena fieret, illarum utique Thesauraria & Dispensatrix ab eo constituta: Joseph verò cùm hoc non posset, pro eâ sollicitus erat, pro eâ vigilabat, pro eâ laborabat, pro eâ æstuabat, pro eâ sudabat, pro eâ advena & peregrinus erat, animo ingenti, quod Spiritus sanctus minimè poterat.

LI. Quare Beatissima Virgo cùm duos illos haberet sui amantissimos Sponsos, Spiritum Sanctum & Divum Josephum, quidquid illi à Spiritu Sancto veniebat, ejus Divum Josephum participem faciebat: maximè cùm optimè convenirent isti duo Amasii, in idque lubentissimè consentiret Spiritus Sanctus, ex quo illum ad omnes labores, calamitates, & ærumnas, quas pro eâ & Christo ipsemet ferre non poterat, Josephum pignoraverat.

SECTIO

## SECTIO IV.

### *Ultima Laus Divi Josephi ex hâc conjunctione quod ea quoque profuerit ipsi Divæ Virgini.*

XLII. Licet primo aspectu hæc propositio insolens videri possit, quod scilicet Beatæ Virgini profuerit ipsius cum Divo Josepho conjunctio, antiqua tamen est veritas, pro quâ audiendus primò Divus Augustinus tom. 10. in Appendice sermonum de diversis serm. 25. circa finem vel quisquis est Author illius ubi hæc habet verba: *Habe Joseph cum Maria conjuge tuâ virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum: sit Maria Sponsa Christi virginitate servata. Sis autem & tu Pater Christi curâ castitatis, & honorificentiâ virginitatis, ut de virgineis membris genitricis, sæculis Christianis nulla sit zelotypia:* quem locum accommodans Divo Josepho ex Patribus nostris Discalceatis Pater Elias à Sanctâ Teresiâ Opere in duo volumina distincto, cui titulus Legatio in Epist. nuncupat. ad Divum Josephum, observat acutè in eo esse manifestum mendum in his verbis: *Sit Maria Sponsa Christi virginitate servatâ:* cùm enim immediatè post convertens se ad D Josephum subdat. *Sis autem & tu Pater Christi curâ castitatis & honorificentiâ virginitatis, &c.* manifestè patet in prioribus verbis loco istorum verborum, *Sit Maria Sponsa Christi*, debere esse, *Sit Maria Mater Christi virginitate servatâ*, ut sit sequela in eo quod subditur, *Sis autem & tu Pater Christi curâ castitatis, &c.* loco igitur hoc ita restituto, accipe illius genuinum sensum & interpretationem ex præcitato Patre nostro Eliâ à Sanctâ Theresiâ.

XLIII. Alloquitur Sanctus Augustinus, vel alius si alius est istius sermonis Author, loco isto Divum Josephum occultè dimittere volentem Mariam conjugem suam, atque dicit ei. *Habe*, idest, cole *cum Mariâ conjuge tuâ virginitatem membrorum.* Neque hoc à te infructuosè aut inutiliter faciendum existimes, *quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum:* hoc est qui virginitatem, quæ in membris carnis est, colunt, virtute ac meritis sunt pares Angelis: quod autem subdit juxta præcedentem correctionem. *Sit Maria Mater Christi virginitate servatâ*, intellige, inquit noster Elias à Sanctâ Theresiâ, virginitatem non ut ab ipsâ servatam sed ut à Divo Josepho, qui Mariani pudoris custos & servator à Deo electus est & extitit. Et sensus est: Sit Maria Mater Christi virginitate ejus servatâ per te ô Joseph! quem semper alloquitur per apostrophen, & quod Maria sit Mater Christi, ex hoc ipsa tibi teneatur, nam ideò facta est Mater Christi, quia tu virginitatem illius, in quam ex lege matrimonii jus habebas, conservasti.

Ex quo pondera Divi Josephi digni- XLIV.
tatem ac immensum ipsius de Beatissimâ Virgine meritum: Quod enim hæc Dei Mater sit, hoc ipsa post Deum debet Divo Josepho nam virginitas illi, ut diximus, maternitatem istam attulit, virginitatem autem illius, Divi Josephi temperantia servavit. Ex quo facilè quilibet eliciet quantis pia illa ac gratissima conjux, & erga omnes etiam immeritos adeò misericors & munifica, argumentis gratiam hanc rependerit.

Subditur deinde loco præcitato, *Sis* XLV.
*& tu Pater Christi cura castitatis, & horificentia virginitatis*: quasi diceret, dum sponsæ tuæ castitatem curasti, ejusque virginitatem honorando, eam ut optimus custos tuâ servas atque defendis temperantiâ, non solùm id efficis quod illa sit Mater Dei, sed etiam id tu obtines quod fias ejusdem Dei Pater: sicut enim alii mariti ductis uxoribus, filiorum quos illæ pariunt patres efficiuntur, illarum virginitate corruptâ, sic tu è contra, sponsæ tuæ Mariæ Virginitate servatâ, Christi filii ejus Pater efficeris: Nam quemadmodum aliis filiis nascendi causa est usus conjugii, ita è contra Christum concipiendi & gignendi causa fuit abstinentia ab hoc usu: Salvatorem enim aliter nasci decebat quam cæteros homines, nec aliter nasci quam ex muliere incorruptâ.

XLVI. Unde etiam fiet, inquit idem locus ex Augustino qui suprà, *ut de virgineis membris Dei genitricis sæculis Christianis nulla sit zelotypia*, idest te ô Joseph! virginei pudoris custode ac servatore castissimo futurũ est, ut deinceps nullis sæculis unquam Christianos ulla tangat aut urat temeratæ virginitatis Mariæ suspicio, sed certissimè omnes creditur i sint, illam licet parientem, Virginem tamen illibatam permansisse: unde consequenter Divo Josepho tota debet Ecclesia quod ei omnem abstulerit de virginei partus puritate ambiguitatem.

XLVII. Ideoque cùm Joseph antiquus Ægypti Pro-rex fuerit, ut toties repetimus figura hujus castissimi Virginis Sponsi, meritò in eo impletum & expressum dico quod de illo dicit Scriptura sacra Genes. 49. v. 25. *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus Cœli desuper, benedictionibus abyssi jacẽtis deorsum:* per istam abyssum intelligendo vel Mariam vel uterum ejus, & per benedictionem Cœli desuper operationem Spiritus sancti ex quâ conceptus est in illâ Christus: cùm enim ut illud profundissimum mysterium per Spiritum sanctum in utero Virginis perficeretur, ita Divus contribuerit Iosephus, quis negare poterit ipsum in eusdem abyssi super benedictæ benedictionum participationem uberrimam venire debuisse?

XLVIII Audiendum secundò, pro hâc nostrâ Thesi quid ipsa Beata Virgo de se ipsâ ex mente Sanctorum Patrum & Ecclesiæ loquens dicat Ecclesiastici cap. 24. Ibi sic illa inter alia vers. 18. *Quasi palma exaltata sum in Cades*, ubi alia versio pro *exaltata sum* habet *maritata sum:* adeò ut juxta hoc in Beatâ Virgine idem sit esse maritatam, & esse exaltatam: sed hoc quâ ratione?

XLIX. Primò, quia Divus Iosephus cui maritata fuit, ita sanctus extitit, talibus gratiæ ornamentis instructus, tot & tantis Cœli divitiis cumulatus, ut Virginis gloriæ non parvæ cedat, quod virum tam sanctum, tam perfectum, adeò in omni virtute consummatum habuerit, debueritque habere.

L. Memoriæ proditur quod quondam nobiles matronæ Athenienses ex condicto instituerunt circulum sive Conventum magnificum, ad solemnem opum suarum, margaritarum, uniorum, gemmarum, adamantum, cœteriique mundi muliebris vanam ostentationem. Die igitur statuto convenerunt omnes fulgentes in jocalibus, auro, & gemmis ut cœlum in stellis: sola inter illas uxor Phocionis ibi comparuit in habitu modesto, sed honesto, quam propterea aliæ comptulæ, quæ se ornaverant ut ad scenam, vel ad triumphum, riserunt tanquam innocentem & simplicem: verùm illa quæ pluris faciebat, vitam suam sapientibus viri sui effatis, quàm fatuis mundanarum deliriis aptare, exinde ne vel minimùm commota, sed mente stabili, sic illas sapienter & modestè affata est: non sine consilio ô Dominæ meæ! hîc ego inter vos adsum in vulgari meo habitu: poteram ut & vos divitias meas, quæ non desunt ostentare, sed volui vobis ostendere, me unicum id æstimare, & magni facere, quod sim uxor Phocionis. Si hæc illa de suo Phocione, quid Beata Virgo de suo Iosepho?

LI Secundò exaltata Maria quia maritata, quia ut Divus Josephus in Mariam conjiciens oculos, ejus puritatem, modestiam, humilitatem, charitatem, &c. intuens mirabatur, & ad easdem virtutes imitandas animabatur: ità quoque Maria ex Divi Josephi maximis virtutibus suo modo profecit. Intuens enim Sponsum suum tam sanctum, tam humilem, tam modestum, &c. cor ejus cœlesti perfundebatur suavitate, atque in Dei tantarum virtutũ Authoris laudem & amorem magis inflammabatur. Hinc benè D. Hieronym. de nominibus Hebraicis observat quod *Cades* interpretatur Sanctitas, ut intelligamus in hâc nostrarum cõjunctione palmarum, (*Quasi palma exaltata sum in Cades*) nihil non redolere sanctitatem: Erant ergò illi duo Sacri Conjuges, quasi duo carbones accensi qui ex approximatione se invicem inflammant: erant quasi duo uniones orientales, qui juxta se positi pellucidiores apparent & elegantiores; erant sicut duo illi Seraphini apud Isaïam Prophetam qui alarum collisione reciproca se mutuo ad Dei laudes canendas provocabant.

Tertiò, ut intellligas quomodò ex- LII
altata

altata Maria ex hoc quod maritata: nota quod in humanis conjugiis Pater tenetur uxori suæ de suâ Paternitate, & Mater Marito de suâ Maternitate: non quod uxor Paternitatem, maritus Maternitatem producat ex toto, vel ex parte; stat enim utraque ex utriusque propriâ causalitate, sed quia cùm sint tantùm causæ partiales unius & ejusdem Prolis nisi unirentur in agendo nunquam poneretur proles, ad cujus tantùm positionem exurgit relatio Paternitatis in viro, Maternitatis in uxore.

LIII. Simili ferè modo tenetur Beata Virgo Divo Josepho Sponso suo de suâ Maternitate: Licet enim hîc non concurrerit cum ipsâ Virgine ad productionem Christi, concurrit tamen nomine ipsius Spiritus Sanctus, qui in hâc productione ipsius vices ex infinitâ dignatione supplere dignatus est: quod autem quis per alium facit hoc modo, ideſt supplendo vices, & ex intentione supplendi, per se ipsum facere censetur: Hinc optimè dicitur *Palma maritata Maria.* Quemadmodùm enim in naturalibus palma fœmina ut fructum suum ferat, necessariò maritari debet & conjungi palmæ mari, non aliter illum productura: ita quoque Beatissima Virgo Deipara secundùm præsentem Decretorum Divinorum statum Divo debuit Josepho conjungi, ut Christum Dominum ex se proferret. Atqui ex hoc quod illa Christum protulit benedictum fructum ventris sui, tota ejus magnitudo & exaltatio ut constat, ergo & hæc quoque conjunctio Virgini profuit, ut & Divo Josepho, qui per illam pariter Christi Pater effectus est: Quid ergò Sanctissima Virgo illi cui hoc debuit non rependit quæ tantùm potuit.

LIV. Hanc quoque rationem ex Augustissimo haurio Augustino tomo 7. lib. 1. de Nuptiis & Concupisc. cap. 11. ubi postquam statuit verum inter Mariam & Joseph Conjugum, esto inter illos non fuerit nec debuerit esse concubitus carnalis: elevans conceptus suos, addit: *Propter quod fidele Conjugium Parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solum illa Mater, verum etiam ille Pater ejus, sicut Conjux Matris ejus, utrumque tamen mente non carne.* Ubi vides Divum Augustinum velle non tantùm Divum Josephum, sed etiam Mariam per hoc fidele Conjugium meruisse ut vocarentur parentes Christi. Ambo, inquit, meruerunt; quomodò verò ambo? Maria ut Joseph? nisi modo jam explicato, cum mutuâ ad invicem post Deum obligatione, Josephi ad Virginem pro suâ Paternitate, & Virginis ad Josephum pro suâ Maternitate.

Et quia ex dictorum paroëmia in geminatis non cadit error: Confirmatur iterùm ex eodem Divo Augnstino sibi in hac doctrina constante ibidem paulò infra in his verbis. *Sed cum illo* (ideſt Josepho,) *non seminante illa peperisset, profectò nec ipsius formæ servi parentes ambo essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione conjuges essent.* LV. Ubi duo dicit Augustinus: primum, quod ambo sint parentes formæ servi in Christo, esto Divus Josephus non seminaverit: secundum, quod illius formæ servi parentes ambo, ideſt non solùm Joseph, sed etiam Maria non fuissent nisi fuissent inter se conjuges sine commixtione carnis: Ex quibus patet quod in argumento hujus Sectionis proposuimus, scilicet quod hæc Conjunctio seu Matrimonium ipsi quoque Divæ Virgini profuerit.

Finio hunc Tractatum per Verba Divi Gregorii Nazianzeni orat. 11. de LVI. funere Gorgoniæ Sororis suæ. Hic Magnus Antistes ex singulari Divinarum Litterarum scientiâ cognomento Theologus, post elatam usque in Cœlum Gorgoniam præfatam, digrediens ad laudes Ursalii ejus mariti, eas sic compendio absolvit. *Vultis uno verbo Virum describam? Vir erat illius Gorgoniæ, nec enim scio quid amplius dicere necesse sit. Vir erat illius cujus unus rubor placebat quem pudor affert; unus candor quem parit abstinentia, nam pigmenta & fucos scenicis & meretricibus relinquebat. Vir erat illius quæ corpus penè sine cibo velut materiæ expers retinebat, & ante mortem mori cogebat. Vir erat illius, quæ noctes insomnes divinis psalmodiis traducebat, & tenera membra solo insternebat, &c.* Quod si ita ille magnus Antistes,

tistes, & summus Theologus de Ursalio, quod Vir fuerit tantæ Mulieris Gorgoniæ: Quàm potiori ego jure dicam de Divo Iosepho vultis uno verbo dicam quantus fuerit? Vir fuit illius Mariæ: vultis scire quantâ puritate, pietate, humilitate, prudentiâ, charitate, contemplatione, modestiâ, castitate, sanctitate, meritis, dotibus corporis & animæ Sanctus Ioseph exornatus fuerit? Uno verbo absolvam, Ioseph Vir Mariæ de quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus: nec enim scio quid amplius dicere necesse sit. Quanquam tamen amplius adhuc restat dicendum, quod scilicet fuerit Pater Christi & Dei, quæ materia est Tractatus qui sequitur.

---

# TRACTATUS SECUNDUS.

# DIVUS JOSEPHUS
## Pater Jesu.

NOMEN Patris cùm sit nomen pietatis, & potestatis, ut etiam docuit antiquissimus Tertullianus, nomen est magnificentissimũ & honorificentissimum: Propterea Senes qui ab ipsâ senectute venerabiles censentur, non parùm se honorari putant cùm eis à nobis illud nomen *Patris* tribuitur.

Tantum est istud nomen, tam honorificum, tam magnificum, ut etiam Reges & Principes, aliaque Reipublicæ columina, illud pluris fecerint, &, si sapiunt alii, pluris facere debeant, æstimareque se magis honorabiles esse dum Patres populi appellari suis factis merentur, quàm ipso Regali titulo, qui tamen summi culminis est: Et quid mirum cùm & ipsis Diis hoc nominis honoris gratiâ tributum sit. Vide Virgilium lib. 2. Æneidos, maximè lib. 2. Georgic. Gellium lib. 5. cap. 12.

Quod si illa appellatio adeò honorifica respectu hominum nobis similium, quanta quæso erit illa in Divo Josepho, qui talis est per respectum ad Deum? Ptolemæus Rex à divitiis, à potentiâ, ab armis, à sapientiâ & judicio famosissimus, cessit adhuc vivens Coronæ & Regno in favorẽ Filii sui: cùmq; Aulici sui id vehementer dissuaderent, quod valdè indecens videretur Regem in senio tali se exuere Majestate: Respondit sapienter, se pluris facere Patrem Regis dici, & esse, quam Regem: Ita Joannes Baptista Fulgosius lib. 5. cap. 7. de Parent. Indulgent. erga liberos. Quanta ergò erit tua ô Sanctissime Joseph! gloria, qui non hominis Regis, sed Dei hominis Pater, & verè Pater existis? Hanc gloriam hoc Tractatu pro viribus exequimur.

## CAPUT PRIMUM.

### *Divo Josepho nomen Patris respectu Christi Domini rectè tribuitur.*

*Magnum*, inquit Abbas Rupertus de Gloriâ filii hominis lib. 1. *& verum nomen Beato Ioseph Matthæus attribuit, quia si est Vir Mariæ, est & Pater Domini, &c. Ergò Vir Mariæ Ioseph & ipsa Vxor illius. Proindè nec iste ineptè dixit Ioseph Virum Mariæ, nec alius Evangelista mentitus est Patrem illum, ejus qui in eâ natus est Christi, appellando. Et erat inquiens Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.* Quid ergo mirum quod in asserẽda ei istâ dignitate adeò

adeò desudaverint olim Sancti Patres, maximè Divus Augustinus, nunc-que desudent Viri omni exceptione majores ex omni ordine & statu, ipsi devoti; quandoquidem etiam in ipso solo nomine tanta sit gloria?

II. Duas Theologi solent movere quæstiones ad hoc propositum non parùm servientes. Prima, an Christus ut Homo dici possit Filius Spiritus sancti, & Spiritus sanctus ejus Pater: Secunda, an possit dici Spiritus sanctus Sponsus Mariæ, & Maria ejus Sponsa: Ratio utriusque dubii est, quod Spiritus sanctus Christum in Mariâ sibi voto conjunctâ, produxerit.

III. Prima quæstio proposita fuit in Concilio Toletano undecimo, & à Patribus in eo congregatis, resolutum fuit negativè, & dictum quod Spiritus sanctus nullatenùs deberet appellari Pater Christi, sed tantùm Author Incarnationis, & Operator illius mysterii, quod similiter ante docuerat Divus Augustinus tom. 3. in Enchirid. cap. 38. quos sequuntur omnes Theologi cum Divo Thomâ 3. part. quæst. 32. art. 3. propter rationem à Divo Augustino loco citato tactam, quia scilicet Christus ut Homo non est natus de Spiritu sancto ut Filius ex homine, in similitudinem naturæ: quam latius explicat Divus Thomas artic. citato in corpore ibi videndus.

IV. Pro secundâ quæstione concludunt omnes Theologi affirmativè, dicentes quod sine ullâ ambiguitate, vel erroris suspicione, Spiritus sanctus possit dici Sponsus Mariæ, & Maria Sponsa Spiritus sancti, quia nimirum & illa Spiritui Sancto per votum corpus suum dedicavit fide inviolatâ, & ipse eam fœtu divino imprægnavit.

V. Sed si ita est quod Maria sit verè Sponsa Spiritus sancti, quodque Christus in ea virtute & operâ ejus conceptus sit & efformatus, quid quæso causæ est, cur Spiritus sanctus non possit dici Pater Christi, dicatur verò Divus Josephus, qui eum non produxit, ex hoc quod Virgo Christum concipiens fuerit sponsa ejus? Hîc captivandus intellectus sub Deo.

VI. Cæterùm qualis est ille Cœli favor, quod Spiritus sanctus qui Christum in Mariâ Sponsâ suâ produxit; Josepho concesserit ut & Pater Christi & Sponsus Mariæ simul appelletur, & verè, ipse verò altero istorum titulorum, & quidem minore contentus, Sponsus tantùm Mariæ dicatur? Quis non obstupescat quod pauper Faber lignarius unam cùm ipso Patre æterno appellationem sortiatur, & alteram Sponsi scilicet Beatæ Virginis etiam cum Spiritu sancto participet?

VII. De Macedonum Monarchâ Alexandro Magno tradunt qui ejus acta prosequuti, quod cum die quâdam haud procul Corintho castra metasset, cives omnes illius urbis obviam ei processerint, & significarint se illum in in numerum civium suorum cooptasse: quem honorem ut majoris faceret Alexander, subdiderunt, honorem hunc duobus tantùm fuisse ab ipsis delatum, nimirùm Deo Herculi, & ipsi: ac proinde rogabant, ut hoc suum observantiæ in ipsum argumentum non aspernaretur, quod Hercules è Diis unus non duxerat spernendum.

VIII. Magno Josepho tota Trinitas Sanctissima tota Ecclesia nomen Patris respectu Christi Domini nostri detulit, nomen magnum, nomen honorificum, quod duobus tantùm fuit concessum, nimirùm Deo Patri ratione generationis æternæ, secundùm quàm Christus genitus est Deus de Deo, & D. Josepho ratione generationis temporalis, secundùm quam idem Christus Homo-Deus ex solâ ejus Sponsâ, sed secum indivisibiliter unâ, est genitus operâ Spiritus sancti: unde Sanctus Cyprianus lib. de Baptismo ait: *Non est qui sibi hoc verbum Pater audeat arrogare, unus Joseph insignitur.*

IX. Hoc porrò nomen ei tribuitur in Scripturâ sacrâ non ab illis solùm qui Christum ignorabant, qui planè eum de Divo Josepho genitum erroneè putabant, Lucæ cap 3. vers. 23. & cap. 4. vers. 22. & Matth. cap. 13. vers. 55. & Joannis cap. 1. v. 45. & cap. 6. v. 41. & 42. Sed etiam ab Evangelistâ Lucâ, & Beatâ Virgine seu verius ab ipso Spiritu sancto per os utriusque loquente, ab Evangelistâ Lucâ quidem cap. 2. v. 27. ubi ait: *Cùm inducerent puerum IESVM parentes ejus* (idest Joseph & Maria)

ria) *ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo*, vers. 33. *Erat Pater IESV & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo*, vers. 41. *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschæ*, v. 43. *Remansit puer IESVS in Ierusalem, & non cognoverunt parentes ejus*, à Beatâ etiam Virgine v. 48. *Et dixit Mater ejus ad illum, Fili quid fecisti nobis sic? ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.*

X. Dices si appellatio ista Patris, appellatio est pietatis & potestatis, ut aiebat initio hujus Tractatus gravissimus Tertullianus, & nos ex illo. quâ pietate quæso indiguit qui omnibus omnia dat affluenter & non improperat? aut cui potestati subjici potuit, à quo omnis potestas est? Respondeo non ex necessitate, sed ex dignatione voluisse alterius pietate indigere, qui etiam homo, non ex necessitate; sed ex amore fieri dignatus est: voluit quoque homini subjici ex dignatione qui omnibus ex suâ dignitate præerat: *Subjectio ista*, inquit Divus Ambrosius in Lucam lib. 2. *non fuit infirmitatis sed pietatis*, ut scilicet per hanc subjectionem suam & pietatem, & nos doceret, & hominem istum Sanctissimum, Divum dico Josephum, dignificaret & eveheret.

XI. Sed & amplius audi, & cape Lector quid Divo Josepho accesserit ex hoc etiam solo quod Patris Christi nomen gesserit, quodque à Christo Pater vocitatus sit? sic enim ab eo vocatum concludo ex eo quod ipsi perfectè subditus fuerit, juxta illud Luc. 2. v. 21. *Et descendit cum eis Nazareth & erat subditus illis. Patris nomen & appellatio*, inquit Aristoteles secundo Politicor. cap. 1. *magnæ est dulcedinis*: Quare ejus frequens est usus, quando cor emollire & in nostram voluntatem efficaciter inflectere volumus. Hinc Christus Dominus in limine illius orationis, quam ipse nos edocuit, Matth. cap. 6. hâc voce nos uti voluit tanquam omnium efficaciissimâ & potentissima ad conciliandam nobis Dei benevolentiam, ut orando obtineremus: penetrat enim viscera Patris vox amoris: quod cum ita sit,

XII. Considera quomodò se habebat Divus Joseph erga JESUM? quomodò cor ejus eliquabatur & effluebat in amores JESU, quando se ab illo ore divino Patrem vocitari audiebat? explicari non potest, dici non potest, intelligi non potest. O fœlix Joseph quem Deus ipse Patrem vocare solebat! ô fœlix Joseph cujus cor ad illam vocem Patris ineffabili perfundebatur suavitate, & in purissimos exardescebat amores.

## CAPUT II.

### *De variis acceptionibus nominis* Patris.

PRÆTERMISSIS multis hujus vocis *Pater* acceptionibus, quas ad præsens institutum nostrum nihil pertinere nimis manifestum est: quales sunt primò illa, quâ viros cygneos, idest venerandâ canitie senes in ætate provectos Patres vocare solemus: Secundò illa Terentii,

*Natura tu illi Pater es, consiliis ego:*

ad quam revocari potest illa Apostoli 1. Corinth. cap. 4. vers. 15. *Etsi decem millia Pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres, nam in Christo IESV per Evangelium ego vos genui.* Tertiò, illa quâ rerum inventoribus, seu illis qui omnium primi aliquid fecerunt, & ex quorum imitatione alii idem facere didicerunt, nomen Patris tribui solet, quomodò Genes. cap. 4. vers. 20. *Iabel* dicitur *Pater habitantium in tentoriis*, & *Iubal* ejus frater *Pater canentium citharâ & organo.* Et Ioannis c. 8. diabolus dicitur Pater mendacii: & Institutores Ordinum Religiosorum dicuntur eorundem Patres, ut Sanctus Elias Propheta Carmelitarum; & ita de cæteris. Quartò, illa quâ ex extraordinario & singulari affectu & beneficiis aliqui dicuntur Patres, vel multorum in communi, quomodò Razias 2. Machab. cap. 14. appellatus est Pater Judæorum; Augustus Imperator consentiente Senatu à populo Romano salutatus est Pater Patriæ apud Sueton. in Augusto, cap. 58. vel alicujus in particulari, quomodò Naaman Principem militiæ Regis Syriæ vocant domestici Patrem 4. Reg. cap. 5. & Fabium Minutius apud Plutarchum in

Fabio,

Fabio, & aliis similibus.

II. Quinque sunt aliæ insignes hujus vocis acceptiones, ita apud omnes gentes receptæ, ut cùm quis alterius dicitur Pater, statim quivis vocem illam intelligens accipiendam judicet secundùm unam illarum quinque acceptionum.

III. Primò, igitur & præcipuè dicitur aliquis alterius Pater *Generatione*; quando scilicet ex propriâ suâ substantiâ genuit eum, qui dicitur ejus filius, sibi similem in naturâ, idque duobus modis, primò immediatè, sic prima Persona Sanctissima Trinitatis est & dicitur Pater Verbi, sic Abraham Pater Isaac, David Pater Salomonis, &c. Secundò mediatè, quomodo Christus Dominus & Divus Josephus dicuntur Filii Davidis, & David eorum Pater Matth. cap. 1. & omnes Judæi dicuntur Israëlitæ ab Israël eorum Patre, Jacob scilicet filio Isaac immediatè, filii Abrahæ, ab Abramo ex quo & ipsorum parentes & ipsi.

IV. Secundò, apud Judæos dicitur aliquis alterius Pater *legali substitutione*. Nam apud illos viro sine liberis vitâ functo, primogenitum ab ipsius fratre in ejusdem demortui suscitatum uxore, quam eo fine ducere tenebatur, lex defuncto substituebat & addicebat, ac si ab eo genitus fuisset, ita quod hic non generantis filius censeretur, nec hujus nomen gestaret, aut hæreditatem adiret, sed defuncti pro quo generabatur: verba istius legis Deuteronomii cap. 25. sunt hæc: *Si habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit uxor defuncti, non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex eâ filium nomine ejus appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israël.*

V. Hujus ergo legis beneficio, primogenitus ex fratre superstite & uxore defuncti, duos habet Patres, unum naturalem seu generatione, illum scilicet à quo genitus est: Alterum legalem, illum nimirùm qui defunctus est, cui ille eum ex Legis Dei ordinatione genuit, qui dicitur ipsius Pater legali substitutione: quia ille qui eum genuit se eo abdicat ex præcepto legis, & quasi suus non esset, à se & hæreditate suâ repellit & substituitur ex eodem præcepto legis, & Dei voluntate, in nomen & hæreditatem fratris sui defuncti, ac si ab illomet genitus esset.

VI. Tertiò dicitur aliquis alterius Pater *affinitate*, quando scilicet quis mediante matrimonii vinculo (per quod utique fiunt conjuges una caro) aliquis efficitur Pater illius, cui nupsit filia vel filius à se genitus: ut enim D. Augustin. lib. 22. contra Pelagium c. 61. *Si vir & uxor est una caro, non aliter nurus est deputanda quàm filia.* Sic Genesis c. 37. v 35. ubi in vulgatâ nostrâ legitur, *Congregatis autem cunctis liberis* (id est Jacob) *ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere.* Hebræa habent sic: *Omnes filii & filiæ Iacob surrexerunt ad consolandum eum.* Utique super existimatâ morte filii sui Joseph: quod certè intelligi nequit de filiabus Jacob, quarum ipse esset Pater *Generatione*; cùm unicam tantùm habuerit, scilicet Dinam, ut constat ex Scripturâ, ergò de nuris seu uxoribus filiorum intelligendus est hic locus.

VII. Quartò dicitur aliquis alterius Pater *Adoptione*, qui non naturâ genuit filium, sed ab alio genitum, voluntate suâ ac benevolentiâ suum facit: Est enim Adoptio *Actus legitimus à voluntate procedens, per quem quis efficitur filius qui non est, naturam imitans.* Glossa Institut. de Adopt. in §. 1. verbo *Adoptio est.* Sic Mardochæus fuit Pater Esteris postea uxoris Assueri Regis; sic Brutus dicitur fuisse filius Cæsaris.

VIII. De filiis hujusmodi Theodoricus Rex Gothorum apud Cassiodorum lib. 4. epist 2. eleganter pronunciavit, *Ignavi esse non possunt quos judicia pepererunt.* Quibus verbis adoptivos naturalibus videtur præferre filiis, quos enim natura dederit ii quales quales fuerint accipiendi: sed quos meliores & digniores judicamus, eos adoptione eligere solemus.

IX. Quintò tandem & ultimò dicitur aliquis alterius Pater *Educatione* seu *Nutricatione*, quales sunt Nutricii, qui non genuerunt quidem prolem, sed ab alio genitum aluerunt, & alendo conservarunt: Nec immeritò, nonne enim ille Pater censendus, qui effusum in lucem partum excipit & fovet? Qui à genitoribus fortè abjectum, humanâ, ut

vivat, ope omninò indigentem curavit, & perduxit ad annos quibus ipse sibi jam providere posset? Quin hic potiùs Pater quàm ille. Et certè si Pater dicendus est qui vitæ momentum mox extinguendæ exiguis artubus infudit, an non ille potiori jure pater, qui eum per alimentum conservando & augendo, ad plures annos produxit? Sic filia Pharaonis Actor. cap. 7. vers. 21. dicitur Moysem ex aquis ereptum nutrivisse in filium.

X. His ita prænotatis & præstructis, restat ut in materiam hanc locupletissimam, & campum laudum Divi Josephi ampliſſimum ingrediamur: videamusque quâ ratione hoc tam magnificum nomen Patris, quod eidem Divo Josepho Sacra Scriptura Capite præcedenti num. 9. tam disertè tribuit respectu Christi Domini competat.

## CAPUT III.

### *Non est Divus Iosephus Pater Christi Domini Generatione.*

I. MATRIMONIUM Divæ Deiparæ cum Sancto Josepho, & quod eo pendente Christus non solùm genitus fuit, sed etiam conceptus, occasionem dedit omnibus Judæis illius temporis, quibus id perspectum fuit, ut existimarent Divum Josephum esse Patrem Christi, primò ex istis quinque modis, scilicet generatione, quomodò cæteri maritati sunt patres filiorum qui tempore matrimonii sui in suis uxoribus cõcepti sunt, & ex iis geniti. Ignorantes enim mysterium, quod licet esset prophetatum, nondum erat tamen publicatum, imò quod Deus volebat tunc esse occultatũ, quia ita necessarium erat, quomodò potuissent aliter judicare, quàm quod Christus esset ex Josepho genitus? Hinc Lucæ cap. 3. vers. 23. *Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph.*

II. In hoc errore qui initio inculpabilis erat propter jam dicta; præfractè perstiterunt postea, & nunc adhuc perstant perfidi Judæi, quorum obstinatio inexcusabilis est modò post tantam Evangelii lucem.

III. In hunc quoque errorem impegerunt Hæretici *Cerinthiani* in ipsis Ecclesiæ cunis, ut testatur Divus Epiphanius hæres. 28. *Carpocratitæ* apud nostrum Guidonem Perpinianum Summâ de Hæresibus allegantem Divum Augustinum lib. de Hæresib. & D. Isidorum lib. 12. Etimolog. *Photiniani* apud Venerabilem Bedam in cap. 2. Lucæ lib. 1. cap. 7. & nostrum Thomam Beauxamis tomo 1. in Evang. De quibus omnibus intelligendus D. Irenæus lib. 3. adversus hæres. cap. 21.

IV. Denique est & idem ille error Gentilium & Paganorum apud D. Justinum Philosophum & Martyrem quæst. 66. ad Orthodoxos.

V. Contra hæreticos faciunt illustrissima Scripturæ testimonia veteris ac novi Testamenti. Veteris, ut Isaiæ cap. 7. vers. 14. ubi clarissimè prædicitur Messias de Virgine nasciturus. *Dabit*, inquit Isaias. *Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Vide plura apud Doctores qui in hac materiâ ex professo desudarunt, vide etiam nos hîc Tractatu præcedenti cap. 4. Novi Testamenti, ut Matthæi cap. 1. & Lucæ c. 1. in quibus locis conceptissimis verbis Evangelistæ excludunt ab humanâ & temporali Christi generatione conjugalem Josephi cum Mariâ Deiparâ congressum, ac deindè disertissimè explicant à quo ipsa facta sit, scilicet à Spiritu Sancto virtute suâ Mariæ Virgini obumbrante.

VI. Judæi verò qui non recipiunt Scripturas novi Testamenti, sicut & Gentiles aliis convincuntur argumentis, si tamen rationabiles sint: ut ab impletis in Christo articulatim omnibus veteris Testamenti de futuro Messiâ Prophetiis, Sybillarum prædictionibus, & utrorumque Oraculis: quam materiam quoad primam partem latè prosequitur noster Antonius Marinarius libris tribus: quoad secundam alii benè multi: à totali excidio Regni Davidici & Gentis Judæorum subversione: à mirabili Imperatorum, Regum, Principum, Philosophorum, Oratorum & mundi Sapientum

Sapientum per Apostolos simplices & idiotas, pauperes, & inermes, ad fidem & ad Christi cultum conversione: Ab inconceptibili Ecclesiæ per martyria & supplicia inaudita, quibus suffocari debebat, incremento & augmentatione: A miraculis & portentis infinitis, & in omni genere, per Christum, Apostolos, & Christi servos ab Ecclesiæ incunabulis usque ad hæc tempora cum immani populorum stupore, & dæmonum, qui à Christo in simulachris silere coacti sunt, terrore patratis, &c. Ex quibus sole clarius evadit Christum Mariæ filium, qui putatus est dum viveret ex Joseph genitus, esse verum Messiam, prophetatum in Scripturis, in lege promissum, & à Sybillis illis prævisum, ergò consequenter ex Virgine natum juxta præallatum Isaiæ vaticinium ex cap. 7. vers. 23. & alia Scripturæ testimonia, necnon Sybillarum oracula.

VII. Dices primò, ipse Christus de seipso loquens semper se dicit filium hominis in masculino genere, ergo fuit filius viri qui solus invenitur in masculino genere. Huic argumento stramineo Respondeo primò nobis non esse curam de Grammaticæ affectionibus, sed de re? Cùm ergò mulier sit verè, propriè ac reapsè homo sicut masculus, potest verè, optimè & reapsè dici filius hominis, qui solius mulieris est filius. Respondeo secundò, dicit se Christus filium hominis in masculino respiciens ad Patres mediatos Davidem, Abraham, maximè ad Adam, ut præveniret opinionem hæreticorum, & ostenderet se descendisse ex Adamo, non verò carnem è cœlo attulisse, & per Virginem tanquam per fistulam transivisse, quemadmodum voluêre Hæretici apud Rupertum Abbatem lib. 1. in Matth cap. 1.

VIII. Dices secundò, non solùm ignorantes, sed etiam Lucas, & ipsa Beata Virgo non semel vocant Divum Josephum & sine ullâ ambiguitate Christi Patrem, immò Parentem, Luc. c. 2. v. 27. 33. 41. 43. & 48. Propter quod elato Judæus cothurno exclamat hinc manifestissimam fieri nostrorum impostruram Evangelistarum, ut qui illinc Jesum de Virgine sine virili congressu conceptum dicunt: Hinc verò tanquam mendaces à se, veraces contra se, sui immemores dicunt Josephum ejusdem Christi Parentem: in quo certè, inquit, Judæus, Divina elucet Providentia, dum efficit, ut ex his postremis testimoniis, ubi dicitur ab eis Joseph Christi Parens, manifestè appareret illam quam in superioribus de ejusdem Christi generatione texuerant narrationem, non veram esse, sed ita consarcinatam, quia illis probè notum erat ex prealiato Isaiæ loco cap. 7. vers. 23. Messiam de Virgine nasci debere, & sic Christum suum pro vero supponerent, & minus oculatis illudentes persuaderent, illum esse ipsum Messiam, de quo iste Propheta locutus erat, utpotè in quo ipsius vaticinium inveniretur impletum.

Sed ô Judæe irrisor & illusor! quo IX.
te tua abripit perfidia dum hæc objicis? Divinam crepas & miraris Providentiam in eo quòd ita excœcarit nostros Evangelistas, Lucam præcipuè, ut sibi ipsi manifestissimè (ut tamen arbitraris) contradicens suam ipse proderet impostruram. Sed si ita est, quomodò ergo contra illam eandem tantâ providentiam factum est, ut illud ipsum quod iidem Evangelistæ per impostruram tam insignem intenderunt, assecuti sint, cùm tantâ quantâ videmus & viderunt sœcula præterita gloriâ, tabescentibus præ livore Judæis? quid tu ad hæc mi Judæe? quomodò te ab hoc redimes hostimento? Nunquid consilium impostoris potuit prævalere adversus consilium Dei? ô infirmum ergo ex Iudæorum sententia Deum! sed ô potiùs cœcum Iudæum! qui hæc objicit, sibique de tam inani & arundineo blanditur argumento.

Respondeo secundò, sunt aliæ ac- X.
ceptiones secundum quas potuit Divus Iosephus dici & esse Christi Pater, quàm illa quæ est per generationem, ut patet ex capite præcedenti, & amplius patebit ex dicendis: quare malignus est Iudæus qui ut invehat in Evangelium Dei contradictionem, & inurat Evangelistis impostruram, non aliter vult illos intelligendos de Divo Iosepho loquentes in posterioribus locis, quàm de Paternitate

quæ sit secundùm generationem.

XL Advertendum interim, & seriò advertendum, quod cùm Deus non potuerit non prævidisse nascituras ex isto Patris titulo, quem Divo communicavit Iosepho, ambiguitates, sicque qualitatem suam Messiæ & Sanctissimæ matris sue virginitatem & integritatem ex hoc à plurimis in suspicionem adducendam, maluit tamen ipse hoc discrimen subire, & Matrem suam, quam Divo Iosepho hunc singularem & magnificentissimum titulum, ipsi reapsè ut videbimus debitum, non esse conservatum, & ut conservaretur sacrosanctis Scripturæ tabulis commendatum, ut indè videamus quanti faciat Deus hujus Sanctissimi Viri honorem, excellentiam, & æstimationem: Quod certè gravissimum, illustrissimum Dei exemplum, mihi animos addit, ut & illum eidem pro posse meo conservem, & quomodò ei competit diligentius perquiram & explicem.

## CAPUT IV.

### *An Divus Iosephus tantùm putativè Christi Pater?*

L AFFIRMANT aliqui, inter quos noster Sylveira tomo 1. in Evangelia, lib. 2. cap. 6. quæst. 5. negantes absolutè Divum Iosephum fuisse ullâ verâ ratione Christi Patrem: Volunt enim hi esse verè Patrem, absolutè & necessariò rem esse Generationis: Cùm ergò Divus Iosephus nullâ ratione fuerit, aut dici possit Pater Christi generatione, sed tantùm talis reputatus sit, sequitur non fuisse ullo modo verè Christi Patrem, sed tantùm putativè.

II. Probatur hæc sententia ex Lucæ cap. 3. vers. 23. *Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph*, quibus verbis innuit Evangelista non fuisse filium ejus, sed putatum: si enim fuisset, quid erat necesse innuere quod putabatur? ergo in præcedentibus locis hîc cap. 1. n. 9. allatis, non ideò vocavit Lucas Josephum ejus Patrem aut parentem, quod velit ipsum fuisse talem, sed quod talis communiter reputabatur.

III. Nec refert, inquiunt, quod non tantùm ab illis qui ignorabant Mysterium Incarnationis appellatus sit Divus Josephus Pater, aut parens Christi, sed etiam ab Evangelistâ Lucâ, & ipsâ Beatissimâ Virgine, hoc enim modo locuti sunt, quod talis vulgò reputaretur, atque in eo voluerunt morem gerere? & accommodare se vulgi existimationi, qui non aliud de Christo putabat, quam quod esset Christus Filius Divi Josephi generatione: quo quidem modo loqui potuisse, immò & debuisse constat, & hoc modo probatur.

IV. Potuisse quidē primò, quia non semel videmus sacram Scripturā loqui, non secundùm id quod de facto est & à parte rei, sed secundùm id quod apparet, & quod homines existimant: sic verbi gratiâ dicit Scriptura Deum iratum, pœnitentiâ ductum, tactum dolore cordis intrinsecus, &c. cum certissimum sit Deum incorporeum, & immutabilem, his passionibus & motibus minimè esse obnoxium, sed tantùm ad extra agere, & nobis apparere ex ejus effectibus, ac si in se esset commotus, ut docent Sancti Patres & Theologi omnes Tract. de Immutabilitate Dei.

V. Eodem modo noster Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus lib. 10. Thesaur. cap. 7. & alii Interpretes explicant illud Lucæ cap. 2. vers. 52. *Et IESVS proficiebat ætate sapientiâ & gratiâ coram Deo & hominibus*, ut scilicet non verè & reâpse profecerit Christus in gratiâ & sapientiâ, quemadmodum proficiebat in ætate & corporis staturâ, id enim à verò alienum est, cùm à primo suæ Conceptionis momento fuerit sapientiâ & gratiâ plenissimus, quia id illi debebatur ex vi unionis hypostaticæ ad verbum, sed specie tantùm & ostensione externâ, ac in existimatione hominum, qui eum ex hoc proficere putabant, quod pro ætate, majora semper & majora gratiæ & sapientiæ exhibebat specimina: Ita, inquient hi, res habet in Divo Josepho, quem Lucas & Beata Virgo Deipara vocant Christi Patrem & parentem, non quod sit

sit, cùm eum non genuerit, quod tamen esset necesse, sed quod videretur talis ex eo quod Christus in uxore suâ de tempore matrimonii sui cum illâ conceptus, post novem menses ex eâ natus sit.

VI. Debuisse verò hoc modo loqui, id-est secundùm id quod apparebat & quod à vulgò putabatur, patet, quia necessarium erat pro aliquo tempore mysterium occultari Incarnati Dei, cùm & ipsum Divi Josephi cum Deiparâ matrimonium ad hoc à Deo ordinatum fuisset, ut sub eo tantisper occultaretur, ne scilicet si manifestum omninò fuisset & agnitũ, salus humana, quæ ab ipsius morte pendebat, impediretur: si enim dæmon & Judęi Deum gloriæ agnovissent, nec hi illum crucifixissent, nec isti hos ad illud instigassent.

VII. Neque tantùm ita potuisse & debuisse loqui Divum Lucam & Beatam Deiparam constat, ex dictis, inquiunt, sed & de facto ita locutos maximè Lucam arguent ex eodem Lucâ cap. 2. ubi Divum Josephum vocat tertiò Christi *Parentem*. Scilicet versu 27. *Cùm inducerent puerum IESVM Parentes ejus*, id-est Joseph & Maria, *ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo*: ibidem vers. 41. *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschæ*, ibidem vers. 43. *Remansit puer IESVS in Ierusalem & non cognoverunt parentes ejus*. Nam cum nomen *Parens* dicatur à *pario*, certum est Divum Josephum non potuisse dici Christi parentem nisi vulgi existimatione: Si ergo hìc locutus est Lucas ex vulgi existimatione cur non & in duobus aliis locis ejusdem capitis scilicet vers. 33. & vers. 48. ubi ipse & Beata Virgo eum vocant Patrem? ex quibus omnibus videtur clarum, quod Divus Josephus non fuit ullâ verâ ratione Christi Pater, sed tantùm putativè.

VIII. Sed contra omninò dicendum est, Divum Lucam non loqui secundùm existimationem vulgi, quod arbitrabatur Christum ex Divo Josepho genitum, ergo secundùm rei veritatem: probatur antecedens, quia putatio illa & opinio quam habebat populus de Christo erat falsa, quia existimabat Christum esse Filium Joseph carnalem & generatione, & sciebat Divus Lucas (idem dicendum de Beata Virgine) esse falsam, non ergo ille sub tali falsâ putatione & opinione appellaverit Josephum Christi Patrem: Consequentia etiam patet, quia si nec in illis accomodat se Lucas vulgi existimationi, nec Divus Iosephus esset talis qui ab illo peristud nomen Patris enunciatur, quomodò Lucas à falsitate & mendacio excusaretur? quare omninò consectarium est, quod si in illis non loquitur Lucas secundùm vulgi opinionem, loquatur secundùm rei veritatem, & Divus Iosephus sit Pater Christi, qualis esse enuntiatur.

Itaque ad illud Lucæ cap. 3. v. 23. IX.
*Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph.* Respondeo nihil ex hoc inferri posse, nisi quod non fuerit filius Ioseph generatione, ratio est quia per illa verba nihil innuitur nisi contrarium ejus quod erat in putatione seu vulgi existimatione. Quid verò putabat vulgus? Certè quod Christus esset filius Divi Iosephi generatione quemadmodum cæteri qui concipiuntur & nascuntur in matrimonio: ergo inferendo contrarium ejus nihil potest inferri nisi non fuisse filium Iosephi generatione, quod non impedit quin fuerit aliquâ aliâ eâque verâ ratione.

Confirmatur hæc nostra Responsio X.
ex Divo Augustino tom. 4. lib. 2. de Consensu Evangelist. cap. 1. in fine ubi hæc habet: *Manifestum est illud quod ait*, ut putabatur filius Ioseph, *propter illos dixisse qui eum ex Ioseph sicut alii nascuntur homines natum arbitrabantur.* Et luculentius Tomo 10. serm. 63. de diversis cap. 20. in fine, ubi post assertam veram Divi Iosephi, ad Christum paternitatem: sic infert, *Aliter quidem putabatur esse Pater Domini N. IESV Christi, scilicet sicut cæteri Patres carne generantes, non solo spirituali affectu liberos suscipientes: Nam dixit & Lucas qui putabatur esse Pater IESU: quare putabatur? quia humana putatio & existimatio illuc ferebatur quod solet ab hominibus fieri. Non ergo de semine Ioseph, Dominus quamvis hoc putaretur.*

Ad id verò quod dicitur Beatum Lu- XI.
cam & Divam Deiparam locutos ex vulgi

vulgi existimatione; ut alibi frequenter in Sacrâ Scripturâ, Respondeo cum Divus Lucas tam expresè dixerit de Christo quod putabatur filius Ioseph, iisque verbis innuere voluerit non fuisse; hoc est illo modo quo putabatur: profectò nimis absurdum est opinari istum Evangelistam his locis locutum ut vulgus existimabat, cujus deceptionem per istam observationem indigetare volebat: immò cùm istum vulgi errorem per eam observationem refutatum voluerit, manifestissimum est nullo modo eundem errorem committere aut sequi voluisse.

XII. Quoad Beatam Virginem, censent communiter Doctores, quibus ego consentio, non publicè sed privatim, & in secessu Christo dixisse, verba illa: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Unde quæ ita Divum Josephum appellavit, non id fecit ex studio morem gerendi vulgi æstimationi (cessavit enim hîc illud motivũ) sed locuta est ex propriâ mente, & rei veritate & quia D. Josephus talis erat, qualem eum compellabat.

XIII. Sed etsi Beata Virgo publicè Christo conquesta fuisset, quæ necessitas fuit tunc loquendi ex vulgi opinione? nonne poterat querelam suam ad Christum sic efformare, & omnem umbram falsi vitare dicendo: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce nos quærebamus te dolentes vel cum magno dolore.* Quo casu nonne æquè subintellexissent omnes ipsam & maritum suum Josephum ibi præsentem, & hoc sine ullo veritatis vel minimo præjudicio? Quæ ergò tam prudens fuit & circumspecta in omnibus, ut ne vel verbum inutile aut otiosum unquam protulerit, an hîc sui ita oblita, ut sine ullâ necessitate verbum minùs verum proferret? quis hoc crediderit?

XIV. Tandem ad id quod dicitur necessarium fuisse ut ita loqueretur Lucas, quia necessarium erat mysterium pro tempore occultari, ne si manifestaretur, Redẽptio generis impediretur humani: Respondeo, etsi verum sit istam occultationem fuisse necessariam pro aliquo tempore; ex quo factum ut Christus nonnisi de desponsatâ nasci voluerit & debuerit, ut sic diabolus insidiator nequaquam cogitaret aut suspicaretur esse Filium Dei, quem ex apparentiâ illâ judicabat esse filium Josephi, falsum tamen est id fuisse necessarium dum à Lucâ scribebantur hæc. *Erat Pater IESV, & Mater, mirantes super his quæ dicebantur de illo.* Neque etiam dum ter vocat Josephum & Mariam Christi Parentes, quia ideò tantùm illa occultatio fuit ad tempus necessaria, ut ne salus humana in Cruce consummanda impediretur, atqui quando illa scribebat Lucas id non erat amplius timendum, quia illa Redemptio erat jam impleta.

Quin potiùs è contra erat tunc omninò tempus illud manifestandi, & omnibus gentibus annunciandi, ad hoc mandatum expressum à Domino acceperant, & ille jam de facto, cœteriqúe Evangelistæ, Apostoli & Discipuli ubique tunc instantissimè prædicabant: tandem eo solo fine scribebat Lucas, ut illud manifestum faceret ad gloriam Dei. XV.

Postremò, ad id quod arguitur de facto ita locutos, ideſt ex vulgi existimatione, Divum Lucam & Beatissimam Virginem, eo quod Lucas de utroque, ideſt de Divo Josepho & Beatâ Deiparâ loquens, vocet eos Christi *Parentes*. Responsio patebit ex dicendis inferius ubi de hoc ipso veritatem Paternitatis ipsius efficacissimè, ut arbitror, adstruemus. XVI.

## CAPUT V.

### *Nostrum contra præcedentem opinionem Assertum probatur ex SS. Patribus.*

EX dictis Capite præcedenti I
satis liquet loca Scripturæ à nobis supra cap. 1. num. 9. adducta, in quibus à Beato Lucâ & Divâ Deiparâ Sanctus Joseph dicitur Pater Christi, non fuisse prolata ex mente & opinione vulgi solùm, ut volebat noster Sylveira & alii: undè oportet ut sint prolata secundùm aliquam acceptionem, secundùm quam ipsi judicarunt, vel potiùs Spiritus Sanctus ex eorum ore locutus, eam vocem *Patris* Divo Josepho verè ac propriè respectu

respectu Christi Domini convenire: quod licet satis manifestum fecerimus, attamen ex superabundanti, ita quoque Sanctos Patres sensisse ac consequenter loca illa Scripturæ Sacræ, eo modo quo nos intelleximus, intellexisse ostendamus.

II. Agmen ducat D. Justinus Martyr cognomento Philosophus in ipsis Ecclesiæ cunis, quæst. 66. ad Orthodoxos, ubi sic ille. *Si quod natum est ex uxore Heli, filius est Heli secundùm legem Dei, multò magis ex uxore Ioseph, Deo ita volente, filius est Ioseph citra conjugalem congressum.* Item inferius quæst. 133. *Vt enim*, inquit, *Iosephus ipse vocatus est Heli filius, nec tamen ex eo genitus, quoniam divinæ legi sic visum est ex uxore Heli dare filium Heli: sic visum est Deo ex uxore Ioseph dare filium Ioseph, non genitum secundùm naturam ex ipso: Quod enim ex fœminâ aliquâ sine stupro nascitur, id necessariò filius est viri & fœminæ quo pacto vult Deus dare filium viro, aut per conjunctionem, aut citra conjunctionem.* Hæc Divus Justinus Martyr.

III. Sequitur Divus Augustinus lib. 2. de Consensu Evangelist. cap. 1. ubi reddens rationem cur ab Evangelistâ Christi Genealogia deducatur per Iosephum, sic loquitur ad nostrum intentum: *Exequitur*, inquit, *ergo humanam generationem Christi Matthæus ab Abraham generatores commemorans, quos perducit ad Ioseph virum Mariæ, de quâ natus est* Jesus: *Neque enim fas erat ut ob eum à conjugio Mariæ separandum putaret, quod non ex ejus concubitu, sed virgo peperit Christum. hoc enim exemplo magnificè insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servatâ pari consensu continentiâ, posse permanere vocariq. conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu: præsertim quia nasci eis etiam filius potuit sine ullo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est: neque enim propterea non appellandus Ioseph Pater Christi, quia non eum concumbendo genuerat, quandoquidem verè Pater esset etiam ejus, quem non ex suâ conjuge procreatum aliunde adoptasset.*

IV. Item idem Divus Augustinus ibidem paulò inferius explicans illa verba: *Et ibant parentes ejus per singulos annos, &c.* dicit, *sed ne quisquam hic parentes, consanguineos potius Mariæ cum ipsâ Matre ejus intelligendos putet; quid ad illud respondebit quod ipse item Lucas superius dixit.* Et erant Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo? *Cum igitur ipse narret non ex concubitu Iosephi, sed ex Maria Virgine natum Christum; unde eum Patrem ejus appellat? nisi quia & virum Mariæ rectè intelligimus sine commixtione carnis ipsâ copulatione conjugii, & ob hoc etiam Christi Patrem multò conjunctius, qui ex ejus coniugenatus sit, quam si ei esset aliunde adoptatus.*

Idem iterùm tom. 7. lib. 1. de Nuptiis & Concupisc. cap. 11. ubi duo docet incomparabilis ille Doctor. Primum, inter Mariam & Iosephum verum intercessisse matrimonium: Secundum, ex hoc infert, quod cum illa existens ejus uxor conceperit Christum, ex hoc fuerit Ioseph Christi Pater tam verè quàm verè fuit conjux: sed verissimè fuit conjux Mariæ ut supra, ergo etiam verissimè Pater Christi: *Quibus verò placuit*, verba sunt Divi Augustini, *ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut inter illos vinculum coniugale rumpatur: imò firmius erit quò magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiusq. servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum: Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Ioseph*; noli timere accipere Mariam conjugem tuam: *Conjux vocatur ex primâ fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax mãserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnalis cõmixtio. Erat quippe illa Virgo ideò sanctius & mirabilius iucunda suo viro quia etiam fœcunda sine viro, prole dispar, fide compar. Propter quod fidele coniugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solum illa Mater, verùm etiam ille Pater eius, sicut coniux Matris eius utrumque mente non carne, &c. Neque enim mentitur Evangelium ubi legitur*, Et erant Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo: *& alio loco.* Et ibant parentes ejus per omnes annos in Ierusalem: *Item paulo post.* Et dixit Mater ejus ad illum. Fili quid fecisti nobis sic, ecce Pater V.

tuus & ego dolentes quærebamus te.

VI. Et iterùm idem Sanctus Pater ibidem post pauca. *Sed cum illo* (supple Joseph) *non seminante, illa peperisset, profectò nec ipsius formæ servi ambo parentes essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione conjuges essent? unde & series generationum, cum parentes Christi connexione successionis commemorantur usque ad Joseph potius, sicut factum est, fuerat perducenda* (pondera quod sequitur) *ne in illo coniugio, virili sexui utique potiori fieret iniuria.* Ubi Josephum Sanctus Augustinus ita vult Patrem Christi Domini, ut per illum hujus generationem ominò deducendam velit, idque ita necessariò, ut si secus factum fuisset injuriam Divo Josepho fiendam affirmet, quod quid amplius dici possit non video.

VII. Licet verò hæc Augustissimi Doctoris testimonia pro veritate Paternitatis Sancti Josephi clarissima sint & fortissima, adeoque sufficientia, ut nihil amplius desiderari possit: clariora tamen adhuc & fortiora profert tom. 10. serm. 63. de Diversis à cap. 10. usque ad 20. maximè verò cap. 13. 14. 15. 16. & 20 ubi explicat quomodo fuerit Pater Christi: quæ vide hîc inferius hâc part. cap. 16. per totum.

VIII. Quæ Divo Augustino fuit mens circa hanc quæstionem eadem fuit & Ven. Bedæ in Luc. lib. 1. cap. 7. inter medium & finem, cujus & ipsissima verba hîc supra adducta usurpat, ubi explicans verba illa Lucæ, Erant Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo: sic loquitur, *Patrem Salvatoris appellat Joseph, non quod verè iuxta Photinianos Pater fuerit eius*, (idest generatione ut voluerunt hæretici illi ut patet ex sequentibus,) *sed quod ad famam Mariæ conservandam Pater sit ab omnibus æstimatus: neque enim oblitus est Evangelista quod eam de Spiritu sancto concepisse, & Virginem peperisse narrarit, sed opinionem vulgi exprimens, quæ vera historiæ lex est, Patrem Joseph nuncupat Christi.* Statim adjicit Beda quod sequitur ex Augustino. *Quamvis & eo modo Pater illius valeat dici, quo & vir Mariæ rectè intelligitur sine commixtione carnis ipsâ copulatione conjugii, multò videlicet conjunctius quam si esset aliunde adoptatus: neque enim propterea non appellandus Joseph Pater Christi, quia non eum concumbendo genuerat, quandoquidem rectè Pater esset etiam ejus, quem non ex suâ conjuge procreatum aliundè adoptasset.*

IX. Sequitur Divus Chrysostomus homil. 4. in Matthæum, ad illa verba Angeli ad Divum Josephum. *Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus IESVM.* Ubi sic ille, *Non enim quia ex Spiritu sancto est, idcirco te à ministerio tanta existimes dispensationis extraneum: nam etsi nihil habeas in hâc generatione commune (Virgo quippe permansit intacta) tamen quod est proprium patris, quodque nihil infuscat Virginis dignitatem, hoc tibi facile concedo.*

X. Adstipulantur etiam Divus Paschasius lib. 2. in Matth. ad illa verba: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, quæ sic explicat, *conjugem autem quare dixerit, etiam inter reliqua quod (nota sequentia) nihil defuerit operis coniugii, nisi sola commixtio libidinis: in tantum ut ad Joseph iuxta carnem pertineat ortus Christi; si quo modo dici possit idem per hoc pater Salvatoris*; quibus verbis Doctissimus Salmeron tom. 3. tract. 30. super ædificans addit, Abraham fuit Pater Messiæ hominis, David verò Regis; ita ipse Joseph Salvatoris de Spiritu sancto concepti, nempe Dei.

XI. Tandem omissis aliis Patribus, quos alibi in hujus Secundæ Partis decursu dabimus, finiamus per Rupertum Abbatem lib. 1. de Glorià & honore filii hominis cap. 1. ubi explicans illa verba Matthæi cap. 1. *Iacob autem genuit Joseph virum Mariæ de quâ natus est* JESUS, ait: *Magnum & verum nomen Beato Joseph attribuit, quia si est vir Mariæ est & Pater Domini. An non & lex hoc edicit, quod ea quæ desponsata est iam uxor sit?* Deuteron. cap. 22. Si puellam, inquit, Virginem desponderit vir, & invenerit eam aliquis in Civitate, & concubuerit cum eâ, educes utrumque ad portam Civitatis illius, & lapidibus obruentur: Puella quia non clamavit cum esset in Civitate, vir quia humiliavit uxorem proximi sui: *Ergo vir Mariæ Joseph, & ipsa uxor illius. Proinde nec iste ineptè dixit Joseph virum Mariæ, nec alius Evangelista mentitus est Patrem illum eius, qui ex eâ natus est Christi appellando, &*

*erat*

*erat inquiens*, Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.

XII. Dices Christus Matri conquærenti in hæc verba: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Respondit dicens: *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Quibus verbis Christus innuēs Patrem suum Cœlestem, cujus negotia perficere venerat, videtur non voluisse concedere Joseph esse Patrem suum, quomodo eum Mater appellarat. Respondet Divus Augustinus huic objectioni cujus ipse Author est tom 10. serm. 63. de Diversis cap. 11. *Non sic indicat Patrem Deum ut neget Patrem Ioseph.* Quam responsionem sic confirmat & illustrat cap. 12. immediatè sequenti, *Quemadmodum quando Dominus cùm interrogasset Pharisæos, quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? & illi respondissent David: intulit quomodò ergo David in Spiritu vocat eum Dominum dicens, dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedem tuorum. Si ergo David in spiritu vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Quemadmodum, inquam, quando hoc intulit, non voluit negare se esse filium Davidis, ita hic dum Virgini dicenti, Pater tuus & ego dolentes quærebamus te, Respondit nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse, non voluit negare Divum Iosephum esse Patrem suum ut homo est, sed sibi ut Deus est alium esse Patrem, in cuius negotiis ipsum esse oportebat.*

XIII. Confirmatur hæc veritas ex hâc ratione quam tangit Jacobus de Valentiâ Episcopus Christopolitanus in Exposit. super Cantic. *Magnificat*, ad ista verba *Quia fecit mihi magna qui potens est.* Nam manifestum est primò, quod inter Divum Josephum & Beatam Deiparam verum intercesserit matrimonium, ut ostendimus Tractatu præcedenti cap. 11. Secundò, Quod illud extiterit antequam Christum illa conciperet, ut vidimus ibidem cap. 15. Sectione 2. Tertiò, quod Christus conceptus est in illo Sacro Conjugio operâ Spiritus Sancti: atque adeò absque injuriâ fidei conjugalis, quia caro conjugalis non dicitur divisa nisi per adulterium: Ergò sequitur quod licet Divus Josephus non concurrerit officialiter ad generationem Christi, tamen cùm talis generatio facta sit in ejus Conjuge conjugaliter & indivisè ei conjunctâ, & secum indivisibiliter caro una, ipse non fuit expers ne per aliquem specialem modum innominabilem, quia caret exemplo, esset Pater Christi, multoque strictius & dignius quàm quovis alio modo exceptâ generatione; quemadmodum inferius abundantius ostendemus, maximè verò quod Conjugium Mariæ & Joseph divinitùs ordinatum sit, ut Christus ex tali virginali Conjugio aptè nasceretur: Unde Divus Augustinus lib. 1. de Nuptiis & concupisc. cap. 11. ad finem ait. *Omne nuptiarum bonum impletum est in illis Parentibus Christi, Proles, Fides, Sacramentum: Prolem cognoscimus ipsum Dominum IESVM: Fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium.*

## CAPUT VI.

### *An Divus Iosephus Christi Pater Christi dictus ob Adoptionem?*

VIdimus in præcedentibus Divo Josepho non tantùm nomen Patris respectu Christi Domini competere; sed etiam vere esse ipsius Patrem: Hoc ultimum in sequentibus amplius probabimus examinando quomodo, & quâ ratione sit verè Pater Christi: ac quidem ut manifestum est ex Evangelio & dictis supra cap. 3. non esse Patrem *Generatione*, ita non minùs manifestum non fuisse etiam *Affinitate* eo saltem modo quo cap. 2. num. 6. explicuimus: quare de aliis tribus modis restat inquirendum, & tandem quid eâ super re sentiamus proferendum & stabiliendum. I.

Igitur hîc quærimus primò, an Divus Iosephus *ob Adoptionem* Christi Pater dictus & à nobis existimandus? Affirmant plerique Doctores: variant tamen nonnihil in modo explicandi II.

hanc adoptionem. Alii enim volunt ideò Divum Iosephum dici Christi Patrem *Adoptione*, quod ipse Christum sibi adoptaverit in filium, nimirùm vel tunc cùm Divinitùs ex Angelo didicit uxorem suam Beatissimam Virginem illum de Spiritu Sancto concepisse, vel tunc cùm in lucem editum, & in præsepi positum primus omnium mortalium suis oculis cernere meruit, & corde adorare, tunc enim volunt ei dixisse ex corde; *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium*, & deinceps ut filium aspexisse, ut filium amasse, ut filium curasse, & tractasse: & vicissim Christum erga illum se ut filium gessisse, juxta illud Lucæ cap. 2. vers. 5. *Et erat subditus illis.* Ita inter alios noster Daniel à Sancto Iosepho, nostræ Observantiæ in suis Panegyr. de Sanctis ad Cardinalem Mazarinum Cadomi impressis, Panegyr. de S. Iosepho.

III. Alii è contra qui existimant istam Paternitatem Divi Iosephi esse longè strictiorem & sublimiorem; hanc Adoptionem referunt non in Divum Iosephum, sed in ipsummet Christum Dominum, quem dicunt statim à conceptione suâ sibi elegisse & adoptasse illum Sanctissimum Virum in Patrem suum: ut proinde hæc Adoptio non humana sit, sed Divina; non communis, sed singularis & extraordinaria, & tantò aliis Adoptionibus eminentior, quantò differt illius causa à causis illarum. Non enim est Adoptio Dei qualis hominum: Hæc enim stat tantùm in voluntate adoptantis, nihilque ponit in adoptato; sed Dei adoptio cum sit à voluntate efficacissimâ & omnipotentissimâ rem adoptionis seu filiationem, idem dic de Paternitate ponit in adoptatis, juxta illud 1. Ioan. cap. 3. vers. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus.* Non tantùm dicit nominemur, sed etiam simus.

IV. Sed neutra sententia placet? Non prima. Primò quia vel illa adoptio intelligitur de adoptione publicâ, vel de adoptione privatâ: non de publicâ, quia etsi talis adoptio habuisset locum apud Iudæos, quod mihi valdè ambiguum est, vide à nobis dicta supra part. 1. tract. 2. cap. 4. Sect. 2. num. 16. non potest tamen admitti in præsenti casu: Nam si hoc modo Divus Josephus publicè Christum adoptasset, manifestum fecisset Christum non fuisse ex se genitum contra Dei intentum, qui eo fine Divi Josephi cum Beatâ Deiparâ matrimonium ordinaverat, & Christum eo pendente concipi, ut & ad tempus celaretur dæmoni & hominibus partus divinus, & nulla esset suspicio contra Virginis puritatem & Prolis legitimam nativitatem: Deindè si sic publicè illum adoptasset quomodò potuisset putari Christi Pater eo modo quo cæteri maritati patres existimantur illarum prolium quæ in suis uxoribus conceptæ fuerunt, ideſt generatione? Quomodò putatus est, asserente Divo Lucâ cap. 3. vers. 23. & dicente *Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph.*

V. Non etiam intelligi potest de privatâ adoptione, quia nulla est adoptio nisi fiat authoritate publicâ: unde etsi promisisses millies te tractaturum, Symphronium v. c. ut filium, vicissimque Symphronius te ut patrem, non idcò tamen Symphronius tuus esset filius adoptivus, aut tu illius pater, nisi interveniat authoritas & consensus Principis, ita Cardinalis Tuschus tomo 1. Practic. Conclus. conclus. 216. & alii. Quocirca per ejusmodi adoptionem privatam nihil aliud haberetur, nisi quod Divus Josephus tractasset ex suâ optione Christum ut filium, quod non est esse Patrem, sed Nutricium, de quo infra cap. sequenti.

VI. Secundò, non sufficit ista adoptio ad evacuandum tantæ rei Sacramentum, tùm quia hæc non sufficeret ad hoc ut per illum Christi Genealogia deduceretur, tùm etiam quia ante talem adoptionem alio strictiori & fortiori vinculo jam obstrictus erat Christo, scilicet ut Conjux illius, de quâ conceptus & natus est eo tempore quo Conjux, atque adeò ad omnia Patris onera absolutè obligatus, hoc est ad eum nutriendum, tuendum & educandum; & Christus ad ea ab eo exigendum & hæreditatem ejus obeundam jus habens.

VII. Hinc Divus Augustinus lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 1. explicans illa verba Lucæ cap. 2. vers. 33. *Et erant Pater*

*Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo*: ait, *Cum igitur ipse narret, non ex concubitu Ioſephi, ſed ex Maria Virgine natum Chriſtum, unde eum Parentem eius appellat? niſi quia & virum Mariæ rectè intelligimus ſine commixtione carnis ipsâ copulatione Coniugii, & ob hoc etiam Chriſti Patrem multò coniunctivè qui ex eius Coniuge natus ſit, quàm ſi ei eſſet aliundè adoptatus.*

VIII. Non placet etiam ſecunda explicatio hujus Paternitatis per adoptionem ab ipſo Chriſto factam de Divo Joſepho in Patrem ſuum. Primò, quia gratis & nimis voluntariè fingitur: maximè verò quod cum ab æterno electus eſſet efficaciter, non à Patre ſolùm, ſed etiam ab ipſo filio, ut eſſet Pater ſuus in tempore, iſta æterna electio & prædeſtinatio id totum præſtiterat quod illa confícta adoptio præſtare poſſet. Secundò, quia cùm ante illam adoptionem Chriſtus eſſet conceptus in uxore ſuâ Beatâ Deiparâ nullatenus à ſe diviſâ, ſed ſibi inviolabiliter in fide conjugali conjunctâ, conſequenter ex tunc, adeóque ante illam adoptionem jure conjugii erat illius Pater, ideóque jus paternum habebat in illum, & viciſſim Chriſtus jus filiale in Divum Joſephum ad omnia officia & obligationes Patris: fuiſſet ergo illa adoptio ſemper minor hoc prætacto priore vinculo.

## CAPUT VII.

### *An ideò Divus Joſephus Pater Chriſti, quia ipſum nutrivit ac ſi Filius ſuus fuiſſet?*

I. QUOD Divus Joſephus Chriſti fuerit nutritius nulli dubium eſt: Quod ad hoc ab æterno electus ſit à Deo, quodque de facto illum ab utero matris in ſe projectum reverentiſſimè exceperit, ſollicitiſſimè curarit, peramantiſſimè aluerit, quo uſque ejus opera & curâ nõ amplius indigere voluit manifeſtum eſt, idque majori amore, curâ, ſollicitudine, diligentiâ, & pietate incomparabiliter, quàm ullus Pater etiam carnalis ſuam prolem, utpote prolem divinam à Deo ad ſuam totiusque mundi ſalutem demiſſam, ſuæque fidei & curæ, inconceptibili & ineffabili dignatione, commiſſam: Voluit, inquit noſter Chriſtophorus Avendano Serm. de Sancto Joſepho §. 3. Interprete R. P. Joanne Freyerlinck Ord. Præd. Spiritus ſanctus cum Divo Joſepho patriri opus Incarnationis. Fecit enim cum Divo Joſepho ut facit urbs Veneta, quæ conſtructa eſt in aquis. Reſpublica illa ædificat id quod eſt ſub aquis, civis autem quod ſupra eminet in præjactis fundamentis excitat. Sic Spiritus ſanctus cum Divo Ioſepho diviſit opus Incarnationis. Quod ergo in occulto uteri virginalis faciendum erat, hoc Spiritus ſanctus operatus eſt conſtruens humanitatis fabricam, ut propterea Beatiſſima Virgo, Arnoldo Carnotenſi in lib. de Laudib. Virginis dicta ſit *Officina Spiritus ſancti*; hoc autem facto cœpit Sanctus Patriarcha ſuam operam ad illum adhibere, ſacram illam humanitatem de ſuo alere, ut paulatim exurgeret fabrica corporis futuri lytrum noſtræ Redemptionis. Hęc famoſus ille Catholici Hiſpaniarum Regis Eccleſiaſtes ordinarius. Quare cum ei qui ſe tibi exhibet ut Patrem, viciſſim ei te ut filium exhibere oporteat, hinc Divum Joſephum Chriſti Patrem dici volunt plutimi, adeóque Chriſtum viciſſim erga illum ſe geſſiſſe ut decet filium erga Patrem, & inde omnia ejus magnalia profluxiſſe.

II. Hæc ſententia eſt Origenis Homil. 17. in Lucam ab initio: ubi ſic loquitur: *Lucas qui ſcripſit Spiritus ſanctus veniet ſuper te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, propter hoc & quod natum fuerit ex te ſanctum, vocabitur filius Dei; & qui manifeſtè nobis tradidit quoniam Virginis Filius IESVS eſt, nec de humano conceptus eſt ſemine: Iſte Patrem ejus Ioſeph teſtatus eſt dicens.* Erant Pater illius & mater admirantes ſuper his quæ dicebantur de illo. *Quæ igitur cauſa extitit ut eum qui Pater non fuit, Patrem eſſe memoraret? Qui ſimplici expoſitione contentus eſt dicit, honoravit eum Spiritus*

*sanctus Patris vocabulo, quia nutrierat Salvatorem.*

III. Idem Origenes ibidem Homil. 19. circa medium explicans hæc verba: *Remansit puer* JESUS *in Ierusalem, & non cognoverunt parentes eius*, sic scribit: *Quomodo in Ioannis Evangelio scriptum est quando insidiabantur ei Iudæi, & elapsus est de medio eorum, & non apparuit, sic & nunc puto remansisse puerum in Ierusalem, & parentes eius ubi remanserit ignorasse: Nec miremur parentes vocatos quorum alter ob partum, alter ob obsequium, patris & matris meruerunt vocabula*, ita sibi constat in suâ opinione Origenes, quem sequuntur alii plurimi.

IV. Sed nec hęc sententia mihi placet. Primò, quia nutritius præcisè non est Pater, sed tantùm gerit se ut Patrem erga prolem alterius ac si ipse esset ejus Pater. Secundò, quia sola nutritio non sufficit ut possit poni nutritius in Genealogiâ illius quem nutrit: At D. Josephus ponitur in Genealogiâ Salvatoris, & per ipsum ut per Patrem deducitur Genealogia Salvatoris: ergo est aliquid amplius respectu illius quàm Nutritius. Tertiò, & efficacissimè, quia cùm Pater nutritione seu educatione tantùm, voluntate suâ non necessitate seu obligatione nutriat, actus ille nutriendi & voluntas nutriendi (quæ est omninò libera) est primum in Nutricio talis denominationis fundamentum, cùm ad illam nihil aliud præsupponatur. At in Divo Josepho erat obligatio ad alendum Christum in suo Conjugio ex suâ uxore à se nullatenus divisâ, sed sibi in fide conjugali inviolatè conjunctâ conceptum, & ex eâ natum; non ergo actus, vel etiam affectus seu voluntas alendi fuit in eo primum suæ ad Christum Paternitatis fundamentum, sed obligatio illa alendi, seu melius illud ex quo illa obligatio alendi: nèc potuit Divus Josephus abdicare à se obligationem alendi Christum, sic ut præfertur in conjugio suo ex suâ conjuge inviolatâ progenitum, ut potest quivis Pater simpliciter nutritius, ergo Divus Iosephus est aliquid amplius quàm Pater *nutritione.*

V. Idipsum confirmatur ex Divo Augustino lib. 2. de Consensu Evangelistarum cap. 1. à nobis cap. præcedenti adducto: ubi docet Divum Iosephum fuisse multò conjunctius Patrem Christi ex suâ conjuge concepti, quam si aliunde fuisset adoptatus: Cùm enim adoptio præter æducationem & affectum ac voluntatem alendi, inducat etiam obligationem alendi & alia, manifestum est quod Paternitas ex adoptione strictior sit illâ quæ est ex solâ nutritione seu educatione: Cùm ergo Divus Iosephus ex mente Divi Augustini citati, sit Pater ejus qui ex uxore suâ ei conceptus est & natus, multò conjunctius quàm si esset aliunde adoptatus, sequitur à fortiori quod multò conjunctius sit Pater illius quàm nutritione.

VI. Ut igitur ea quæ hactenùs diximus sub compendio recolligamus, dicendum, quod licet Lucas & Beata Dei para Divum Iosephum vocent Christi Patrem, nefas est tamen dicere ipsum esse illius Patrem generatione. Nihilominus falsum etiam est dicere ipsum esse tantùm Patrem illius putativè, & ex solâ vulgi existimatione: quare cum sic ab illis, seu verius à Spiritu sancto per os illorum loquente, Pater vocetur, omninò necessarium est ut aliquâ vera ratione sit quod dicitur: ad quod tamen non sufficit quod dicatur Pater nutritione, vel adoptione, quare ulterius progrediendum & videndum quâ ergo ratione sit verè Pater Christi? & in quo consistat notio & character hujus admirabilis Paternitatis?

## CAPUT VIII.

### *An possit Divi Josephi Paternitas dici esse substitutionis legalis vel ad illam reduci?*

I. CERTUM est ex dictis cap. 3. per totum & cap. 6. num. 1. Divum Iosephum non esse Patrem Christi generatione, nec affinitate: patet etiam ex duobus Capitibus immediatè præcedentibus rationem hujus paternitatis non evacuari per adoptionem vel nutritionem; cùm

Cùm ergo ex dictis cap. secundo n. 2. & sequentibus, quinque sint tantùm acceptiones vocis Patris, & ex illis restet tantùm illa quæ est ex substitutione legali, videtur ergò sequi Paternitatem Divi Josephi de hâc, quæ est substitutionis legalis, intelligendam.

II. Pro hujus resolutione difficultatis nota quod paternitas legalis substitutionis sit illa ut monuimus iterùm supra c. 2. num. 4. quæ describitur Deuteronomii cap. 25. num. 5. his verbis: *Quãdo habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen eius ex Israel.* Paternitas ergo hæc divina est, quippe ex Dei lege & ordinatione descendens, immò adeò stricta, ut omnes effectus carnalis Paternitatis produceret: nam propter illam ut propter carnalem, filius portabat nomen Patris legalis, non verò carnalis: ejus hæreditatem adibat & non patris carnalis: ejus Genealogia per legalem, ut aliorum per patrem carnalem deducebatur: ut constitit Parte 1. Tract. 2. cap. 6. Sect. 2. Ex quo patet quàm stricta fuerit hæc Paternitas: ita sanè ut nulla ita accedat ad paternitatem carnalem. Cùm ergo Christi Domini Genealogia à Divis Matthæo & Lucâ per Divum Josephum deducatur, videtur omninò sequi ex hactenus dictis, ut Divi Josephi Paternitas ad eundem Christum revocanda sit ad hanc quæ est ex substitutione legali.

III. Verumtamen etsi Paternitatis Divi Josephi ad Christum iidem sint effectus qui legalis paternitatis, non ideò tamen verè & propriè paternitas ejus paternitas legalis: quemadmodum nec hæc paternitas legalis potest dici carnalis, ex eo quod ex Dei ordinatione eosdem habeat effectus quos carnalis, & patet evidenter ex verbis legis mox citatis, quæ nullo modo quadrant cum D. Josephi Paternitate, & quidem nullus est, quod sciam, qui in hoc dissentiat. sed quæstio alia suboritur, an saltem ad hanc legalem paternitatem reduci possit?

IV. Affirmant Jacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus Augustinianus in Exposit. super *Magnificat*, explicans illa verba, *Quia fecit mihi magna qui potens est & sanctum nomen ejus* Post medium ad textam Beatæ Virginis dignitatem, & P. Joannes Carthagena Ordin. Minor. tomo 4. lib. 18. homil. ultimâ, sed diversimodè. Namque

V. Jacobus de Valentia sic explicat, quod nimirùm Deus tanquam pater D. Josephi eique ideò omnibus propinquior Josepho Christum suscitarit in ejus uxore Mariâ. Cui si opponas legem illam Deuteronomii cap. 25. de substitutione legali, non habere locum nisi quando mortuus erat absque liberis ille cui oportebat suscitare semen, ut patet ex textu legis, tunc autem Divum Josephum non fuisse mortuum. Respondet Valentia licet non esset mortuus quoad cætera opera vitæ, fuisse tamen quoad generationem per votum continentiæ.

VI. Quod si replices in lege non fuisse præceptum ut pater suscitaret semen filio suo, sed frater fratri: Respondet idem Jacobus de Valentiâ, licet id ita sit, tamen in figura hujus mysterii id semel in lege naturæ contigisse Genes. cap. 38. in Thamar quæ congressa est cum Judâ Socero suo, ignaro tamen quod illa esset Nurus sua, & hoc eo fine, ut Judas in se suscitaret semen duobus filiis suis, quos ipsa successivè habuerat maritos, & qui mortui erãt absque prole. Additque Valentia id Thamar ex divinâ fecisse inspiratione, nec illi imputari ad scortum, sed ad justitiam, cum ibidem vers. 26. dicat de illâ *Iudas justior me est.*

VII. Sed ad primum dico, si valeret aliquid responsio Valentiæ ad objectionem num 5. ipsi factam, cùm probatus sterilis, esset pariter mortuus quoad generationem, & quoad illam magis mortuus quàm voto ligatus, debuisset quoque secundùm hoc pater filio aut frater fratri sterili adhuc viventi, in illius uxore suscitare semen, quod est falsum.

VIII. Ad secundum decipitur vehementer Valentia quando arbitratur Deũ inspirasse Thamar ad nefandũ illum cum Socero suo coitum, ex quo suscepit prolem gemellam, Pharez & Zaram, unum pro uno

uno, alterum pro altero è filiis Iudæ maritis suis sine liberis defunctis, falsumque est omninò factum istud non debere imputari ad scortum; cujus Deus author esse nequit.

IX. Nec refert quod Iudas de illâ dixerit *justior me est*, hoc enim non significat illam non peccasse: Immò gravius omninò peccavit in hoc quàm Iudas: hic enim simpliciter fornicatus est, quia erat viduus, nec illam cognoscebat pro Nuru suâ: Thamar autem commisit primò nefandum incestum, quia de industriâ voluit copulari Socero suo. Secundò, quasi adulterium, quia erat desponsata Selæ filio Iudæ, & Fratri duorum priorum Maritorum suorum sine liberis defunctorum. Videtur enim ex tunc lex illa de suscitando fratri sine liberis defuncto semine, fuisse in vigore: Ampliusque confirmatur coitum illum fuisse illicitum ex eodem cap. libri Geneseos vers. 26. ubi expresè observatur, quod post coitum illum, non mansit Thamar uxor Iudæ, ut mansisset si non fuisset illegitimus, sed subjungitur quod *ultra non cognovit eam*, quod scilicet nonnisi scelestè facere potuisset.

X. Dicitur ergo Thamar justior Iudâ, quod Thamar facto isto non ita recesserit à justitiâ strictè sumptâ, prout est virtus particularis, quæ reddit unicuique quod suum est, sicut Iudas denegando Thamari Selam filium suum conjugem ei debitum, quodque ipse dederit causam isti incestui, quo semen quod Sela fratribus suis, prioribus Thamaræ maritis sine liberis defunctis, in se suscitare tenebatur, & quod injustè Iudas impediebat, ex ipsomet impediente repetebat. Thamar enim cum nupsisset in familiâ Iudæ, ex hoc quod duo mariti sui ex illâ familiâ orti, sine liberis successivè decesserant, eidem se censebat adstrictam & insitam, ut nonnisi propinquiori de eâdem familiâ nubere posset, qui prioribus maritis suis demortuis semen suscitaret: Quare ei Sela tertius filius Iudæ debebatur, cui cùm à Iuda injustè denegaretur, non invenit alium modum ut sui voti compos fierer, idest ut in se viris suis defunctis semen suscitaretur, quod fieri debebat à Sela, quàm si cautè, licet non castè, ex ipso Iudâ injustè impediente & denegante prolem quæreret, & maritorum suorum nomen conservaret: Et sic licet nequior esset Iudâ, tamen justior: Quare non potuit tam abominabilis & nefandus incestus esse typus, & figura adeo puræ & sanctæ Christi Domini per Spiritum Sanctum in utero Virginis efformationis.

Alio modo explicat P. Joannes Carthagena citatus & alii, hanc Divi Josephi ad Christum paternitatem per substitutionem legalem, manendo in terminis legis, quæ jubet ut frater, idest propinquior, fratri sine liberis defuncto suscitet semen. Nullus, enim, inquit Carthagena est virginibus propinquior Spiritu sancto: quia Virgines licet in carne existentes, non tamen secundùm carnem vivunt, sed secundùm spiritum: Et ideò Spiritus sanctus tanquam propinquior Divi Josephi carne defuncti ob votum virginitatis, & sic sine prole, & sine nomine in Israël futuri uxorem illius sibi desponsavit Beatissimam Virginem, eique in illâ filium suscitavit. XI

Sed licet fatear hanc explicationem esse subtilem, nec rejiciendam in sensu spirituali, mystico, seu accommodatitio; Redit tamen, primò, quod mox dicebamus ad præcedentem Jacobi de Valentiâ explicationem, quod lex illa Deuteronomii cap. 25. de suscitando semine fratri per fratrem, non habebat locum, nec intelligi potest ullo modo, nisi de illis qui erant verè & realiter mortui. Secundò, quod propinquitas illa Spiritus sancti à Carthagena asserta ad Divum Josephum uti Virginem, est nimis metaphorica. Tandem Paternitas Divi Josephi ad Christum longè strictior est & excellentior hâc Paternitate ex legali substitutione, ut patebit ex dicendis: quare alia nobis via hanc explicandi quærenda est. XII

CAPUT

## CAPUT IX.

### *Communissima Sententia de D. Iosephi Paternitate respectu Christi Domini.*

I. SENTENTIA his temporibus ab omnibus recepta, est Divum Josephum ea propter esse in re, & dici in Evangelio Patrem Christi, quia Christus fuit fructus conjugii ejus cum Beatissimâ Deiparâ, utpotè non tantùm conceptus & natus ex uxore suâ, sed etiam existente vero & rato inter utrumque matrimonio, Deo has eorum virginales nuptias, & citra ullam eorum conjunctionem maritalem, fructu matrimonii ad cumulatissimam fœlicitatem benedicente, & eorum virginalem in conjugio continentiam in omnibus retro sæculis inauditam divinissimâ hâc ratione remunerante.

II. Itaque tria omninò supponit hæc gravissima sententia: Primùm, quod verum inter D. Josephum Beatissimamque Deiparam intercesserit matrimonium: Secundùm, quod Christus non ante illud, sed illo jam existente, in Mariâ Virgine & intactâ conceptus sit Spiritu sancto suâ ei virtute obumbrante. Tertiùm, quod cùm per matrimonium istud essent uterque facti indivisibiliter una caro, in Christi conceptione hæc unitas non fuerit divisa, sed permanserit Maria semper & Deo intemerata, & viro semper in fide conjugali conjuncta: Caro enim conjugaliter unita non dividitur aut scinditur nisi per adulterium.

III. Ex quibus per se claris atque à nobis Tract. præcedenti sufficienter probatis, omninò consectarium est, quod licet Divus Josephus non concurrerit officialiter ad Christi generationem, attamen cum talis generatio facta sit in ejus conjuge, sic, ut præfatum est, sibi conjugaliter unita, seu potius & melius, cum ipso caro una, fructus utrique jure adscribendus sit: atque adeò consectarium est, ut ipse non fuerit expers ne per aliquem specialissimum modum innominabilem (utpotè singularem & sine exemplo) esset Pater Christi Domini; idque multò strictius ac fœlicius quàm si fuisset ullo ex quatuor posterioribus modis hîc supra cap. 2. num. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. enumeratis.

IV. Probatur hæc sententia primò, ex Scripturâ Matthæi cap. 1. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est IESVS, qui vocatur Christus*, per quod innuit facer Evangelista ideò D. Josephum tenere locũ Patris in Genealogiâ Salvatoris, & per D. Iosephum Christi ex Abrahamo & Davide carnalem descensum deductum, quia Joseph fuit *vir Mariæ de quâ natus est IESVS, qui vocatur Christus.*

V. Probatur secundò, à priori hac ratione Theologicâ, quia per matrimonii vinculum vir fit Dominus corporis suæ uxoris, & è contra, ita ut docente Apostolo 1. Corinth. cap. 7. vers. 4. *Mulier corporis sui potestatem non habet sed vir*, & vicissim. Quin immò vir & uxor ex sententiâ Christi Dominī Matth. c. 19. v. 6. *Iam non sunt duo, sed una caro*, idque maximè in ordine ad prolem, sicut ambo in ordine ad eandem sunt una causa totalis: Unde patet quod fructus qui stante Divi Iosephi cum Divâ Deiparâ conjugio conceptus est & natus ex Virginis corpore, non tantùm sit Virginis, sed etiam Divi Iosephi, utpote cujus erat corpus Virginis jure matrimonii: unde eleganter ad rem & efficaciter Rupertus Abbas de Glor. & Honor. filii hominis lib. 1. in Matth. cap. 1. *Magnum & verum nomen Beato Iosepho Evangelista attribuit, quia si est vir Mariæ, est & Pater Domini*, & longè ante ipsum Divus Justinus Martyr cognomento Philosophus quæst. 133. ad Gentiles. *Quod enim ex fœminâ aliquâ sine stupro nascitur, id necessariò est filius viri & fœminæ, quo pacto vult Deus dare filios viro, aut per conjunctionem, aut citra conjunctionem.*

VI. Confirmatur & probatur tertiò, hęc sententia ex dispositione juris tit. de rerum divis. §. *Cum in suo solo*, ubi sic decernitur: *Quod in alieno solo scribitur aut ædificatur, sub illius dominium cadit cujus est solum.* Et *quod in agro meo nascitur, meum est*: Cùm ergo hortus ille

concluſus Cantic. c. 4. verſ. 12. Corpus dico ſuperbenedictæ Matris Dei, jure matrimonii eſſet Divi Ioſephi, quando concepit Chriſtum, nec ullo modo per iſtam conceptionem ab eo diviſum fuerit, ut conſtat (ſeparatur enim tantùm per actum illicitum, qui non eſt inventus in Virgine) fructus etiam illius dulciſſimus IESUS D. Joſephi fuit.

VII. Quamvis hæc res per ſe clariſsima ſit, objiciunt tamen ſic aliqui, licet hîc fructus, ſcilicet Chriſtus Dominus, conceptus ſit & natus ex Mariâ D. Ioſephi conjuge, & in ipſius conjugio, non tamen naturaliter, ſed ſupernaturaliter, ideſt virtute Spiritus ſancti, qui illum in Virgine de Virgine efformavit, eſt de fide: non ergo poteſt Divo Ioſepho hic fructus attribui, aut ullum jus in illum ei competere, ſed omninò totus eſt Spiritus ſancti: Reſpondeo negando conſequentiam: proles enim quæ in legitimo conjugio naſcitur, conjugum eſt, quomodocumque naſcatur, ſicut ſeges nata in agro meo ſterili, arbor, fons, flos, miraculosè ortus in horto meo meus eſt: quare ſicut Chriſtus verè Beatæ Virginis eſt filius, etiam ſi ex eâ miraculosè ſit conceptus & genitus, ſic & idem jure conjugii eſt Divi Ioſephi filius, etiamſi ex conjugio non naturaliter ſed miraculosè ſit genitus.

VIII. Addo longè potiori jure Chriſtum pertinere ad Divum Ioſephum quam ſeges illa, arbor illa, fons vel flos ille miraculosè in horto vel agro ortus pertineret ad Dominum agri vel horti: tum quia ager & hortus ille tantùm de jure humano pertinent ad Dominum, ſeu illum, cujus dicuntur ager vel hortus, corpus autem Divæ Deiparæ ad Divum pertinet Ioſephum de jure divino, idque duplici titulo: Primo, generali & ipſi cum cæteris conjugatis communi, ſcilicet ex inſtitutione matrimonii, quæ divina eſt, & à primâ rerum conſtitutione, per quod conjuges fiunt una caro in ordine ad ptolem: Secundo, ſpeciali; quia fuit à Deo ſpecialiſſimè, & ex ſingulari privilegio & diſpenſatione D. Joſepho Beatiſſima Deipara tradita, & ipſe ad illius conjugium electus & elevatus, ut per hoc fieret Pater illius diviniſſimæ Prolis, quæ ex eâ naſcitura erat.

Fateor hanc ſententiam valdè favere Divo Joſepho, locupletiſſimè innuere quàm magna ſit ejus paternitas, quàm ſit ſtricta conjunctio & affinitas quam habet ex eâ cum Chriſto, mirificeque per illam illuſtrari, atque apparere illam ſupra modum eminere cæteris paternitatibus, quæ non ſunt per generationem. IX.

Verumtamen hoc necdum mihi plenè ſatisfacit, neque enim omninò evacuat id totum quod eſt in iſtâ D. Joſephi paternitate, & in quo verè ac formaliſſimè conſiſtit hęc ſingularis & admirabilis paternitas, quæ nullam unquam ſimilem habuit, aut habitura eſt: quod antequam proferam, prius præſtruendum quomodo ad illam paternitatem ſit à Deo electus? an ſcilicet directè & in ſe immediatè? an verò indirectè tantùm & mediatè ac in alio? ex hoc quippe omninò pendet id totum quod de eâ ſingulariter dicturi ſumus. X.

## CAPUT X.

### *Quomodò Divus Ioſephus electus ſit ad Chriſti Paternitatem.*

NOTANDUM duplicem eſſe electionem ſeu volitionem alicujus rei: una eſt directa, alia indirecta: Directa, eſt illa quâ aliquid in ſe actu poſitivo ad ipſum immediatè terminato volumus: indirecta, quâ tantùm mediatè & in alio cum quo habet connexionem, quodque ex illo videmus ſecuturum. I.

Igitur propoſitæ quæſtionis hic eſt ſenſus: an ſcilicet actu poſitivo & voluntate expreſsâ, & directâ, ac ad Divum Joſephum in ſe terminatâ dixerit Deus, volo Joſephum eſſe filii mei Patrem? an verò ſic, volo Joſephum eſſe Matris filii mei Sponſum & conjugem, ex quo videbat conſectaneum ut eſſet Filii ſui Pater, quod eſt indirectè, mediatè, & in alio tantùm voluiſſe ut eſſet Pater filii ſui. II.

Authores

III. Authores præcedentis Sententiæ videntur tantùm hoc ſecundum velle: Ego verò plus volo, & dico Deum directè, & actu immediatè ad ipſum Divum Joſephum terminato, voluiſſe ut eſſet Filii ſui Pater. Probatur primò, ex illo Matthæi cap. 1. *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ de quâ natus eſt IESVS, qui vocatur Chriſtus*, ubi vides quod quando primùm Scriptura loquitur de D. Joſepho, ejuſque magnalia profert, non potuit ipſum dicere Sponſum Virginis, quin ſtatim ac ſimul & ſemel expreſſerit Patrem Chriſti, quod & ferè ſemper, quoties de illo incidit ſermo, Evangelium obſervavit: Quæ verò hujuſce rei genuina ratio, niſi quod D. Ioſephus, licet fuerit ab æterno electus, ut eſſet Sponſus Virginis, non tamen hoc ſolùm, ſed etiam ut eſſet Pater Chriſti, eumque ut Pater filium ſollicitè curaret, & hoc præcipuè?

IV. Et licet primò dicatur quod fuerit vir Mariæ, quam inſinuetur Pater Chriſti, id ideò contigit, quia primò fuit Sponſus ſeu vir Mariæ in executione quàm Pater Chriſti, ut conſtat. Sed quia primum in executione eſt ultimum in intentione, & è contra juxta doctrinam omnium Philoſophorum, hinc manifeſtè ſequitur quod aſſerimus quod D. Ioſephus fuerit primariò & principaliter in intentione Pater Chriſti, ſecundariò verò Sponſus Virginis.

V. In hujus quoque aſſerti noſtri confirmationem obſervanda phraſis Sacræ Scripturæ Luc. cap. 2. verſ. 33. ubi ſic dicitur: *Et erant Pater ejus & Mater mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo*, cur quæſo dicit ſic. *Erat Pater ejus & Mater mirantes, &c.* dividendo, non verò potius ſic, *Erant Pater & Mater ejus mirantes, &c.* conjungendo? hoc enim ultimum aptius videbatur & concinnius. Certè cùm teſte D. Petro Chryſologo ſerm. 146. *Non apices, non litteræ, non ſyllabæ in Evangelio divinis ſint vacuæ myſteriis*, opinor per hoc Evangeliſtam iſtum Mariæ ſcribam, & Divi Joſephi præconem præcipuum, à Virgine inſtructum, & ex Mariæ dictamine, inſinuare voluiſſe, D. Joſephum non ex vi conjunctionis cum Beatâ Deiparâ primariò eſſe Patrem Iesu, ſed de per ſe; & ex vi electionis directè, immediatè, & primariò ad ipſum terminatæ.

Probatur ibidem iterùm ex magnâ differentiâ utriuſque voluntatis directæ, dico, & indirectæ, & ejus diſpoſitionis ac propenſionis erga illa quæ ipſa directè vult, & quæ indirectè: quæ enim directè volumus, ea propriè & in ſe volumus & appetimus, & in ea prono & benevolo, amico & efficaci ferimur affectu: quæ verò indirectè tantùm & conſequenter, ea impropriè tantùm & negativâ quâdam admiſſione volumus in causâ cum quâ habent connexionem, quam ſi non haberent ſæpè nollemus & averſaremur, quod ſignum eſt magni & intenſi affectus & appetentiæ illius quod directè volumus, non hujus quod indirectè tantùm, quandoquidem & hoc ſæpè propter illud ſine inviti velimus, ex eo quod illud ſine hoc obtinere non poſſemus: cùm ergo nihil repugnet quo minus Divus Ioſephus hâc directâ voluntate fuerit in Patrem Chriſti electus, quare non hâc, ſed illâ voluntate indirectâ electum exiſtimaremus & diceremus? VI.

Non ergo plenè evacuat præcedens ſententia id totum quod eſt in D. Ioſephi paternitate, cum ex eâ omninò ſequeretur quod indirectè tantùm, per accidens & negativâ quâdam permiſſione electus ſit in Patrem Chriſti: ſi enim ideò præcisè eſt Pater Chriſti, ut vult iſta ſententia, quia fuit Sponſus Virginis, non ergo alio actu voluit Deus illum eſſe Patrem, quam eo quo voluit eſſe Sponſum, in quo vidit ſequuturum ut eſſet Pater: At hoc modo velle, eſt tantùm velle in alio, indirectè, mediatè, per accidens, & negativâ admiſſione, ergo &c. VII.

Negabis fortè ejuſmodi illationē cum P. Franciſco Amico è Societate Jesu in alia tamen materiâ: quia, inquit Franciſcus Amicus etiam illa quæ in aliis tanquam in causâ volumus, directè velle poſſumus, poſſum enim per cauſam directè tendere in effectum, & tunc effectus ex causâ ſecutus, erit mihi directè voluntarius: ut ſi v. g. mediâ potione venenatâ procurem mortem Symphronio: mors Symphronii ſecuta VIII.

ex istâ potione venenatâ tanquam ex causâ, dicitur mihi directè, non verò indirectè voluntaria, quia directè est à me per talem causam intenta: Eâdem ergo ratione potuit Deus per conjugium Divi Iosephi cum Diva Deiparâ, directè tendere ad paternitatem D. Iosephi respectu Christi Domini.

IX. Respondeo vehementer hallucinari objicientem, in eo quod non distinguat inter esse volitum in se, & volitum in alio, & inter esse volitum propter se, & volitum propter aliud. Primùm, significat causam & effectum: Secundùm, finem & medium: & quidem ultrò fateor finem & medium, seu volitum propter se & volitum propter aliud posse esse, & esse de facto directè volita, sed hæc nonnisi duplici actu, intentionis scilicet circa finem, & electionis circa media: nego autem in alio tantùm volitum posse esse directè volitum.

X. Et quamvis medium possit esse & sit de facto causa sui finis, ut in exemplo allato de potione venenatâ in mortem Symphronii: non tamen ideò finis ut effectus est directè volitus, quia volo medium ut causam illius, sed quia finis ut finis per se & in se prius fuerat intentus, quam tenderetur in illum per medium ut illius causam: unde si potio venenata v. c. (ut ne ab allato discedamus exemplo) præcisè consideretur ut causa, ex quâ sequeretur mors Symphronii si illi daretur (quo pacto mors Symphronii nullo modo erit intenta, nec ullam habebit ratione finis respectu potionis) dico tunc quod præcisè volendo dare potionem istam venenatam, ex qua prævisa est mors Symphronii secutura voles tantùm potionem dare directè & in se; mortem autem Symphronii indirectè & in potione, & consequenter mors Symphronii secuta ex potione venenatâ, eatenùs tantùm mihi erit directè voluntaria, & non aliter, quatenùs per me intenta fuit ut finis, priusquam de illâ potione venenatâ porrigendâ cogitarem, vel decernerem, aut per illam in dictam mortem Symphronii tendere voluissem.

XI. Instabis, potuit Deus directè intendisse ut D. Josephus esset Pater Christi per conjugium ipsius cum Divâ Virgine, sicut potest intendi mors Symphronii per potionem venenatam: ac sicut potio venenata est causa mortis Symphronii, ita conjugium cum Divâ Virgine erit causa Paternitatis Divi Josephi.

XII. Respondeo primò, non esse paritatem in casu exemplificato, quia matrimonium non est causa influens in Paternitatem aut filiationem sicut potio venenata in mortem Symphronii, unde non potest per matrimonium uti per causam poni Paternitas, sicut potest per potionem venenatam poni mors Symphronii.

XIII. Ex quo magis patet prærogativa hujus nostræ Sententiæ supra communissimam illam capitis præcedentis: Matrimonium enim non fuit nec potuit esse medium vel causa Paternitatis in Divo Josepho quemadmodum nec est in aliis Patribus, qui sunt tales per generationem, sed fuit conditio sine quâ non, quatenùs scilicet sicuti si Divus Josephus debuisset esse Pater Christi per generationem, non utique aliter fuisset quam in matrimonio: ita planè nec modo hoc extraordinario quo factus est Pater, idest citra conjunctionem, aliter fuit quàm in matrimonio.

XIV. Respondeo secundò, concedendo quod potuerit Deus directè intendisse ut Divus Josephus esset Christi Pater, & hanc suam intentionem voluisse exequi, & de facto executum fuisse per ipsius cum Divâ Virgine matrimonium: sed ex hoc non sequitur quod Divus Josephus ideò sit Pater Christi quia Sponsus Virginis, nisi ad summum à posteriori & in executione, sed potius è contra ideò fuisse Sponsum Virginis, quia electus fuerat directè ut esset Christi Pater. Quare

XV. Dico secundò, non tantùm Divus Josephus electus est directè immediatè & in se ut esset Pater Christi, sed etiam primariò & principaliter, secundariò verò & consequenter tantùm ut esset Sponsus & conjux Sanctæ Virginis. Tùm quia in Sacro-sancto Incarnationis Mysterio omnia primariò & principaliter propter Verbum, tùm etiam quia & quod electus est Sponsus Beatæ Virginis, id maximè propter verbum

Verbum, ut scilicet partus ejus celaretur diabolo, & ne Judæi possent habere prætextum Christum despiciendi & abjiciendi tanquam illegitimum.

XVI. Confirmatur hæc doctrina ex Evangelio, nam Matthæi cap. 2. vers. 13. dicitur, *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens, surge, accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, &c:* & infra vers. 19. & 20. *Defuncto autem Herode: Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto dicens, surge, accipe puerum & Matrem ejus, & vade in terram Israël, defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.* Ubi vides semper primò puerum commendari D. Josepho, deinde Matrem ejus, ut ex hoc agnoscas ipsum propter puerum, primò præcipuè electum, deinde propter Matrem.

XVII. Quærit Ugo Charensis in cap. 2. Matthæi cur Divus Josephus in Evangelio dictus fuerit vir Mariæ antequam illa JESUM pareret, neutiquam autem amplius postquam JESUS editus est in lucem? & respondet Ugo ad illa verba: *Invenerunt puerum cum Maria Matre ejus*, ex mente Divi Hilarii hoc modo, *Dicit Hilarius super istum locum, quod Ioseph non legitur post nativitatem Christi vir Mariæ dictus, in quo innuitur, quod ante nativitatem vir ejus dicebatur quasi nutricius ad officium: sed post natum puerum non amplius dicitur vir, ut per hoc insinuaretur quod Christo nato poterat ei pueri solatium sufficere. Ita Ugo Charensis.*

XVIII. Malim ego nec ut arbitror minus aptè per id insinuari Divum Josephum totum utpote primariò & directè ut hîc asserimus propter Christum electum: quare eo jam nato, & in lucem edito, quando tunc ejus officium principale erga puerum requirebatur, cessat Scriptura tum vocare virum Mariæ, & vocat Patrem JESU, utpote qui jam totus erat Christi.

XIX. Tandem in hujus nostri asserti confirmationem huc revocari possunt optimè quæ à nobis dicta superius part. 1. tract. 1. Proludio 6.

XX. Non ergo tantùm cogitavit Deus directè de Virgine, quandoquidem ei destinavit D. Josephum, ut haberet puritatis & innocentiæ suæ Custodem, Tutorem, Testem, & Assertorem, verbo Sponsum, & conjugem, sed maximè de Verbo, ut haberet Patrem: quare uti verè Rex est, & meritò Rex appellandus, non ille solum ad quem Regnum jure devolutionis & successionis pervenit, sed etiam ille qui ad illud viâ electionis est evectus: Eodem planè modo nostro Sanctissimo Patriarchæ verè & propriè nomen Patris competit, & tribuitur justissimè: quamvis enim non sit Pater Christi naturâ seu generatione, est tamen Dei electione ex voluntate quæ efficacissima est, cum eum ad id elegerit Deus inter omnes homines, utpote tanquam solùm tantæ dignitatis capacem, imò expressè condiderit ut esset Christi Pater ut diximus supra part. 1. tract. 1. Prolud. 8.

## CAPUT XI.

### *Vera de veritate Paternitatis D. Josephi ad Christum Sententia.*

HABET Christus duplicem Patrem, unum in Cœlis, alterum in terris: unum secundùm quod Deus est ab æterno: alterum secundùm quod homo est in tempore: certum enim est, & certissimum in divinis esse tres Personas, quamvis unicus sint Deus; & primam istius Trinitatis Personam esse verè Patrem secundæ: certum quoque est Divum Josephum esse ejusdem secundæ Personæ, quatenus homo est, Patrem, & ita verè Patrem in doctrinâ Sancti Augustini sicut verè est Sponsus Beatæ Virginis. *Non tantùm*, inquit ille Sanctus Doctor lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 11. *illa Mater, verùm etiam ille Pater ejus sicut conjux Matris eius.* Ex quo hoc conficio argumentum. D. Josephus ex Augustino est Pater JESU sicut est conjux Matris ejus. Sed est verissimè conjux Matris ejus, ut docent omnes Theologi, immò censent aliqui esse de fide propter loca illa Scripturæ clarissima, *Vir Mariæ de quâ natus est IESVS qui vocatur Christus*, Matth. cap. 1. *Joseph fili David noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Et alia Tractatu præcedenti Cap. 1. ergo

eodem modo, ideſt veriſſimè eſt Pater JESU. *Ille Pater eius ſicut coniux Matris eius.* Nec hoc ullatenus in dubium revocandum: Nam ut proſequitur ibidem Divus Auguſtinus, *Non enim poteſt mentiri Evangelium ubi legitur*, Erant Pater JESU & Mater mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo: *Et hæc Beatæ Virginis ad Filium*, Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te: & alia loca non pauca ejuſdem virtutis & ſignificationis.

II. Verum quidem eſt hoc videri mirum noſtræ rationi ex eo quod eum ipſe minimè genuerit: Sed hoc non obſtante debemus ſincerè fideliterque credere talem eſſe, quandoquidem Deus qui nec falli poteſt nec fallere, ita dixerit, & ut firmius illud credamus cogitandum cùm Dei poteſtas ſit infinita & incomprehenſibilis ipſum habere ſecreta quæ nec capere nec aſſequi poſſumus: ut proinde hâc in re, in quâ tam clarè ſe expreſſit Deus in Scripturis ſuis nullatenùs dubitare liceat an ita ſit.

III. Solùm reſtat difficultas in hâc Divi Joſephi, & illâ Patris æterni Paternitate, in quo ſita ſit utriuſque ratio Paternitatis. Nam quoad primam: quomodo, quâve ratione prima Perſona Sanctiſſimæ Trinitatis ſit Pater ſecundæ non verò tertiæ, quis huc uſque extricavit? Scio quidem primam Perſonam dici Patrem ſecundæ non verò tertiæ, eo quod illam genuerit non hanc: ſed cùm proceſſio tertiæ, ſcilicet Spiritus ſancti à Patre & Filio, ſit proceſſio viventis à vivente, æquè ac proceſſio Filii, eandemque naturam divinam ex vi ſuæ proceſſionis accipiat Spiritus ſanctus, quam Filius ex vi ſuæ, quid cauſæ eſt quod proceſſio Spiritus ſancti non æquè erit & dicetur generatio, ut proceſſio Filii? Nemo huc uſque hunc nodum ſolvit, nemo unquam ſolvet, juxta illud Matthæi c. 11. verſ. 27. *Nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem novit quis niſi Filius, & cui volverit Filius revelare.*

IV. Nec explicatio quæ eſt communis Doctorum Ordinis noſtri, Corneio, Maraſcæ, Lezanæ, Lao, Zagagliæ, Irenæi, Auguſtini à Virgine Mariâ, Salmanticenſium poſt Doctorem Reſolutum, noſtrum dico Joannem Bachonium in 1. diſt. 10. quæſt. unicâ art. 5. quam doctiſſimè explicat & tradit noſter Henricus à S. Ignatio in ſuâ Theol. Scholaſticâ tom. 1. diſt. 17. art. 1. Reſol. 2. quæ dicit proceſſionem Verbi potius eſſe generationem quàm proceſſionem Spiritus ſancti, quia proceſſio Verbi eſt per intellectum, cujus proprius & ſpecificus operandi modus eſt per aſſimilationem, non ita voluntatis per quam procedit Spiritus ſanctus, plenè ſolvit nodum iſtum: quia licet ſit probabiliſsima, ſunt tamen adhuc aliæ multæ ex quibus aliquæ non carent etiam ſuâ probilitate, nec hæc ſuâ difficultate ut videre eſt apud Scholaſticos.

V. Idem quod de primo Chriſti Patre ſecundùm quod Deus eſt dixi, dicendum de ſecundo ſecundum quod homo eſt, ideſt de D. Joſepho: Patrem hunc, ideſt rationem ſecundùm quam Divus Joſephus eſt Pater Chriſti, nemo novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare: hinc quemadmodum ibi tot & tam diverſæ Theologorum inventiones ut illam rationem explicent, ita etiam hîc: Neque hoc mirum: hæc enim paternitas ut illa ſingularis eſt, & ſine exemplo, cui nulla unquam fuit ſimilis, nec in æternum erit; quia reſervata fuit hæc Chriſto Domino, iſta D. Joſepho.

VI. Quate ſicut licet nemo plenè extricare poſsit quomodo prima Perſona Trinitatis Sanctiſsimæ ſit Pater, omnes tamen quotquot ſunt fideles id firmiſsimè & religioſiſsimè credunt, quia Deus ita revelavit: Ita planè licet non capiamus, quomodò quâve ratione Divus Joſephus ſit Pater Chriſti, eſſe tamen, quia Deus dixit, omninò credendum: & hoc nobis ſatis.

VII. Itaque in hac materiâ de Divi Joſephi ad Chriſtum paternitate, duplex eſt quæſtio: prima an ſit verè Pater Chriſti? circa quam nihil dubito, nec dubitari volo propter authoritatem Dei in ſuis Scripturis hic ſupra c. 1. n. 9. loquentis, quas id tam expreſsè aſſerentes in ſenſu vero accipiendas eſſe oſtendi cap. 5. idque etiam ex mente Sanctorum Patrum cap. 6.

Secunda

VIII. Secunda quæstio est quomodo quâve ratione sit verè Christi Pater ? circa quam, sensum meum profero, verumtamen nonnisi juxta dicta hoc c. n. 2. & 5. ideſt profitens admodum difficilè esse ne dicam impossibile hoc nosse vel extricare omninò nisi Deus dederit: dedisse verò mihi haud præsumo: sed quia scio asinam homine occulatiorem, quando Deus dedit, & Caïpham prophetasse, ideò quod mihi quærenti occurrit produco.

IX. Dico ergo, fundamentum proximum & verum hujus paternitatis singulariſſimæ & incomparabilis est supplerio causalitatis seu actionis Divi Josephi in productione Christi per Spiritum sanctum in Beatâ Virgine ejus tunc conjuge, ex præsuppositâ electione seu voluntate Dei de ejus in Patrem Christi evectione consequenter ex intentione faciendi ipsum Christi Patrem.

X. Hæc assertio patet ab ipsius explicatione. Deus ergo primò D. Ioſephum directè immediatè & actu ad ipsum in se terminato elegit, ut vidimus capite præcedenti, ut esset Pater Christi sublimissimo quo fieri potuit modo, quia de suâ Incarnatione voluit utrumque sexum summè honorare & extollere, eo tamen qui Christum decebat modo, quia in hoc diviniſſimo Mysterio omnia præcipuè & primariò propter Christum. Secundò, cum non deceret Christum ut cæteros homines ex operâ viri in hâc Virgine concipi, continentiam eidem Virgini & Divo Josepho quondam conjungendis inspiravit, & ab utroque obtinuit. Tertiò, adveniente tempore divinitus præstituto quo ad executionem istius voluntatis & electionis æternę procedendum fuit, voluit prius D. Ioſephũ puriſſimæ Virgini conjugi, quam Christum in hâc concipi. Quartò, denique in ultimam hujus propositi executionem Spiritus sanctus in hanc sacratiſſimam ejusdem D. Josephi conjugem supervenit eamque virtute suâ fœcundavit, sicque D. Josephus fœtus illius diviniſſimi in eâ concepti Pater effectus est. Hæc omnia clariſſima sunt.

XI. Cùm ergo Spiritus sanctus ex intentione exequendi æterni decreti de Divo Josepho in Patrem Christi evehendo, ad productionem Christi in Virgine processerit, & licet non deceret Christum de viro generari, non tamen prius Virgini obumbraverit eamque fœcundare voluerit quàm hæc D. Josepho conjuncta esset, quis non videt manifestè sequi Spiritum sanctum D. Josephi in Virgine vices suppleviſſe ? hâc autem suppletione quænam aptior ratio fundandi istam D. Josephi paternitatem excogitari potest ?

XII. Hanc sententiam tam clarè explicatam eò securius amplector quo video illam fulciri doctrinâ Divi Augustini Tom. 10. serm. 63. de diverſ. cap 20. ubi Augustiſſimus Doctor illis qui vellent contradicere Evangeliſtis, vel illos suggillare quod Christi Genealogiam per Divum Josephum deduxerint, opponit D. Josephum eis hoc modo replicantem. *Quare non per me generationes vel ascenderent vel descenderent?* Et subjungit ipse D. Augustinus. *An dicetur ei quia non tu genuisti opere carnis tuæ? Sed respondebit nunquid & illa opere carnis suæ peperit?* quasi diceret, non: Pro quo vide à nobis dicenda infra hoc Tract. cap. 16. Sect. 3. num. 18 & 19. Tum deinde subdit in rem nostram idem Sanctus Pater. *Quod Spiritus sanctus operatus est, utriſq; operatus est..... Sed in eo sexu operatus est hoc quod etiã marito nasceretur*, quid clarius pro asserto nostro? quid enim quęso sonant, quid significant verba ista, *Quod Spiritus sanctus operatus est, utriſque operatus est, sed in eo sexu quem parere decebat operatus est hoc quod etiam marito nasceretur.*

XIII. Probatur secundò, nostra assertio hoc modo: in generatione ordinariâ & naturali prolis, causalitas viri juncta mulieris causalitati est id quod facit virum Patrem naturalem seu generatione, ergo illud quod est loco hujus causalitatis requisitæ ex parte Divi Josephi in productione Christi, scilicet suppletio istius causalitatis (quam ipse ponere potuisset si decuisset) per Spiritum sanctum in Virgine jam D. Josephi uxore ex præsuppositâ ipsius electione & voluntate directâ de ipsius in Patrẽ Christi evectione ipsum facit Patrem Christi singulari illo modo innominabili quem Gerson vocat *quasi generatione*,

&c

& quam dico ad eam reduci debere.

XIV. Probatur tertiò, ab authoritate Sancti Petri Damiani Cardinalis epist. 31. ubi hæc habet; *Fuit procreatio IESV in Mariâ per Spiritum sanctum de consensu vero vel interpretativo viri sui Josephi.* Nonne enim hæc significant quod Spiritus sanctus quodammodò Divi Josephi voluntatem consulerit ut Virginem fœcundaret?

XV. In hanc quoque Sententiam abiit Eximius Cancellarius Parisiensis Joannes Gerson ante ducentos quinquaginta annos in serm. de Nativ. B. Virg. Mariæ habito coram Patribus Concilii Constantiensis considerat. 4. statim post init. cujus accipe ipsissima verba: *Fuit itaque Joseph Pater IESV reputatione, fuit Pater curatione quia nutricius, fuit tertiò Pater generatione, non quidem suâ, sed Mariæ uxoris suæ cooperante Spiritu sancto, & quodammodò vices Josephi gerente, non virili semine, sed mystico spiramine.* Cui adstipulatur Doctissimus ex Societate Jesu P. Salmeron. tom. 3. tr 38. ubi sic ille: *Virum Mariæ intellige, & intellige in omnibus, exceptâ carnis copulâ, quæ suppleta est per Spiritum sanctum.*

XVI. Itaque cum in formatione prolis, vir & mulier seorsim, sint tantùm causæ partiales prolis, quæ necessariò debent simul conjungi, ut faciant unam causam totalem & adæquatam: Beata Virgo non potuit se sola Christum Dei verbum concipere, & carne vestire, fuit ergo illi necessaria concausa: hinc ei D. Josephus Deo volente conjunctus est, cui propterea competebat Christum in Virgine producere, si viâ ordinariâ, idest ex concubitu generari voluisset, ut potuit in Sententiâ Patris Suaris in 3. part. D. Thomæ quæst. 33. art. 4. disp. 10. sect. 3. cui adhæreo. Sed quia nec decuit, nec voluit Christus hâc viâ concipi, ideò ex mente hujus sententiæ, Spiritus sanctus concursum ex parte Divi Josephi necessarium ipse posuit, non quidem eodem modo quo D. Josephus posuisset, sed alio longe sublimiori & diviniori, ex intentione tamen supplendi vices ejus, & implendi præconceptam ab æterno voluntatem, quâ constitutum erat ipsum efficere Patrem Christi: non enim, ut clarius adhuc in hâc tam sublimi materiâ loquamur, quomodocumque, &, ut ita dicam, indifferenter respectu Divi Josephi, nihilque de eo cogitans Spiritus sanctus obumbravit Virgini, efformans Christum Dominum in Virgine, sed ex intentione & voluntate supplendi vices D. Josephi? Quid autem hoc est ex intentione & voluntate supplendi vices D. Josephi: nisi illud faciendi (alio tamen modo) quod facere debuisset, & fecisset D. Josephus, nisi voluisset Deus de uxore ejus intactâ concipi & nasci.

Ex quo Divus Paschasius lib. 2. in Matth. ad hæc verba: *Joseph fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, quod enim in ea, &c.* tam verè, tamque propriè Divum Josephum Christi Patrem esse censuit, ut non dubitaverit dicere: Ortum Christi secundùm carnem pertinere ad ipsum, & propterea esse ejus Patrem: Verba ipsius adhuc in superioribus à nobis data non inutiliter hîc repeto. *Conjugem autem quare dixerit? etiam inter reliqua, quod nihil defuerit operis conjugii, nisi sola commixtio libidinis, in tantum ut ad Joseph juxta carnem pertineat ortus Christi, si quomodo dici possit idem per hoc Pater Salvatoris.* Quomodò enim posset dici quod *nihil defuerit operis conjugii, &c?* quod *ad Joseph juxta carnem pertineat ortus Christi.* Idest, actio illa quâ productus est, nisi illa fuisset posita nomine ipsius & supplendo vices ejus? *ut per hoc dici possit Pater Salvatoris.* Quàm eximium istud D. Paschasii ad nostrum intentum! XVII

Eandem nostram sententiam confirmare videntur ea quæ in Responsorio ultimo tertii Nocturni Matutinarum habebat antiquum Breviarium Ordinis nostri, Bruxellis anno 1480. impressum in Officio festi Sancti Josephi, ubi sic habetur. *Nunc ad eum vice Patrem, nunc ad sanctam repsit Matrem, per virgineas cervices, gratas alternando vices.* Dicitur namque ibi Divus Josephus *vice Pater* Christi, idest generatione, quod scilicet tenuerit locum patris generatione, suppletis ejus vicibus per Spiritum Sanctum. XVIII

Id etiam videtur manifestè voluisse insinuare Matthæus cap. 1. referens Christi genealogiam: nam postquam XIX

in

in illâ dixit de Prædecessoribus Christi, *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob*, & sic consequenter, ad Josephum tandem perveniens, non dicit Joseph genuit JESUM, sed mutans stylum dicit, *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ de quâ natus est IESVS, qui vocatur Christus*: Per quod satis insinuat aliam esse Christi generationem quam præcedentium, & Divum Josephum esse Christi Patrem, quandoquidem per ipsum ducat ejus Genealogiam, non tamen ita ut hunc in eâ genuerit, sicut præcedentes in Genealogiâ istâ dicti sunt patres subsequentium. Quomodò ergo? Audi ex iis, quæ subdit in nostram sententiam. *Christi autem generatio sic erat: Cùm esset desponsata Mater IESV Maria Ioseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Ubi notanda verba illa: *Christi autem generatio sic erat.* Quasi & Christi productio sit etiam generatio pertinens quoque ad Divum Josephum, per quem ejus Genealogia deducta fuit, non quia sit à Divo Josepho effectivè & per se, ut cæteræ in eâdem Genealogiâ, quomodò ergò? nisi quia suppletio operationis ex parte Divi Josephi necessariæ ad generationem & paternitatem in uxore suâ per Spiritum Sanctum facta, ad Divum Josephum pertinet, & reputatur pro generatione.

XX. Maximè etiam facit ad confirmationem hujus nostræ sententiæ Divus Lucas qui Evangelii sui cap. 2. non semel Divum Josephum cum Beatâ Virgine vocat communi nomine Christi *Parentem*. Vers. 27. *Cum inducerent puerum IESVM Parentes ejus, ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo.* Versu 41. *Et ibant Parentes ejus per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschæ.* Vers. 43. *Remansit autem puer IESVS in Ierusalem & non cognoverunt Parentes ejus.* Cùm enim *Parens* dicatur à *Pario*, & significet actionem generandi, quomodo D. Josephus qui non genuit Christum ut Maria, posset dici ejus Parens ut illa, nisi quia Spiritus Sanctus pro eo illum in uxore suâ produxit? Quare cùm quod quis per alium facit per se ipsum facere censeatur, vocatur Divus Joseph Parens Christi ac si eum produxisset, quia Spiritus Sanctus illum in Virgine pro ipso produxit.

## CAPUT XII.

### *Roboratur Assertum nostrum de veritate Paternitatis Divi Iosephi absque generatione, per considerationem modi quo Patres generatione sunt, & dicuntur verè Patres.*

GRAVIS est apud Philosophos I. disceptatio in libris de Generatione & Corruptione à quo sit principaliter productio viventium ex semine genitorum, seu quænam sit causa principalis productionis illorum?

Prima sententia est illorum, qui II. dixerunt causam principalem esse animam ipsius prolis, quæ statim ac producta est, seipsam unit materiæ præparatæ & organizatæ per semen: ex eâ enim unione resultat compositum, quod dicitur & est idem quod genitum. Sed hujus sententiæ falsitas dudum detecta est, & ideò à Scholis exulare jussa. Nam primò in Brutis eadem est causa eductionis animæ eorum ex materiâ, quæ unionis ad illam: Sed anima prolis in brutis nō educit seipsam, hoc enim est impossibile, ergo nec unit. Secundò, Quare illa ipsa res quæ educit istam animam è materiâ, non posset æquè illam ei unire? Tertiò, quia anima nihil agit in corpore, nisi ut actus informans. Atqui ut actus informans, est jam unita corpori: in hac autem sententia esset forma assistens ante unionem, ibique jam operans unionem. Quartò, quia sic posset dici quod proles produceret seipsam, quandoquidem produceretur per aliquid sui. Quintò, quia sic esset falsum quod Pater & Mater verè producerent prolem.

Secunda sententia est Okami in 3. III. sent. quæst. 3. & Nominalium, qui volunt causam principalem productionis prolis esse animam Matris solam, propter proximitatem ejus ad materiam, ex quâ producitur proles. Sed & hæc

rejicitur, quia sic nullo modo pater concurreret effectivè ad generationem prolis, nec posset verè dici quod genuisset illam, quod est contra cómunem omnium sensum, & etiam contra Scripturam, quæ toties repetit *Adam genuit Seth, Abraham genuit Isaac, &c.*

IV. Tertia sententia est illorum qui dicunt causam principalem in hac generatione esse ipsum semen utriusque parentis in matrice mulieris commixtum: ratio eorum est quod existiment unionem solam animæ cum corpore esse terminum actionis generativæ: unde cùm unio non sit vitalis in se, & aliunde sit tantùm modus, nec tam substantia, quàm aliquid substantiale, non excedit in perfectione entitatem & perfectionem seminis: potest ergo semen, utpote substantia completa perfectior entitativè unione, unionem illam effectivè & principaliter causare. Ita Pater Comptonus Jesuita de Generat. viventium disp. 2. sect. 3. & alii.

V. Sed contra, ex hâc enim sententiâ sequeretur quod parentes non essent nisi causa causæ eorum quorum dicuntur filii, sive causa remota illorum! causarent enim tantùm semen, quod deinde per se & independenter ab illis causaret prolem: Nam causa principalis est quæ virtute suâ, idest independenter à quavis aliâ causâ particulari producit effectum. Sed hoc est contra communem omnium sensum, & falsum, ergo & illud unde sequitur.

VI. Confirmatur per ea quæ docet cum omni Philosophiâ ipse Pater Comptonus disp. 18. Physic. de causis in communi sect. 2. num. 6. ubi docet causam remotam non esse propriè causam, cùm non influat per se in effectum, sed per aliud à se distinctum: ut Adamus non est vera causa Petri qui hodie nascitur, nec ignis A caloris C producti à solo igne B, qui tamen ignis B antea productus fuerat ab igne A Causa igitur remota non dicitur causa per se, sed per accidens: causa enim per accidens illa est, quâ ablatâ maneret idem effectus & causalitas. Unde arguitur causalitatem illam, & consequenter effectum, non habere dependentiam per se ab illâ causâ remotâ, sicque dum aqua calida calefacit manum, denominativè tantùm calefactio illa tribuitur aquæ, cùm proveniat à solo calore, qui si fuisset in alio subjecto, eodem modo, & eâdem numero actione calorem illum produxisset. Cùm ergo in hac sententia P. Comptoni, parentes essent tantùm causæ remotæ eorum, qui tamen dicuntur filii ipsorum, sequeretur quoque eosdem parentes non esse propriè causas filiorum, esse tantùm causas per accidens, prolem non habere dependentiam per se à parentibus, ut patet, quod quis unquam admittet? & deinde Scriptura contradicit quæ sic loquitur: *Adam genuit Seth, Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, &c.*

Ad rationem ergò pro hâc sententiâ, VII. Respondeo unionem non esse terminum generationis. Primò, quia terminus generationis viventium, de quâ hîc nobis sermo, est similis producenti; definitur enim ab Aristotele hæc generatio. *Processio viventis à vivente in similitudinem naturæ*: Sed tunc nec unio esset similis semini, nec esset processio viventis à vivente, cùm nec semen, nec unio habeant vitam, nec in similitudinem naturæ, quia semen est substantia completa, unio tantùm modus. Secundò, quia terminus generationis debet se habere *ut quod*, terminus enim actionis est id quod terminat actionem, terminus generationis id quod terminat generationem: unio autem non est hujusmodi, cùm tantùm se habeat *ut quo*, & sit ipsa ordinata essentialiter ad compositum, ita ut non possit esse quin sit compositum, immò fortè non distinguitur ab ipsis partibus unitis: Igitur cùm compositum seu genitum sit terminus generationis, & id ad quod per se tendit generatio mediante unione: illud autem sit omninò nobilius & perfectius semine, ut patet, non potest semen esse illius causa principalis: ut enim omnes Philosophi, & cum eis P. Comptonus disput. 24. Physic. de causâ efficiente sect. 2. numer. 3. 4. & 5. docet, causa principalis esse non potest, quæ non sit majoris vel æqualis perfectionis in substantiâ cum effectu quem producit, & omninò oportet instrumentalis tantùm sit, quæ fuerit minoris cum eo perfectionis.

Denique

VIII. Denique oppono contra P. Comptonum & cum eo sentientes Authores, interrogando quidnam erit causa principalis & immediata ipsius compositi? debet enim necessariò habere unam, quam peto assignari.

IX. Refutatur amplius hæc sententia, quia in brutis cùm proles generatur, à quo principaliter effectivè producitur anima fœtus? non à semine, quia anima fœtus utpote vivens præstantior est & nobilior semine: Si ergo pro eductione animæ bruti ad aliud recurrendum est quàm ad semen, cur non ad illud ipsum ad quod recurritur pro illâ eductione, recurretur etiam pro illius unione cum materiâ? Quid in hâc difficilius quàm in istâ?

X. Igitur restat quarta & vera in hâc materiâ sententia, causam principalem generationis, seu viventium ex semine genitorum, esse Parentes, ita omnes Philosophi, demptis illis paucis qui supra: Probatur primò ex Scripturâ Matthæi cap. 1. quæ dicit quod *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, &c.* Probatur secundò, quia parentes sunt veræ causæ filiorum suorum, sed non sunt causæ instrumentales tantùm, cùm sint ejusdem ordinis & paris cum effectu perfectionis. Tertiò, quia si essent tantùm causæ instrumentales, quænam assignari possent quæ essent principales.

XI. Verùm hinc nascitur difficultas, quomodò scilicet parentes sint aut esse possint causæ principales filiorum, maximè verò pater seu masculus quandoquidem hic semper absit, sæpè amplius non sit, quando filii generantur: Nam tunc generantur, seu ponitur eorum generatio, quando fit unio animæ ad materiam organizatam, tunc verò semper abest masculus, sæpè amplius non est.

XII. Ad hanc difficultatem duplex responsio: Prima nostri Francisci Bonæ Spei in lib. de Generat. & Corrupt. disput. 1. dubio 7. Resolut. 3. produci prolem principaliter per parentes, quia producitur per actionem illorum permanentem in semine, & in illo fœtam: sed contra, primò quia impossibile est actionem permanere absente vel destructâ ejus causâ, ut docent Philosophi, quia actionis essentia, est fluere à suâ causâ, consequenter & ipsius conservatio, seu continuatio, est essentialiter continuò fluere ab illâ, non potest autem illâ non amplius existente, vel absente continuò fluere ab illâ. Secundò, si actio quâ filius producitur absente, vel mortuo patre, esset immediatè à patre progressa & recepta in semine, hoc maximè in instanti emissionis seminis: hoc autem dici nequit: quia si in illo instanti pater cum semine emisisset actionem filii generativam, impossibile fuisset eodem instanti non existere filium: actio quippe productiva, sine termino, nullo instâti magis esse potest quàm sine principio producête. Cujus rei ratio à priori est quod essentialis conceptus actionis sit rei productio & illius positio à parte rei: at verò illo instanti quo à patre emittitur semen non existit filius, sed tantùm 30. vel 40. diebus depost, eo quod nonnisi post dictum tempus animetur fœtus, seu uniatur anima corpori, in quo formaliter consistit generatio, ergo &c.

XIII. Neque dicas illam actionem tunc à patre emissam esse tantùm partialem, quæ quidem non potest esse etiam divinitus sine termino producto seu filio, si positæ sint etiam cæteræ actiones partiales requisitæ, potest tamen si hæ non sint positæ, ut non sunt quando à patre emittitur semen: nam contra: Primò, in illo instanti adsunt omnes aliæ concausæ quæ concurrunt ad generationem filii, adest enim mater, adest utriusque semen, adest Deus, adsunt corpora cœlestia, cur non ergo illorum actiones? si dicas quia ad actiones harum causarum nondum adsunt conditiones prærequisitæ: infero neque ad actionem patris: cur enim, vel quomodo potius ad hanc quàm ad illas? Contra secundò, hæc est natura causarum partialium ut una sine alterâ agere & actionem suam exercere non possit, aut certè si in aliquo casu possit, omninò necesse est ut partem effectus producat suæ actioni correspondentem, quia actio non potest esse sine termino sibi correspondente, cùm sit essentialiter ad illum.

XIV. Igitur restat secunda responsio, Parentes esse causas principales suorum

filiorum, quia quando proles generatur, quod fit dum animatur, agunt per suam virtutem instrumentalem, quæ, ut ait Divus Thomas 1. part. quæst. 118. art. 1. ad 3. est in semine residens ex generante derivata: quæ quidem virtus corpus efformat, eoque efformato animam si materialis est educit & unit, vel si immaterialis est, ejus cum corpore unionem efficit.

XV. Sed, inquies, quomodo hoc? nam ut parentes in productione filiorum sint causæ principales, debent dum filii generantur verè agere: Causæ enim efficientis, maximè principalis, causalitas est actio: sed dum filii generantur non agunt parentes, quia si agunt, vel per se immediatè, vel per suam virtutem, seu semen: non primùm ut omnes fatentur & nos debemus fateri, nam cum generatur proles, hoc est, dum animatur fœtus, abest pater, & sæpè amplius non est, non ergò tunc agere possunt per se: non etiam secundùm, quia ut verè agerent per suam virtutem seu semen, cùm illa sit ignobilior effectu, deberet ab illis elevari, & confortari per alium concursum præstantiorem, ut effectum illum per ipsam attingere, & terminum principaliter producere possent: Sed parentes dum virtus illa seminis sortitur effectum suum, seu terminum ultimatum, qui est fœtus animatus, non possunt virtutem illam seminis hoc modo elevare & confortare, ad hoc enim deberent simul cum virtute illa seu semine coagere: hoc autem non, cùm tunc pater absit, aut etiam amplius non sit, ergo &c.

XVI. Respondeo concessâ majori, negãdo minorem, ad ejus probationem nego secundam partem antecedentis, ad cujus probationem dico ad majorem, ut parentes agant per suam virtutem instrumentalem, seu semen, debent illam elevare & confortare concurrendo cum illâ ad effectum: quod faciunt non quidem per se, sed per causam superiorem supplentem vices ipsorum, ad exigentiam tamen ultimæ dispositionis pro effectu virtute ipsorum positæ. Rem explico.

XVII. Duo igitur consideranda veniunt in generatione viventium: Primum est introductio dispositionum & organorum prærequisitorum in materiam, ut proximè reddatur apta ad recipiendam formam. Secundum est introductio ipsius formæ in materiam ita dispositam & organizatam, ex quâ introductione resultat compositum, quod est ultimus terminus generationis. Primum facit semen per se, habet enim sufficientem proportionem ad istum effectum, dispositionum dico & organorum efformationem: quoad secundum, cùm parentes per istud semen & virtutem suam illi impressam, directè tendant in generationem viventis, cum quo habent sufficientem proportionem, illud efficiunt per ista organa & dispositiones à suo semine in materiâ introductas. Nam hoc ipso quod semen istud & virtus à causâ principali in illud derivata, naturâ suâ tendit, & ordinatur ad producendum fœtum (quem nequit attingere per modum causæ principalis, eo quod sit inferioris ordinis) fit ut positis illis organis & dispositionibus, naturaliter exigat auxilium validioris & efficacioris concursus causæ principalis, quo suppleatur & perficiatur ipsius ad talem effectum insufficientia: sed quia causa illa principalis, in cujus virtute semen tendens directè in dictam generationem & prolem agit, talis est ut ex naturali suâ conditione absit à dictâ virtute suâ instrumentali, dum positis ab hac omnibus dispositionibus requisitis, deberet ab eo poni actio generativa, seu formæ introductiva, fit ut ad istarum dispositionum & naturæ exigentiam, causa prima dictæ causæ principalis defectum supplere debeat, & vice ipsius semen adjuvare, cum eo concurrendo per concursum æquipollentem illi, quem causa principalis ei præstaret, si ipsa adesset: Quod quia causa prima non facit nisi ad physicam exigentiam dictæ virtutis à causa principali egressæ, & positarum jam omnium ad effectum directè intentum dispositionum, censetur non solùm morali sed etiam physicâ quâdam ratione id facere vice parentum, quorum illa virtus seu semen est physicum & naturale instrumentum, & sic ipsi parentes censentur non solùm moraliter, sed etiam physicè elevare & confortare dictam suam

virtutem

virtutem, quia posuerunt illud physicum, quod physicè necessariò, & naturaliter exigit illum validiorem concursum, & sine quo non poneretur.

XVIII. Dices hæc solutio recurrit ad Deum sine necessitate. Respondeo negando, nam non recurrit ad illum ut causam particularem, sed ut universalem quæ debet concurrere cum causis secundis juxta illarum naturalem conditionem & exigentiam.

XIX. Confirmatur hæc responsio: necessarium est ad talem exigentiam suppleti influxum causæ secundæ principalis absentis per aliquam causam superiorem causâ instrumentali, non suppetit autem alia quam prima: nam quod dicunt aliqui in generatione hominis & aliorum animalium, influxum masculi sufficienter suppleri per animam matris, quæ semper adest masculino semini, quod in matrice fovet, non placet. Primò, quia Mater est tantùm causa partialis & limitata, & posito suo partiali concursu nihil amplius potest. Secundò, quia sæpè contigit ut fœtus sit perfectior Matre, ut cum ex congressu equi & asinæ generatur mulus. Tertiò, quia cùm tunc tota causalitas effectus poneretur per solam Matrem, hæc sola esset causa totalis effectus, sicque fœtus plus teneretur Matri incomparabiliter quam Patri de suo esse, quod est contra omnium communem sensum sapientum. Quartò, addo quod causa principalis, ut dici possit causa principalis, si immediatè per se non influat in effectum simul cum virtute suâ instrumentali, debet saltem in illum influere per aliam causam, quæ suppleat vices ejus, & quæ nomine suo adjuvet virtutem sui instrumenti ad ponendum effectum: virtus quippe instrumentalis in quantùm instrumentalitet influit in effectum, influit ut adjuta à causâ suâ principali simul cum ipsâ influente, seu per se, seu per aliud quod vices suas suppleat. At anima Matris nec supplet, nec supplere potest vices Patris, quia virtus agendi ipsius limitata est, & attento fœmineo corpore ejusque qualitatibus, est nimis debilis & languida, ut aliud possit, quam quod ex parte sua debet, & ideò requiritur validior & præstantior concursus ex parte viri: Attento etiam quod fœmineum semen si sit activum, de quo disputant Physici, nunquam est in activitate par virili, propter quod fœtus plus tenetur Patri quàm Matri.

XX. Ex his igitur venio ad intentum meum pro paternitate D. Josephi: patet enim etiam Patrem generatione non esse Patrem nisi per suppletionem causalitatis ex parte ejus requisitæ, quam utique supplet Deus illo absente à fœtu dum animatur, vel etiam non amplius existente: & licet hæc causalitas, quam supplet Deus, sit principalis in generatione prolis, cum sit ipse actus generationis formalissimè, seu unitio animæ cum corpore cujus terminus est filius, non tamen propter hoc desinit v. c. Petrus esse verè & propriè istius filii Pater, & quidem ita, ut ex omnibus Philosophis, iste filius plus debeat Patri quàm Matri, quæ tamen per se ipsam ad illius generationem principaliter ex parte suâ concurrit.

XXI. Si ergo nihil alienum à ratione & bonâ philosophiâ ducimus, dicere hanc suppletionem, ad exigentiam actionis instrumentalis & dispositionum & organorum in materiam introductarum à Patre per suum semen non impedire quo minus Abraham verbi causâ sit verè & propriè Pater Isaac, Isaac Pater Iacob, & ita de cæteris, neque verò hoc tantùm, sed etiam Pater *generatione*, dicitur enim in Scripturâ, & congruè dicitur, *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob*, quam tamen generationem, ut diximus, ipsi per se non posuerunt, sed Deus supplevit & supplet; an non per hoc manu ducimur ut credamus & libenter assensum nostrum præbeamus isti sententiæ, quod possit Deus si velit etiam efficere ut quis sit Pater verè, supplendo adhuc vice ipsius illud modicum seminis & actionis ipsius; maximè verò cum non dicamus ipsum futurum Patrem generatione, sed alio modo Deo cognito: cur enim poterit subsistere vera paternitas generatione, supplendo ipsam generationem, quæ est id per quod est homo formaliter generans, seu Pater generatione, & non poterit esse Pater, non per generationem, sed alio modo

Deo bene viso, supplendo etiam actionem illam ad ultimæ dispositionis positionem pro animâ introducendâ requisitam ? Cur non ergo Divus Josephus verè propriè & reapse Christi Pater, etsi eum non genuerit, id asserente scripturâ tam disertè, & tam frequenter ?

## CAPUT XIII.

### *Roboratur iterum assertum nostrum de veritate Paternitatis D. Josephi absque generatione à Scripturâ in verbis Christi præcursoris, ex quibus ostenditur posse fieri quod quis sit Pater verè sine generatione ?*

I. HOc Assertionis nostræ robustissimum fundamentum in verbis præcursoris Divi Joannis Baptistæ constitutum educitur ex Matthæi cap 3. vers. 9. ubi vanam S. Præcursor retundere Pharisæorum & Sadducæorum ad se venientium fiduciam, seu potius præsumptionem, quâ sine operibus justitiæ omnia sibi promittebant, ob id solùm quod essent genus, & filii Abrahę, & quod Abrahę & semini ejus Deus benedictionem, & salutem promisisset, sic ait ad illos : *Ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham, dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* : in quibus verbis, ecce tibi per potentiam Dei filios Abrahæ, qui tamen ab Abraham non essent geniti nec mediatè, nec immediatè, sed à Deo ipso ex lapidibus suscitati : ex quo infero, ergo & Christus verus filius Josephi, etsi non ex eo genitus, Scripturâ id tam asseveranter pronunciante, quia scilicet ei à Deo, eo quod diximus modo, suscitatus, quæ enim hîc difficultas major quàm ibi ?

II. Ut huic argumento ineluctabili sua vis & robur maneat, discutiendæ sunt operosius, & ad trutinam vocandæ variæ hujus loci Interpretum explicationes : meretur id omninò argumenti dignitas : & illas quæipsius vim effugere potius, quam effringere videntur, nullius esse momenti ostendendum : igitur sit

## SECTIO PRIMA.

### *Refertur prima explicatio verborum Divi Præcursoris & refutatur.*

III. PRima explicatio est Origenis homilia 22. in Lucam, quem sequuntur multi Interpretes, qui expressè negat hæc verba intelligi de Physicâ & reali lapidum propriè dictorum conversione in filios Abrahæ secundùm carnem, sed vult intelligi de morali & spirituali Gentilium per lapides significatorum, in filios Abrahæ transmutatione non secundùm carnem, sed secundùm spiritum, seu secundùm imitationem fidei & morum Abrahæ.

IV. Hæc ergo Origenis explicatio duplicem in hoc textu inducit metaphoram, unam ex parte termini *à quo* hujus conversionis, alteram ex parte termini *ad quem*, idest unam ex parte lapidum convertendorum, per quos intelligit, non saxa aut silices, sed Gentiles : Alteram ex parte filiorum Abrahæ, in quos illi convertendi, per quos non intelligunt filios Abrahæ secundùm carnem, sed secundùm spiritum, seu secundùm imitationem fidei & morum Abrahæ.

V. Porrò ideò Gentiles ex hâc opinione comparantur lapidibus : Primò, quia colebant lapides, & in illis confidebant : dicitur autem in Scripturâ Psalmo 113. vers. 16. *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Undè ait Origenes loco citato. *Non utique lapides irrationales corporeosq. monstrabat Ioannes, sed homines insensibiles, & quondam duros, qui quia lapides & ligna adorabant, impletum est illud quod in Psalmo cantabatur, similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Secundò, ratione infructuositatis eorum : Gentiles enim adinstar lapidum erant infructuosi. Ita Doctor Henricus

Rampenne

Rampenne Huo-Leodiēsis ad hunc locum Matthæi. Tertiò, quia sicut sculptura in lapide difficilis est, sed semel facta permanet, sic & fides in Gentilibus. Ita noster Imperfectus in Matth. homil. 3. *Lapis quidem*, inquit, *durus est ad opus, sed cum factum fuerit opus ex eo, deficere nescit. Sic & Gentes cum difficultate quidem crediderunt, tamen credentes permanent in æternum.*

VI. Pro hâc quoque sententiâ citantur Divus Cyprianus lib. 2. epist. 3. Divus Ambrosius in cap. 3. Matth. & noster Imperfectus ubi supra: sed non rectè, quia nullus horum negat posse intelligi hunc Matthæi locum de conversione physicâ & reali lapidum propriè dictorum: sed interpretantur tantùm illum secundùm sensum moralem, cum quo alius verus & genuinus sensus, qui litteralis dicitur, est admittendus, & quem nos hîc inquirimus.

VII. Igitur non placet hæc explicatio, si de litterali sensu intelligatur, ut enim benè observavit Abbas Rupertus in hunc locum, non dixit Baptista solummodò & cum præcisione de lapidibus, sed dixit signanter de lapidibus istis, aliquos in particulari demonstrando qui ibi tunc aderant, quæ demonstratio fuit verborum Divi Joannis & mentis audientium determinatio ad rem demonstratam seu præsentem, quo in in facto nulla potest subesse metaphora aut tropus, sive de cætero illi lapides fuerint ii qui in ripâ Jordanis (ubi prædicabat Joannes) jacebant, sive memorabiles illi, quos Josue de Jordane tulit, & quos in medio ejusdem fluminis alveo, ubi Arcæ Domini transitum præbuerat, jubente Domino ad rei memoriam posuit, qui adhuc ibi eminere dicuntur, Josue cap. 4.

VIII. Dices demonstrasse Gentiles qui ibi cum cæteris aderant. Respondeo cum eodem Ruperto. *Sensus quidem verus est per lapides rectè posse intelligi homines Gentiles, lapidea simulachra colentes, de quibus & nos fuimus vel sumus, in filios Abrahæ suscitati per fidem IESV Christi, sed non leguntur tunc adfuisse, vel venisse ad Ioannem in Iordane ejusmodi lapides, ejusmodi homines.* Unde nimis gratis & ad fugiendum tantùm hoc effingitur.

Sed etsi daremus gratis adfuisse aliquos Gentiles, unde probabile fieret quod D. Joannes carpens Pharisæos & Sadducæos, istos Gentiles digito demonstrasset, & suggillasset vocando lapides, qui potius erant alliciendi ad cōversionem, quàm exasperandi per ejusmodi aculeum? IX.

Nec dicas non suggillari, cùm dicat illos convertendos in filios Abrahæ. Nam primò non dixit eos convertendos, sed potentem esse Deum illos convertere. Secundò, quia dicitur de illis qui veniebant ad Joannem quod *Baptizabantur ab eo confitentes peccata sua.* Non ergo illi tunc fuissent lapides, ut pro lapidibus à Joanne demonstrari potuissent. X.

Replicabis, non vult Evangelista quod omnes baptizabantur & confitebantur peccata sua, nam in textu allato, *Baptizabantur ab eo confitentes, peccata sua*, to *confitentes* restringit propositionem, & reducit numerum illorum qui baptizabantur, ad eos solos qui confitebantur peccata sua: ut sensus sit, baptizabantur ab eo illi qui confitebantur peccata sua & non alii: Sed contra, quia verba illa, *& baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua*, non ligantur, sed separantur interpunctione, seu virgulâ positâ inter verba illa (*in Iordane*) & ista (*confitentes peccata sua,*) ut patet ex originali, ex vulgatâ nostrâ, & lectione SS. Patrum Patrum, qui verba illa Matthæi non aliter legerunt: ut proinde alius sit sensus quam ille quem prætendit objiciens, quod scilicet illi, qui exibant ad eum Jerosolymâ, & ex omni Judeâ & Regione circa Jordanem, duo faciebant; primum, quod baptizabantur ab eo: Secundum, quod confitebantur peccata sua. Addo quod cùm Joannis baptismus esset baptismus pœnitentiæ, ab eo baptizari non erat aliud, quàm facto confiteri se esse peccatorem, & velle pœnitere. XI.

Confirmatur quia Matthæus in loco quem versamus distinctionem indigitat eorum qui veniebant ad Joannis baptismum: eorum scilicet qui exibant Jerosolymâ, & ex omni Judeâ & Regione circa Jordanem, qui baptizabantur ab eo, confitentes peccata sua, ac deinde XII.

deinde Pharisæorum & Sadduceorum, quorum multos etiam videbat Joannes venientes ad baptismum, sed nec facientes fructus dignos pœnitentiæ, nec dispositos ad faciendum, quibus dicebat: *Progenies viperarum quis demonstravit vobis fugere à venturâ irâ? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. & ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Hos fictè venisse insinuans carpebat & urgebat ut quandoquidem veniebant ad Baptismum pœnitentiæ, facerent ergo fructus dignos pœnitentiæ: Baptismum verò piorum insinuat fuisse sine fictione, & in sinceritate, per hoc quod dicit quod non tantùm baptizabantur, sed etiam confitebantur peccata sua: illa ut puto clarissima sunt.

XIII. Quare certissimè concludendum verba hæc Divi Joannis Baptistæ ad hos fictos pœnitentes, in sensu proprio & litterali intelligi debere de reali & physicâ conversione lapidum propriè dictorum, non verò de conversione eorum qui exibant Jerosolymâ, & ex Judæa, & Regione circa Jordanem & baptizabantur ac confitebantur peccata sua ut patet.

XIV. Quod adhuc exinde confirmatur, quod per illa verba vult S. Præcursor exaggerare summam Dei potentiam, cui nihil sit difficile multò minus impossibile, ut verbum & promissionem suam impleat: undè necesse est omninò dicere adduxisse in exemplum rem difficillimam. At si per lapides convertendos in filios Abrahæ intelligeret Gentiles, nihil plus miri esset in hac conversione quàm in conversione Pharisæorum & Sadducæorum, immò minùs; cùm innueret per ea verba in his esse plus duritiei, obstinationis, & resistentiæ ad conversionem, quàm in istis quos lapides vocat: ergò certissimè & sine ullâ dubitatione intelligendus de aliâ conversione quam morali istâ Gentilium, scilicet de reali & physicâ lapidum propriè dictorum, quod amplius patebit ex dicendis.

## SECTIO II.

### *Refertur secunda Explicatio eorumdem verborum, & refutatur.*

EX dictis Sectione præcedenti manifestè patet in his verbis Divi Joannis, conversionem illam lapidum in filios Abrahæ, quam Deus potens est facere in sensu proprio & litterali ex parte termini *à quo* intelligendos esse de verâ, reali & physica conversione lapidum propriè dictorum qui jacebant in ripâ vel eminebant in alveo Jordanis. Restat difficultas in explicandâ hâc conversione ex parte termini *ad quem*, seu de quibus Abrahæ filiis intelligi debebat, in quos illa conversio lapidum est possibilis? an de veris & propriè dictis? an verò de spiritualibus tantùm? Quamvis enim Deum de lapidibus homines suscitare posse indubitatum sit, quippe qui etiam ex nihilo cuncta creavit, non tamen videtur posse filios Abrahæ veros & proprie dictos: cujus rei ratio est, quod talis filiatio non possit esse nisi posito fundamento, quod est generatio, ut docent communiter Philosophi, quæ tunc abesset, cùm dicantur à Deo per potentiam absolutam Abrahæ, tot sæculis jam mortuo, de lapidibus suscitandi. XV.

Propter hanc rationem Noster Sylveira in Evangel. tom. 1. lib. 3. cap. 1. quæst. 36. & alii ante, & post ipsum, rem ita explicant, ut scilicet verum sit posse Deum de veris lapidibus suscitare filios Abrahæ, quia potest Deus quosvis lapides in homines convertere, & in his indere fidem & pietatem Abrahę, quo pacto erunt filii Abrahæ, non quidem secundùm carnem, sed secundùm spiritum, pro quibus præcisè intelligantur promissiones factæ. XVI.

Sed contra hoc est: Primò, quod si promissiones factæ Abrahæ, & in ejus filiis implendæ, præcisè intelligendæ essent de filiis Abrahæ secundùm spiritum, ita ut nihil referat sint ne illi veri Abrahæ filii nec ne, modò tantùm imitentur fidem & mores Abrahæ. XVII.

Certè

Certè abs re omninò fuisset quod potentiam Dei ad suscitandos ex lapidibus alios pro ipsis filios, qui benedictiones illas participarent, intentasset: ut quid enim hoc? Cùm ex infinito Gentium omnium numero posset in eum finem tales filios in locum paucorum Judæorum ex hypotesi vastandorum substituere. Itaque illud unicum, positâ hâc explicatione, habuisset agendum Joannes, Pharisæos scilicet & Sadducæos quos arguebat, istum quo laborabant errorem eis detegere, ostendendo hoc quod illi de filiis secundùm carnem intelligebant, intelligi de spiritualibus præcisè, & facile posse Deum, illis in peccatis suis dimissis, converti ad Gentes, & in illis conversis tanquam in filiis spiritualibus reverà per promissiones intellectis, easdem implere promissiones. Et hoc quidem modo, melius quàm illo, Joannes vanam Pharisæorum & Sadducæorum retudisset fiduciam: non enim dubitabant hi posse Deum ex multitudine lapidum in ripâ Jordanis jacentium novam condere gentem, quæ creditura esset in eum, & horum corda recenter ab eo condita, nullis obliquis affectibus depravata, posse ad se convertere. Etsi hoc Deus fecisset nihil erat quod multùm erubescerent: Sed quod Gentes quæ idola colebant, fierent præmissarum filiis Abrahæ benedictionum participes, ipsi verò veri Abrahæ filii, quibus in ipso promissiones factæ fuerant, & qui veri Dei cultores videbantur, ab eis repellerentur, hoc profectò eis intolerabile fuisset. Quare Divus Joannes potiùs per Gentiles, quàm per lapides eorum stultam fiduciam castigasset.

XVII. Secundò, quia promissiones factæ Abrahæ pro filiis, debebant etiam impleri in filiis veris & propriè dictis, licet in his tantùm in quibus etiam esset ratio filiationis spiritualis, seu imitatio fidei & morum Abrahæ: immò in his primariò & principaliter, eo quod pro illis primariò & principaliter factæ essent, & nonnisi secundariò tantùm Gentes ad illarum participationem cum his admissæ sint: Unde illæ Christi voces, *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Matthæi cap. 15. vers. 24. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere illum canibus.* Ibidem vers. 26. &c. His ergò vastatis, & omninò profligatis, necesse fuisset alios similes filios in horum locum excitari, in quibus hæ promissiones in veris filiis complendæ, implerentur: quales certè non essent Gentiles facti per conversionem ad fidem & morum imitationem ipsius Abrahæ spirituales filii. Confirmatur hæc ratio: quia una è promissionibus Abrahæ factis, est conservatio seminis in quo benedictiones complerentur, & unio cum Abrahamo tanquam cum Patre fuit fundamentum cæterarum benedictionum propter Abraham promissarum.

Tertiò, etsi non esset necesse intel- XVIII.
ligere in istis promissionibus nisi filios spirituales Abrahæ, quia tamen certum est Pharisæos & Sadducæos aliter existimasse, illas scilicet debere compleri in filiis veris & propriè dictis, idest secundùm propagationem seminis (inde enim illorum vana fiducia) propterea de his adhuc, non verò de spiritualibus filiis esset intelligendus sanctus Præcursor: Ratio est quia attendebat hîc ad istam illorum fiduciam, & per illam ipsam vult eos concludere: ergo necessarium est ipsum velle, Deum esse satis potentem, si necesse sit, ex lapidibus alios viros & propriè dictos filios Abrahæ suscitare pro ipsis, ipsis meliores futuros, in quibus promissiones (ex ipsorum opinione in filiis Abrahæ veris complendæ) complerentur: alias inappositè, & non ad hominem ut aiunt argueret, nec ex ipsis ipsos confutaret.

Exaggerat ergo omninò Divus Joan- XIX.
nes Dei potentiam, & ingerit aliquid valdè inusitatum, & quod difficile casurum erat in mentem Pharisæorum & Sadducæorum. At posse Deum qui ex nihilo cuncta creavit, qui uxorem Loth in statuam salis convertit, &c. suscitare de lapidibus homines, non potuit illis esse ambiguum, ergo aliud voluit Divus Joannes, scilicet ex lapidibus veris veros filios & non imitativè tantùm posse Deum Abrahæ suscitare.

## SECTIO III.

### *Proponitur alia horum verborum explicatio, & iterùm refutatur.*

XX. OStendimus supra terminum possibilis hujus conversionis de quâ Divus Joannes, non posse intelligi in sensu metaphorico ex parte termini *à quo* contra Origenem, sed debere intelligi in sensu vero litterali, & eo quem ipsa verba propriè sonant, ut proinde verba ipsius necessariò significent veros & propriè dictos lapides, prout terminus ille *lapis* communiter accipitur, & pronomen illud demonstrativum (*de lapidibus istis*) in ejusdem verbis Joannis appositum designat: evicimus deinde Sectione præcedenti per filios Abrahæ, in quos dicti lapides convertendi, non posse etiam intelligi filios spirituales, qui cum ideò tantùm dicantur filii Abrahæ, quod ipsius mores imitentur, impropriè solùm dicuntur illius filii: unde omninò necessarium est, ut per terminum *ad quem* fieret illa conversio lapidum, seu per filios Abrahæ, intelligantur filii veri & propriè dicti.

XXI. Porrò duplex datur conversio realis & physica rei in rem ex parte termini in quem fit conversio: Prima, est conversio rei in rem præexistentem ante conversionem: talis est transsubstantiatio illa mirabilis & divina, seu conversio panis in corpus Christi, & vini in ejus Sanguinem, vi verborum consecrationis à ministro cum intentione prolatorum in Sacramento Altaris: Secunda, est conversio rei in rem quæ necdum est, sed primò producitur per ipsam conversionem, talis fuit conversio aquæ in vinum in nuptiis Canæ Galileæ Joan. cap. 2. Cum ergo propter rationes Sectionum præcedentium, conversio lapidum in filios Abrahæ, in sensu litterali & proprio per Divum Præcursorem intellecto, cogamur admittere intelligi de conversione lapidum verorum ac propriè dictorum, in filios Abrahæ veros ac propriè dictos: Restat videndum an hæc conversio intelligi debeat secundùm primum, an verò secundùm posterius membrum hujus divisionis.

XXII. Pater Cornelius à Lapide in cap. 3. Matth. explicans allata sancti Præcursoris verba post Dionysium Carthusianum, Didacum Stella & alios reducit ad primum: cùm enim possit Deus per absolutam suam potentiam quamlibet substãtiam creatam in aliam transmutare totaliter, pura tam quoad materiam, quàm quoad ad formam, potest consequenter ex lapidibus suscitare filios Abrahæ, quia potest lapides convertere in corpora mortuorum filiorum Abrahæ, illaque animare, & à morte suscitare: atque hâc ratione erunt veri filii Abrahę ex lapidibus per divinam potẽtiam suscitati, sed tamen ex Abrahamo prius geniti: hic modus explicandi aliquibus placuit valdè, quia est facilis: ideò satis clarè dissolvit difficultatem.

XXIII. Sed nec hæc explicatio placet: quamvis enim id omninò possit Deus: attamen hîc non est quæstio quid potuerit Deus, sed quid hîc intenderit Sanctus Præcursor? Mens porrò illius talis omninò fuisse censenda est quando hoc protulit, ut si hoc fieret quod fieri posse asserit, nihil ex eo incommodi sequeretur: sequeretur autem secundùm hanc explicationem: quia illa corpora in quæ lapides isti converterentur, cùm animarentur denuò, vel animarentur priore suâ animâ, vel novâ, neutrum dici potest sine magno incommodo: probatur quoad primam partem: quia si priore suâ animâ animarentur, ergo hi essent omninò iidem qui prius fuerant & devixerant: non ergo suscitarentur filii Abrahæ in locum vastandorum substituendi, ideò novi, sed mortui resuscitarentur: Secundò, est manifestè contra textum nam in his verbis: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, to *Abrahæ*, est dativi casus, ut notant Interpretes, inter quos ex nostris Thomas Beauxamis tom. 1. in Evang. ad hunc locum, & Sylveira tom. 1. in Evang. lib. 3. cap. 1. quæst. 36. quod & evidens est, nam in Græco vox *Abraham* est conjuncta cum articulo dativi

casus

casus *to* non verò cum genitivo *tou*: & Syriaca versio apud eundem Sylveiram sic habet: *Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios ipsi Abrahamo*, cui consonat versio Vatabli apud eundem Sylveiram ibidem, quæ sic habet: *Potens est Deus de lapidibus istis liberos ipsi Abrahæ excitare*. In hoc autem casu non esset suscitare filios Abrahæ in dativo, sed resuscitare filios Abrahæ in genitivo, ut patet: Tertiò, vel illi juxta hanc opinionem resuscitandi fuerant boni vel mali: si boni, cum in illis jam completæ essent benedictiones quæ illos tangebant, cur revocarentur ad vitam exponendi iterum periculo illas perdendi? & quomodò in eis possent compleri illę quę in posteris pro quibus subrogarentur deberent compleri? si verò mali, cur hi jam mortui potius ex Inferno ubi nulla est redemptio, revocarentur ad pœnitentiam, quam Pharisæi viventes? Certè nullus est qui non censebit hæc nimis aliena esse à mente Divi Ioannis.

XXIV. Quod si novâ velis animâ corpora illa mortuorum Abrahæ filiorum esse informanda: peto in die judicii quãdo animæ forent ad sua corpora revocandæ, & illis iterùm & ęternùm consociandæ, quænam illarum duarum animatum quæ in hâc sententiâ successivè idem corpus animassent, & in morte destituissent, illud repeteret, & cui illorum adjudicaretur? an fortè utraque simul idem corpus animaret? an una in æternum in statu separationis maneret corpore viduata? deinde quænam illarum duarum corpori isti sociaretur? quænam illo viduaretur? an prior? an posterior? & cur hæc potius quàm ista? an fortè hæc modò, modò ista successivè? an denique media pars corporis uni, media alteri aptaretur animæ? Tandem cum ideò hoc velit Cornelii à Lapide sententia, lapides in corpora mortuorum filiorũ Abrahæ converti, ut ex hoc possent dici filii, quia ab eo seu mediatè seu immediatè geniti, videat Cornelius quomodo poterit hoc esse? cùm unio secundæ animæ cum isto corpore, in quo stat formaliter generatio, nõ esset ab Abrahamo nec immediatè nec mediatè? vides ergo quantis hæc sententia sit obnoxia incommodis. Quare sit

## SECTIO IV.

### *Verus horum Divi Joannis verborum sensus.*

CErtè attentis præcedentibus, nihil omninò restat, nisi ut dicamus hanc Divi Joannis propositionem explicari debere per secundum modum conversionis physicæ & realis ex parte termini *ad quem*, idest per conversionem in terminum, qui non erat ante, sed primò fit & producitur per ipsam conversionem, ut scilicet hæc propositio intelligatur litteraliter & simpliciter pro ut verba sonant. Quare hic erit illius sensus, Potens est Deus de lapidibus istis, idest in ripâ Joannis jacentibus, suscitare, idest facere, & producere novos Abrahæ filios veros & propriè dictos. XXV.

Ab hoc simplici & obvio, ad quem præ se ferunt verba Divi Joannis sensu, ad supra relatos deflexerunt Interpretes maximâ ex parte, quia existimarunt hunc non posse esse verum: non posse enim poni relationem nisi posito ejus fundamento, axioma est Philosophiorum, consequenter nec Paternitatem, seu Filiationem sine generatione, quemadmodum nec relationem causæ & causari absque causalitate. Sed cùm multos SS. Patres & Doctores videam hunc nostrum sensum etiam dedisse, ut infra videbimus, ex quo consectarium est, utin eo non illam censuerint esse cum veritate incompossibilitatem, quam fingunt illi qui contradicunt, hinc est quod illos secutus, eum eo libentius amplector, quò cæteris præferendus, quia magis obvius & litteralis. XXVI.

Verùm cùm in tantum sit probabilis & receptibilis hominum quantumvis doctissimorum opinio, in quantum non pugnat cum ratione: Restat hic ostendendum, illum quem verbis istis dedimus sensum non pugnate cum ratione, sed è contra illâ niti: probatur igitur primò à refutatione cœterarum explicationum: cùm enim necessarium XXVII.

sit hanc Divi Joannis propositionem, in aliquo sensu esse veram, nec in cæteris possit sustineri, ut vidimus Sectionibus præcedentibus, omninò restat ut in hoc sensu veritas ejus subsistere debeat, cùm nullus alius assignari possit, nec possit mentiri Scriptura.

XXVIII. Probatur secundò hâc ratione: Ille est verus & proprius sensus propositionis Sacræ Scripturæ, quem littera & verba propositionis primò ex se & propriâ significatione sonant, nisi ille sensus tam evidenter pugnet cum ratione ut necessariò ad metaphoram recurrendum sit: ita omnes Theologi & Interpretes: sed hic sensus à nobis verbis Sancti Præcursoris datus, est talis: ergo est verus & proprius illorum verborum sensus. Prima pars minoris hujus argumenti clara est. Probatur secunda, quod scilicet sensus à nobis verbis Præcursoris datus, non pugnet cum ratione. Quod enim dicitur contra non potest quis esse verè Pater nisi posito illo per quod est Pater, scilicet generatione; non multùm urget: tota enim ratio dicendi quod generatio sola sit ratio per quam quis est verè Pater, est consuetudo cernendi, & omnimoda rationis præoccupatio: Nam quia non aliam cognoscimus Paternitatem veram, nisi illam quæ est per generationem, ideò arbitramur nullum posse esse verè alterius patrem nisi per generationem: sed si potentia Dei per ea solùm quæ videmus & ordinariæ fiunt, metienda esset, certè nec infinita esset. nec quidquam quod nostram intelligentiam superat, posset, consequenter nec divina esset.

XXIX. Dicendum ergo, non potest quis esse verè pater viâ naturali & ordinariâ nisi per generationem, potest tamen viâ supernaturali & extraordinariâ, & per divinam voluntatem ac potentiam: Nec in hoc major est difficultas quàm in multis aliis de fide, in quibus naturalis ratio obstupescit, & quam Dei revelatio corrigit: ut quod tres Personæ Sanctissimæ Trinitatis sint unus & idem Deus, realiterque identificentur cum uno Deo simplicissimo & omnis compositionis expertissimo, & tamen sint realiter distinctæ inter se, contra illud axioma rationis naturalis. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Quod in Mysterio Dominicæ Incarnationis natura humana, quæ est substantialis, non per se subsistat, sed per aliud, scilicet per Verbum: & è contra in Eucharistiâ, quod species seu accidentia existant sine subjecto in seipsis: quod Corpus Christi sit quantum, non tamen sit extensum, sed sit totum sub totâ, & totum sub quâlibet vel minimâ specierum panis & vini parte, & alia similia multa: sicut ergo in his credimus contra naturalem rationem, quia id ita esse revelatum est à Deo, sic & hîc ubi de summâ Dei potestate, cui quanta possumus & infinities plura quàm capere possumus, concedere debemus, captivandus est intellectus in obsequium fidei, & reverentiam tantæ potestatis. Et certè quis tibi dixit præter viam generationis, nullam aliam esse, quâ possit Deus facere aliquem verè alterius patrem, ut hoc infinitæ ejus neges potestati? præsertim cùm audis è contra hæc verba Divi Joannis. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.*

Confimatur hæc sententia ex ipso III
textu & verbis Divi Joannis: nam ut notavimus hîc supra Sectione præcedenti num. 23. to *suscitare* in illis verbis non junctum cum Genitivo, sed cum Dativo *Abrahæ*, quod significat non priores vitâ functos vitæ reddere, sed novos dare? Deinde ut hos novos filios intelligas esse veros & propriè dictos filios, non verò spirituales tantùm & metaphoricos, observant periti *to suscitare filios Abrahæ*, Hebraicam esse locutionem, quæ significat plus quam gignere, nempe gignere unde videntur gigni non posse, seu melius, dare & habere filios, undè videntur dari & haberi non posse & utiq; optimè ad rem nostram, quid enim magis distat à vitâ & ratione quàm lapides, ex quibus tamen fierent homines? Quid magis distat à communi usu, quàm hominem aliquem fieri patrem alterius hominis ex lapide facti, ac si ipse eum genuisset.

SECTIO

## SECTIO V.

### *Probatur hic sensus authoritate Sanctorum Patrum.*

XXXI. AGmen ducat Sanctus Hieronymus in cap. 1. Matthæi quem sequitur Divus Thomas Aquinas Philosophiæ Pharus & Theologorum Vertex in Catenâ ad cap. 3. Matthæi: ubi Sanctus ille Pater duas adducit hujus loci explicationes: Primam his verbis. *Lapides Ethnicos propter cordis duritiam.* Deinde addit secundam. *Sive simpliciter*, nota istud *(simpliciter) indicat Dei potentiam quâ qui de nihilo cuncta fecerit possit & de saccis durissimis populum procreare.*

XXXII. Dices colligi quidem ex hâc secundâ explicatione Divi Hieronymi, eum loqui de veris lapidibus, non verò de filiis Abrahæ propriè dictis: Non enim dicit quod possit Deus de saxis durissimis filios Abrahæ procreare, sed populum procreare: quare explicandus Hieronymus juxta dicta Sectione 2. quod scilicet possit Deus de saxis durissimis procreare populum, qui per imitationem fidei & morum fierent filii spirituales Patris Abrahæ: Respondeo, non potuit Divus Hieronymus ita stupidè hallucinari ut crederet populum alterum de saxis durissimis procreatum cum conversione ad mores Abrahæ tantùm, esse simpliciter filios Abrahæ: quis enim unquam crediderit tales esse filios Abrahæ simpliciter? Atqui loquitur Sanctus Præcursor de filiis Abrahæ ex lapidibus suscitandis, & Divus Hieronymus dicit hunc locum posse explicari *simpliciter*, ergo ex mente Divi Hieronymi intelligendus Divus Joannes de filiis Abrahæ simpliciter.

XXXIII. Sequitur Divus Chrysostomus in cap. 3. Matth. Homil. 11. ubi sic ille: *Potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Nonnulli quidem opinantur hoc illum dixisse de vocatione gentilium quos metaphoricos lapides nominaverit: Ego tamen aliam quoque hujus dicti intelligentiam esse prospicio. Quæ verò est ista? ne, inquit, putetis quoniam si pereatis ipsi, absque filiis, orbumq; Patriarcham Deus esse patiatur: Non erit istud omninò, non erit, Deo enim possibile est filios ei etiam de lapidibus suscitare, atque ad nobilitatem propinquitatis eius adducere, siquidem & ante sic factum est. Hominem enim ex lapidibus fieri tale est, quale fuit puerum de sterili matre procedere: quod etiam Propheta significans, Aspicite, inquit, in solidam petram de quâ excisi estis, & in foveam lacus de quâ effossi estis. Aspicite in Abraham Patrem vestrum, & in Saram quæ genuit vos. Hujus igitur illos Prophetiæ admonens & ostendens quoniam prius quoque tam admirabili modo eum fecisset parentem, ut quodammodò ex lapidibus ei filium dedisse videatur, nunc quoque istud dicit esse possibile:* Et post pauca *Nec verò ait, potest homines ex lapidibus facere, sed quod multò erat præcisius, filios inquit Abrahæ*, quid clarius? quid expressius pro nostro asserto?

Neque dicas Divum Chrysostomum ab hoc sensu deflectere per hæc quæ ibidem sequuntur: *Nempè considera quemadmodum illos à jactatione etiam carnali & refugio istius propinquitatis abduxerit, ut potius in conversione verâ & conversatione sanctâ spem salutis locarent: vidisti quemadmodum cognationem carnalem excludens, hanc quæ per fidem constat induxerit.* XXXIV. Non enim vult per hæc Chrysostomus Divum Joannem excludere cognationem carnalem à ratione filiorum Abrahæ ex lapidibus per extraordinariam Dei potentiam suscitandorum (quod est in quæstione) sed tantùm excludit S. Doctor istam carnalem cognationem si sit sola à promissionibus percipiendis: Enimverò etsi illæ promissiones filiis Abrahæ secundùm carnem factæ sint, non tamen ut in illis compleantur nisi spirituali etiam cognatione instructi fuerint? ut proinde non in illâ carnali, sed in hâc spirituali, idest conversatione sanctâ, spem salutis scirent Pharisæi esse locandam, quos à jactatione carnali & refugio istius propinquitatis sanctus Præcursor abducebat: hæc ad oculum patent ex verbis Chrysostomi.

Eodem modo noster Joannes XLIV. Patriarcha Jerosolymitanus, ille qui XXXV.

dicitur Imperfectus in Matthæum: in fragmentis Commentar. in Luc. c. 3. inter ejus opera à nostro Patre Petro Wastelio uno volumine collecta suoque authori asserta, ubi sic ille: *Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis, &c. Quasi dicat ne putetis quod si vos perieritis, filiis privetur Patriarcha, potest Deus enim etiam ex lapidibus homines illi præbere, & ad illum perducere sanguinem.* Pondera hoc, *Potest Deus ex lapidibus homines illi præbere, & hos ad illum perducere sanguinem.*

XXXVI. Sequitur deinde Euthymius in c. 3. Mattthæi cujus hæc sunt verba: *Ne putetis, inquit Ioannes, quod si vos absque fructu virtutum perieritis, nulli reliqui erunt Abrahæ filii: Potest enim Deus de inanimatis his lapidibus suscitare filios ipsi Abrahæ: Etenim ipsum Isaac quoque suscitavit ei de inanimato ac lapideo Saræ utero.*

XXXVII. Eodem modo loquitur Theophylactus in eundem locum Matthæi, ubi sic ille: *Per lapides intelliguntur Gentiles, è quibus multi crediderunt: simpliciter tamen dicebat Ioannes quod ex lapidibus possit Deus facere filios Abrahæ. Erat enim & vulva Saræ lapis propter sterilitatem & nihilominus pepererat.*

XXXVIII. Tandem Dionysius Carthusianus, qui in cap. 3. Luc. art. 9. circa medium eadem verba ita interpretatur: *Dico enim vobis quia potest Deus de lapidibus suscitare, idest procreare seu ad esse deducere filios Abrahæ: Quod tripliciter intelligi potest & verificari. Primò, per lapides intelligendo ipsa saxa à Ioanne ad oculum demonstrata: per filios verò intelligendo homines justos, qui fidem & perfectionem Abrahæ assequendo, spirituales ejus filii essent. Etenim Deus omnipotens qui cuncta de nihilo fecit, naturas rerum commutare, & se invicem convertere facillime potest. Secundò, per lapides intelligendo Gentiles à Iudæis vehementer contemptos, quod instar lapidum spiritualiter duri, impoliti, seu incircumcisi ac steriles erant, & Idola muta, lapideaque colendo, illis conformati fuerunt, secundum illud Psalmistæ: similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Deinde subdit quod è re nostra. *Tertiò, per lapides intelligendo saxa præfata seu alia, & per filios Abrahæ intelligendo filios carnales ejus.* Quid clarius? Additque Dionysius, *sed fortè non apparet quomodo id fieri potuerit aut possit, præsertim cum tempore illo Abraham obierit, & carnales filii ex carnali semine propagentur: Nihilominus Deus cujus potestas est penitus infinita, hoc pluribus modis potest, &c.*

An non his accenseri possit Beatus XXXIX. Petrus Damianus Cardinalis in aliâ quidem, sed simili materiâ disputans, hic serm. 64. expendens hæc verba Christi Domini è cruce pendentis ad Matrem de discipulo dilecto: *Mulier ecce filius tuus*, sic argumentatur: *Sicut dixit matri ecce filius tuus: ita dixit discipulis hoc est Corpus meum; & tantùm fuit in illis verbis effectus, ut illicò panis ille, quem dabat, Dominicum fieret Corpus, dixit enim omnia & facta sunt. Ex quâdam itaque similitudine, si dicere audemus, & Beatus Ioannes non solùm filii potitus est nomine, sed propter verba illa dominica quoddam majus necessitudinis Sacramentum apud Beatam Virginem obtinere meruit.* Ubi ille Sanctissimus & Doctissimus Cardinalis comparat verba Christi ad Matrem in Cruce, cum ejusdem verbis ad panem in Cœnâ Eucharisticâ, ut scilicet sicut per hæc verba: *Hoc est Corpus meum*, panis factus est illico Corpus Christi, sic per ista, *Mulier ecce Filius tuus*, Joannes factus sit Virginis filius. Quomodo autem hoc? scit Deus qui talia potest.

Dices, Damianus non vult Joannem XL. factum esse verè filium Virginis per hæc verba, *Mulier ecce Filius tuus*, sicut panis factus est Corpus Christi per illa, *Hoc est Corpus meum*: ait enim Joannem factum esse filium Virginis per illa sicut panis Corpus Christi, *ex quâdam similitudine*: Respondeo fuisset crassissimus & intolerabilis error omnimodam hic prætendere similitudinem, quare omninò hic cum limitatione & restrictione debuit loqui & locutus est Damianus. Igitur similitudinem docendo expresse, dissimilitudinem tamen aliquam insinuat. Sed in quo similitudo? in quo dissimilitudo? Audi: similitudo est in effectu utrimque ex verbis Christi secuto, ut scilicet juxta jam dicta, sicut panis factus est verè Corpus Christi vi verborum illorum, *Hoc est*

*Corpus*

*Corpus meum*, ita Joannes verè filius Virginis vi istorum, *Mulier ecce Filius tuus*: Si enim hîc esset dissimilitudo, in quo ergo similitudo? dissimilitudo verò est in modo quo secutus est effectus, quia nimirum panis conversus est in Corpus Christi præexistens, & desiit esse panis: Joannes verò non est conversus in Christum Filium Virginis præexistentem, nec desiit esse Joannes: absit ut tam absurda cogitemus, sed manens Joannes qui erat, factus est Virginis filius, quod non erat: atque secundùm hoc, & propter hoc limitatè loquitur D. Damianus.

XLI. Ex quâ doctrinâ illud pro me hîc decerpo, quod cùm Joannes ex Beato Damiano factus sit verè filius Virginis per illa verba, *Mulier ecce filius tuus*; sicut panis verè Corpus Christi per ista, *Hoc est Corpus meum*, non sit autem hâc ratione Joannes filius Virginis generatione, ut constat: consequenter Divum Damianum censere nobiscum, posse scilicet aliquem fieri à Deo alterius verè filium absque eo quod interveniat generatio si Deus voluerit.

## SECTIO VI.

### *Probatur idem sensus authoritate aliorum Doctorum & Interpretum.*

XLII. Si hos ex ordine persequi vellem, quando esset finis? Quare ex his paucos selectos accipe, ac primò quidem nostrum Guidonem Perpinianum qui florebat anno 1320. in Opere quod inscripsit *Quatuor unum in Evang.* ad citata Divi Joannis Præcursoris verba, ubi postquam retulit sententiam eorum, qui in illis per lapides intelligebant Gentiles, qui lapides colebant, & quibus similes facti sunt: & per filios Abrahæ, imitantes fidem & opera Abrahæ: Subdit secundam, his verbis. *Vel ad litteram ubi Ioannes baptisabat, ubi stabant Pharisæi, lapides ostendebat: ut sit sensus potens est Deus qui de terra hominem formavit, de istis lapidibus suscitare filios Abrahæ.*

XLIII. Dices Guidonem commodè explicari posse juxta dicta supertùs Sect. 2. dicendo quod illud ad litterã intelligat de lapidibus quidem veris non tamen de filiis veris Abrahæ: sed contra, cùm enim eximius hic Doctor & ex Generali Ordinis Episcopus, priùs explicans hunc textum secundùm sensum spiritualem applicet distinctè sensum illum tam lapidibus quàm filiis Abrahæ. Cur aut quomodò, cùm ab illo sensu transit ad litteralem, & dicit verba illa Divi Joannis ad litteram posse intelligi *ut sit sensus potens est Deus qui de terra hominem formavit de istis lapidibus suscitare filios Abrahæ.* Cur inquã aut quomodo verba illa restringerentur ad unum tantum terminum *à quo* scilicet lapides, quæ in sensu spirituali extendit ad utrumque? Deinde comparat Guido formationem filiorum Abrahæ ex lapidibus, cum primâ formatione hominis de terrâ: ergo sicut hîc intelligitur de terrâ & de homine ad litteram, ita & illic de lapidibus & filiis Abrahæ ad litteram.

XLIV. Conspirat Doctissimus Cornelius Jansenius Episcopus Gandavensis in Concordiâ Evangelicâ cap. 13. cujus hæc sunt verba. *Nolite*, inquit, *cogitare Pater noster Abraham est, proinde cum semini eius facta sit promissio salutis & hæreditatis, non poterit venire super nos ira Dei, &c. Ego enim vobis confirmo posse Deum omnibus etiam vobis perditis adimplere promissiones Abrahæ de semine ipsius factas. Nota illud* (de semine ipsius factas,) *nam qui olim ex lapideâ & sterili vulvâ Saræ excitavit Abrahæ filium, cuius deinde posteritas arenæ maris coæquata est, is modò vel ex istis quos cernitis lapidibus, eidem suscitare poterit semen.* Nota (semen) *in quo præstet quæ illi promissa sunt.* Et post pauca. *Notandum*, inquit, *cùm dicit ex lapidibus istis, &c. demonstrasse lapides aliquos coram positos &c. ad litteram enim intelligendum Ioannem id significare quod verum est, Deum, qui ex nihilo omnia fecit, potuisse etiam ex lapidibus filios Abrahæ suscitare.* Et iterùm inferius postquam verba illa explicavit secundùm sensum spiritualem, subdit iterùm in nostram sententiam. *Præterea notandum quod dicit ex lapidibus posse dari Abrahæ filios. Illo enim apertè significat posse aliquos fieri filios Abrahæ etiam si ex illo non sint carnaliter prognati, imò ab eo sint quàm alieniissimi secundùm carnalem generationem,*

*generationem, quid enim à carne Abrahæ magis diversum quàm lapides.*

XLV. In eandem abit sententiam noster Thomas Beauxamis tomo 1. in Harmoniam Evangelicam ad illa verba Divi Joannis, ubi sequitur & citat Divum Hieronymum, Euthymium, & Theophylactum, de quibus Sectione præcedenti.

XLVI. Horum vestigia præmens Didacus Stella in Lucæ cap. 3. verba illa Divi Joannis versans sic prosequitur. *Sed mirum videtur quomodo possit Deus hoc facere, cùm Abraham jam obierit, & carnales filii ex carnali semine propagentur? Nam benè Deus ex lapidibus, quos tunc Ioannes digito ostendebat, poterat homines facere, imò ex nihilo: sed quod isti homines sic facti & creati, essent filii Abrahæ, impossibile videbatur, sed cum Deo nihil impossibile sit, & potestas ejus sit infinita, multis modis hoc facere potest. Primò quia potest transsubstantiando convertere unum in aliud subjectum, sicut quotidie facit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, ubi fit transsubstantiatio, nam substantia panis convertitur in substantiam Corporis Christi. Et sic lapides in Iudæos, tunc vel nunc existentes convertere poterat. Item potuit hoc facere suscitando Abraham, & lapides in semen ejus convertere. Multis etiam aliis modis nobis ignotis poterat Deus hoc efficere.*

XLVII. Tandem ut alios innumeros omittam, Doctissimus è Societate Jesu Interpres Maldonatus in cap. 3. Matthæi sic explicat. *Veros significat lapides ex quibus non minùs potest Deus filios Abrahæ suscitare, quam potuit filium Abrahæ Isaac ex mortuâ jam vulvâ Saræ.* Genesis cap. 15. v. 4. & 5. & Roman. cap. 4. v. 19. *Eò enim videtur Evangelista alludere.* At suscitatus ex mortuâ vulvâ Saræ fuit verè filius, ergo & ex lapidibus suscitandi, licet dissimili modo. Deindè post pauca idem Maldonatus subtilissimè. *Quod autè Remigius refert dixisse quosdam Ioannem hæc dicentem, eos demonstrasse lapides quos olim Hebræi Iordanem trajicientes in sempiternum monumentum erexerunt Iosue cap. 4. vers. 7. non est creditu necessarium, & nimis sententiam restringit. Illud malim observari suscitare filios Hebraicam esse locutionem, quæ plus quàm gignere significat, nempe gignere unde videntur gigni non posse.* Hæc ille. Non quod actionem gignendi hic velit, sed significat terminum seu filiationem inde, unde filiatio videtur non posse expectari.

Ex quibus omnibus patet Abrahamum & quemvis hominem posse (si Deus voluerit) esse verè & propriè patrem, & habere verum & propriè dictum filium absque eo quod intetveniat generatio, quæ nullo modo requiritur ut quis fiat verè pater, nisi viâ communi naturali & ordinariâ: Cùm ergò Divus Josephus adeò disertè dicatur Pater Jesu in Evangelio, cùm eum Deus elegerit directè ut esset Pater Jesu, atque ideo non priùs eum ex Virgine concipi voluerit, quàm eum duxisset, & ex istâ intentione ejus vices in formatione Christi in Virgine suppleverit, consequum est ipsum esse verè & propriè Christi Patrem: nec minùs quàm foret Abraham pater istorum, qui ex lapidibus à Deo ipsi fuissent per potentiam obedientialem suscitati: Nam Abraham non foret Pater istorum generatione à se profectâ, sed actione à Deo pro ipso positâ, ut patet ex textu. Atqui hoc esset à Deo suppleri causalitatem, seu actionem Abrahæ pro Abrahamo. Cùm ergo in casu Divi Josephi suppleverit Deus, seu Spiritus Sanctus in productione Christi actionem Divi Josephi, omninò dicendum est non minùs propriè esse Patrem Christi, quàm foret Abraham pater istorum filiorum ipsi à Deo suscitatorum, quin potiori jure cùm Spiritus Sanctus suppleverit actionem Divi Josephi, ipso existente, & in ejus uxore Divâ Virgine cum quâ erat jure matrimonii una caro. XLVIII.

## CAPUT XIV.

### *Roboratur iterum nostra Sententia de hac Divi Iosephi Paternitate exemplo à rebus naturalibus petito.*

EXEMPLA habemus, primò, in Ape de quâ Ecclesia in Benedictione Cerei Paschalis

chalis Sabbatho Sancto hæc canit : *O verè Beata & mirabilis Apis, cujus nec sexum masculi violant, fœtus non quassant, nec filii destruunt castitatem: sed sicut sancta concepit Virgo Maria, Virgo peperit, & Virgo permansit.* Secundò, siculneis nonnullis quæ teste Sancto Ephrem Syro tom. 3. operum latinitati donatorum & scholiis illustratorum à Gerardo Vossio nostrate & nostræ Cathedralis Leodiensis Canonico serm. in Margarit. pretios. in fine fructum non ferunt nisi ramis masculorum obumbrentur.

II. Sed hîc solam produco Palmam cujus natura omnibus notissima est. Hæc arbor, quemadmodum magno consensu tradût rerum naturalium scriptores, hâc singulari noscitur prædita proprietate quod sicut in animalibus, sic in illis sexuum diversitas reperiatur : adeò ut quædam illarum mares, aliæ verò fœminæ sint & dicantur : unde sicut in animalibus, sic in his usu-venit, quod scilicet palma fœmina sit ferax, mas neutiquam : neque hoc solum habent commune cum animalibus, sed insuper quod licet palma fœmina ex se sit fœcunda & ferax, fœcunditatem tamen istam exeret nunquam, prout nec animalia fœminea, nullumque omninò unquam fructum producet, nisi illi palma masculini sexus combinetur, id enim semper & ubique observatum est, quod Palmæ fœminæ solitariæ numquam producant aut ferant fructum, ferant verò in consortio & præsentia masculi.

III. Sed quod hîc è re nostrâ est in hâc tantâ similitudine, quam habent cum animalibus Palmæ, illud habent diversum ab illis, quod ad producendum fructum, licet requiratur utriusque Palmæ masculæ & fœminæ combinatio (non enim valet duarum masculârû aut duarum fœminarum) non tamen necesse est, ut aut radicibus, aut ramis quodammodò coëant quemadmodum animalia, seque contingant, aut invicem copulentur, sed sufficit si sint sibi invicem præsentes, nec alia inter illas ad fructum major requiritur conjunctio : Ex quo patet quod licet Palma fœmina solitaria fructum non ferat, non tamen mascula Palma concurrit effectivè & per aliquid sui in fœminâ receptum, ullo modo ad fructus productionem.

Quamvis autem hoc ita se habeat, IV. quia tamen Palma fœmina sine mare non fructificat, & hujus præsentia ac umbra facit quod illa fœcunditatem suam exercere possit, hinc illius fructus & hujus quoque dicuntur, & huic omninò attribuuntur, ac si eos ut illa effectivè concurrendo comproduxisset, quia scilicet sine hoc non essent. Quid simile ad rem nostram confirmandam & illustrandam hoc naturæ portento? ecce enim dactylus seu fructus quem profert ferax Palma fœmina est & attribuitur Palmæ mari sterili, quia Palma fœmina illum non proferret sine ipsius secum connubio : quidni ergo & D. Josephus possit esse Pater Christi quem non produxit, quandoquidem ad ejus productionem voluntate Dei requisita fuerit ejus cõjunctio cum B. Vigine quæ eum protulit? Itaque D. Josephus & B. Virgo sunt spirituales Palmæ ex quibus hæc ex se est fœcundissima, & Christum Dominum Justitiæ Florem & Solem protulit, nonnisi tamen juncta Divo Josepho, idque ex decreto & voluntate Dei: unde licet D. Josephus ex se non genuerit Christum, quia tamen Beata Virgo nonnisi per matrimonium conjuncta potuit illum gignere secundùm præsentia Dei decreta, ideo flos iste & fructus Christus Jesus ipsi meritò attribuitur, & Joseph verè illius Pater dicitur. An non istud naturæ miraculum videatur fecisse Deus in Palmâ, ut per illud nos quasi manuduceret ad intelligentiâ hujus admirabilis Paternitatis D. Josephi?

Eodem quoque Palmæ exemplo V. eandem D. Josephi Paternitatem ante me illustraverat Sanctus Ephrem Syrus mox citatus, cujus hîc verba transcribere non pigebit, ut tanti Patris authoritate nostram de veritate istius Paternitatis sententiam confirmemus. Ergo sic loco citato Divus Ephrem, *Evangelium*, inquit, *illam* (idest Beatam Virginem) *matrem appellat & non nutricem, & Iosephum quoque Patrem vocat, cum nullam in eâ generatione partem haberet.* Deinde paucis interjectis, quomodo id verum sit ita explicat.

*Non appellatio*, inquit, *naturâ tribuit: nam & nos crebrò Patres nuncupamus, non quidem genitores, verùm senio conspicuos: Porrò ipsi Ioseph natura appellationem indidit, honoremq; tempus tribuit*, hocque paulò pòst nostro sic illustrat exemplo. *Possum autem etiam contra ostendere Patrem qui non genuerit: Palmarum mares qui dicuntur, dum obumbrant fœminis fructuosas illas efficiunt, cum tamen neque illis misceantur, neque ullam ipsis substantiam præbeant & siculnearum quoque nonnullæ fructum non ferunt, nisi ramis maribus obumbrentur. Quemadmodum igitur ista quamvis non generent Patres appellantur, ita & Ioseph Pater est dictus, licet maritus Virginis non esset*: scilicet ut interpretatur Vossius supradictus quoad maritalem thalamum: patetque ex verbis & scopo ac intento Sancti Ephrem.

## CAPUT XV.

### *Amplius veritas hujus singularis Paternitatis examinatur & illustratur per illius ad alias Paternitates stricti juris comparationem.*

I. OMissis puternitatibus per adoptionem & educationem, quatuor alias invenio in Scripturâ Paternitates, quas stricti juris appello. Prima est Paternitas naturalis & non carnalis: Secunda, naturalis & non carnalis: Tertia, carnalis & naturalis simul: Quarta, nec carnalis nec naturalis, sed legalis ex lege Deuteronomii cap. 25. Singularum exempla accipe. Pater Æternus in Divinis est pater naturalis Verbi Incarnati: quia Verbum naturaliter ex paterni fœcunditate intellectus procedit: non est carnalis, quia ibi nihil carnis. Divus Joachim è contra Pater Beatissimæ Virginis, est Pater ejusdem Verbi Incarnati carnalis mediatè, quia ex ejus carne propagatus est: non tamen naturalis, quia non viâ naturali & ordinariâ ex Virgine Joachimi filiâ processit, sed supernaturali & divinâ. Tertio, Adam respectu Abel, Abraham respectu Isaac, Isaac respectu Jacob, David respectu Salomonis, &c. Sunt tertio modo patres eorum, idest carnales & naturales simul: Carnales, quia ex eorum carne decisi: naturales quia ex actione naturali progeniti. Quarto modo, Heli fuit Pater Divi Josephi, idest legalis ex Deuteronomii lege c. 25. ut ostendimus supra Parte 1. Tract. 2.

II. Prima Paternitas ut pote Divina, infinita est, incomprehensibilis & extra omnem ordinem, sicut Deus, consequenter & extra omnem comparationem. Quare hâc omissâ ad alias tres progrediamur ut ex collatione Paternitatis Divi Josephi cum his, illius magnitudinem colligere possimus: illud tamen ante observatum velim, quod ut prima paternitas singularis est, & sine exemplo, sic & Paternitas Divi Josephi; multi enim patres carnales & non naturales, tales omnes Christi Progenitores à Divo Matthæo usque ad Abraham, & à Divo Lucâ ab Abraham usque ad Adam recensiti: multi & sine numero carnales & naturales simul: multi legales: Solus Pater Æternus Pater naturalis & non carnalis, solus item Divus Josephus Pater in suo genere.

## SECTIO PRIMA.

### *Comparatur cum Paternitate Legali.*

III. LEgalis Paternitatis, quam supra descripsimus, veritas patet primò ex efficacitate voluntatis Divinæ, quâ quodcumque vult, est: cùm ergò tales voluerit esse patres lege à se latâ, verè sunt patres, quidquid nobis contrarium videri possit, hîcque intellectus captivandus, & supercilia dejicienda. Pater secundò, ex ipsis verbis legis Deuteronomii cap. 25. vers. 5. ubi sic habetur. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel.* Ubi notandum quod dum defuncto taliter à fratre

fratre ejus superstite filius gignitur, non tantùm dicitur filius defuncto suscitari, sed etiam *semen* ipsius, quo quid fortius ad exprimendam hujus Paternitatis veritatem proferri potuit, non video.

IV. Tanta porrò fuit ista paternitas, ut licet naturalis absolutè loquendo hâc potior esset. Pater enim qui genuit ex se & pro se filium est strictius & perfectius pater, quàm sit ille qui non genuit, sed ab alio pro se ex Dei lege genitum accepit, qualis est pater legalis: illa tamen naturalis in particulari ex quâ oriebatur in comparatione hujus ferè nulla censebatur: undè filius ita genitus non reputabatur illius qui eum genuerat, sed omninò fiebat illius pro quo fuerat genitus. Undè de Divo nostro Josepho, qui fuit hoc modo filius Heli pro eo quod Matthæus dixit, *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ*, Lucas dicit, *Ioseph qui fuit Heli.*

V. Tanta erat, ut si talis Pater legalis postea fortè vitæ restitutus fuisset huic filio suo legali obstrictus fuisset, ac si ipsemet eum genuisset, non verò Pater naturalis, & vicissim filius patri isti ac si ab eo genitus fuisset, non verò Patri naturali; hicque filius, dato quod ille iste pater legalis redivivus alias proles procreasset, inter illas ipse Principatum omninò tanquam primogenitus obtinuisset, & ita de reliquis. Ex quibus patet ad oculum quàm stricta fuerit hæc Paternitas.

VI. Paternitas tamen Divi Josephi ad Christum omninò strictior est & perfectior, strictius inter ipsum & Christum vinculum, strictiores ex hoc vinculo utrimque obligationes, jura, effectus: ita Divus Justinus Philosophus & Martyr quæst. 66. ad orthod. ubi sic fatur: *Si quod natum est ex Heli filius est Heli secundum legem Dei, multò magis ex uxore Iosephi, Deo ita volente filius est Iosephi citra conjugalem congressum.*

VII. Ratio hujus rei est manifesta, Nam primò efficacia divinæ voluntatis quæ dum ab æterno voluit esse Patrem, non est minor, imò potior, certo certius quàm in Paternitate istâ legali. Secundò, Filius Legalis erat fructus conjugii alieni, Christus verò erat fructus Conjugii proprii Divi Josephi. Tertiò, quia filius legalis cum patre legali habebat alium patrem, scilicet naturalem, seu eum qui se genuerat, adeoque inter illos duos patres aliquomodo dividebatur affectus, etsi pars potior deberetur patri legali, ut jamjam diximus, non item hîc. Christus enim ut homo, nullum alium habuit Patrem quàm Divum Josephum. Quartò, major est, strictior & intimior inter Deum & hominem unio, quando unus pro altero agit seu generat quàm sit inter hominem & hominem. Denique, quia hęc Divi Josephi Paternitas habuit omnes suas sequelas, non sic legalis: amorem scilicet, curam, sollicitudinem, vigilantiam, & labores, ex quibus non parùm crescit & augetur amor & obligatio filii erga patrem. Ex quibus omnibus resultat vinculum hujus Paternitatis Divi Josephi, undique strictius esse vinculo legalis Paternitatis.

## SECTIO II.

### *Comparatur cum Paternitate carnali mediatâ proximiori, Parentum scilicet Beatæ Virginis.*

VIII. Dico contra P. Joannem Baptistam de Poza è Societate Jesu in Elucidario Deiparæ lib. 2. tract. 10. cap. 6. Divi Josephi Paternitatem ad Christum strictiorem fuisse quâvis Paternitate carnali mediatâ, idest fuisse strictius vinculum Christi ad Josephum, & Josephi ad Christum, strictiores utriusque ad invicem obligationes ratione istius Paternitatis & Filiationis quàm inter eundem Christum & suos Progenitores carnales, etiam Avum & Aviam, Divum Joachimum & Sanctam Annam Virginis Parentis Parentes. Probatur efficacissimè ex dictis præcedenti Sectione: quia Paternitas legalis strictius ligabat filium ad patrem legalem & reciprocè, quàm paternitas naturalis ex qua oriebatur, ergo & strictius ligabat eundem filium ad eundem patrem legalem & reciprocè, quàm quèvis filium carnalem ad suum Avum & Aviam:

Atqui hæc Divi Josephi paternitas longè superat istam legalem, ut dictum est, ergo & hanc paternitatem carnalem mediatam Avorum, Divorum dico Joachimi & Annæ.

IX. Probatur secundò, Generatio Christi in Sanctissimâ Virgine Uxore Divi Josephi ipsi indivisibiliter conjunctâ, & cum ipso jure Conjugii unâ, à Spiritu Sancto supplente in eâ vices ejusdem Divi Josephi, modo à nobis dicto, pertinuit magis ad Divum Josephum quàm ad Avos, Annam & Joachimum, & ob hanc magis illi tenebatur Joseph, magis ei obligabatur & subjiciebatur Christus, quàm Avo & Aviæ quilibet nepos ut constat, ergo strictior fuit Paternitas Divi Josephi, illorum Paternitate.

X. Objicies cum Pozâ citato, Divus Josephus solo nomine & ministerio Patris gaudebat, quod multis erat commune, uti Ægypti Pro-Regi Josepho respectu Pharaonis, Genes. cap. 45. Hirame respectu Regis Tyriorum & Salomonis 2. Paralip. c. 2. v. 23. & cap. 4. vers. 16. Ulpiano Jurisperito respectu Imperatoris. At Joachimus & Anna veræ integræ causæ Mariæ, ac proinde Jesu, graviori munere fungebantur. Respõdeo primò, D. Josephum non solum nomine, sed verè & reapse fuisse Christi Patrem juxta supra dicta: indigna est ergo ne dicam injuriosa Patris Pozæ comparatio paternitatis Divi Josephi, cum Paternitate Ulpiani Jurisconsulti respectu Imperatoris, Josephi Ægypti Pro-Regis respectu Pharaonis, &c. Respondeo secundò, Avum & Aviam non posse dici propriè causas Christi, quia certum est non fuisse causas causæ reduplicativè, sed specificativè tantùm: quia licet fuerint causæ Virginis, hanc tamen non applicuerunt aut moverunt ad causandum Christum, ut possint dici causa causæ Christi reduplicativè, & ideò impropriè tantùm dicuntur causæ Christi Domini: quis autem non videat illa quæ à nobis hactenùs in Divi Josephi paternitate observata, & tam multis repetita, longè prævalere huic divorum Joachimi & Annæ Christi Avorum mediatæ & impropriæ causalitati: Respondeo tertiò, Paternitas legalis tanta erat, ut strictius ligaret Patrem ad filium & reciprocè quam illa naturalis immediata ex quâ oriebatur, quid mirum ergo si paternitatem Divi Josephi, quæ legalem longè superabat, huic mediatæ avorum paternitati præferendam esse dicamus?

Objicies secundò, cum eodem P. Pozâ, dignitas D. Josephi ab electione est & non à naturâ, parentum verò Deiparæ dignitas à naturâ, gratiâ & divinâ pendet electione: altior autem est naturæ simul & gratiæ nexus, quàm gratiæ solius; ergo, &c. Respondeo primò ad minorem, si gratia & electio illius in quo non est naturæ nexus multùm superet gratiam & electionem illius in quo est uterque nexus, ut in nostro casu, falsa est minor: Et certè quis dicet omnes Christi consanguineos qui fuerunt Sancti, in quibus proinde fuit simul naturæ & gratiæ nexus: naturæ, ratione consanguinitatis: gratiæ & electionis, ratione sanctitatis: quis, inquam, dicat hos omnes præstitisse omnibus aliis Sanctis in quibus non fuit nisi gratiæ nexus? Quis dicet Zachariam, Elizabetham, Zebedæum, Simeonem, Cleopham, & alios ac alias, qui vel quæ fuerunt Christi consanguinei aut consanguineæ, & Sancti aut Sanctæ, palmas præripuisse Sanctis Petro, Paulo, Andreæ, & aliis Apostolis qui non fuerunt Christi consanguinei? Nullus: at quis indubium revocare possit gratiam Divi Josephi quâ in se & directè electus est ad esse Patris Iesu, modo à nobis explicato; & quâ in tempore hæc electio executioni demandata est, scilicet per suppletionem actionis ejus à Spiritu sancto in uxore suâ, & ex intentione supplendi vices ejus & faciendi ipsum Patrem Iesu, præstantiorem esse gratiâ & electione, quâ Ioachim & Anna electi sunt indirectè & in alio ut essent Avi Christi? Respondeo secundò, esto in Divo Joseph non fuerit nexus naturæ formaliter, quia non genuit Christum, fuit tamen reductivè, quia scilicet nexus illius ad Christum, tanquam ad filium, reducitur ad naturæ nexum, quandoquidem iste filius in suâ uxore jure matrimonii secum unâ per actionem Spiritus Sancti suæ suppletivam

XI.

pletivam genitus est, dicente Divo Paschasio lib. 2. in Matth. ad illa verba Noli timere accipere Mariam Conjugem tuam. *Ad Ioseph juxta carnem pertineat ortus Christi.* Et ipse D. Lucas eum non tantùm Christi dicat Patrem, sed etiam Parentem. *Cùm inducerent puerum IESVM parentes ejus in templum.* Hocque voluit, atque isto modo explicandus est Divus Ephr. à nobis hic supra Capite præcedenti num. 5. citatus, ubi hæc habet. *Nos crebrò Patres nuncupamus non quidem Genitores, verùm senio conspicuos. Porrò ipsi Ioseph natura appellationem indidit.* Nota istud *natura*: certò non natura formaliter, sed reductivè. Præstat ergò undequaque Josephi Paternitas Paternitati Avorum.

XII. Objicies tertiò ex eodem Pozâ, magis est domesticus Christi Joachim & Anna quàm Josephus, ergo Christo major illorum cura quàm hujus, consequenter amor & beneficia, ait enim Apostolus 1. ad Timotheum cap. 5. *Si quis suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Respondeo negando antecedens, nam Divus Josephus cum Beatâ Virgine uxore suâ & Christo Domino, unam componebat familiam in in terris, & scriptum est. *Relinquet homo Patrem suum & Matrem suam & adhærebit uxori suæ.* Et reciprocè, ut scilicet illis relictis individuam inter se societatem ineant: quod si per magis domesticum intelligi velit Poza majorem sanguinis nexum, repetitio est præcedentis objectionis.

XIII. Objicies quartò ex Divo Augustino lib. de decem Chordis. *Ad Parentes suos homo aperit oculos suos, & hæc vita ab eorum amicitia sumit exordium.* Ideest inquit P. Poza, nulla est antiquior amicitia quàm parentum, ac proindè nulla priùs compensanda. Necdum ulli hominum placebamus quando majori charitate à parentibus diligebamur. Ergo cùm obligatio Mariæ in Josephum recentior esset, & cùm hic per sanctum Connubium beneficium acciperet, non daret, præponenda est dignitas Joachim & Annæ, ut pote quorum amicitia ad Mariam fuit antiquior. Respondeo, P. Poza sui immemor transit ad aliam quæstionem: nam quæstio est qnænam sit strictior obligatio Christi ad Josephum tanquam Patrem, an ad Divum Joachimum & Sanctam Annam tanquam Avos? In hâc autem objectione aliud agit: resolvit enim strictiorem fuisse Divæ Virginis obligationem ad Divum Joachimum & Sanctam Annam tanquam ad Parentes, quàm ad Divum Josephum tanquam sponsum. Respondeo secundò, loquitur Divus Augustinus de parentibus immediatis, qui soli sunt propriè parentes: Cùm ergò Divus Josephus locum teneat immediati Parentis ex Dei voluntate & electione directâ, &c. ita ut etiam à Divo Lucâ Parens dicatur; ad illum ut Patrem priùs Christus aperuerit oculos, ipsius vita ab hujus & Virginis amicitia & curâ dependerit primariò, ideo sequitur ex mente Divi Augustini citati, id quod intendimus, scilicet nullam Christo antiquiorem amicitiam, quàm Parentum suorum Mariæ & Josephi.

XIV. Objicies ultimò ex Divo Thomâ 2, 2. quæst. 26. art. 8. in corp. Conjunctio naturalis originis major est quâvis aliâ conjunctione, quia conjunctio naturalis est immobilis, & secundùm id quod pertinet ad substantiam, aliæ autem sunt supervenientes, & removeri possunt. Sed conjunctio Sanctorum Joachimi & Annæ ad Christum est originis naturalis, non verò Divi Josephi; ergo illa hâc major & præstantior: unde sequitur quod cùm ibidem doceat Angelicus Doctor eos à nobis magis diligēdos, qui nobis magis conjuncti sunt, Sanctos Joachim & Annam ut magis conjunctos Christo, quàm sit Divus Josephus, ab eo etiam magis dilectos fuisse. Respondeo Angelicum Doctorem solùm facere comparationem inter conjunctiones ordinarias & communes inter homines, inter quas cōjunctio quæ est naturalis originis, ut Patris, Matris, Fratris, Sororis, &c. præferenda est, quia est immobilis, & secundùm id quod pertinet ad substantiam: cùm aliæ, qualis est Amici, Benefactoris, Vicini, Concivis, Commilitonis, &c. superveniant & removeri possint. Quare nego absolutè quamlibet conjunctionem naturalem v. c. Avi, Aviæ,

Fratris, Sororis, Cognati, esse majorem quâvis aliâ quæ non fundatur in tali origine: Nam ex dictis constat Paternitatem legalem Deuteronomii fuisse his præstantiorem, cùm & ipsa naturalis paternitas immediata, ex quâ oriebatur, ei cederet: Cùm ergò Divi Josephi Paternitas longè strictior sit, paternitate illâ legali, consequenter strictior fuit conjunctione Avi ad Nepotem, &c. Et hujus rei ratio est, quia licet conjunctio paternitatis legalis, aut Paternitatis Divi Josephi non sint formaliter naturalis originis primæ classis, ad illam tamen reducuntur, sunt immobiles, maximè verò Divi Josephi Paternitas: quare de hâc sicut de illâ servatâ proportione argumentandum & judicandum.

## SECTIO III.

### *Comparatur cum Paternitate naturali & carnali immediatâ.*

XV. SAnctus Pater Augustinus omnium Ecclesiæ Doctorum Apex, in omnibus quæ versat eximius, in prosequendis Divi nostri Josephi Magnalibus nulli secundus, imò inter omnes certissimè præcipuus; sed in explicandâ hâc ejus ad Christum singulari Paternitate, tanquam omnium Prærogativarum & Gratiarum ejus perenni fonte, singularis & omninò admirandus, ita hanc ejus paternitatem elevat, ut non tantùm eum verè ac verissimè Patrem JESU asserat, sed quod me & alios etiam Doctissimos tenet attonitos, firmius & perfectius velit Patrem, quàm sint patres naturales ordinarii, patres filiorum quos ex se genuerunt: Quod quidem assertum quia à tanto Doctore (quem cùm totâ Ecclesiâ & Scholâ præ omnibus suspicio & suscipio;) profectum & nullatenus retractatum, imò sæpius repetitum video, ultrò & animitùs amplector, eò vel maximè, quod cùm illud veritate niti videam, tam eximiè faciat ad Sanctissimi hujus Domini & Salvatoris mei JESU in terris Patris magnitudinem & laudem (quarum ego ingenter avidus sum) ut ad illud nihil addi possit ultra, & nihil sint ea quæ hactenus dixerunt istius Sancti Encomiastes, si cum hoc quæ de eo hic Augustissimus Doctor protulit elogio comparentur.

Sed quia res hæc nonnullis dura videtur & valdè difficilis; ideò non obiter & cursim transcunda, sed cum otio & maturè examinanda: quare illam ad duo Capita sequentia rejicimus, in quorum priore sensum Divi Augustini de hâc Paternitate singulari & admirabili detegemus; in sequenti pro hoc ejus sensu dimicabimus. XVI.

## CAPUT XVII.

### *Sensus Divi Augustini de hâc Divi Josephi singulari Paternitate.*

PLuribus in locis suorum Operum Divus Augustinus totus est in commendatione Divi Josephi, ut proindè nullatenus dubitare possim eum ipsi inter omnes Ecclesiæ Patres fuisse devotissimum: quis enim credat in eo tantam lucem fuisse sterilem? tantam Sanctitatis & Potestatis Divi Josephi cognitionem fuisse sine affectu & devotione? Sed nullibi tam præclarè, tam eximiè ille Sanctus Doctor de eo disseruit ut tomo 10. de diverf. serm. 63. de Consonant. Evangelist. Matthæi & Lucæ in viginti quatuor capita distincto, ubi mirificè materiam de ejus ad Christum Paternitate prosequitur: & tantis ejus veritatem adstruit ut cuique hujus Sanctissimi Patris JESU devoto affatim sufficere possit.

Tria itaque quoad hoc exequitur ibi Augustissimus Doctor. Primò quidem eum verè fuisse Christi Patrem asserit, nonobstante quod cum Beatâ Virgine Deiparâ non concubuerit, nec per consequens ad generationem Christi ullo modo effectivè concurrerit. Secundò, docet non tantùm fuisse verè illius Patrem, sed etiam non minùs verè quàm sint patres illi qui hodie ex concubitu generant. Tertiò, tandem gradatim semper

semper ad majora progrediendo, hoc ita probat, ut non tantùm illius probationes id omninò inferant, sed etiam esse firmius ac perfectius Christi Patrem, quàm sint isti suorum filiorum quos ex se genuerunt: quod & disertè ac in terminis concludit. Singula per ordinem videamus.

## SECTIO PRIMA.

### *Divus Josephus verè Pater JESV ex Divo Augustino loco citato.*

III. AC primò quidem cap. 10. 11. & 12. incipit ostendere quatuor argumentis esse verè Patrem JESU: primò, Jure Conjugii, quia scilicet verè Virginis, quæ eum peperit, Maritus. Secundò, propter authoritatem illi in Christum cœlitus traditam, ex quâ ei nomen imposuit. Tertiò, quia ita eum vocabat Maria, quæ tamen conscia erat, quod non ex ejus complexu aut concubitu Christum conceperat. Quartò, quia Christus ei, ut filius patri, subditus fuit.

IV. Sic igitur ille ibidem cap. 10. *Altera illorum calumniatio est; per Ioseph, inquiunt, generationes Christi, & non per Mariam numerantur. Attendat paulisper sanctitas vestra; non, inquiunt, per Ioseph debuit. Quare non debuit per Ioseph? nunquid non erat maritus Mariæ Ioseph? non, inquiunt, quis hoc dicit? scriptura enim dicit Angelicâ authoritate quod maritus erat*, Noli timere, *inquit*, accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in illâ natum est de Spiritu sancto est. *Et quoque jubetur ut puero nomen imponat, quamvis non de semine suo nato.* Pariet, *inquit* filium & vocabis nomen ejus JESUM. *Sed hoc intendit Scriptura quod non sit natus de semine Ioseph, cum sollicito unde esset illa gravis, utero, dicitur*, de Spiritu sancto est; *Et tamen paterna ei non auferetur authoritas, cum jubetur puero nomen imponere. Denique & ipsa Virgo Maria benè sibi conscia, quod non ex ejus complexu & concubitu conceperit Christum, tamen eum Patrem Christi dicit; Attende quomodo? cùm esset duodecim annorum Dominus IESVS Christus secundùm hominem, qui secundùm Deum est ante tempora & sine tempore; remansit ab eis in Templo, &c. & dicit mater ejus*, Quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te: *Et ille*, non sciebatis quia oportet me in his esse quæ Patris mei sunt? *Non enim sic se volebat esse filium illorum, ut nō intelligeretur Filius Dei: Filius enim Dei semper Filius Dei, creans illos ipsos: filius autem hominis ex tempore natus de Virgine sine semine maritali, parentem habebat utrumque: unde hoc probamus? jam dixit Maria*, Pater tuus & ego dolentes quærebamus te: Hæc Divus Augustinus dicto cap. 10.

Prosequitur cap. 11. dicens: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Quid ergo respondet Dominus IESVS Christus? oportebat me esse in his quæ Patris mei sunt: non sic indicat Patrem Deum, ut neget Patrem Ioseph. Vnde hoc probamus? secundùm Scripturam quæ sic ait:* Et dixit ad illos, non sciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? Illi autem non intellexerunt quid illis locutus est. Et cum descendisset cum illis, venit Nazareth, & erat subditus illis. *Non dicit erat subditus matri, aut erat subditus ei, sed erat subditus illis. Quibus subditus erat? nonne parentibus? ambo parentes erant quibus ille subditus erat, eâ dignatione, quâ filius hominis erat.* V.

Ac deinde cap. 12. *Christo mundus subditus, Christus parentibus subditus. Videtis ergo fratres quod non ita dixerit*, oportet me in his quæ Patris mei sunt esse *ut intelligeremus quasi dictum, vos non estis parentes mei; sed parentes illi temporaliter, Pater ille sempiternè: Parentes illi filii hominis, Pater ille verbi & sapientiæ suæ, Pater virtutis suæ per quem cuncta formavit.* VI.

Ex quibus cap. 13. concludit: *Non itaque propterea non fuit Pater Ioseph, quia cum Matre Domini non concubuit: quasi uxorem libido faciat & non charitas conjugalis: intendat sanctitas vestra: dicturus erat post aliquantum temporis Apostolus Christi in Ecclesiâ.* Reliquum est ut qui habent uxores tanquam non habentes sint 1. Corinth cap. 7. *Et multos novimus fratres nostros fructificantes* VII.

*in*

*in gratiâ, in nomine Christi ex consensu ab invicem continere concupiscentiam carnis, non autem ab invicem continere charitatem conjugalem. Quantò illa reprimitur, tantò ista fortius confirmatur. Nonne sunt conjuges qui sic vivunt non quærentes ab invicem fructum carnis, non exigentes ab invicem debitum concupiscentiæ corporalis? Et tamen illa subjecta est viro, quia sic decet: & tantò subjectior quantò castior: & ille uxorem diligit verè ut scriptum est*, in honore & sanctificatione, tanquam cohæredem gratiæ sicut Christus, *inquit*, dilexit Ecclesiam, *Ergo si copula est, si conjugium est, si non ideò non est conjugium quia non fit illud quod etiam in non conjuge fieri potest sed illicitè potest: utinam possent omnes, sed multi non possunt, non ergo disjungant eos qui possunt, & propterea negent esse vel illum maritum vel illam uxorem, quia non sibi carnaliter miscentur, sed cordibus connectuntur, &c.* Quæ ibi fusè prosequitur & hęc de veritate hujus paternitatis ex hoc sermone. Vide plura à nobis aliunde ex eodem Sancto Augustino in eam rem adducta supra.

## SECTIO II.

### *Quàm verè Divus Joseph Pater Christi ex eodem S. Augustino.*

VIII. NOn minus verè Pater Christi, inquit Divus Augustinus loco citato cap. 14. quam Patres ordinarii sint Patres filiorum quos opere carnis genuerunt. Accipe Sancti Doctoris ipsissima verba.

IX. *Ergo fratres mei*, inquit, *intendite qui liberorum procreandorum causâ habent uxores magni viri, quales fuisse Patres legimus, & multis documentis invenimus, clamantibus omninò sine dubitatione paginis sanctis: si qui ergo viri propter creationem tantummodò liberorum uxores habent, si eis posset præstari ut haberent filios sine concubitu, nonne ineffabili gaudio tantum beneficium amplecterentur? nonnè cum ingeniti lætitiâ susciperent? duo sunt enim opera carnalia quibus constat genus humanum: in quæ duo opera prudentes & sancti ex officio descendunt, imprudentes autem in ea per cupiditatem ruunt. Aliud est enim ad aliquid officio descendere, aliud in aliquid per cupiditatem cadere. Quæ sunt ista quibus constat genus humanum? In nobis ipsis primum est quod pertinet ad sumenda alimenta, quæ utique non possunt sine aliquâ per carnem delectatione sumi, manducare & bibere: si non feceris morieris. Hoc ergo uno sustentaculo stat genus humanum pro modo naturæ suæ, manducando & bibendo. Sed per hoc sustentaculum sustentantur homines, quoad seipsos attinet: successioni autem non consulunt manducando & bibendo, sed uxorem ducendo. Sic enim constat genus humanum, primò, ut vivant homines: sed quia diligentiâ quantâcumque corpori adhibitâ non possunt utique semper vivere: consequens provisio est ut nascentes succedant morientibus: quia ita est genus humanum sicut scriptum est quomodo folia in arbore: sed in arbore Oleâ, vel Lauro, vel aliquâ hujusmodi, quæ nunquam sine comâ est, sed tamen non eadem semper habet folia, &c. sic & genus humanum, quotidie morientium detrimenta non sentit per supplementa nascentium, & sic pro modo suo stat universa species generis humani. Et sicut folia in arbore semper videntur, ita plena hominibus terra semper conspicitur. Si autem morerentur tantùm, & non nascerentur; velut arbores quædam omnibus foliis, ita terra omnibus hominibus nuda retur: Cùm ergo sic subsistat genus humanum, ut necessaria sint duo sustentacula, de quibus satis dictum est: ad utrumque sapiens, & prudens, & fidelis, officio descendit, non libidine cadit. Ad manducandum & bibendum quam multi voraciter irruunt, ibi ponentes totam vitam quasi ipsam causam vivendi? Nam cum ideò manducent ut vivant, ideò se putant vivere ut manducent. Istos omnis sapiens reprehendit, & maximè divina scriptura, edaces, ebriosos, helluones, quorum Deus venter est ad Philip. cap. 3. Hos ad mensam non adducit nisi concupiscentia carnis, non indigentia refectionis. Itaque isti cadunt in escam & potum, illi autem qui descendunt ex officio vivendi, non ideò vivunt ut comedant, sed ideò comedunt ut vivant: Itaque istis prudentibus, & temperantibus, si offerretur ut sine cibo*

&

*& potu viverent, quanto gaudio amplecterentur hoc beneficium. Tertiò, ut quo cadere consueverunt, nec descendere cogerentur, sed semper suspenderentur in Domino. Non deponeret eorum intentionem necessitas fulciendarum corporis ruinarum. Quomodò putatis Heliam sanctum accepisse quando accepit calicem aquæ, & collyridam panis, ut satis ei esset in alimentum quadraginta dierum? cum magnâ utique letitiâ: quia propter officium vitæ, non propter servitutem concupiscentiæ manducabat & bibebat. Tenta hoc præstare si possis homini, qui beatitudinem totam & fœlicitatem in epulis, tanquam pecus in præsepi constituit. Odit beneficium tuum, repellit à se, pœnam putat: sic & in illo officio conjugali, libidinosi homines uxores non propter aliud quærunt: & ideò vix tandem ipsis uxoribus contenti sunt: atque utinam si auferre non possunt, aut nolunt libidinem, non ultra eam progredi sinant, quam præscribit debitum uxorium, etiam quod infirmitati conceditur: sed planè si tali homini diceres quare ducis uxorem? Responderet tibi fortè verecundatus, propter filios: si quis ei diceret (cui sine ullâ dubitatione crederet) potens est dare tibi & omninò dabit tibi Deus filios etiam non operanti opus illud cùm uxore: ibi certè concluderetur, atque fateretur, quod non propter filios quærebat uxorem. Confiteatur ergo infirmitatem, accipiat quod officiosè accipere prætendebat.*

X. Prosequitur incomparabilis Doctor cap. 15. *Sic illi priores sancti homines Dei filios quærebant, filios suscipere volebant. Ad hoc unum jungebantur fœminis, ad hoc fœminis miscebantur, ut filios procrearent: ideò illis permissum est ut plures haberent: nam si libidò placeret Deo, sic permitteretur illo tempore, & una fœmina haberet plures viros, quomodo unus vir plures fœminas. Quare omnes fœminæ castæ non habebant amplius uno viro, vir autem plures fœminas, nisi quia plures habere fœminas unum virum pertinet ad prolis numerositatem? una autem fœmina non quo plures habuerit viros plures poterit parere filios. Quapropter fratres, si Patres nostri non ob aliud quam ad liberos procreandos jungebantur & miscebantur fœminis: magnum illis esset gaudium, si præter opus illud carnale possent habere filios propter quos habendos ad illud non libidine ruebant, sed officio descendebant.*

Quibus tam subtiliter & eruditè præstructis, ita concludit Augustissimus Augustinus. XI. *Propter hoc Ioseph non erat Pater, quia sine concupiscentia carnis susceperat filium? Absit ut hoc sentiat castitas Christiana, quod nec Iudaica sentiebat*: quæ scilicet Patres legales agnoscebat. *Diligite uxores vestras, sed castè diligite: usque ad eum modum carnale opus expetite ut filios procreetis. Et quia aliter non potestis habere filios, ad illud cum dolore descendite. Pœna est enim illius Adam de quò exorti sumus. Non extollamur de pœnâ nostrâ. Pœna illius est qui meruit mortaliter gignere, quia peccato mortalis effectus est. Ipsam pœnam non substraxit Deus, ut meminisset homo unde revocatur, & quo vocatur; & quæreret illum amplexum ubi nulla potest esse corruptio. In illo ergo populo, quia oportebat fieri abundantem propagationem usque ad Christum per numerositatem plebis, in quâ præfigurarentur omnia quæ præfiguranda erant Ecclesiæ documenta, habebant officium ducendarum uxorum, per quas populus crescèret, in quo populo præsignaretur Ecclesia.*

Prosequitur deinde cap. 16. XII. *At ubi natus est ipse Rex omnium gentium, cœpit dignitas virginalis à Matre Domini: quæ & filium habere meruit & corrumpi non debuit: sic ergo erat illud conjugium, & sine ullâ corruptione cõjugum. Sic quod castè uxor peperit, cur non castè maritus acciperet? sicut enim castè conjux illa, sic ille castè maritus. Et sicut illa castè Mater, sic ille castè Pater. Qui ergo dicit non debuit dici Pater quia non sic genuerat filium, libidinem quærit in procreandis filiis, non charitatis affectum. Melius ille quod alius carne implere desiderat, animo implebat. Nam & qui adoptant filios castius eos corde gignunt quos carne non possunt. Videte fratres videte jura adoptionis, quomodo sit homo filius, cujus fœmine natus non est: ut plus in eo juris habeat voluntas adoptantis quam natura gignentis. Ita ergo non solum debuit esse Pater Ioseph, sed maximè debuit. Nam & de fœminis quæ uxores non sunt, generant homines filios, & dicuntur filii naturales, & præponuntur eis filii conjugales. Quantum pertinet ad opus carnis, æqualiter nati sunt: unde isti præponentur, nisi quia castior est*

*uxoris charitas de quâ liberi procreantur? non illic attenditur commixtio carnis, quæ in utrâq; fœminâ par est. Ubi vincit uxor nisi in affectu conjugii, affectu sincerioris castiorisq; charitatis? si ergo posset de uxore quisquam sine concubitu suscipere filios, non tantò debuit lætius quantò est illa castior quam diligit amplius?* Quàm divinè hæc Divus Augustinus pro Sanctissimo ac castissimo nostro Josepho! ex quibus satis apparet quàm sublimiter senserit hic incomparabilis Doctor de hâc paternitate.

XIII. Nec te moveant quisquis hæc legis verba illa Augustini ex hoc cap. 16. *Nam & qui adoptant filios castius eos corde gignunt, quos carne non possunt*, quasi vel Patres adoptione præferat illis qui sunt generatione tales, vel paternitatem D. Josephi, comparet cum paternitate per adoptionem: nihil enim minus cogitavit D. Augustinus. Sed cum pronunciaverit & tam multis asseruerit negationem exercitii libidinis, aut carnalis commercii (quod comitari solet libido) in Divo Josepho non officere ejus paternitati veræ, id tantùm confirmat exemplo paternitatis per adoptionem, in quâ nulla intervenit libido, & voluntas adoptantis id facit quod natura non potuit. Estque non comparatio similium, sed argumentum à minori ad majus, ac si diceret: videte quod in adoptione hominum, illi quibus natura denegavit filios, alios sibi voluntate adoptant, quos ut ita dicam corde gignunt, qui ex lege humanâ fiunt adoptantis filii, & sine libidine, sine carnali commercio sunt filii: si ergo hoc potest sola adoptio & voluntas humana, quid cogitandum in nostro casu, ubi Deus ipse D. Josepho filium suum ex uxore jam uxore dedit, & habere voluit licet sine carnali commercio? hæc est argumentatio D. Augustini ex ipsius verbis admetitis manifesta.

XIV. Et quia ut aiunt Docti, *in geminatis non cadit error*, confirmatur hæc doctrina Divi Augustini ex eodem Augustino lib. 2. de Consensu Evangelistarum cap. 1. ubi explicans verba illa: *Et ibant parentes ejus per singulos annos, &c.* ita habet: *sed ne quisquam hic parentes consanguineos potius Mariæ cum ipsâ Matre ejus intelligendos putet, quid ad illud responsum debit quod ipse item Lucas superius dixit.* Et erant Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo: *Cum igitur ipse narret non ex concubitu Josephi, sed ex Mariâ Virgine natum Christum, unde cum Patrem ejus appellat, nisi quia & virum Mariæ rectè intelligimus sine cõmixtione carnis, ipsâ copulatione conjugii, & ob hoc etiam Christi Patrem multò conjunctius qui ex ejus conjuge natus sit, quam si ei esset alium. dè adoptatus.* Ex quo textu patet bonitas nostræ explicationis textui Augustiniano præcedenti numero datæ, & Divum Augustinum hîc & ibi sibi cohærere, meque ideò & omnes cordatos illi hâc in re prudenter adhærere.

## SECTIO III.

### *Quantùm D. Josephus Christi Pater ex D. Augustino citato?*

PRogreditur Divus Augustinus, & IV.
cap. 20. hoc ipsum quod intendimus probando, etiam asserit firmius Christi Patrem esse Divum Josephum quàm sint cæteri homines Patres filiorum quos ex se genuerunt, pro quo accipe ipsa verba Divi Augustini dicto cap. 20.

*Iam verò illud quia movere non debet,* XVI.
*quare per Joseph, & non per Mariam generationes numerentur, satis dictum est, quia sicut illa sine carnali concupiscentia Mater, sic ille sine carnali commixtione Pater. Per illum ergo descendant, & per illum ascendant generationes: nec eum propterea separemus, quia defuit carnalis concupiscentia, major puritas confirmet Paternitatem, ne ipsa Sancta Maria nos reprehendat. Illa enim nomen suum præponere noluit marito suo, sed dixit,* Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. *Non ergo faciant perversi murmuratores quod conjux casta non fecit. Numeremus ergo per Joseph, quia sicut castè maritus sic castè Pater est: Sed præponamus virum fœminæ ordine naturæ & legis Dei. Nam si remoto illo, illam constituamus, dicit ille, & rectè dicit,*

quare

*quare me separastis? quare non per me generationes vel ascendunt vel descendunt? Notanda diligenter quæ sequuntur? An dicitur ei quia non tu genuisti opere carnis tuæ? sed respondebit nunquid & illa opere carnis suæ peperit? Quod Spiritus sanctus operatus est, utrisq; operatus est, sed in eo sexu quem parere decebat, operatus est hoc quod etiã marito nasceretur.* Deinde post pauca. *Sic ergo Pater sicuti est. Cautissimè enim Evangelistæ & prudentissimè per illũ numerant sive Matthæus descendens ab Abraham usque ad Christum: sive Lucas ascendens à Christo per Abraham usque ad Deum. Ille descendens numerat, ille ascendens: & ambo per Ioseph: Quare?* concludit: *quia Pater: Quare Pater? quia tantò firmius Pater, quanto castius Pater.*

XVII. In quibus Augustini verbis tria omninò notanda, primò interrogatio illa, *Si remoto illo, illam constituamus*, scilicet in Genealogiâ seu deductione progenitorum ex quibus Christus. *dicit ille & rectè dicit quare me separastis? quare non per me generationes vel ascendunt, vel descendunt?* ubi vides Augustinum censere quod fuisset data D. Iosepho occasio justæ quærimoniæ, si per Beatam Virginem, & non per ipsum descensus Christi secundùm carnem deductus fuisset: Idem quoque censet idem S. Doctor tom. 7. lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 11. his verbis: *Sed cum Iosepho non seminante illa peperisset, profectò nec ipsius formæ servi ambo parentes essent nisi inter se etiam sine carnis cõmixtione conjuges essent: unde & series generationum, cum parentes Christi connexione successionis commemorantur, usque ad Iosephpotius, sicut factum est, fuerat perducenda, ne* (nota quod sequitur) *in illo conjugio virili sexui utique potiori fieret injuria, &c.*

XVIII. Secundò, notanda istius justæ querimoniæ ratio: Si enim ei dicatur, quid quęreris quod per te Genealogia Christi non deducitur, cùm eum opere carnis tuæ non genueris? *Respondebit*, inquit Augustinus, *nunquid & illa*, ideſt Beata Virgo, *opere carnis suæ concepit?* ac si diceret, non. *Quod Spiritus Sanctus operatus est, utrisq; operatus est, sed in eo sexu quem parere decebat, operatus est hoc quod etiam Marito nasceretur.* Magna sunt ista pro Paternitate D. Iosephi.

Sed quomodo hoc potest esse verum quod Beata Virgo non genuerit Christum opere carnis suæ? quomodo ergo *Θεοτοκος*? quomodo Mater Dei? Respondeo pro defensione asserti Augustiniani in Divâ Virgine quando Verbum Dei concepit, non tantùm non fuit copula cum viro, ut constat, sed nec in conceptione Verbi fuit resolutio seminis ipsius, ut in cæteris mulieribus quando concipiunt ex viris: si enim ipsæ non seminent, earumque semen non resolvatur quando coëunt, non concipient: in his autem duobus copulâ scilicet & seminatione seu resolutione seminis est opus carnis in mulieribus, quorum neutrum fuit in Virgine purissima. Etsi enim ipsa concurrerit ad organizationem Corporis Christi, & unionem ejusdem corporis cum animâ ut cæteræ mulieres in formatione suarum prolium, non tamen ut illæ per semen resolutum, sed per virtutem ei à Spiritu Sancto supernaturaliter concessam. Ita Divus Thomas 3. part. quæst. 32. art. 4. Quare vis argumenti Augustiniani talis est, Si Beata Virgo est Christi Mater, cùm tamen non per opus carnis, ideſt copulam & sui seminis resolutionem conceperit ut cæteræ mulieres: Quæro cur in Divo Iosepho ut esset ejusdem Christi Pater requireretur quod per opus carnis & seminando eum genuerit? Cùmque oportuerit Virgo esse Mater concipiendo Christum, non per opus carnis, sed per virtutem à Spiritu Sancto concessam, cur non sufficiet, ut Joseph sit ejus Pater, quod in uxore suâ à se indivisâ formatus sit per actionem Spiritus Sancti suæ suppletivam, & ex directâ voluntate ejus actionem supplendi? XIX.

Tertiò, notanda ex prædictis magna Divi Augustini conclusio quod scilicet non tantùm sit verè Christi Pater, *sed eò firmius*, sivè perfectius *Pater, quò castius*. Cùm ergò nihil aliud in præfatis egerit Augustinus, quàm perpetuò conferre hanc Divi Josephi Paternitatem, quæ fuit sine concubitu, cùm illa quæ est per concubitum, & post ejusmodi collationem, seu comparationem, tandem ita concludat, quid sequitur nisi Divum Josephum esse perXX.

factius Christi Patrem quàm sint cæteri qui per concubitum & opus carnis generant.

XXI. Sed quomodo vera potest esse hæc Sancti Augustini sententia? nam illi qui per concubitum generant, quocunque tandem modo ad generandum procedant, idest sive ad id ex officio descendant, sive per libidinem ruant, sunt principium per se filiorum suorum; Divus autem Josephus non est Pater Christi nisi per actionem Spiritus Sancti ejus vices supplentis: Atqui quod quis est per se, magis est tale, quàm qui est tantùm per alium, & illius actionem: ergo &c. pro hoc sit

## CAPUT XVII.

### *Pro sensu Divi Augustini in locis præcitatis dimicatio.*

I. NOTANDUM primò, etsi priusquam Beata Virgo impræg-naretur à Spiritu Sancto, Divus Josephus nihil de eo præsciverit (quia id primò didicit ab Angelo, cùm eam gravidam dimittere cogitaret) divinitùs tamen ei datum est, ut actualiter ante cognosceret Deum posse si velit viro ex uxore sua, vel per conjunctionem, vel citra illam, dare liberos, sicut potest citra alimentum, si velit, dare homini ut in se vivat. Ex quâ cognitione & fidei suæ magnitudine, movente tamen illum ad id specialiter Deo in ordine ad executionem electionis de eo factæ in Patrem jam instantem, sic apud se resolvit: Cùm id ita sit quod potest Deus, si velit, viro ex uxore suâ, vel per conjunctionem cum illâ, vel citra conjunctionem, dare liberos; Ego me igitur totum quoad hoc ipsius Divinæ providentiæ & voluntati committo, firmiter credens si Deus velit me habere prolem, mihi daturum renuncianti pro ipso operi carnis, non daturum autem quantumvis illud facienti, si nolit me habere prolem: unde & ex hâc reflexione non difficile abiit in votum castitatis inaudito exemplo.

II. Hoc notandum inter omnia quæ ad Divi Josephi commendationem dici possunt notabilissimum, & ex quo multa suis locis non modica ad ejus laudem colligam, non difficile suadetur cuivis homini pio: Nam primò illud mihi suggessit Divi Augustini doctrina Capite præcedenti num. 9. & 10. ex cap. 14. istius sermonis 63. de diversis transcripta, & Divi Justini Martyris quæst. 66. ad Orthod. supra hoc Tractatu cap. 5. num. 2. Secundò, quia nihil est in eo repugnans: quod enim dici posset esse ridiculum & stultum expectare prolem ex uxore sine concubitu per miraculum tunc omninò inauditû, nec ab inde amplius futurum, rejicitur. Primò, quia nō dicimus certò expectasse prolem ex uxore sine concubitu, sed certò credidisse posse Deum si velit sine illo dare prolem: in quo nihil stulti, imò quod omnes crederent. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Luc. c. 1. Secundò, quia gratia electionis D. Josephi fuit ut esset Pater Christi, ad quod & directè ex supradictis electus est: Cùm ergo Dei ordinarium sit gratiam muneri ad quod elegit aptare, dicendum sine formidine, nullam D. Josepho gratiam negatam, quæ conduceret ut ad illud munus Patris JESU melius præpararetur: Et hoc quidem tantò verius & certius, quantò æquius est cogitare Deum nullibi exactius hanc regulam servasse, quàm in Mariâ & Josepho utroque Christi Parente. Cùm ergo per hanc sanctam cogitationem Divus Josephus melius ad suam paternitatem præparandus foret, ut constat, hæc gratia illi nullatenus est denegâda. Tertiò, quia per hoc disponebatur ejus animus ad faciliùs & promptè postea assentiendum Angelo revelanti id ipsum sibi contigisse quod crediderat. Quartò, cùm Divus Josephus uxorem duxerit, sciret autem apprimè quod maledictus esset tunc ex lege sterilis in matrimonio, nullâ cogitatione meliùs confortari potuit, ut spretâ illâ legis maledictione, & apud homines probro, in continentiam cum Virgine uxore conspiraret, quam illâ. Quintò, ex nostro Imperfecto in Matthæum homil. 1. ad illa verba, *Joseph autem vir ejus cùm esset justus?* ubi sic ad rem nostram argumentatur. *Conceptionem manifestè videbat, & fornicationem suspicari non poterat,*

*rat, possibilius esse credebat mulierem sine viro concipere, quàm Mariam posse peccare.* Ex quo sic arguo ad propositum meum: si tunc sic cogitabat D. Ioseph & Deus cogitare dedit (aliàs quò abiissèt cogitationes ejus?) posse scilicet mulierem sine viro concipere, si Deus velit, cur non etiam ante? ut sic magis disponeretur ad hoc ipsum recipiendum nunc re urgente & Angelo revelante? Sextò, ex Divo Augustino *Sermone 2. inter additos ad Opera ejusdem Patris à Chartus.* ubi sic ille Sanctus Doctor. *Inventa est Virgo illa prægnans ad quam vir non accesserat, uterus quidem fœtu intumuerat, sed virginalis integritas manserat, seminatorẽ fidei fides conceperat.* Attende sequentia. *Et Ioseph circa conjugem suam corpore non erat mixtus, sed tamen jam fide fuerat copulatus.* Hìc pondera, & benè confer omnia inter se: Quid significat hoc ultimum? *Et Ioseph circa conjugem suam corpore non erat mixtus, sed tamen jam fide erat copulatus.* Certè istud non significat solam copulationem per vinculum matrimonii: supponitur enim tunc Virgo, cujus jam venter intumuerat, & fides seminatorem fidei conceperat, fuisse conjux, circa quam ipse Ioseph non erat corpore mixtus. Quid autem nisi illud quod hic dicimus? quod scilicet Divus Ioseph fide illâ, de quâ hîc, copulatus sit Virgini, ut scilicet illi fides ista fuerit pro copulâ, quia scilicet propter illam Spiritus Sanctus ejus vices in Virgine supplevit ut conciperet.

III. Ex quo notando sequitur, quod cum D. Ioseph se commiserit Deo quoad prolem in suo conjugio, Spiritum sanctum qui ei hanc mentem inspiravit, ut ei corresponderet, tantamque ejus fidem frustraneam esse non permitteret (prout mos est Dei) B. Virgini in eodem obumbrasse conjugio, atq; ita ipsum eodem ipso modo Patrẽ efficere voluisse, quo ipse per eum se talem fieri posse cogitaverat: unde manifestè sequitur Spiritum sanctum virgini obumbrasse ex directa voluntate, & expressâ intentione supplendi vices ejus: quod satis indicavit etiam Augustinus cap. præced. num. 18. in his verbis: *Quod Spiritus sanctus operatus est, utriusque operatus est, sed in eo sexu quem parere decebat operatus est hoc quòd etiam marito nasceretur.* Non ergo Spiritus sanctus quasi nihil cogitans de Divo Iosepho virgini obumbravit, quando Christus in castis Virginis visceribus efformandus fuit, quemadmodum adhuc monuimus supra cap. 11. num. 14. sed ex intentione & voluntate supplendi vices ejus, & faciendi ipsum Christi Patrem ad quod ab æterno directè electus erat.

Notandum secundò, triplicem esse IV. in universum viventium generationem: prima est purè spiritualis, cujus principium & terminus sunt purè spirituales: talis est & sola talis productio Verbi æterni à Patre in divinis, quæ est per intellectum: Secunda, è contra est purè materialis & corporea, cujus principium & terminus sunt purè materiales & corporei, qualis est productio arboris ab arbore, bruti à bruto: Tertia denique est mixta, cujus principium & terminus sunt partim materiales & corporei, partim spirituales & incorporei: qualis est productio hominis ab homine.

Notandum tertiò, licet productio V. viventium simpliciter, idest vegetabilium, puta arborum & plantarum, sit verè & propriè generatio sicut & cæterorum, quia est processio viventis à vivente in similitudinem naturæ, terminus tamen ex vi talis generationis productus, non dicitur filius, nec principium producens Pater, & hoc omnes fatentur: non enim arbor A dicitur Pater arboris B, aut arbor B filius arboris A, cur autem hoc? quis aliud assignare potest nisi quia arbor B non est ab arbore A, ut à principio cognoscente, quemadmodum sunt termini seu effectus aliarum generationum?

Dices cum P. Oviedo Iesuita de gen- VI. erat. controvers. 2. puncto 6. num. 1. arboribus & plantis vulgò filiationem denegatam fuisse, quia regulariter vix specialem aliquam similitudinem sensibus perceptibilem habet planta vel arbor cum suo producente, quam non habeat cum aliis suæ speciei: unde fit ut cùm de ratione filii sit similitudo, quod illis in quibus vulgus vix aliquam similitudinem deprehen-

dir, filiationis proprietatem & nomen non attribuat.

VII. Sed contra, quia similitudo producti cum producente, quæ facit filium & Patrem, non est illa externa, sed specifica seu in natura & essentiâ : aliàs enim omnia individua animalium ejusdem speciei, quæ dicuntur filii; cùm sint ab uno, deberent esse similia secundùm speciem externam producenti : quod si fieret vix specialem aliquam similitudinem sensibus perceptibilem haberent cum suo producente, quam non haberent cum aliis ejusdem speciei, adeoque non amplius essent filii quam plantæ vel arbores. Secundo, modò haberent similitudinem cum suo producente, nihil curandum esset an etiam haberent cum aliis suæ speciei, hoc enim haberent tantùm per accidens, illud ex vi suæ generationis. Tertiò, quia de facto bruta vel homines vix aliquam habent similitudinem cum producente sensibus perceptibilem, quam non habeant etiam cum aliis suæ speciei, cum & hi sæpius quàm arbores, & bruta majorem cum aliis individuis suæ speciei, quàm cum suo producente habeant similitudinem externam.

VIII. *Major* in primum sentent. dist. 13. quæst. 1. & *Vasquez* disp. 113. cap. 2. num. 6. amplius dicunt, asserunt enim non tantùm arborem vel plantam ex hoc non esse filiam, quod non sit à principio cognoscente, sed nec ipsius productionem esse generationem : verùm cum productio arboris sit processio viventis à vivente in similitudinem naturæ in quo stat essentia generationis, existimo verius, esse solummodò rationem cur non sit nec dicatur filia.

IX. Ex his ad ulteriora gradum faciens, dico, si ita est quod ideò arbor non est, nec potest dici illius arboris filia ex cujus semine procedit, quia non est ab eâ tanquam à principio cognoscente, consequenter nec brutum erit aut dici poterit nisi valdè impropriè & abusivè alterius bruti filius, aut hoc illius Pater : tum quia cognitio bruti producentis non est cognitio nisi valdè impropriè, tum maximè quia illa cognitio nihil facit ad productionem illius bruti, nec enim ad illam procedit brutum ex cognitione, sed impetu naturâ ? ut quid autem requireretur ad rationem filii quod esset à principio cognoscente, si cognitio nihil faceret in hoc ad illius productionem ?

X. Dices, potest arte dæmonis, sine viri consensu aut scitu, semen ab illo extrahi & misceri fœmineo semini intra matricem, ac ex inde homo procreari. Respondeo quidquid sit de isto casu quem Physicis relinquo, prolem istam non futuram filium aut filiam istius viri vel fœminæ, quia non procedit ab ipsis scientibus & volentibus generare, quare hæc proles habebit hoc tantùm quod sit ab illis genita vel producta, non verò filia.

XI. Itaque ex his, esse genitum latius patet quàm esse filium, quia ad esse geniti sufficit esse à vivente in similitudinem ejus; ad esse filii autem requiritur præterea, ut sit à vivente cognoscente & procedente ad generandum ex cognitione, atque adeò ex affectu seu voluntate generandi : cujus rei hæc ratio reddi potest, quod prima Paternitas, à quâ omnis alia, & quarum proinde norma est & mensura, est per viam cognitionis : ex cognitione enim, & ut volunt Scotus & Cajetanus, ex affectu & voluntate generandi procedit Pater in divinis ad generationem filii sui, imò per cognitionem generat illum.

XII. Ex his facilis fit & plana proposita Sancti Patris Augustini cap. præced. doctrina de Divi Josephi paternitate, quod scilicet firmius sit & perfectius Christi Pater, quàm cæteri Patres ordinarii sint Patres eorum quos ex concubitu generant : inter hos enim alii sunt libidinosi, qui uxoribus non propter prolem, sed propter libidinem conjunguntur : alii Temperantes, qui malent à Deo prolem accipere, quàm ipsi per se generare, ne quo etiam tales cadere consueverunt, ipsi descendere cogerentur : & quidem si de prioribus est sermo, hi cum brutali more, non divino, hoc est ex solo libidinis pruritu, ut bruta, non prolis affectu, ut Deus, in copulam proruant, cur magis essent Patres eorum quos sic generant, quàm bruta, cum non aliter procedant ad generandum quàm illa ? & licet vulgò dicantur

dicantur Patres ſicut alii, quia in nominibus appellativis, quæ ſunt pro omnibus inſtituta, non attenditur quid in aliquibus caſibus particularibus contingat, revera tamen non ſunt Patres magis quàm bruta, quia deficiunt hi ſicut illa, in eo in quo ſtat formale paternitatis, quod eſt procedere ad generationem ex ratione ſeu cognitione, atque adeò ex affectu & voluntate generandi: ſi verò de poſterioribus, ideſt temperantibus agitur, quia ex Divo Auguſtino in omni concubitu etiam ſanctiſſimo poſt naturam per peccatum vitiatam, quantumvis ab his proles ex illo intendatur, non poſſunt tamen dum illud agunt, ita ſuſpendi in Domino, ut non ad libidinem quam ſentiunt recurventur, fit, ut cum in ipſo actu quo fiunt Patres, de ſublimi illo ad brutalem morem, ſi non omninò corruant, ſaltem valdè declinent, fit, inquam, quod recedant etiam à perfectione paternitatis in ipſo formali, ut proindè his, quantumvis temperantes ſint, adhuc beneficium futurum iri pronunciet Auguſtinus, ſi à Deo proles ſine concubitu daretur, ut quo cadere conſueverunt, nec deſcendere cogerentur.

XIII. At in Divo Ioſepho fuit puriſſimus ex ſublimiſſimâ & diviniſſimâ cognitione affectus habendæ prolis, cùm potiùs elegerit non habere quàm ex concubitu habere, ne quo etiam temperatiſſimi cadere conſueverunt, & ipſe deſcendens caderet, ac propterea hoc ipſo modo utique puriſſimo accipere meruit, ideſt à Deo vices ejus ſupplente à quo (cùm taliter dare decreviſſet) ſpecialiſſimè movebatur.

XIV. Ad argumentum igitur in fine præcedentis Capitis propoſitum contra noſtram & Divi Auguſtini ſententiam, Reſpondeo, verum eſſe quod illi qui ex concubitu generant, ſint magis principium ſeu cauſa ſuorum filiorum, quàm Divus Ioſephus ſit Chriſti, propter rationem in eodem argumento allatam, non tamen propterea ſunt magis patres, quia licet concubitus faciat generantem, non tamen ſemper patrem: Cùm enim primò Divus Ioſephus, ut ne caderet in libidinem, abſtinere voluerit à concubitu, & commiſerit ſe pro prole Divinæ Providentiæ modo à nobis notâdo primò allato: Atque ob id ſecundò Deus vices ejus ſupplerit ex intentione vices ejus ſupplendi & implendi præconceptâ voluntatem quâ decreverat ipſum efficere Patrem Iesu, habuit quod eſt materialo & quod eſt formale in paternitate. Materiale quidem minùs propriè quàm cæteri patres, generare enim quod eſt quaſi materiale non habuit per ſe ut cæteri, ſed in hoc Deus ſupplevit ejus vices, ut diximus. Formale magis propriè habuit quàm ullus illorum, cùm in libidinoſis nihil ſit illius, in aliis verò ſit valdè imminutum per libidinem in ipſo actu generandi ſupervenientem: At maximè per formale attenditur quid res ſit: unde cùm penes formale, omnes Divus Ioſephus ſuperet patres, qui ex concubitu ſunt patres, omnibus etiam firmius eſt & perfectius dicendus pater.

Inſtabis, ſi firmius eſt Pater Chriſti & perfectius, quia caſtius quàm illi qui ex concubitu generant, cùm ex Philoſophis omnibus plus teneatur proles patri quàm matri, quia pater in generatione eſt potior, omninò ſequeretur plus teneri Chriſtum ipſi quàm Beatæ Virgini, atque adeò cùm ex hoc unicè colligat Eccleſia, Sancti Patres, Doctores, & Fideles omnes, univerſas excellentias & prærogativas Gratiæ, Gloriæ Beatæ Virginis, quod ſcilicet ſit Mater Chriſti, ſequeretur omninò quod cum Divo Ioſepho magis obligaretur ex paternitate, majora quoque ei contuliſſet, ſicque hic illam in gratiâ, meritis, & gloriâ præcederet quod ab Eccleſiæ & omnium ſenſu Catholicorum alieniſſimum eſt, & ſine ullâ ambiguitate falſum, ergo & illud unde ſequitur. XV.

Reſpondeo, eſto Divus Ioſephus ſit firmius Chriſti Pater & perfectius quàm ſint cæteri patres eorum quos genuerunt, quia caſtius: attamen non ita perfectè ac ſi Chriſtum ipſe genuiſſet, ratio eſt quia ſi ipſe genuiſſet præter hoc quod nunc habet, haberet etiam rationem principii per ſe, quam nunc non habet: Atqui dum dicunt Philoſophi plus teneri prolem patri quàm matri, faciunt comparationem inter XVI.

patrem

patrem & matrem qui genuerunt prolem: Cùm ergò Divus Josephus non genuerit; nec ita perfectè est pater ac si genuisset. Quare nec valet comparatio illius cum purissimâ illâ Matre quæ de se genuit, quæ totam sola materiam ex quâ compactum est Christi Corpus subministravit: sed quandoquidem hæc illum præcedat tam in materiali quia per se, quàm in formali quia non à recto deflexit eam libido, omninò eum in gratiâ, meritis & gloriâ antecellit. In his tamen omninò illi suppar Divus Josephus, quia ejus paternitas proximè ad Maternitatem Divæ Virginis accedit.

XVII Instabis iterùm, quomodo hæc inter se cohærent quod sit firmius Pater Christi & perfectius quàm illi qui ex concubitu generant, qui habent rationem principii respectu filiorum, non verò ita perfectè ac si ipse genuisset, quo casu haberet rationem principii quam non habet? Respondeo nullam hîc esse implicantiam: quia si genuisset, habuisset rationem principii per se, ut diximus, quam non habet, ac deinde cum remotâ libidine ex solâ ratione genuisset, ut & in statu innocentiæ genuissent homines ex doctrinâ omnium Theologorum præeunte Divo Augustino tomo 7. lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentiâ: id enim ei Deus dedisset si voluisset ex homine gigni, quia sic Deum gigni oportuisset, atque ita omnem patris perfectionem habuisset.

XVIII Objicies, Paternitas Divina est prima, & *à quâ omnis Paternitas quæ in cælis & in terra nominatur.* ad Ephes. cap. 3. vers. 15. ergo est regula cæterarum, id est cæteræ, ut sint veræ, ad illius normam esse debent: sed hæc Divina Paternitas est per generationem, ut constat ex psalm. 2. vers. 7. psalm. 109. versu 4. ad Hebr. cap. 1. vers. 5. ergo & illæ debent esse per generationem. Respondeo ad hoc argumentum, Regulam illam philosophicam in quâ nititur debere intelligi prout verba axiomatis sonant, de illis quæ sunt in eodem genere & ordine: nam ita fert axioma. *Primum in uno quoque genere est regula & mensura cæterorum.* At paternitates creatæ non sunt in eodem genere cum Divinâ, & ideò non est necesse quod illę sint omninò ad normam hujus. Idcirco verò Divina Paternitas est per generationem, quia cùm sit divina, est omnium perfectissima, & omnium aliarum perfectiones complectitur, perfectior est autem illa quæ est per generationem omnibus aliis, & ideò licet Paternitas D. Josephi sit vera & perfectior aliis creatis, non ita tamen perfecta ac si fuisset per generationem.

## CAPUT XVIII.

*Recollectio huc usque dictorum de hâc Paternitate cum aliquâ novâ ratione pro mantissâ.*

EX dictis hactenùs patet quàm meritò ob Evangelistis sacris dicatur D. Josephus Pater Jesu, esto de cætero ad ejus generationem effectivè non concurrerit, quod non fuit necesse, ut tam multis probavimus: si enim Patres ordinarii & carnales dicuntur, & sunt verè Patres *generatione*, quam tamen ipsi non posuerunt per se, sed Deus nomine ipsorum ad exigentiam dispositionum naturalium ab ipsis per semen à se emissum introductarum, ut vidimus suprà cap. 12. cur amabo D. Josepho istam qualitatem Patris, quam ei sacra Scriptura locis suprà cap. 1. n. 9. citatis tam disertè attribuit, denegabimus? curve non poterit esse Pater Jesu verè maximè alio modo quàm *generatione*, per actionem à Spiritu sancto, ejus vices in uxore suâ jure matrimonii secum unâ supplente, positam ex vi electionis ejus æternæ in Patrem ex parte Dei, tum deinde ex parte ipsius D. Josephi, ex vi divinissimi illius actus fidei, quo credidit Deum posse dare viro ex uxore suâ prolem vel per conjunctionem, vel citra illam, nec se habituram prolem quantumvis opus carnis facienti, si Deus habere nollet, daturum autem eidem operi carnis pro ipso renuncianti, si habere vellet, juxta ea quæ diximus cap. præcedenti num. 1.

II Secundò, si Deus potest ex lapidibus in

in ripâ vel alveo Jordanis jacentibus ſuſcitare filios Abrahamo, quorum Abrahamus fuiſſet Pater verè & propriè, quos tamen non genuiſſet, ut vidimus cap 13. ſect. 4. 5. & 6. cur non erit D. Joſephus Pater Jesu verè & propriè, & hic illius filius, quem ei Deus ex conjuge ſuâ ſuſcitavit, quandoquidem Spiritus ſanctus illum in uxore ſuâ efformarit ex directâ voluntate eum efficiendi ipſius Patrem?

III. Tertiò, ſi fructus Palmæ fœminæ ſunt & cenſentur fructus Palmæ maris, quos tamen hic non tulit nec protulit, quia nonniſi ad hujus cum illâ præſentiam generarentur: cur non eſſet filius D. Joſephi Chriſtus, qui nonniſi in ejus cum Virgine Matre connubio, & ut ita dicam ſub ejus umbrâ ex præſentibus Dei decretis ab eâ concipi potuit? cur, inquam, non erit Chriſtus filius Divi Joſephi, cujus vices ideò ſupplevit Deus in Virgine Matre ejus uxore, quia eas ſibi D. Joſephum commiſiſſe cenſuit dum ipſe ſeſe illi ita commiſit, ut voluerit caſtè in perpetuum cum conjuge ſuâ vivere, ex hâc fide actuali, quod ſi vellet Deus ipſum habere prolem, ei daturus eſſet renuncianti pro ipſo operi carnis non daturum autem quantumvis illud facienti, ſi habere nollet. Quin immò propter hoc, inquiebat D. Auguſtinus ſuprà cap. præced. & nos cum illo, perfectius fuit Chriſti Pater & firmius, quàm cæteri homines ſint Patres eorum quos opere carnis ſuæ genuerunt, quia ille caſtius his.

IV. Ideò duo Evangeliſtæ Matthæus & Lucas Chriſti deſcenſum ex Abrahamo & Davide probaturi, cum per Divum Joſephum, & D. Joſephi progenitores deducunt, & non per Virginem, quamvis cùm ab hâc ſolâ carnem ex Abraham & Davide propagatam ſumpſiſſet, clarior eſſet futurus iſte deſcenſus per hanc quàm per illum deductus, per hoc manifeſtiſſimè innuentes, quod cum in re tanti momenti ita proceſſerint, licet expreſsè caveant D. Joſephum non genuiſſe Chriſtum, non ideò tamen deſinere eſſe illius Patrem verè & propriè, quandoquidem per eum ac ſi genuiſſet, ejus genealogiam deducendam eſſe judicaverint: genealogia quippe, ut notum eſt, nonniſi per Patres qui genuerunt deduci ſolet apud omnes Gentes, & ex privilegio Dei ſpeciali pro Judæis per Patres legales: at Divus Joſephus, ut conſtat ex dictis, non eſt Pater legalis Chriſti; quare per hunc procedendi modum Evangeliſtarum patet evidenter, quod licet non ſit Pater Jesu per generationem, ejus tamen paternitas ad eam reduci debet.

Hinc eum D. Lucas alibi, ſcilicet V.
cap. 2. verſ. 27. ac etiam verſ. 41. & verſ. 43. D. Joſephum non tantùm vocat Chriſti Patrem, ſed etiam parentem ac ſi eum genuiſſet: eſto enim Divus Joſephus non genuerit eum per ſe, cum tamen Spiritus ſanctus nomine D. Joſephi, modo à nobis ſuprà explicato, eum produxerit in Beatâ Virgine ejus conjuge, per ſe produxiſſe cenſendus eſt, & conſequenter nihil eſt quod timuerit Lucas, vel nos timere debeamus eum Chriſti parẽtem dicere.

Etſi ergo non ſubſiſtat ex parte Divi VI.
Joſephi generandi proprietas, Pater tamen parensque Chriſti Domini vocatur & eſt ac ſi genuiſſet, ob ſingularem illam rationem, quandoquidem ad illud ſufficiebat, quod in ejus conjugio abſque ejus injuria uxor ejus eum conceperat, ut vidimus ſuprà hoc Tract. cap. 9. ſicut & in materiâ poſſidendi fructus, ut poma, pira, ficus agri tui vel arboris tuæ, tuus eſt verè ac propriè fructus ille, qui ex eo vel ex eâ naſcitur, etſi eum in agro tuo vel in arbore tuâ non produxeris, quia ager tuus eſt, & arbor tua in quâ ille ortus eſt.

Quanquam neque comparatio iſta VII.
rem hanc adæquet, cum Beata Virgo non qualiſcumque poſſeſſionis aut proprietatis jure ſeu titulo ad Divum pertineret Joſephum, ſed titulo longè ſtrictiori & magis ad rem faciente, ſcilicet tanquam conjux ejus, qui longè ſtrictior eſt, ut notavi eodem cap. 9. n. 8. ut proinde multò ſpecialius, arctius, nobiliusque ex hâc etiam ſolâ ratione Chriſtus eſſet filius D. Joſephi, quam fructus iſtius arboris vel agri eſſet fructus Domini agri vel arboris.

Confirmatur, quia filius natus ex VIII.
ſervâ pertineret ad Dominũ ſervæ, uti natus dum Mater eſſet ſui iuris, ratione

servitutis, non ut filius, sed ut fructus in re vel possessione suâ nati: proindè multò specialius nobiliusque ex hac etiam solâ ratione ad Divum Josephum pertineret Christus quàm fructus agri, vel arboris, aut filius servæ ad Dominum illorum: quantò ergo magis si huic rationi eam addamus quam à cap. 11. prosecuti sumus? Unde & justus Simeon non solùm Virgini Christi Matri benedixit, sed etiam Divo Josepho, atque utrique simul & semel unicâque benedictione super communi eorum filio. *Et benedixit illis Simeon.* Luc. 2. v. 33.

IX. Addo pro mantissâ, tantam Patres Græci, nonnullique etiam ex Latinis censuerunt, & tam stricti juris hanc Divi Josephi ad Christum Paternitatem, ut ei illos tribuant effectus, qui non solent tribui nisi paternitati naturali, seu paternitati quæ est per generationem: Hi enim dum incidunt in illa Scripturæ loca, in quibus fit mentio de fratribus & sororibus Domini, ut Matthæi cap. 12, & 13. Marci cap. 3. & 6. & Lucæ cap. 8. existimant illa intelligi de veris & propriè dictis fratribus & sororibus, non verò de consanguineis solùm, seu cognatis; & dicunt illos verè & strictè fuisse fratres Christi Domini, eo quod fuerint filii Divi Josephi ei ex priore, quam ante Deiparam arbitrantur duxisse, uxore geniti.

X. Qui licet decepti fuerint in eo quod existimaverunt D. Josephum aliam ante Virginem uxorem duxisse, & ex eâ liberos suscepisse, ut constat ex dictis à nobis hâc Parte 2. Tractat. 1. cap. 5. Section. 1. In proposito tamen nostro nobiscum conveniunt: nam si verum esset quod supponunt, Divum scilicet Josephum aliam ante Beatam Virginem uxorem duxisse, ex quâ proles suscepisset, & quod ex hoc veri essent fratres & sorores Christi, id nequaquam ex eo provenire posset quod Mater Christi Patri istorum nupsisset præcisè, quia affinitas non parit affinitatem, sed essent fratres propter Divum Josephum, quod nimirùm Divus Josephus esset communis Christi & illorum Pater, licet alio modo illorum, & alio Christi, illorum nimirùm generatione ex priori uxore, Christi verò quasi generatione, per actionem scilicet Spiritus Sancti in Virgine posteriore suâ uxore suæ suppletivam, seu nomine suo positam.

Quare si adhuc contingeret aliquid simile (quod non est impossibile licet credam nunquam amplius futurum) ut scilicet Virgo aliqua nupta viduo habenti ex priore uxore liberos, sine congressu viri sui Deo dante conciperet & pareret, non posset hæc proles ex hâc secundâ uxore virgine nata nubere ulli ex illis qui essent de priore uxore ex congressu suo nati: Ratio est quia hic viduus verè esset pater hujus prolis sibi à Deo ex secunda sua uxore virgine suscitatæ, & consequenter hæc prolis illarum frater aut soror quæ sunt ex primâ uxore natæ. XI.

Pro coronide hujus Capitis adjicio benedictionem illam quam Jacob Patriarcha moriens in filium suum Joseph pronunciavit Genes. cap. 49. *Omnipotens*, inquit, *benedicat tibi benedictionibus uberum & vulvæ.* Quàm admirabilis benedictio! & quis unquam quid simile audivit? Quomodo benedictio uberum & vulvæ potest in virum cadere? de muliere quidem hoc bene intelligerem, sed de viro quis unquam illud concipiet? Quid igitur ad hoc? Audi meum eâ super re sensum. Respiciebat Sanctus Patriarcha quando hæc proferebat, seu Deus in ipso Divum Josephum per filium suum Joseph figuratum, & meo videri significat benedictionem quidem fœmoris, quæ est virorum, non ei competituram, nihil tamen propterea ei decessurum, eò quod benedictio omnium benedictionum, vulvæ, dico, & uberum Beatissimæ Deiparæ Conjugis suæ in eum sic redundatura esset, ut ad eum tanquam ei propria spectaret, utpote qui illius purissimæ Virginis immaculatæ esset Sponsus, dum in eam ista vulvæ & uberum ejus benedictio deplucbat. XII.

Et certè poterat Spiritus Sanctus vel modicum ante desponsationem virtutis suæ obumbratione Virginem præfœcundare, ita ut nec Divus Joseph advertisset, nec apud alios ipsa ullâ infidelitatis novam incurrisset: verùm nō sola Diva Deipara Virgo inter mulieres, sed etiam inter viros Beatissimus Sponsus

ejus

ejus Ioseph ex hâc divinâ immensâque benedictione beatus esse debuit, & ab omnibus generationibus dici: quare non ante desponsationem vel momento uno Divi Ioseph Sponsam Spiritus Sanctus fœcundare voluit, ut per hoc vulvæ & uberum participationem accipere posset.

## CAPUT XIX.

### *Ex hoc totam habuit in Christum Patris Authoritatem.*

I. IN Divinissimo Dominicæ Incarnationis Mysterio hoc inter cætera mirabile, quod in eo ipsum imum usque ad magnitudinis apicem evexit Deus, & è contra magnitudinem ipsam usque ad imi fundum depressit. Quid enim Deus? quid homo? Quid Deo majus vel altius? quid homine vilius? Quæ ergò major humiliatio, quàm quod Deus usque ad hominem descenderit in Incarnatione? quæ etiam major elevatio quàm quod in eâ homo usque ad Deum ascenderit? Hoc nihil sublimius, illo nihil demissius.

II. Sed est alia ex hoc ineffabili Mysterio elevatio, est & alia depressio ex præcedentibus consectaria & illis affinis ac vicina, elevatio nempè Mariæ & & Josephi: & depressio secunda Christi Domini: Nonne summa fuit elevatio horum Sacrorum Conjugum, Mariæ in quâ, Ioseph sub quo, hoc Mysterium divinitùs operatũ est? Illius quę per hoc Mysterium in Matrem Dei evecta est? hujus qui in ejusdem Dei Patrem sublimatus est? Et quò altius ascendere potuissent puræ creaturæ? sed quæ depressio major illâ Christi qui cum licet homo, tamen substantialiter etiam Deus esset (cui proinde cuncta servitutem debent:) illis tamen Sanctissimis Conjugibus subditus esse voluit? Unde optimè Albertus Magnus in hæc verba, *Descendit cum eis Nazareth, & erat subditus illis*, Luc. cap. 2. vers. 51. Sic ait: „ Congruè verbo descendit utitur & „ propter situm loci, & propter humili- „ tatem: à Majestate descendit cum pa- „ rentibus humilis sub ipsis (recordatus præcepti sui Exodi cap. 20. *Honora Patrem tuum & Matrem suam*) vixit.

Sed ut ad Divum Iosephum me convertam, nescio quid prius & amplius in eo mirari debeam, an quod sit Pater Dei? an quod Deus sit subditus illi? utrumque enim summè mirabile, sed hoc secundum meo videri longè mirabilius. III.

IV. Est Divus Josephus Pater Jesu Christi Domini nostri. Esset licet solum à Christo jam concepto vel nato electus & adoptatus ad id muneris: non enim est adoptio Dei qualis est illa quæ est ab hominibus: hæc quippè præcisè stat in voluntate adoptantis & acceptatione adoptati, illa ponit rem in adoptato ut monuimus suprà cap. 6. Sed est insuper Pater jure conjugii, *quod enim in meo fundo nascitur meum est*, juxta vulgatam juris parœmiam: est ratione efficacis Dei electionis ab æterno: est propter seu per suppletionem in tempore actionis ejus in suâ conjuge secum unâ, per Spiritum sanctum exequentem istam efficacem voluntatem & electionem, & Virgini obumbrantem ex intentione directâ efficiendi illum Christi Patrem; unde & strictius ac verius ejus Pater quàm avus; strictius & verius quàm Pater legalis; firmius & perfectius quam sint cæteri Patres naturales, & ordinarii filiorum quos ex se genuerunt, quia castius ex Divo Augustino. Est ut minimùm sicut Pater fidei nostræ Abraham fuisset Pater illorum, quos Deus illi suscitasset ex lapidibus in ripâ Jordanis vel ejus alveo jacentibus: Est sicut Palma masculus fructuum seu dactylorum, quos Palma fœmina profert: est ita ut per illum ac si Christum genuisset, Christi genealogiam deducendam Spiritui sancto visum fuerit: est ita ut Lucas non vereatur eum non tantùm Patrem Jesu appellare, sed etiã parentem, quod nomen est proprium generantium: est ita ut ad ipsum ortus juxta carnem pertineat ex D Paschasio, ut proinde etsi non sit Pater generatione, sit tamen quasi generatione: est denique ita ut paternitas ipsius, à Patribus Græcis, eos producat effectus, vincula, impedimenta, quæ ipsa paternitas per generationem.

Quàm verum ergo & quàm verè debitum nomen! Sed quàm magnum nomen! ut aliquatenus concipi valeat.

V. Observandum diligenter mecum quod cum Deus in veteri lege Abrahæ, Moysi, aliisque SS. Patribus & Prophetis voluntates suas manifestare voluit, usus est ministerio Angelorum, qui ferè semper eis in formâ visibili, corpore scilicet ex aëre assumpto apparebant, & sensibiliter eis loquebantur: quo in munere, licet non esset Deus, quia tamen nomine Dei agebant & loquebantur cum illis, Dei nomen ex ejus concessione usurpare & attribuere ipsis licuit: hinc illæ eorum voces, *Ego sum Dominus Deus tuus; ego sum Deus Patris tui Abraham, &c.* Magnus profecto honos, magna gloria, privilegium rarum & singulare Angelis istis concessum, quod Deus eis permiserit istud nomen Dei glorioſum assumere.

VI. Sed vide rem miram: quando in novâ lege gratiæ publicanda fuêre Dei Incarnati magnalia, publicanda Christi divinitas, magnitudo & excellentia, certificandi Apostoli, & in illis omnes fideles, quod verè esset Filius Dei qui natus erat ut homo, non solùm non tunc visi Angeli, non solùm non eis concessam hæc verba: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui* proferre, & sibi nomen Patris arrogare, sed quod magis mirêre, nec ipsi Spiritui sancto, licet ipse hic apparuerit in specie columbæ: hoc manifestè patet ex Matth. cap. 3. Marc. cap. 1. & Lucæ cap. 3. qui omnes attestantur quod *IESV baptizato & orante, apertum est cœlum & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & ecce vox*, non Spiritus sancti, sed alterius, utique Patris æterni, *de Cœlo facta est, hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* Ecclesia etiam in officio octavæ Epiphaniæ eandem vocem non alteri tribuit quàm Patri æterno. Eodem quoque modo explicant SS. Patres inter quos D. Cyprianus lib. de Baptismo, *Huc usque Domine Sancte Pater non audivimus te ita loquentem, ut personaliter tibi assignetur loquela quam proferres: Hanc vocem à tua paternitate delatam nemo est qui ambigat, non est qui sibi hoc verbum audeat arrogare, unus Ioseph insignitur.*

VII. Et ratio est evidens quia descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in Christum, vox autem quæ dicebat: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*, veniebat è cœlo; non ergo vox Spiritus sancti è columbâ quæ insidebat Christo: Non etiam Angeli, tum quia nihil aliud apparuit tunc præter columbam, tum quia dicitur vox illa veniſſe de cœlo, à quo verò illa vox de cœlo nisi à Deo Patre.

VIII. Magna res & mira, quod Deus Pater hunc titulum *Patris* concesserit Divo Josepho, & non concesserit ipsi Spiritui sancto divinitatis suæ consorti, qui tamen antea etiam Angelis nomen suum *Dei* permisit. Magna res, inquam, & mira: Incarnatio quippe Filii Dei cujus opere perfecta est? nonne Spiritus sancti? cujus virtute *illius* corpus ex purissimo Virginis sanguine in Virgine efformatum est? nonne Spiritus sancti? nonne Spiritui sancto non tantùm nomen supremum *Dei* communicatum est, sed etiam ipsum esse Dei? Interim tamen nomen Patris respectu filii sui, etiam ut hominis, nec Spiritui sancto, qui tamen eum produxit, concessit Pater, concessit verò Divo Josepho, qui eum non produxit, quid hoc est? *Non est*, inquiebat mox num. 6. in fine Divus Cyprianus, *qui sibi hoc verbum* Pater *audeat arrogare, unus Ioseph insignitur.* Ex hoc colligе quàm mirabilis sit D. Josephi quàm inter Cœlites est laudabilis! quàm magnus in oculis Dei!

IX. Sed qui dico? ipsi Deus Pater non nomen solum, sed & rem Patris respectu Filii sui communicavit, non solùm ipsum ad istius nominis participationem adlegit, sed & consortem voluit esse rei istius nominis. Quod si tanta res videtur participare nomini, quid erit ipsi participasse rei, & authoritati? parricipavit autem huic ut illi, ut patebit ex sequentibus.

X. Non ergo tantùm gubernatorem, nutricium, custodem, aut tutorem, Filii sui constituit Pater D. Josephum, sed suum ita dicam substitutum aut vices gerentem: electus est, inquam, &

& positus ut locum suum teneret respectu Filii sui, quo nihil ei preciosius, nomenque proprium gereret. O quanta hæc! quàm immensa hæc! quàm incomprehensibilis hæc ejus dignitas! magnitudo, excellentia! nam si prima primæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis gloria est quod sit Pater, & habeat Filium Deum sicut ipse Deus est: nonne summa sit, immensa, incomprehensibilis Divi Iosephi gloria, dignitas, & excellentia oportet, qui cùm sit purus homo, habeat tamen filium qui Deus est, sitque ipse verè Dei Pater?

XI. Meretur hîc nostram reflexionem consideratio circumstantiæ temporis in quâ Pater æternus primò Christum Filium suum esse per se contestatus est, ut modò ex D. Lucâ dicebamus, quod scilicet id tum primum evenerit, quando Christus à Joanne in Jordane baptizatus est & non ante, & quod in eâdem circumstantiâ dicatur ab eodem Evangelistâ Divus Josephus Pater Christi putatus. Sic enim Lucas cap. 3. *IESV baptizato & orante, apertum est cœlum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & vox de cœlo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi: & ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph.* Quid hoc sibi vult? quæ connexio inter testificationem Patris æterni, quòd Christus Filius suus sit; & populi existimationem, quâ credebat ipsum esse filium Josephi?

XII. Notandum quod in Christi baptismo Joseph pro certo mortuus erat ut dicemus infra part. 3. Tract. 1. Sect. 1. Quo posito ecce tibi latens hâc in re mysterium. Sanctus enim Lucas rationem reddere volens, cur Pater æternus voce delapsâ de cœlo à magnificâ gloriâ in baptismo, primùm Christum filium suum esse in conspectu multitudinis publicè contestari cœperit, videtur innuere id ideò factum, quod jam à 30. annis retro elapsis nonnisi filius Joseph ab uno quoque existimatus fuerat: cur verò non citius, nec antequam Divus è vivis excessisset Josephus? nimirum ne potestati & jurisdictioni paternæ, quam ipsemet isti summo viro contulerat, & in quam ipsum subrogarat in locum suum, quidquam præjudicare videretur, vel gloriæ & honori, qui tanto Patriarchæ ex tanti Filii subjectione accedebat, vel tantillum decederet. Quod cùm ita sit nonne ergo tantò melior Angelis effectus Divus Joseph, quantò differentius nomen præ illis hæreditavit?

Sed si hoc tibi mirabile videtur quod XIII.
Pater fuerit Dei, quantò mirabilius quod iste Deus fuerit ipsi ut cæteri filii Patribus subditus? Res hæc clara est ex Scripturâ Lucæ cap. 2. vers. 51. *Et descendit cum eis Nazareth, & erat subditus illis.* Quàm hoc rarum & mirabile! quàm inauditum & singulare! *Vide*, inquit D. Bernardus serm. de Pascha, *quomodo Magni Consilii Angelus suum consilium posposuit consilio, seu potius voluntati Fabri unius.*

Gloriatur Pater æternus quod filium XIV.
habeat ab æterno Deum sibi consubstantialem, & per omnia æqualem Græci dicunt *omousion*: Divi Josephi prima gloria est, quod eundem in terris habeat filium, sed illum se majorem: Deus enim est, ipse homo: Et tamen vide rem miram, Pater æternus in divinis nullam habet in istum Filium authoritatem, Filius ab illo nullam habet dependentiam, quia cum Pater & Filius sint unicus Deus, unus est ita Pater alterius, ut non sit illius Dominus: & vicissim alter ita est istius filius, ut non sit ei subditus: cùm è contra D. Josephus in terris licet sit eodem filio minor, in eum tamen habeat authoritatem, & hic ad illum subjectionem, & ab ejus voluntate dependentiam. *Et erat subditus illis.*

Ergo ut Pater æternus Divum Jose- XV.
phum subrogavit ut in terris suam personam repræsentaret respectu filii sui, ita quoque filius ei in se omnem Patris authoritatem contradidit: non enim est hic filius quales alii, qui ab hominibus generantur. Alii quippe naturaliter & ex necessitate spectant ad suos parentes, scilicet per nativitatem, quam ab ipsis acceperunt: non enim in illorum libertate, vel optione est, ut possint hunc, vel illum Patrem habere, quia non est in eorum potestate aut dispositione ut sint, vel non sint, & consequenter ut se huic, vel illi, vel isti,

seipsos tradant in filios. Sed tu ô Redemptor adorande! qui licet homo nascaris in fine temporum, Deus tamē es ab æterno ante omnia tempora, tu es tuæ libertatis, tu solus Dominus tui ipsius: & ideò potuisti de te, & de omni quod es, & quod tuum est prout voluisti perfectissimè disponere: quare in uterum Virginis sponte descendis, & illa efficitur Mater tua: te ipsam incomparabili nostro Josepho tradis in filium, & illicò fit Pater tuus in terris, ei te subdis, & in te habet authoritatem Patris: sic nempè communicatâ D. Josepho à Patre æterno Patris qualitate, quam nec filio communicaverat nec Spiritui sancto, hic filius quasi per æmulationem ipsi quoque in terris communicat in se Patris authoritatem, quam Pater æternus non habebat in cœlis: nonne hoc magnum?

XVI. Filius Dei etiam ut homo, ratione dignitatis & excellentiæ sui suppositi seu personæ utique divinæ, est supremus Dominus omnium omninò creaturarum quantumvis sublimium; ita ut ex jure illo & dominio supremo quod habet in illas, possit de illis absolutissimè disponere, possit illas pro ut voluerit & ad quæcumque voluerit cogere, subjicere, destruere, &c. nec illis possibile sit ei resistere: Interim ecce ille ipse per admirabilem suæ pietatis dignationem, stupendamque majestatis suæ abjectionem, non sine summâ summæ superbiæ nostræ confusione & condemnatione, se submittit & subjicit homini, cujus cum tanto jure est Dominus, illi obtemperat, mandata ejus excipit, nutus observat, nihil nisi de ejus assensu facit. O profunditatem stupendam humilitatis divinæ! sed ô altitudinem admirabilem elevationis humanæ! quandoquidem docente Sanctissimo Bernardo per hoc homo fiat superior ipsius Dei.

XVII. Principari animantibus est quid divinum dicente Deo Genes. cap. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit volatilibus cæli, & bestiis terræ, & piscibus maris.* Quasi scilicet ideò debuerit esse homo ad imaginem & similitudinem Dei, & quasi parvus Deus, ut animantibus istis dignè & congruè præesse posset: quare & de illis disponit, eis utitur, illa destruit, ac si ea ipse creasset, essetque illorum Deus.

Quod si tam magnum est hoc, quid XVIII.
ergo erit hominibus ipsis principari? Certè eò erit dignius, quò homo, in quem principatur, animantibus nobilior est. Qualis ergo erit prærogativa Divi Josephi habuisse sibi subditum ipsum Deum, cui omnia serviunt? illius fuisse Dominum qui est omnium Dominus per essentiam? Si Deus Moysi dixit, quia res illi erat cum Pharaone Rege Ægypti, *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, Exodi cap. 7. vers. 1. Quid dicemus, quid cogitabimus de Divo Josepho, qui non in Regem, sed in Deum ipsum habuit imperium.

Et licet Christus non obedierit Divo XIX.
Josepho nisi quatenus homo: nihilominus quia in Christo homo est Deus, & Deus est homo ex vi unionis hypostaticæ utriusque naturæ divinæ & humanæ, ideò quando homo in Christo paruit, dicendum est Deum paruisse, sicut dicimus Deum natum, traditum, passum, mortuum: Præterea cùm in Christo unum tantùm sit suppositum, una duntaxat persona, scilicet divina, ideò cùm ex Philosophis *Actiones sunt suppositorum*, omninò sine ambiguitate dicendum omnes actus obedientiæ quos Christus exercuit, fuisse actus obedientiæ ipsius Dei: O qualis Entis supremi, Entis Entium, Dei dignatio, qui ita se humiliavit, ut etiam homini obedierit! Sed ô quanta Divi Josephi dignitas, qui ita elevatus est, ut etiam Deum sibi subditum habuerit & obedientem!

Si quando magnus ille Josuë Israe- XX.
litici exercitus Strategus ex magnitudine fidei ad Solem conversus, ipsum in suo cursu, stupendo prorsus atque inaudito usque ad ea tempora, & ab inde prodigio, stitit, ut suatum ipse cursum victoriarum prosequi posset, Scriptura Sancta dicit, non Solem huic eximio paruisse Duci, sed ipsum Solis Deum, quia nimirùm nisi hic istum in suo orbe fixisset, proculdubio nunquam stetisset: & ideò eadem Scriptura non Solem, sed Deum ei obedisse miratur, & prædicat Josuë cap. 10. vers. 14. Quando cernimus hunc Dei Filium,

Deum

Deum huic Patri obtemperantem, quando ſupremum mundi Opificem pauperis hujus Carpentarii juſſibus obſequentem videmus, quando ſummum Deum, ante cujus conſpectum fulgura procedunt & tempeſtates, euntem, venientem, ſiſtentem, progredientem, & in omnibus ab hujus nutu hominis pendentem conſpicimus; nonne ratio hæreat oportet, ſenſus ſtupeant, cogitationes confundantur, lingua obmuteſcat, ut in tantâ tantæ depreſſione perſonæ, iſtius Patris magnitudinem miremur, & in humiliatione Dei ſub homine, hominis iſtius ſine pari elevationem veneremur.

XXI. Et verò quæ eſt illa obedientia quam Deus præſtitit Joſuë Iſraëlitarum Duci, quamque Sacra Scriptura adeò exaggerat, ſi cum illâ quam Divo exhibuit Joſepho comparetur? ibi tantùm fuit mutuata, ut ita dicam obedientia: Nam Sol tota fuit illius cauſa, torum illius inſtrumentum: ſed hîc Deus ipſe in propriâ ſubſtantiâ, in ipsâ ſuâ perſonâ homini obtemperat: ibi obedientia fuit tantùm trium horarum, hîc triginta annorum: ibi fuit pro Deo glorioſa, quia divinæ magnitudinem poteſtatis, & virtutem protectionis oſtentavit, hîc nihil pro Deo niſi humilitas & abjectio, dum interim tota gloria huic cedit homini, cui Deus ipſe paret.

XXII. Porrò cùm Chriſtus ratione dignitatis ſuæ perſonæ abſolveretur ab omni creaturarum quarumcumque poteſtate, etiam paternâ, quamvis fuiſſet ex virili ſemine genitus, voluit tamen D. Joſepho ſubditus eſſe. Primò, ut per hoc amplius manifeſtaret, nosque melius intelligeremus Sanctiſſimum illum Virum verè fuiſſe ſuum Patrem, cui, ut hoc nobis inſinuaret uſque ad plenam perſuaſionem, exhibuit, ſicut & Matri ſuæ tam humilem & exactam ſervitutem, ut ex hâc quoque ſubjectione ab omnibus Filius ejus judicaretur, quemadmodum viciſſim Divus Joſephus ex curâ ſuâ pro ipſo quotidianâ facilè ejus Pater judicabatur. Secundò, ut ex hoc cognoſceremus ad quam Divus Joſephus evectus eſt magnitudinem, qui etiam Deum ipſum ſibi habuit ſubditum.

In Scripturâ frequentiſſimè Deus vocatur Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, &c. Deus ipſe paſſim ſibi idem nomen attribuit dicens, *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob.* Sed cur ita quæſo? Profectò quia ſolummodò tres Viri perfectione præſtantes Imperium Deo dignum efformare videntur: Vel id Gentilis & impius agnovit Nabuchodonoſor, Daniel cap. 3. dum poſt viſum præſervationis trium puerorum Hebræorum ab igne ſtupendum prodigium exclamavit: *Benedictus Deus eorum.* Proſequiturque addens. *A me ergo poſitum eſt decretum, ut omnis populus, Tribus, & lingua, quæcumque locuta eſt blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſach, Abdenago diſpereat, non enim eſt alius Deus qui ſalvare poſſit.* Sed ſi ita eſt, ut dicit, prout verè ita eſt, quod non ſit alius Deus qui ſalvare poſſit, ergo non debuit illum vocare Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago, ſed Deum univerſæ creaturæ quem adorant Sidrach, Miſach & Abdenago. Quare igitur tanti Numinis potentiam & imperium ad tres iſtos adoleſcentes contraxit? Reſponder Divus Chryſoſtomus homil. 6. ad populum. *Mundi Dominum ex tribus pueris vocat, non ipſius imperium fine concludendo.* Sed hoc quomodo; niſi quia in immenſum extenditur Dei imperium, ac Deus oſtentatur, dum trium Adoleſcentium fide & virtute præſtantium Deus oſtenditur. O Joſephi ergò gloria ineffabilis! Si enim in immenſum producitur Dei imperium ex ſolâ trium puerorum ſubjectione quia Sancti erant & perfecti, vide quid cenſendum de divi Joſephi gloria qui Deum ipſum, Deique Matrem ſibi ſubditos habuit. XXIII.

Tertiò, voluit Chriſtus eſſe Divo Joſepho ſubditus, ut tibi non videatur mirum ſi homines hominibus ſubjecit, quando & ipſe eis ſubditus eſſe voluit: Decuit certè, & multùm decuit, ut hæc homini à Deo non denegaretur perfectio & prærogativa, ut alios regeret homines & gubernaret, quod videbatur debere eſſe propriũ Dei. Cùm bonâ gubernatione res ad finem & perfectionem ſuam ducantur, tantò melior erit gubernatio quantò major perfectio XXIV.

à gu-

à gubernante rebus gubernatis communicatur: Et ideò Deus sic gubernat creaturas, ut ex his quasdam instituat boni in aliis causas, non quia id per se ipsum efficere non valeat, sicut Reges, qui ideò per alios gubernant, quia per se ipsos non possunt omnibus intendere, sed ut gubernantibus communicet potestatem ac perfectionem ampliorem, & ut ita dicam divinam: sicut Rex qui per Ministrum sibi charissimum & preciosum negotia perficit, quæ per se facere valeret, ut Ministrum honoret, faciatque propter hoc ab aliis honorari.

XXV. Quartò, ut ab ipso disceremus obedientiam cœcam, nec in Superioribus & Prælatis inferiores & subditi attenderent personam, sed Deum in ipso per authoritatem illi ab eo communicatam: Ecce enim Deus etiam homini obedit, cur non ergo homo homini? Et quid interest an per se, an per suos Ministros, an per homines, an verò per Angelos, an per Petrũ, an verò per Joannem tibi placitum ejus innotescat? Actor. c. 9. v. 7. & c. 10 v. 6 mittitur à Christo Paulus ad Ananiam, & ab Angelo Cornelius ad Petrum in Joppen: quare hoc? Nunquid non Paulum ipse, vel Cornelium Angelus docere potuit? Cur ergo mittitur hic ad Petrum, ille ad Ananiam? *Non dedignatur*, inquit Sanctus Augustinus in Psalm. 96. *per hominem docere, qui dignatus est homo esse.* Vult te ab homine discere, vult te homini ut sibi obedire: Noluit per se, quod potuit, quia voluit hominem honorare quem tu despicis, cùm tamen pro eodem sit sive Deo, sive Angelo aut homini Dei nomine loquenti præstes aut neges obedientiam.

XXVI. Interim apparuit hîc contra antiquam serpentis impostura divina Philantropia, divinæque erga homines pietatis copia. Similes esse Deo per superbiam ambierant primi parentes: dæmon in serpente Deum illis hanc similitudinem invidere persuasit. Cùm ecce hominem non tantùm sibi similem reddidit factus ipse Deus Homo, sed etiam homini, qui ab initio ejus respuerat imperium sese subdidit: ac sic plus honoris & gloriæ Josepho & Mariæ humillimis accessit, quàm per superbiam Adam & Eva proto-parentes ambierant.

## CAPUT XX.

### *Ex illâ Authoritate sublimi Christum circumcidit, eiq; nomen imposuit.*

DIVUS Cyprianus Martyr, vel ut aliis placet, alius antiquus Author lib. de Cardin. Christi Operib. Serm. de ration. Circumcis. in init. indicat quod sicut mandatum fuit Israelitis ut octavo die parvulos suos circumderent, ita quoq; eis mandatum fuisse ut eodem die eis nomen imponerent. Sic enim ait ibi. *Hoc,* (ideſt Circumcisionis Mysterium) *cùm octavâ die jussum sit celebrari & nomen circumciso aptari, intimatum est iis qui digni Sanctorum consortio censebantur, quod eorum nomina scriberentur in Cœlis, & æternæ beatitudinis, quam post vitæ hujus septimanam octava consequitur, hæredes fierent & consortes, quicumque vitæ innocentiâ se Domino consecrabant.* I

Non est autem intelligendum utrumque fuisse distinctè expressisque verbis præceptum, nam Genes. cap. 17. ubi lex Circumcisionis traditur, nulla fit mentio de imponendo nomine, sed hoc ab inde in consuetudinem transit. Causam hujusce rei tangit Venerabilis Beda in Lucam. Ab Abrahamo, inquit, exortum est ut die Circumcisionis nomen parvulis aptaretur, quia & ipse cùm testamentum, ideſt fœdus à Deo Circumcisionis acciperet, eâdem priùs die cum suâ conjuge nominis augmentum promeruit. II

Potest etiam dici à lege Circumcisionis exortam fuisse istam consuetudinem veluti necessariâ quâdam consecutione, ut docuit P. Suarez in 3. part. Divi Thomæ quæst. 36. art 1. & 2. disp. 15. section 2. Cùm enim necessarium sit ut homines filiis suis nomina propria imponant, quibus ab aliis distinguantur ad socialis vitæ commoditatem & necessitatem, & ideò fixa esse debent & immutabilia: Hinc propter easdem-met causas necesse est hanc impositionem III

tionem non differri, sed statim & à principio fieri, & ne leviter contingat mutari, eâdem necessitate oportet illam publicè fieri. Quocirca apud omnes Nationes, exceptis aliquibus Barbaris, ut Atlantibus apud Solinum cap. 44. & Plinium lib. 5. cap. 8. apud quos nullus est usus nominum, receptum fuit, ut & post aliquos à nativitate dies hæc nomina imponerentur, & cum solemni aliquo ritu imponerentur.

IV. Hoc modo Athenienses & Græci, ut refert Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 25. die à nativitate decimo nomen infantibus, convocatis consanguineis & amicis, & oblatis sacrificiis imponere solebant. Eodem modo Romani apud Plutarchum problem. 102. & Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 16. Filiis masculis nono die, fœminis octavo nomina imponebant, eos priùs lustrando seu expiando: unde factum ut dies illi lustrici vocarentur teste Fausto. Aristoteles verò lib. 7. de histor. Animal. cap. 12. Septimo die nomina infantibus imponi solitum asseruit, & cur ante diem istum non imponerentur rationem reddit his verbis. *Plurimi infantes ante septimum diem intereunt, unde fit ut septimo die imponantur nomina, tanquam saluti jam pueri amplius credamus.* Cùm ergò ritus Circumcisionis apud Judæos fuerit celeberrimus, & per illum infantes suos octavo die à nativitate solemniter expiatos Deo consecrare deberent, consequens fuit ut eodem die, & in ipso Circumcisionis ritu eis nomina imponerent, ut & hodie apud Christianos imponuntur in Baptismo, per quem lustrantur & Deo regenerantur.

V. Ab hâc utraque lege Circumcisionis & impositionis nominis, primâ Divinâ: secundâ Politicâ, noluit eximi Christus, sed utramque subire voluit, ergo octavo à nativitate die circumcisus est.

VI. Circumcisus est ut Abrahæ filius: eodemque die nomen accepit inter homines ut filius hominis, sed nomen Jesus, *nomen novum quod os Domini nominavit*, Isaiæ cap. 62. v. 2. ut Filius Dei: hoc totum refert Lucas Evangelista cap. 2. dicens: *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus IESVS quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur.* Restat hîc examinandum, à quo ista Circumcisio & nominis impositio sit: utrumque singillatim duabus sequentibus Sectionibus.

## SECTIO PRIMA.

### *A quo circumcisus Christus Dominus.*

CUr circumcidi voluerit Christus Dominus qui peccatum nec fecerat nec contraxerat, causas vide si lubet ex D. Epiphanio hæres. 30. D. Thomâ 3. part. quæst. 37. art. 1. & aliis apud nostrum Sylveiram fusè tom. 1. in Evang. lib. 2. cap. 3. q. 2. A quo verò circumcisus disceptatio est inter Doctores. VII.

Prima Sententia est illorum qui volunt fuisse circumcisum à Summo Sacerdote, quem nonnulli ex illis volunt fuisse justum Simeonem. Fundamentum hujus opinionis fuit, quod Circumcisio esset Sacramentum antiquæ legis: quare illius administratio videtur pertinuisse ad Sacerdotes istius temporis, quemadmodum nunc minister Baptismi, qui successit in locum Circumcisionis, est Sacerdos novæ legis quamvis in necessitate eo deficiente possit alius. Et quia pertinuit ad Sacerdotes; ideò in Templo, vel ubi id commodè fieri non potuisset saltem in Synagogis peragi solitum volunt. VIII.

Confirmatur, quia etiam nunc Judæi in Synagogis suis circumcidunt, affirmantque se id ita facere, quod ita semper apud ipsos observatum sit: Cùm ergo Bethleem, ubi natus est Christus, non distaret ab Jerusalem nisi duabus leucis, ideò in Templo, & à Summo Sacerdote propter dignitatem tantæ personæ circumcisum voluerunt: hanc sententiam maximè amplexati sunt Pictores, unde factum ut apud vulgus mirè invaluerit. Huic opinioni vehificatus est D. Hilarius in psalm. 11. in initio ubi hæc habet: *In hoc octo dierum numero, cum Christus circumcisione non egeret, oblatus in templo est, ut in corpore ejus humanæ carnis recideretur infirmitas.* IX.

*tas* Ubi videtur confundere circumcisionem cum Præsentatione, cum tamen prior facta sit: *Postquam consummati sunt dies octo*: Posterior, *postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm legem Moysi.*

X. Confirmari potest iterùm hæc sententia hâc ratione, quod res erat plena periculi circumcisio, & ideò illius administratio non debuit indifferenter quibuslibet relinqui, sed debuit omninò committi aliquibus ministris ordinariis qui discerent & callerent modum, haberent experientiam, & adhiberent cautelam: quibus verò potius quam Sacerdotibus & Levitis, cum esset res sacra, imò Sacramentum istius temporis, & Filii Patribus in ministerio succedentes, ab his instrui possent?

XI. Sed hæc Sententia non placet. Primò, quia in lege nullus extat locus qui circumcidendi munus Sacerdotibus aut Levitis addicat. Secundò, quia è contra vidimus Abrahamum seipsum, filium suum, & domesticos suos circumcidisse Genes. cap. 17. Sephoram uxorem Moysis in præsentia mariti sui qui erat Sacerdos ut patet ex illo psal. 98. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus.* Filium suum etiam circumcidisse Exod. cap. 4. Josue Israëlitarum Ducem illos circumcidisse in valle, quæ ab hoc dicta est *Vallis præputiorum* Josue cap. 5. cùm tamen ibi adesset tota Tribus Sacerdotalis, & expresè notetur ibidem cap. 4. quod Sacerdotes pergebant ante populum. Denique liber primus Machabæorum cap. 1. vers. 63. meminerit mulierum quę circumcidebant filios suos, & trucidabantur jussu Antiochi Regis impii & sceleratissimi. Tertiò, quia Scriptura Circumcisionem non in Templo, aut Synagogis, sed in domibus aliisque locis factam commemorat: Nam ut præteream filium Moysis, qui in diversorio dum iter agerent à Sephorâ Matre suâ circumcisus est, & populum qui à Josue Duce in Valle præputiorum circumcisus refertur, colligitur evidenter ex Evangelio Divi Lucæ c. 1. ubi referens Divi Joannis Baptistæ solemnem circumcisionem, ait, *Et factum est in die octavo venerunt circumcidere*, vicini scilicet & cognati, *puerum.* Si enim in Templo vel Synagoga hæc Circumcisio peracta fuisset, non dixisset *Venerunt, &c* sed *tulerunt puerum ut circumciderent eum.* Quomodò de Jesu dicit infra. *Tulerunt JESVM in Jerusalem ut sisterent eum Domino.* Cùm ergò hîc de Joanne dicatur *venerunt circumcidere puerum*, significatur venisse ad locum ubi puer erat, ut circumcisioni ejus adessent.

XII. Confirmatur ex hoc quod illud verbum *venerunt*, non referat Parentes Baptistæ, Zachariam scilicet & Elizabeth, sed vicinos & cognatos, de quibus fuit sermo immediatè ante: tum quia additur statim quod illi (qui venerunt) vocabant eum nomine Patris sui Zachariam obnitente Matre Elizabeth: tum quia non potuit Elizabeth octavo die venisse ad Templum vel Synagogam, quæ debebat manere in sanguine purificationis statutis diebus, & tamen erat ibi præsens. Quartò, quia Beata Virgo non interfuisset Circumcisioni Filii sui cujus tamen contrarium fingunt Pictores illi, qui huic sententiæ pondus præcipuum addiderunt apud vulgus. Nam illa se gessit ut cæteræ puerperæ quibus præceptum erat manere in sanguine Purificationis 40. diebus pro masculo. Ex quibus patet mendacium asserti modernorum Judæorum hîc num. 9. & pugnantia hujus sententiæ cum sacrâ Scripturâ, & consequenter aperta ejus falsitas. Tandem quia Divus Epiphanius hæres. 2. docet Christum non in Templo, non in Synagoga, sed in Speluncâ Bethleëmiticâ fuisse circumcisum. *Christus*, inquit, *natus est in Bethleem, circumcisus in Speluncâ, oblatus in Jerusalem.* Cùm ergo Divus Epiphanius esset ex Judæis & in lege Judaïcâ versatissimus, certè si fuisset receptum apud Judæos in Templo vel Synagogâ circumcidere, ut volunt Judæi moderni, quomodo scripsisset Christum qui non venit solvere legem, sed adimplere, contra istum solemnem morem non in Templo vel Synagoga, sed in Speluncâ fuisse circumcisum? Ex quo infero, non ergo Sacerdotes vel Levitæ fuêre ordinarii Ministri Circumcisionis, si enim fuissent, sine dubio parvuli in Templum vel Synagogam ad Circumcisionem adduci debuissent, quemadmodum supra argumenta-

argumentabantur hujus sententiæ Authores.

XIII. Ad id verò quo secundò confirmatur ista sententia, quod scilicet Circumcisio erat res plena periculi, & ideò ad illam manum expertam fuisse requisitam. Respondeo nihil fuisse difficile in Circumcisione, tum quia ad illam etiam lapideus culter, qui non potest esse nisi valde obtusus, erat idoneus, tum quia Sephora uxor Moysis Gentilis & Madianita potuit illius ritus esse satis perita, ut Eliezer filium suum secundogenitum circumcidere posset, undè periculum, quo non caruit Circumcisio non proveniebat à difficultate, sed ab ipsâ Circumcisione, quandoquidem ab illo liberi non erant etiam à peritissimâ manu circumcisi.

XIV. Addendum his, quod ritus ille apud Judæos solemnissimus erat, ad quem conveniebant semper plures maximè vicini & cognati, quare cùm omnes frequentissimè adessent ejusmodi ritui, facile fuit cuivis observare, & discere modum quo fiebat, maximè cùm, ut asserunt Doctores, consisteret in solâ pellis quæ glandis integumentum est desectione, quamvis existimem etiam aliquid carnis fuisse desectum.

XV. Secunda sententia est illorum qui existimantes cum Tostato Episcopo Abulensi in lib. Josue cap. 5. nullum fuisse ministrum Circumcisionis peculiarem, hâc ratione ducti, quod nullus in totâ Scripturâ inveniatur Minister Circumcisionis determinatus, quodque modò hos, modò illos, modò viros, modò mulieres, modò parentes, modò alios eam ministrasse eadem Scriptura referat; ut videre est ex iis quæ diximus hic supra n. 10. Dicunt à Beatissimâ Virgine Christum fuisse circumcisum: Cùm enim nullus esset hujus ritus Minister determinatus, hunc potiùs Beata Deipara perfecit in Filio suo quàm quivis alius, eo quod nec ad illud exequendum ei defuerit animus, nec ulla manus aut mollior, aut suavior manu illius, nulla sollicitius curatura ne cultellus malè incideret, nulla dignior quæ carnem contingeret sacratissimam, nulla puriorut Deifico Sanguine tingeretur, nulla denique propinquior, ad quam hoc magis spectaret.

In hac opinione fuit Author libri de vera Circumcis. qui extat inter Opera Divi Hieronymi tomo 9. ubi sic ait: *Christus octavâ die circumciditur à Matre, utique quasi homo, qui promissus fuerat ipsi Abrahæ.* Author item Tract. de Lamentat. Virg. qui tribuitur Divo Bernardo, ubi hæc habet. *Virgo Christum genuit, lactavit, octavâ die circumcidit.* Et in hanc inclinant Barradius in Evang. tomo 1. lib. 9. cap. 1. noster Sylveira in Evang. tomo 1. lib. 2. cap. 3. quæst. 1. & alii non pauci. XVI.

Sed nec hæc sententia placet: Nam ad illud quod pro fundamento ponitur, nullum inveniri in totâ lege scriptâ Ministrum Circumcisionis determinatum. Respondeo, cùm Circumcisionis institutio præcesserit legem scriptam, (cœpit enim ab Abrahamo) ex hoc quod lex scripta nihil de novo circa illius administrationem statuerit, sequitur illam omnia reliquisse in eo statu in quo erant ante legem, estque illorum omnium tacita seu interpretativa approbatio. Atqui in institutione Circumcisionis illius administratio committitur Patrifamilias. Namque illa instituitur Genesis cap. 17. quod & ita intellexit, quia ibidem illam per so præstitit, & ut manifestius constaret non ad alium quàm ad Patremfamilias id muneris pertinuisse, non tantùm filium suum & domesticos suos dicitur ibi circumcidisse, sed nec seipsum ab alio passus est circumcidi, ait enim ibidem Scriptura vers. 24 *Abraham nonaginta & novem annorum erat, quando circumcidit carnem præputii sui.* XVII.

Et verò cùm Circumcisio esset signaculum fidei, ac per illam profiterentur Judæi se credere firmiter ex istâ carne ab Abraham Circumcisionis authore, vel Circumcisorum primo & principe propagatâ, nasciturum Messiam, æquum omninò fuisse videtur ac vehementer æquum, ut hæc fidei professio ab ipso Abraham, & singulis successivè Patribus ex eo descendentibus, in carne filiorum suorum, à suâ utique decisâ, obsignaretur, & in ista parte carnis, per quam fiebat propagatio perventura ad Christum Messiam XVIII.

Messiam sigillaretur.

XIX. Nec melius infertur eadem libertas cuilibet administrandi Circumcisionem, ex eo quod non à Patribus tantùm, sed etiam ab aliis peractam illam aliquoties perhibeat Scriptura Sacra: Nam primò, quod Sephora uxor Moysis in præsentia mariti sui, qui erat Sacerdos, filium suum circumciderit, id fecit ex ejus nutu & delegatione, urgente tunc Dei præcepto, ad quod Moyses tunc minùs aptus erat, utpote nimio terrore perculsus & sine dubio tremore correptus, ac manu ad hoc minùs firmus ob intentatam sibi ab Angelo mortem, eo quod dictam filii sui Circumcisionem distulisset.

XX. Quoad illas verò mulieres quæ 1. Machabæor. cap. 1. circumcidebant filios suos, & trucidabantur jussu Antiochi Regis, Respondeo id fecisse in manifestissimâ necessitate, in qua non negamus alium à Patre potuisse circumcidere, quemadmodum nunc, quamvis minister Sacramenti Baptismi, qui in locum Circumcisionis successit, sit Sacerdos, potest tamen alius non Sacerdos, etiam mulier in casu necessitatis baptizare.

XXI. Quod autem hæc nostra Responsio legitima sit, patet ex antecedentibus & consequentibus: Nam primò in antecedentibus dicitur Rex Antiochus fecisse cædem magnam hominum in populo Judæorum. Secundò dicitur, quod cùm idem Antiochus jussisset ut omnis populus esset unus, & relinqueret unusquisque legem suam: multi ex Israel consenserunt ei. Tertiò, quod cùm tandem misisset per manus Nunciorum libros in Jerusalem, & in omnes Civitates Judeæ, ut sequerentur leges Gentium terræ, & prohiberent holocausta & sacrificia, &c. & relinquere filios suos incircumcisos, &c. præposuisset quę Principes Populo, qui his advigilarent, & ad hæc eos cogerent, adhuc multi de populo congregati sunt ad præcedentes transfugas, alii verò sibi fugâ consulentes in abditis & fugitivorum antris se absconderint.

XXII. Pars ergò Judæorum ceciderat in gladio, pars transierat ad ritus sacrilegos Gentium, pars latitabat in abditis & antris terræ: Quare uxores infantes suos, qui fervente hâc atroci persecutione manserant incircumcisi, cùm præsentissimam mortem præ oculis haberent & expectarent, ipsæ deficientibus viris circumciderunt suos natos ne earum culpâ manerent incircumcisi.

Ex consequentibus quoque id fit manifestum, nam additur: *Et suspendebant pueros à cervicibus per domos eorum, & eos qui circumciderant illos trucidabãt.* Ex quo evidentissimè patet ab illis qui necdũ interfecti erant, nec defecerant, nec latitabant, non verò à mulieribus hos fuisse circumcisos, ut proinde priores à mulieribus circumcisi, non fuerint ab illis circumcisi nisi quia deficiebant illarum mariti, & ex præsentissima id faciendi necessitate pro salute parvulorum suorum. XXIII.

Confirmatur, quia hæc Circumcisio non fuit facta in tempore statuto, sed fuit extemporanea, at si libera fuisset matribus circumcidendi facultas, ut Patribus, quare illa ab ita timentibus Deum, ut pro eo mori non dubitaverint, dilata fuisset usque ad illam extremitatem? quin imò in prædictis casibus mulieres illæ videntur fuisse capita familiarum suarum. Nam cum illarum viri vel interfecti essent, vel si adhuc extabant, censerentur non amplius extare, quia omninò pueris istis deficiebant; jus illud quod expectabat ad caput familiæ, ad uxores tanquam potiores & proximiores devolutum, prudenti judicio æstimare debemus, & ideò illæ pro hâc circumcisione non ad Sacerdotes recurrerunt. XXIV.

Quoad Iosue verò qui circumcidit populum in Valle præputiorum, Respondeo primò, illud fecisse de mandato speciali Dei, & ideò hoc ejus factum non debet trahi ad consequentiam. Quod si aliud velis: Respondeo secundò, omnis ferè populus qui egressus est ex Ægypto generis masculini mortuus est in solitudine per longissimos viæ circuitus quadraginta annorum, qui omnes erant circumcisi: illi autem qui nati sunt in deserto per 40. annos illos itineris non fuerant circumcisi, consequenter nec illi qui erant capita familiarum. Quare XXV.

ad

ad Josuë, qui erat Dux totius populi Israëlitici à Deo constitutus, & consequenter primum ac summum caput omnium Tribuum & Familiarum, non verò ad ullum Sacerdotum defertur cœleste mandatum, ut ipse circumcisus ante, omnes non circumcisos in solitudine circumcidat, quo amplius manifestum fieret id quod asserimus, non ad Sacerdotes, aut Levitas, nec ad quemcumque indifferenter, sed ad capita familiarum id muneris semper spectasse, quandoquidem non ad Sacerdotes, quorum tota Tribus ibi aderat, nec ad alios, sed ad Josuë caput capitum omnium tribuum & familiarum mandatum divinum de omnibus circumcidendis delatum sit.

XXVI. Itaque Josuë tanquam caput summum & universale omnium tribuum & familiarum, ritè & secundùm legem jam ipse circumcisus, capita familiarum ipse per se circumcidit, ac deinde hi per illum jam circumcisi quisque suos domesticos, itaut & hanc circumcisionem juxta Dei primitivam institutionem mandatam & peractam liquidò constet, scilicet per capita familiarum modo jam dicto, incæpit enim Josuë caput summum omnium circumcidere capita familiarum: tùm deinde hæc capita quęque familias suas seu domesticos: non enim credibile est Josuë omnes & singulos filios Israel per 40. annos in solitudine natos per seipsum circumcidisse.

XXVII. Ex his resultat evidenter veritas tertiæ & nunc receptissimæ Sententiæ, scilicet Christum Dominum non ab alio circumcisum quàm à Divo Josepho: verè enim Divus Josephus fuit ille, *Fidelis servus & prudens quem constituit Dominus super familiã suam.* Verè fuit Pater Jesu, verè conjux Mariæ, ergo verè caput illius familię quam componebat cum Jesu filio suo & Maria conjuge suâ. Confirmaturque hoc assertum ex revelatione factâ venerabili nostræ Margaretæ à Sanctissimo Sacramento in verbis à nobis supra relatis Part. 1. Tractatu 3. cap. 3. numer. 4.

XXVIII. Roboratur assertum nostrum authoritate SS. Patrum Ephrem Syri tom. 3. Oper. suor. Serm. de Transfigurat. Dom. inter med. & fin. ubi sic ille probans Christum esse verè Deum & hominem: *Si non erat caro*, inquit, *Joseph quem circumcidit? & si non erat Deus, Stella in Cœlo in cujus honorem accurrebat?* & Divi Thomæ in Catenâ ad illa verba Matth. cap. 1. *Pariet autem filium & vocabis nomen ejus IESVM*; ubi sic Angelicus Doctor, *Ostendit*, inquit, *quod quamvis non sit necessarius* (Joseph) *Conceptui, tamen utilis est procurationi, quia ipsa pariet filium, & tunc Matri & filio erit necessarius: Matri ut ab infamiâ defendat, filio ut eum nutriat & circumcidat, quæ Circumcisio notatur, ubi dicitur, & vocabis nomen ejus IESUM, in Circumcisione enim solet nomen dari.*

Ubi Angelicus Doctor aliam adhuc tangit rationem cur à D. Josepho Christus circumcisus dici debeat, eo quod scilicet id ei ab Angelo ex parte Dei demandatum sit, idque in eo quod ei nomen imponere jussus: Cùm enim essent duo conjuncta, circumcidere, & nomen imponere; quando D. Josepho munus imponendi nominis Christo cœlitus committitur, hoc ipso alterum quoque munus: eum circumcidendi illi conjunctum commissum fuisse intelligendum est. Hæc est vis argumenti Angelici Doctoris. XXIX.

Quare etsi Beatæ Virgini non defuerit animus, ut illud munus cruentum præstaret, qui non defuit Sephoræ, & mulieribus Machabæis, & qui ei non defuit ut juxta crucem ejusdem filii sui staret, Joan. cap. 19. vers. 25. Etsi nulla manus aut mollior aut suavior manu ipsius, nulla sollicitius curatura ut ne cultellus malè incideret, nulla dignior quæ sacratissimam carnem tangeret, nulla purior ut Deifico sanguine tingeretur; nulla denique propinquior ad quam hoc magis spectaret, ut dicebatur superius num. 13. non illa tamen, sed Divus Josephus illum circumcidit, quia in hâc causâ non quid dignius, sed quid legi & consuetudini receptæ (cujus tenacissima fuit Beata Virgo & Sanctus Joseph) conformius consideratum est & observatum. At fuit conformius legi & consuetudini ex dictis, ut Divus Josephus, qui & Pater erat, & Pater ab omnibus reputari debebat XXX.

bebat, & reputabatur, illud præstaret: ergo, &c.

XXXI. Dices D. Iosephus sciebat quod licet Beata Virgo, ut sua uxor, esset sibi subdita, tamen ut Mater ex cujus carne Christus, esset sibi præferenda: sciebat majorem esse illius ad Christum propinquitatem, majora jura quam sua: quare agnovit illud juris ei potius competere quàm sibi, unde & debemus credere illud ei detulisse. Respondeo esto propter rationem supradictã major esset in re & coram Deo Virginis Deiparæ ad Christum propinquitas quam Divi Iosephi, non tamen apud homines, à quibus putabatur & tunc Deus putari volebat Pater Christi generatione: Cùm ergo eum Deus subrogasset in locum Patris, ut talis ab omnibus reputaretur, eum consequenter subrogavit in omnia jura Patris erga filium, consequenter in hoc munus ei præstandum: quare Beatissima Virgo eius Sponsa omnium humillima & subditissima, nihil sibi de eo jure arrogandum duxit amplius quam cæteræ mulieres respectu maritorum suorum, nec propter rationes istas D. Josephus hoc præstare dubitavit cum hunc totum scrupulum abstulisset Angelus ei in particulari demandando ut nomen puero imponeret, ut cum D. Thomâ mox dicebamus.

XXXII. Confirmatur hæc Sententia nostra ex eo quod contigit Moysi Exodi cap. 4. ob neglectam vel dilatam nimis filii sui secundogeniti circumcisionem: si enim circumcisio ad Patrem non pertinuisset, cur Angelus Moysi potius quam ejus uxori ob non circumcisum satis diligenter filium, mortem intentasset?

XXXIII. Dices quia etsi Pater non esset determinatus minister circumcisionis, onus tamẽ illam filio procurandi pertinebat maximè ad Patrem, ex quo Deus præceptum circumcisionis in Abrahamo ad Patresfamilias direxerat. Sed verius est onus Moysis ut Patris fuisse non tantùm ut filio circumcisionem procuraret, sed ut ipse eam ei adhiberet, quod cum non fecisset, ideò illi Angelus mortem intentavit non uxori, quæ tamen deficiente Patre peccasset etiam non adhibendo ut tenebatur: idcircò enim mulieres Machabeæ deficientibus viris suis circumciderunt filios suos, etiamsi scirent futurum ut propterea trucidarentur.

XXXIV. Adde quod etsi nullus fuisset determinatus minister circumcisionis, cum tamen illius cura maximè pertineret ad patrem, fatendum est patrem fuisse semper inter omnes potiorem ut illud munus exequeretur: quo circa & Abraham filium ac domesticos circũcidisse patet ex Scripturâ Genes. cap. 17. Cùm ergo oportuerit ut Divus Josephus ad tempus crederetur Pater Christi *generatione*, quod & Beata Virgo intellexit, ideò & ex hoc capite adhuc à Divo Josepho circumcisum Christum credere deberemus, ut amplius haberetur pro Patre illius quem ex illa authoritate circumcidebat.

XXV. Dices cum Jansenio Iprensi & Doctore Henrico Rampenne Huo-Leodiensi utroque in Evangelia ad illud Luc. cap. 2. vers. 21. *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer*. Magis expediebat ut Christus & cæteri infantes ab extraneo circumcideretur, ut scilicet veritas susceptæ ab hoc & illis circumcisionis per publicum extraneorum testimonium esset extra omnem suspicionem: confirmatur ex Divo Augustino lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 17. ubi asserit circumcisionem fieri solitam à Judæis. Respondeo cùm ritus circumcisionis esset valdè solemnis ad quem cognati conveniebant & vicini, ut vidimus supra ex circumcisione D. Joannis Baptistæ: ex his assistentibus & testibus habebatur abundantissimè ut firma esset & extra omnem suspicionem susceptа à pueris circumcisio: & ob alias causas notas Deo, sub quo captivandus intellectus, fuit institutum ut pater & non alius circumcideret filios suos. Ad authoritatem D. Augustini, Respondeo per hoc non significari quod prætendit objectio: sed ad summum velle Judæos in administraturo Sacramentum circumcisionis non habuisse rationem majoris sanctitatis; sed illam administrari solitam à quibusvis Judeis sive boni essent sive mali, ita tamen ut administraretur ab habente potestatem: Ex quo idem concludit

cludit Sanctus Pater de administrante nunc Baptismi Sacramentum contra hæreticum istum.

## SECTIO II.

### *A quo nomen Christo Domino impositum?*

XXXVII. POstquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer ex Virgine natus, scilicet Christus Dominus, vocatum est nomen ejus JESUS, utique ab homine quod etiam vocatum erat ab Angelo priusquam in utero conciperetur: vocatum etiam fuerat idem nomen à Deo priusquam ab Angelo nunciaretur: nec enim Angeli quidquam loquuntur hominibus, nisi quod Deus dixerit: & patet evidenter ex Isaiæ cap. 62. vers. 2. *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit.*

XXXVIII Differentia est inter tres istas vocationes magna: nam vocatio quæ fuit à Deo, fuit prima, & fuit propriè nominis istius, JESU, in circumcisione Christo imponendi designatio & sanctio: quæ fuit ab Angelo fuit secunda & fuit nominis à Deo designati, & ab homine imponendi manifestatio, & ut ita loquitur, juridica intimatio: Tertia, quę fuit ab homine, facta postquam consummati sunt dies octo à Nativitate ut circumcideretur puer, fuit manifestatæ per Angelum divinæ voluntatis impletio seu executio; hæcque sola fuit propriè & strictè nominis impositio. Et licet hanc factam juxta Judæorum consuetudinem octavo à Nativitate die & in ipsâ circumcisione testetur Lucas cap. 2. v. 21. à quo tamen facta sit tacet: reliquit hoc nostræ indagini. Hoc itaque scrutemur.

XXXIX. Illud certum vel à Divo Josepho vel à Beatâ Virgine vel ab utroque factam, tum quia non ad alios quam ad parentes hoc nominis imponendi munus spectasse notum est apud omnes gentes, tum quia non aliis quam illis id per Angelum demandavit Deus. Restat ut à quo è duobus illis facta sit videamus.

XL. Factam volunt à Divo Josepho alii eo quod ipse in locum Patris respectu Christi sit subrogatus, cique Deus omnia quæ sunt Patris concesserit exceptâ solâ generatione: Quare cùm unum ex juribus ad Patrem in prolem spectantibus sit illi imponere nomen, hoc Divo Josepho quis credat fuisse denegatum? Accedit quod ei expresè per Angelum demandatum sit, ut vocaret nomen ejus JESUM, Matthæi cap. 1. vers. 21. quod de hac solemni impositione constat esse intelligendum.

Alii volunt è contra fuisse factam à XLI. Beatissimâ Virgine Deiparâ, quorum fundamentum esse potest quod S. Lucas dum de hac solemni loquitur impositione, indicat eam non humano factam consilio, sed nutu Divino; dicens *Vocatum est nomen ejus IESVS, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur*, cum scilicet Virgini ab Angelo dictum, *Concipies & paries Filium & vocabis nomen ejus IESVM.* Lucæ cap. 1. vers. 31. Fuerat quoque hoc ipsum nomen ab eodem Angelo indicatum Divo Josepho, sed non priusquam in utero conciperetur, verùm cum eo concepto & alvo Virginis ex ejus conceptione visibiliter intumescente, liberandus fuit ab anxietate in quam ob id inciderat, quem in finem dixit ei Angelus, *Ioseph fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, &c. Pariet autem filium & vocabis nomen ejus IESVM, &c.* Attamen non hujus sed præcedentis vocationis ab Angelo memoriam refricat Evangelista in solemni Nominis JESU impositione postquam consummati sunt dies octo à nativitate ejus: Cur hoc, nisi ut indicet hanc factam ab illâ Beatissimâ Matre, cui prima illa denunciatio ab Angelo facta fuerat? Accedit quod illa sola Mater sine terreno Patre eum genuerat: quare non Patri, idest Divo Josepho, qui in ejus generatione nihil habebat, sed Matri hoc jus ei nomen imponendi incubuit.

Quod si objicias etiam Divo Josepho XLII. dictum ab Angelo Matthæi cap. 1. versu 21. *Vocabis nomen ejus IESVM.* Respondent, non quia hujusmodi nominis imponendi munus ad eum pertinuerit, sed quia Archangelus Gabriel voluit Divum Josephum officio Patris honorare:

honorare: si replices quomodò per hoc illum honoravit, si Joseph eum non vocavit? Respondent ab utroque Christum nomen istud accepisse, sed à Maria impositivè, à Josepho concomitanter; à Maria authoritativè, à Josepho approbativè tantùm.

XLIII. Alii denique volunt factam ab utroque Divo scilicet Josepho & Beatâ Virgine, eo quod mandatum Dei de Nomine JESU Christo Domino imponendo ab Angelo ad utrumque delatum sit, ut indicatum est supra.

XLIV. Pro hujus resolutione difficultatis inquirendum & statuendum ad quem de jure pertineat munus imponendi nomina filiis? ad quam difficultatem Mendoza in lib. 1. Regum ad cap. 1. num. 20. in Exposit. litt. distinct. 45. & 6. ponit tres opiniones.

XLV. Prima est Montani in cap. 7. Josue, ubi docet spectasse ad Matrem, ductus non tam ratione, vel authoritate, quàm Scripturæ exemplis: Nam à Matribus leguntur nomina accepisse Moab & Ammon Genes. cap. 19. vers. 37. & 38. Iacob Genes. cap. 25. vers. 26. ex mente Divi Chrysostomi homil. 51. in Genes. Omnes Filii Iacob tam ex Liâ, quàm ex Rachele Genes. cap. 29. 30. & 35. Pharez & Zaram filii Iudæ ex Thamar Genes. 38. vers. 29. & 30. Sampson Iudic. cap. 13. vers. 24. Salomon 2. Regum cap. 12. vers. 26, Iabes 1. Paralip. cap. 4. vers. 9. &c.

XLVI. Secunda est quam docet Pineda in suo prævio Salomone lib. 1. cap. 16. cum aliis ab eo citatis pertinuisse scilicet ad Patrem. Probatur hac efficaci ratione. Nam nomen imponere est authoritatis & potestatis, ut docent Tertullianus contra Marcionem lib. 4. cap. 13. Divus Chrysostomus homil. 14. in Genes. Sanctus Ioannes Damascenus lib. 2. de Fide Orthodox. cap. 30. & alii, undè David Psalm. 146. de Deo universi Domino ait vers. 4. *Qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat.* Et Genes. cap. 2. v. 19. & 20. Adam acceptâ à Deo potestate & dominio in cuncta animantia, ea Deus *adduxit ad Adam ut videret quid vocaret ea: & omne quod vocavit Adam animæ viventis ipsum est nomen ejus.* Et Danielis cap. 1. vers. 6. Nabuchodonosor seu Eunuchorum ejus Præpositus ex potestate quam habuit in tres pueros Hebræos Ananiam, Azariam & Misaëlem, mutavit eorum nomina, vocavitque Ananiam, Sidrach: Azariam, Misach: & Misaëlem, Abdenago. Atqui Patria potestas est omnium prima: Nam & Mater Patris potestati subdita est. *Sub Viri potestate eris & ipse dominabitur tui.* Genes. cap. 3. vers. 16. Ergo ad Patrem spectat nomina filiis imponere, nec ulli alteri nisi de ipsius voluntate & nutu. Nec desunt infinita ex Scripturâ hujusce rei exempla: nam inter alios nomina à Patribus accepisse referuntur Enos Genes. cap. 4. vers. 26. Noe Genes. cap. 5. vers. 29. Ismael Genes. cap. 12. vers. 15. Isaac Genes. cap. 21. vers. 3. Manasses & Ephraim Genes. cap. 41 vers. 51. & 52. Gersam & Eliezer Exodi cap. 2. vers. 22.

XLVII. Tertia sententia est Mendozæ loco citato, cui neutra ex duabus præcedentibus placet, eo quod cùm paria Scripturæ exempla pro utraque referantur, necesse erit ut quælibet earum in lege quam finget ea super re tot admittat dispensationes, quot observationes; quod absurdum est: nec ratio adducta pro præcedenti sententiâ (quæ videtur prævalere primæ) valdè urget, inquit Mendoza, quia naturale dominium in filios est penes utrumque parentem, & quamvis ad Patrem aliquatenus magis pertineat, præsertim jure Civili, & quoad aliquas actiones particulares, suâ tamen potestate Mater non privatur.

XLVIII. Quare planiorem censet Mendoza & expeditiorem opinionem Maldonati ex eâdem cum ipso Societate JESU, in Matth. cap. 1. & Luc. cap. 1. existimantis nullum fuisse eâ de re jus inter Hebræos, sed hoc muneris ad utrumlibet Parentem absque ullo discrimine spectasse: & propterea modò hunc, modò illam, nomen filiis imposuisse, semelque sive ab hoc sive ab illâ impositum mansisse; ut patet per exempla pro utraque parte allata.

XLIX. Adstipulari videtur Divus Chrysostomus homil. 51. in Genes. statim ab initio, ubi de hac nominum impositione sic loquitur. *Sive Mater, sive Pater nomen impositurus erat, rarum quoddam &*

*& novum imponebat ut per illud aliqua futura præsignificaret.* Et probat sic; quia nullum eâ de re jus naturale: positivũ autem non apparet: & revera nullum fuisse inde satis colligi videtur, quod aliquando unus, aliquando alter parens nomẽ imponebat, ut ex dictis liquet: aliquando uterque simul idem nomẽ imponebat, ut patet in Ismaele Gen. c. 16. v. 11. & 15. in S. Joanne Baptistâ Luc. c. 1. v. 60. & 63. Idemq; Christo contigisse censet, eo quod hoc munus Divæ Deiparæ & S. Josepho commissum fuerat Matth. c. 1. num. 21. & Lucæ c. 1. n. 13. Aliquando unus unum nomen, alter verò alterum imponebat. Ut patet in ultimo ex duodecim Patriarchis filiis Jacob, cui Rachel mater nomen *Benoni*, Jacob autem pater *Benjamin* imposuit Genes. c. 35. vers. 18. Tandem aliquando tertius alius à patre & matre nomen filiis imposuisse visus est, ut patet ex dictis de Nabuchodonozore respectu trium puerorum Hebræorum, & in Salomone, quem Natan Propheta vocavit, *Amabilem Domino*, 2. Reg. c. 12. v. 25. Cum igitur in Scripturâ sacrâ tanta sit hujus rei diversitas non est cur ad unum potius parentem quam ad alterũ potestatem hanc pertinuisse dicamus.

L. Verùm mihi certissima videtur & indubitata secunda ex his tribus Sententiis, quod scilicet jus imponendi nominis filiis pertineat ad Patrem utpote fundatum in jure naturali, propter patriam potestatẽ sub quam primo cadit filius intrans in hunc mundum. Nec refert quod alii à Matre aliquando nomina imposuisse inveniantur. Respondeo enim id factum non aliter quam consentiente patre, vel non abnuente, qui si restitisset, vel ipse nomen imponere voluisset, hoc & non aliud à quovis impositum proprium semper fuisset filii nomen.

LI. Probatur hæc Responsio & consequenter assertio per illa ipsa quæ Authores aliarum Sententiarum pro se adduxerunt: ac quidem primò Genes. cap. 15. num. 18. ubi cùm Rachel nomen *Benoni* filio suo inter duodecim Patriarchas ultimo dedisset, Jacob pater, licet & illi & Liæ potestatem fecisset alios Patriarchas nominandi, hunc tamen vocavit *Benjamin*, quod nomen ei, alio resecto, remansit, fuitque semper ab omnibus habitum pro nomine ejus proprio, non illud quod à matre prius acceperat: cujus probatio invincibilis est quod semper ab inde non *Benoni*, sed *Benjamin* per totam scripturam etiam novi Testamenti appellatus legatur.

Secundò, probatur ex nomine *Amabilis Domino* Salomoni etiam à Prophetâ datum, quod nunquam fuit habitum pro nomine proprio istius filii Davidis, & ideò nunquam isto nomine legitur nuncupatus, sed nomine *Salomonis* significans *Pacificum*, quod fuerat ei à Patre prius impositum: de Nabuchodonore, id fuit factum jure servitutis quod est contra jus naturale, & ideò semper tres isti pueri à Deo in Scripturâ vocantur nominibus à Patribus suis impositis Ananias, Azarias, & Misael. LII.

Tertiò, probatur ex nomine *Ioannis* Sancto Præcursori Domini impositum Luc. cap. 1. non enim amici & cognati acquiescebant Matri, quæ, cùm mutus esset factus Pater, ei *Ioannis* nomen imponere volebat, sed recurrerunt ad patrem Zachariam, qui cum postulatis per signa pugillaribus scripsisset *Ioannes est nomen ejus*, ratum & fixum habuerunt, & prout scripserat ita tenuit, quod manifestissimum est signum, non ad Matrem, sed ad Patrem rem hanc pertinuisse. LIII.

Confirmatur, quia Deus revelavit Zachariæ Luc. cap. 1. vers. 13. non verò Elizabethæ hoc nomine vocandum esse Præcursorem: quare hoc? nisi quia ad hunc non ad illam pertinebat istud negotii: nec valet si dicas etiam Elizabethæ revelatum, quandoquidem ipsa quoque indicaverit, & quidem prius marito suo hoc esse nomen ejus Luc. cap. 1. versu 60. Respondeo enim id non constare ex Scriptura de hâc ut de Patre, possetque rectè dici hanc à viro suo didicisse v. c. per Scripturam hoc nomine vocandum esse, quo sibi Angelus revelaverat: deinde quia etsi daremus etiam Elizabethæ fuisse revelatum, cùm tamen hoc Scriptura taceat, illud verò exprimere voluerit, quid causæ subfuisse dicemus nisi quod significare LIV.

voluerit per hoc, istud munus fuisse Patris, non verò Matris?

LV. Quartò, probatur ex eo quod dicitur Ismaël eodem simul ab utroque parente Abraham & Agar nomine vocatus, Genes. c. 16. vers. 11. & 15. tantum enim abest, ut hoc ita sit, ut potius exinde nostra sententia evidenter confirmetur. Nam video quidem matri dictum ab Angelo, *vocabis nomen ejus Ismaël*, non lego tamen ab eâ istud ei nomen impositum, sed ab Abraham Patre: sic enim habetur Genes. cap. 16. vers. 15. *Peperitq; Agar Abræ filium, qui vocavit nomen ejus Ismael.* Quare hoc? nisi quia istud negotii ad Patrem spectabat: idque intellexit Agar: quare esto ei dixisset Angelus, *vocabis nomen ejus Ismael*, intellexit tamen illud posse fieri servando Abrahæ suum jus Patris, procurando scilicet ut per Abraham, ad quem spectabat fieret: cui propterea revelationem sibi ab Angelo factam indicavit: cùm ergo non obstante istâ Angelicâ significatione (quæ in hoc casu, si urgeret, dispensatio fuisse à nobis responderi posset) Abraham tamen Ismaëli nomen imposuerit, manifestissimum evadit id juris ad Patrem pertinuisse: non tamen negamùs in hoc negotio sæpè Patres de consilio uxorum suarum processisse: sed ex hoc nihil contra eorum in hoc authoritatem, & assertum nostrum.

LVI. Ex quibus omnibus cum manifestum evadat munus imponendi nomen filiis de jure naturali & divino ad Patrem semper pertinuisse, & aliunde indubitatum sit D. Josephum fuisse ut Patrem in omnia jura Patris respectu Christi substitutum, omniaque illi concedenda quæ cæteris Patribus respectu filiorum suorum, exceptâ solâ generatione, ut loquuntur Patres. Tandem cum etiam ex dictis indubitatum sit Beatissimam Virginem mitem & humillimam & viro suo Divo Josepho in omnibus perfectè subditam nihil ei eorum quæ sunt mariti vel Patris derogasse, certissimè tenendum est Divum Josephum nomen Christo imposuisse.

LVII. Confirmatur, quia Divus Josephus ita Pater fuit Christi ut per eum Christi Genealogiam omninò deducendam censuerint Evangelistæ, & ita necessariò faciendum fuerit, ut si secus fecissent, illi injuria facta fuisset ex Divo Augustino lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 11. meritoque ex eodem D. Augustino serm. 63. de diversis cap. 20. conquæri potuisset. Ergo à fortiori si alius ab eo etiam Beata Virgo ei nomen imposuisset.

LVIII. Nec refert quod Angelus dixerit Mariæ Luc. cap. 1. vers. 21. *Vocabis nomen ejus IESVM*, intellexit enim Maria melius quam Agar mox suprà num. 55. se id posse servato jure mariti sui Divi Josephi, procurando scilicet ut per ipsum ad quem omninò pertinebat fieret. Secundò, id factum ut summus esset Mariæ consensus in sententiam Divi Josephi quoad istud nomen Christo utriusque filio imponendum. Tertiò, quia ex collatione utriusque revelationis magis confirmabatur D. Iosephus ut ei istud nomen imponeret, & nos ut crederemus fuisse nomen ei divinitus inditum. Demum ut nobis magis innotesceret hoc nomen non fuisse humanitus adinventum sed cœlitus allatum.

LIX. Levis est etiam conjectura, quod nomen Christo tuerit à Beatâ Virgine impositum, non à Divo Josepho, propterea quod cùm illa solemnis impositio refertur à Lucâ Evangelistâ, recolat denunciationem hujus nominis factam ab Angelo Divæ Deiparæ priusquam Christus in ejus utero conciperetur, non verò illam quæ facta est Divo Josepho post ejus conceptionem: ait enim Lucas tunc, *Vocatum est nomen ejus IESVS, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur.* Respondet enim tunc illam potiùs recoluit Evangelista quæ facta est Virgini, quàm alteram quæ facta est Divo Josepho, quia illa fuerat prima.

LX. Nec majorem habet vim quod sola Virgo dicitur sine Patre terreno concepisse & peperisse, & ideò ei debitum, ut præter legem communem filio ex se solâ genito nomen imponeret: Nam etsi verum sit quod sola illum sine viro conceperit, attamen Divus Josephus, cœlo volente, locum Patris respectu Christi, ac si eum genuisset, tenuit;

nuit; consequenter ad eum spectavit ipsi nomen imponere, ac si eum genuisset.

LXI. Neque hoc officium ei Angelus honoris gratiâ contulit, sed honorem qui ex jure Paterno ei debebatur declaravit & intimavit, ut nescilicet Divus Josephus dubitaret illud præstare propterea quod sola Virgo puerum genuisset: Cùm enim esset humilis & timoratus, timere potuisset, si hoc munus, etiam à Beatâ Virgine oblatum, exequutus fuisset: & propterea hâc divinâ declaratione confirmari necesse fuit. O Virum verè ineffabilem!

LXII. Probatur amplius nostra Sententia in particulari à ratione, quia necesse fuit ut illa omnia Divus Josephus circa puerum præstaret ex quorum omissione potuisset vel suboriri suspicio ipsum non esse Patrem Christi generatione (qualis ad tempus reputari debuit, ut tam sæpè diximus) vel existimari Beata Virgo minùs humilis & subdita viro. Quare cùm ex dictis res sit Patris nomen imponere filio, & si Divus Josephus non imposuisset, data fuisset occasio suspicandi, ipsum fortè non esse istius pueri Patrem, vel saltem Beatam Virginem cum contemptu viri id sibi arrogasse, quod illi non competebat, sed viro; dicendum certò certius Divum Josephum ipsi nomen imposuisse.

LXIII. Idem quoque conjicio ex hoc, quod dum Angelus Divo Josepho, ut Patri injunxit ut puero in uxore suâ concepto nomen JESUS imponeret, simul & semel ipsi nominis istius significationem & energiam explicavit quod non fecit Matri: dixit enim illi, *Vocabis nomen ejus IESVM, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matth. cap. 1. vers. 21. Nam quamvis non dubitemus Virginem quoque sciviſse hujus Sanctissimi Nominis significationem & virtutem, hanc tamen ei non legimus explicatam uti Divo Josepho: quare hoc? Nimirùm quia cùm non illa, sed hic impositurus esset nomen, conveniens fuit ut hic sciret illius nominis significationem.

LXIV. Tandem non possum non mirari Doctores circa hoc ita hallucinatos, nec advertisse hactenus nostram assertionem de hujus nominis impositione per Divum Josephum, clarissimè & in terminis expressis contineri in Evangelio. Esto enim Divus Lucas cap. 2. loquens ex professo de hâc solemni impositione factâ postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, taceat à quo facta sit, Matthæus tamen cap. 1. in fine id expressit clarissimis verbis: Nam cùm Angelus Josepho, quem ab anxietate in quam projecerat eum uterus Virginis relevabat, duo præcepisset: Primò ut Conjugem suâ, quam dimittere cogitaverat, non timeret retinere, quia nimirùm quod in eâ natum erat (de quo angebatur) non aliundè quàm de Spiritu Sancto erat. Secundò, ut eum quem in utero gestabat & paritura erat, JESUM vocaret quia ipse salvum facturus erat populum suum à peccatis eorum, subdidit discretissimè, *Exurgens autem à somno Joseph fecit sicut præceperat ei Angelus Domini.* Et licet hoc sufficeret ad significandum quod utramque partem Angelici præcepti impleverit, ut tamen nullus esset dubio locus, ad utriusque expressionem sigillatim adhuc descendit, dicens: *Et accepit Conjugem suam & non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum.* Et deinde pro secundâ parte istius præcepti, *Et vocavit nomen ejus IESVM.* Sicque claudit Matthæus Evangelii sui caput primum, quo nihil clarius esse potest. Ad calcem hujus Capitis addo pro coronide.

Primò, quod cùm Deus Divo Josepho concesserit Christo nomen imponere, ei potestatem suam in illum communicavit: Nam cùm Christus verè filius Dei esset, ad quem alium quàm ad Deum poterat spectare munus illi nomen imponendi? Hanc tamen potestatem Divo Josepho communicatam voluit, quia respectu istius filii sui ipsum repræsentabat Divus Josephus, & ejus locum tenebat, fuit enim Christo Pater Divus Josephus. LXV.

Secundò, quod simul ac Deus Divo Josepho potestatem istam communicavit, explicavit quoque illi, & effecit ut conciperet istius vim & significationem nominis, dicens: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matthæi cap. 1. vers. 21. Ex quo intel- LXVI.

lexit primò hunc puerum non futurum Salvatorem quales fuêre Iosuë, David, & alii ante ipsum, sed singularem, utpote qui salvaret populum suum, non ab hostibus corporalibus, sed à peccato, quod opus non est hominis, sed Dei: *Quis enim potest peccata dimittere nisi solus Deus.* Marc. c. 2. versu 7. Intellexit secundò modum quo iste suus Iesus istam erat perfecturus salutem, scilicet per mortem & sanguinem suum pro peccatoribus effundendum, ut clamant omnes Scripturæ, & præfigurabant omnia antiquæ Legis Sacrificia: Atque adeò hunc modum salvandi esse tam diversum ab aliis quàm ipsa salus. Alii enim salvabant, alios occidendo, hic cadendo & seipsum morti tradendo. Intellexit tertiò se non aliter debere respicere filium istum, quàm ut innocentem victimam pro cõmuni omnium salute mactãdam.

LXVII Ex his nonne sanè loquendo inferendum, quod cùm Divus Iosephus ex Paternâ sibi cœlitus traditâ potestate Christo nomen Iesu imposuit, his cognitionibus imbutus, Patri Æterno, qui eum jam morti destinarat, & propterea Iesum vocari voluerat, mente se conformaverit. Quare ut Pater ex Patriâ Potestate, & ut Æterni Patris Interpres ex Divino munere, Nomen Iesu ei imponendo, eandem in illum sententiam pronunciavit quam Pater Æternus. Ex eâ quoque ut ille omnium intendens salutem hominum, quam ex illâ secuturam pervidebat: atque dum eodem tempore ejus Circumcisionem aggreditur, perficit executionem sui muneris, & Patris æterni arresti executionem incipit, primas illi sanguinis guttas manu propriâ eliciendo, cujus postea totalitatem carnifices erant exhausturi in Cruce.

LXVIII. Igitur cùm in Circumcisione cæteri liberarentur infantes à peccati jugo & servitute, Iesus è contra Filius Dei & Iosephi in suâ ex Dei & Iosephi voluntate totâ peccatorum nostrorum mole oneratus pronunciatur, nostrorumque Reus delictorum, & universi Victima: dicitur enim Iesus qui salvare debeat populum suum à peccatis eorum.

LXIX. Videte ergo ô Mortales! quantùm vos Sanctissimus & Amantissimus ille Pater Iesu amaverit: discite quantùm salutem vestram sitierit: agnoscite quantùm vos illi debeatis, qui Filium suum, quem plusquam animam suam diligebat, in mortem propter vos tradere non dubitavit, paratus & ipse illum sacrificare, si Deus ita voluisset? Huc ergò optimè revocari posset quanti faciant Sancti Patres & Doctores consensum quem Beatissima ejus Conjux dedit in Incarnationem, dum dixit Angelo istum consensum expectanti: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum.* Per quem volunt plus sibi meriti comparasse quàm omnes mortales simul: & pondera quid meruerit Divus Iosephus in hoc actu, in quo, & per quem consensit in ejus mortem, ejusque sententiam per Patrem Æternum in eum pronunciatam ratificavit; neque hoc solùm, sed etiam in ejus executionem cœpit ipse primas ex ejus tenerrimo corpore sanguinis guttas eum circumcidendo elicere cujus totalitatem carnifices etãt deinceps postea exhausturi, paratus id ipse per seipsum præstare si Deus ita voluisset; & perficere quod in hâc Circumcisione incœperat.

Sed ad rem redeamus quanta saltem LII
ex hoc ô Sanctissime Pater! tua gloria? Cùm Deus sub mundi initium animalia adduceret ad Adam proto-parentem, *ut videret quid vocaret ea*: ipse sibi reservavit Firmamentum, Diem, Noctem, Mare, ac Terram, ut illis ipse propria inderet nomina, ut videre est Gen. c. 1 à v. 5. quærit Abbas Rupertus lib. 1. in Gen. c. 28. Cur Deus his potiùs quàm illis nomina imponere voluerit? & respondet: *Quia illa sine dubio præterreunt, hæc autem dubium non est quod præterire vel mutari non possunt.* Si igitur illis, in quibus peculiaris illa nobilitas & excellentia, Deus nomina imponere sibi reservat, illiusque fuit non hominis quamvis omnium Principis & Capitis, ea nuncupare: quanta tua gloria ô hominum Coryphee! ô Joseph amabilissime! qui ipsi Dei Filio nomen imponere meruisti? quanta tua gloria, qui hanc communem mundi Victimam ad mortem pro communi salute cum Patre Æterno devovisti?

Primus

Primus omnium eundem in Circumcisione immolasti? quantum tibi meritum ex istâ tuâ actione talibus circumstantiis vestitâ, ex tali consideratione, fide, intentione, amore profecta? sed quanta tua fœlicitas qui primus omnium primis illis salutiferi Cruoris guttis, cujus unica stilla omnium sufficiebat saluti, tingi meruisti?

LXXI. Sed quantò hæc tibi steterunt? ò quot lacrymas isti miscuisti sanguini! ô quàm sensibili, quàm acuto doloris gladio cor tuum transfixum est, quando vidisti tibi pronunciandum esse in eum mortis ipsi decretæ arrestum, hoc ipso quod eum Jesum vocasti eliciendum tibi ex dulcissimi Filii tui membro primum sanguinem! elicuisti tamen, & magno animo elicuisti, quia pro communi omnium lytro & salute. Itaque fuit in Abrahamo Credentium omnium Patre præfiguratus, qui filium suum Isaac sibi supernaturaliter datum, propriis manibus sacrificare, ut Deo obediret, præsto fuit: Meliùs ipsi Virgini Sponsæ tuæ cõparandus, quæ eum si Deus voluisset manibus suis sacrificare parata fuit.

## CAPUT XXI.

### *Habuit Divus Josephus pro Christo amorem paternum.*

I. Mnes semper mirati sunt, mirabuntur semper quotquot erunt usque ad mundi exitum Sapientes, & meritò, Regis omnium sapientissimi Salomonis judicium, in causâ duarum mulierum apud ipsum pro eodem filio disceptantium 3 Regum cap. 3. à vers. 16. usque ad finem, per quod ad propositæ hîc argumentum procedo.

II. Igitur duæ mulieres venerunt ad Regem Salomonem steteruntque coram eo: Quarum una ait, *Obsecro mi Domine, ego & mulier hæc habitamus in domo unâ, & peperi apud eam in cubiculo: tertiâ autem die postquam peperi, peperit & hæc: & eramus simul, nullusq; alius in domo exceptis nobis duabus. Mortuus est autem filius mulieris hujus nocte, dormiens quippe oppressit eum, & consurgens intempestè nactis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocavit in sinu suo, suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo: Cumq; surrexissem mane ut darem lac filio meo, apparuit mortuus, quem diligentiùs intuens clarâ luce deprehendi non esse meum quem genueram: Respondit q. altera mulier, non est ita ut dicis, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. E contrario illa dicebat: mentiris, filius quippe meus vivit, & filius tuus mortuus est, atque in hunc modum contendebant coram Rege.* Ecce causam prout delata est ad Salomonem ex Scripturâ citatâ de verbo ad verbum. Quid obscurius? quid intricatius istâ quæstione? in hâc causâ deerant testes, deerant probationes, deerant omnia indicia, & hinc vocis & clamoris contentione pro more suo inter se certabant mulierculæ ut vincerent. Sed audi hujus nodi dissolutionem mirabilem per Salomonem. *Hæc*, inquit Salomon, *dicit filius meus vivit, & filius tuus mortuus est: & ista respondet non, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit; itaque afferte mihi gladium, cumq; attulissent gladium coram Rege, dividite, inquit, infantem vivum in partes duas, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri.*

Non hoc seriò dixit Salomon, & ut III.
ferens definitivam, sed ut exploraret, in quâ illarum mulierũ maternus resideret affectus, qui abs dubiè hîc erat se proditurus; ut illi in quâ hic appareret, filium vivum adjudicaret: nam à naturâ insitus est Matri arcanus erga prolem suam amor & commiseratio, cujus expers est illa quæ non est Mater: naturam ergo hîc interrogavit Salomon, & illa respondens, Matrem genuinam ex affectu monstravit. Audi quomodò: *Dixit mulier cujus erat filius vivus ad Regem (commota sunt quippe viscera ejus super filio suo) obsecro Domine, date illi infantem vivum & nolite interficere eum: è contrario illa dicebat; nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur.* Quo audito, pronuncians sententiam Rex pro illâ quæ dividi non est passa ait: *Date huic infantem vivum, & non occidatur, hæc est enim Mater ejus.*

Hanc causam versans Divus Am- IV.

brosius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 7. sic colligit: *Salomon naturam in affectibus quæsivit, quæ latebat in vocibus, & pietatem interrogavit, ut probaret veritem.* Et optimè quidem ut enim idem D. Ambrosius lib. 3. de Virginit. *Illa quæ suum esse sciebat infantem, non vinci metuens, sed orbari, nec iam solatio suo proprio, sed pignori suo consulens, orare cœpit, ut incolumis magis puer traderetur alienæ, quam sectus in partes sibi redderetur: unde Salomon, qui non Maiestate Divinâ, sed argumentis ut homo, interiorem interrogabat affectum, illi potius iudicavit parvulum reddendum, quam veram Matrem dolor proprium prodidisset: illam verò, quam morituri parvuli misericordiâ non movebat, exortem pronunciavit esse naturæ, quam exortem vidit esse pietatis.*

V. Salomonem ferè imitatus est Carolomannus ex gente Francorum Imperator Christianissimus. Hic certus vel patrem vel filium, quos captivos detinebat, reum esse homicidii perpetrati quod nullatenus impunitum esse volebat, incertus tamen uter eorum, quod neuter crimen fateri vellet; utrumque tandem jussit suspendi. At cum Pater, qui verè homicidium illud commiserat, Imperatorem seriò agere videret, omnemque spem evadendi præclusam, crimen à se perpetratum fassus est, & ita filium suum innocentem ab imminente periculo & morte liberavit; quo tendebat Imperator. Ita Martinus Delrio disquisit. magic. lib. 4. in præambul. ex Andreâ Barbario in cap. *Præsenti de probatione.*

VI. Ex quibus nonne patet Patrem amore & affectu probari, idque argumento omninò infallibili? Itaque si adhuc fortè dubitas an D. Iosephus sit Pater Christi, interroga ejus affectum, interroga ejus viscera, interroga amorem, pietas prodet veritatem.

VII. Duobus porrò modis Divus Josephus amavit Christum Dominum, nos unico tantùm: Christus namque erat Divo Josepho non tantùm Deus ut nobis, sed etiam filius, quod non nobis: Quare illum amavit, & ut creatura Deum, & ut verus Pater Filium: Hic de secundo amore, parte sequenti, de primo.

Dico ergo Divus Josephus Christum amavit ut Pater Filium suum. Ratio hujus est evidens ex dictis, quia verè fuit illius Pater, ita volente Deo: dedit ergo illi Deus amorem & affectum verè paternum. Quid clarius? qui enim dat esse, dat & ea quæ consequuntur ad esse inquit Philosophus. Hinc Rupertus lib. 1. de Gloriâ Filii Hominis in Matthæum dicit: *De carne Virginis hominem formans, Paternum Iosepho amorem penitus infudit Deus.* Atque ex illo amore ita eum dilexit, ita curavit, sicque erga illum in omnibus se gessit, ut etsi nobis deessent illæ probationes tot & tantæ ad adstruendam strictam ac veram ejus ad Christum Paternitatem, quas toto hoc Tractatu cumulavimus, satis tamen manifestè daretur colligi non posse non esse Patrem qui ita amaret, ita curaret, sic se erga illum gereret, quomodò patebit ex dicendis: Quis enim unquam Pater ita impensè dilexit prolem ex se genitam, quomodò Divus Josephus Christum Dominum? Cur non ergò æquè rectè ac Salomon supra, de illo inferam, ergo fuit verè Christi Pater? VIII.

Ipsum Patris nomen est sacrum & amoris plenissimum, nullusque est affectu Paterno potior ut docuit Aristoteles 2. Politic. cap. 1. & Filii *aporon filou*, idest ab amore dicti videntur: Filius enim quasi *Filos* Græcè, quod est Amor: quasi dixeris filium esse ipsissimum Patris amorem. IX.

Amorem quoque istum indicant ipsius nominis derivationes, Latinæ saltem: etenim hîc non disputo an nomen *Pater* Græcum sit an Latinum, ne uni vel alteri vapulem. X.

Latini ergò hujus nominis *Pater* etymon deducûnt, primò à verbo *Paseo*, quod Patris sit prolem pascere. Et certè quis patrem matremvè dixerit illos quos expletâ libidine viderit filios, quos ex se genuerunt, abjicere? Non non, non ii prolis, sed voluptatis suæ parentes fuisse produntur: Enimverò unum est quod parentem comprobat amor. XI.

Debent ergo patres ut patres se probent XII.

probent, curare prolem, debent *pascere*, alere, fovere, protegere, quo affectu si se exuant in quo quæso se patres ostendunt, & esse dignoscentur? aut in quo filii talium sunt debitores parentum? an ob propriâ voluptatem in eorum generatione duntaxat quęsitam & expletam? Absurdum id nimis: an fortè ob molestias uteri, vel partus dolores? sed hos pater non sensit, & in matre fructus sunt suæ libidinis, pœna prævaricationis, quos impediret, si posset. Non ergo illi prolis, sed suæ libidinis sunt parentes, qui libidinem directè, prolem indirectè tantùm, & hoc vix quidem, protulerunt: *Pascant* ergo patres prolem, ut se verè illius patrem comprobent.

XIII. Et verò si cœlum quod suis influentiis ac calore vivifico fœliciąue cum terrâ connubio illam fœcundat, totque fœtibus imprægnat, quot ex eâ fructus progerminant, atque hac ratione quandam matrimonialis exhibet imaginem fœderis, in quo cœlũ quod supra est, patris: terra, quæ infra, matris locum tenẽt. Si, inquam, cœlum quod omni sensu caret, ita curat, ita fovet ea quæ produxit; si terra omnium stupidissimum elementum tota sit alimentum ut ea quæ sinu suo educta sunt, nutriat, & ad perfectionem perducat: idem dic de animalibus & brutis omnibus, an non iis pudor qui prolium ex se genitarum curam & educationem abjiciunt? Tandem tam parum est genuisse præcisè prolem, ut quis dicatur Pater, ut Origenes dicat *vestisse magis ostendit viscera paterna, quam genuisse*?

XIV. Jam nonne Divus Iosephus affectu plus quam paterno Christi curam sibi cœlitus demandatam suscepit, & quos ipse labores in hoc munere pertulit? sed quanto amore? quanto ardore? quàm alacriter? quàm lætanter? nonne hunc in Virgine Sponsâ & conjuge suâ conceptum, & ex eâ genitum, ut filium sibi à Deo datum & concessum excepit? suspexit? nonne ut talem tractavit? aluit? curavit? & quis Pater filium ex propriâ carne suâ genitum aut melius, aut æquè? nulla, nulla hic eorum ad illum comparatio: ergo ex hoc capite Pater illius dici, sicque ab eo & ab omnibus appellari meritò debuit.

Grata est & satis ad rem nostram Plinii lib. de Floribus cap. 2. & Valesii de Sac. Philosop. observatio: quod scilicet lilium non sit fœcundum eo modo quo cæteri flores, nullũ est enim illi semen, quo producat aliud lilium simile sibi, sed, inquit, Plinius *lilium feritur lachrymâ suâ* guttæ aliquæ quasi roris ex eo decidunt in terram, & ex his gignitur aliud lilium: Ita Divus Josephus dictus in Evangelio justus. *Justus* hic *germinavit sicut lilium*: est Pater, non sicut cæteri Patres, est fœcundus ut lilium, fœcunditate planè virginali: ipsius labores & sudores convertuntur in sanguinem Mariæ, & sanguis Mariæ in Sanguinem Christi. XV

Secundò, alii nomen istud *Pater* à *pateo* deductum volunt, quia nimirum ad omnem filii accessum Pater patêre debet, & in patenti habere quęcumque filii necessitas, etiam sub solum Patris aspectum produxerit, ut productio illa, non tam postulatio sit, quàm impetratio: verbo uno Pater à *pateo* secundum hos dictum, quod omnia Patris filio patere debeant; cor, brachia, domus, horrea, cellaria, bursa: cor ad amorem: brachia ad amplexus: domus ad convictum: horrea & cellaria ad alimentum: Bursa ad omnia necessaria, & ad promotionem: quæ omnia, cùm in Divo Iosepho respectu Christi affectuosius quam in ullo alio Patre respectu filii aperta extiterint, consequentet & ex hoc capite merito Christi Pater appellari debuit. XVI.

Alii tertiò & ultimo nomen *Pater* à *pati* profluxisse contendunt ut *Pater* idem sit quod *patiens*. Neque hoc adhuc ineptè, arduum est enim esse Patrem, & magnis curis & molestiis obnoxium: hinc Menander Comicus. XVII.

Oion to genesthai patera paidon in
lopi
Phossos phrontis peras ouden esti
*Patrem esse plurimum habet molestiæ*
*Metus q. & curæ infinitas.*

quas quis ferre posset nisi natura provida sive Deus Patribus amorem, quo fieri possent, indidisset?

Divus Josephus fuit omnibus Patris conditionibus & curis, iisque non exiguis XVIII.

exiguis obnoxius : magna dum fiebat Pater passus est in tentatione illâ gravissimâ, dum mysterii ignarus (ita disponente Deo, ad ipsius meritum, virtutumque ejus evidentiam & manifestationem) vidit suæ uxoris quam non attigerat uterum intumuisse: Factus Pater, magna pertulit propter filium, dum pro illo timuit, cum illo & propter illum in Ægyptum fugere, ibique pluribus annis exulare debuit, non sine multis iisque magnis incommoditatibus inter gentes feras & barbaras: dum illum amisit in Jerusalem : dum pro illius educatione laboravit & sudavit.

XIX. Quoad alias molestias quas filii parentibus pariunt, quæ muneri Patris merè accidentariæ sunt, illas non sensit ob infinitam filii perfectionem & bonitatem, quin & illæ, quas in supra dictis habuit, non fuerunt ipsi propriæ molestiæ, ob amorem eximium & intensissimum quo in dilectissimum suum ferebantur filium, immò potius in illis pro eo susceptis laboribus delectationem inveniebat maximam, considerans quod illi labores pro Deo essent susceptі; quod tamen nullo modo minuit ipsius meritum, è contra multum auxit, cùm præ amoris magnitudine illa non senserit, sub quorum pondere alii Patres gemuissent & obruti defeciissent.

XX. Tandem hunc quoque in Divo Josepho rarum, & singularem, ac verè paternum amorem produnt evidenter naturales illius effectus, quos in paucis quæ de eo sacrum refert Evangelium, nihilominus luculenter satis, deprehendimus : curam dico seu sollicitudinem, metum ac dolorem pro ipso : de quibus sigillatim per sequentia capita.

## CAPUT XXII.

### *Cura Divi Josephi pro Christo Domino.*

I. CURA dupliciter accipitur : primò pro sollicitudine ipsâ & affectu animi. Secundò, pro munere quod ex illa sollicitudine à curatore exhibetur rei seu personæ curatæ.

II. Cura primò sic dicta est ex Divo Isidoro, quod cor urat, & sic manifestum est effectum esse intensi amoris : quod enim vehementer amamus hoc curamus, idest studiosè custodimus, protegimus, conservare conamur mala ab eo arcendo, & bona, quæ ei congrua fuerint, procurando.

III. Hæc tanta fuit in Divo Josepho pro Christo, ut propter illam Divus Cyrillus Hierosolymit. Catechesi 7. Patrem Christi meritò dicendum censeat, sic enim ille ibi : *Sicut Maria Mater IESV dicitur propter generationem; ita Joseph Pater IESV propter curam vel dilectionem vocatus est*, quod intellige juxta dicta cap. præcedenti num. 9. idest quoad nos seu secundùm apparentiam, secundùm quam prudenter judicamus: Ita quod cura illa in Divo Josepho pro Christo tanta fuerit, ut nullus eâ visa non judicasset ipsum non esse verè Christi Patrem.

IV. Hanc curam mirè probat illud Matthæi cap. 2 vers. 13. & 14. *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi, futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum, qui consurgens accepit puerum & Matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum.* Ex hoc enim loco deprehendo Divum Josephum sic Christum curasse, & ita pro illo sollicitum fuisse, ut præ illo nihil cætera curaverit. Videamus.

V. Quærunt Interpretes in hunc locum, an Divus Josephus ipsâ eâdem nocte quâ hoc loco ab Angelo monitus dicitur, an aliâ sequenti fugam auspicatus sit in Ægyptum ? Tostatus Episcopus Abulensis in Matthæum cap. 2. quæst. 9. vult aliâ nocte fuisse auspicatum, puta sequenti, vel tertiâ post istam : Primò quia sciebat se pro longo tempore proficisci in Ægyptum ; dixerat enim ei Angelus, *Et esto ibi usque dum dicam tibi*, ac proinde de domo, deq; supellectili debebat disponere : Secundò, quia per longum iter, & avium ob deserta, debebat proficisci, atque adeo providere de necessariis ad illud conficiendum quæ inveniri

niri non poterant in loco horroris & vastæ solitudinis. Tertiò non videbatur conveniens insalutatis vicinis inopinatò discedere, nè aliquid fortè suspicarentur.

VI. Sed contrarium docent omnes Interpretes ita unanimiter, ut vix ullum reperias, aut saltem paucissimos, qui sentiant cum Abulensi: & meritò quidem, quandoquidem istud à vero aberrare appareat ex ipso textu: Nam rogo te, ut quid moneretur ab Angelo ut surgeret, ideſt à somno & lecto in quo tunc (ut patet) jacebat, si non erat discessurus nisi sequenti vel alterâ nocte depost? Et quomodò posset esse verum quod consurgens, ideſt continuò, sed statim finito Angeli alloquio, surgens acceperit puerum, si non accepit illum nisi post unam aut alteram diem interpolatam?

VII. Confirmatur, quia etiam ex hoc festinasse præsumendum est prudenter, quod tunc, quando ab Angelo monitus est ut fugeret, esset nox: cùm enim de die fugiens latere non posset, ideò nocte Angelus apparuit, nocteque sibi arripiendam fugam intellexit Divus Josephus, ut oportunum fugæ tempus, & pueri periclitantis securitati: cùm enim aliquid præcipitur, præcipi etiam illa censentur, quæ cum tali re connexa sunt, & ad illam necessaria: propter quod dictus Abulensis in Matth. cap. 2. quæst. 59. rectè tradit hoc morale documentum notatu dignissimum, quod quando homo aliquid agit in quo periculum verti potest, quantumcumque firmam de Deo spem habeat, de cautelis tamen & securitatibus, quæ humanâ possunt haberi prudentiâ, nullam omittat. Sic fecit Divus Josephus, qui in defendendo, ac custodiendo puero, ab Herodis furore & manibus cruentis, diligentiam & cautelam adhibuit omnem quæ humanitùs adhiberi potuit.

VIII. Dices, textus habet quod *Consurgens accepit puerum & Matrem ejus nocte*, non addendo eâdem: cùm ergo non determinet illam eandem noctem, cùm tamen id facilè potuisset, possumus illam liberè interpretari de aliâ nocte. Respondeo negando illatum, quia satis determinatur tempus captatæ fugæ per adjuncta à nobis jam tacta: Dictum verò fuit quod acceperit puerum & Matrem ejus additâ istâ particulâ *nocte*, quod non videbatur necessarium, non inutiliter, ut scilicet intelligeremus apparitionem istam non contigisse abscedente jam nocte, ut in crepusculo discesserit, (quod poterat putari) sed nocte adhuc profundâ accepisse mandatum fugæ, & ad obediendum non expectasse diluculum, quod certè fuit difficilius, magisque commendat & ipsius obedientiam, & singularem ejus pro puero curam & sollicitudinem.

IX. Nec me movent argumenta Abulensis in contrarium. Nam ad primum respondeo etsi habuisset Divus Josephus domum propriam aut supellectilem, an ab illis potuisset urgente præcepto Dei & periculo pueri detineri spiritu pauperrimus, ut videbimus parte sequenti? An non & illorum & omnium totius mundi opum jacturam potiùs facere elegisset quàm cum infantis vel minimo discrimine fugam & obedientiam protelare?

X. Ad secundum respondeo, Divus Josephus nitebatur aliter quàm cogitaverit Abulensis Providentiæ Divinæ, in quâ certissimè confidebat plusquam ullus unquam mortalium, ac ut ne etiam humanam ipsius excludamus prudentiam contra doctrinam hîc numer. 7. approbatam, poterat priusquam terram aviam & desertam ingrederetur, in ejus confinio necessaria tutius & securius comparare: idque, si pecunia illi aliunde non suppeteret, ex venditione melioris aut præciosioris è mobilibus, quod in eum finem secum asportare potuit cæteris contemptis.

XI. Ad tertium respondeo in re tanti momenti non fuit cunctandum, omissioque istarum salutationum parvipendi debuit, nec curandum quid suspicaturi essent vicini, quidve dicerent, dummodò puer cœlitus commendatus salvus esset.

XII. Roboratur assertum nostrum, primò quia ex Brocardo apud nostrum Sylveiram tomo 1. in Evangel. lib. 2. cap. 7. quæst. 12. à Nazareth usque ad Jerusalem viginti septem computantur

leucæ : ab Hierusalem usque ad Hebron octo, faciunt in simul triginta quinque leucas, ab Hebron deinde usque ad Gazam, quæ est in confinio terræ Judæ, adhuc iter unius dietæ : ex quibus concluditur, quod ad conficiendum illud iter cum Virgine delicatâ & pusione quem ipse, ut ait Carthusianus in Matth. cap. 2. *Fortè in propriis ulnis, vel scapulis bajulavit.* Necessarii essent plures dies, non est verisimile Divum Josephum hoc attento voluisse discessum procrastinare, & procrastinando puerum in periculum conjicere. Res enim erat nimis magni momenti, & Divo Josepho nimis cordi, vita scilicet & conservatio pueri curæ suæ cœlitus commissi.

XIII. Roboratur secundò ex versione Syriacâ textus Matthæi cap. 2. vers. 13. & 14. hîc supra num. 4. adducti, quæ in illo textu verba illa *fecessit in Ægyptum.* sic vertit, *fugâq, in Ægyptum contendit*, ubi verbum *contendit* cùm significat contentionem, manifestat rem illam, fugam illam cor illius & viscera paterna vehementer urisisse & ussisse ut festinaret, ut potuerit ipsi applicari istud :

*Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.*

XIV. Confirmatur ultimò, quia hæc sententia magis cohæret cum obedientiâ Divi Josephi qui in eo semper fuit promptissima. Quemadmodum igitur Pater fidei Abraham, ipsâ eâdem nocte quâ divinum accepit mandatum de immolando filio suo Isaac, tulit illum, & cum illo abiit ad locum quem præceperat ei Deus Genes. cap. 22. vers. 3. & 4. ita Divus Josephus eâdemmet nocte quâ Angelus ei apparuerat, nullâ factâ morâ, continuò surrexit, omnibusque aliis spretis & nihili perpensis, accepit dilectissimam sibi prolem, & cum illâ contendit, ideſt festinanter perrexit, quò præceperat Angelus. Sic cum pueri cura, sic sollicitudo, sic amor urgebat : fecisset Abraham pro mactando Isaac, & non Divus Josephus pro Jesu suo & meo conservando? Quis credet ?

XV. Ad hujus curæ, & consequenter amoris majorem adhuc evidentiam noster Sylveira ad eadem verba Matt. cap. 2. vers. 14. *Qui consurgens accepit puerum & matrem ejus nocte, & fecessit in Ægyptum.* Notat verbum istud *fecessit*, quo usus est Evangelista ad significandum ejus in Ægyptum fugam : Cùm enim dixisset ei Angelus, *Surge accipe puerum & Matrem ejus & fuge in Ægyptum.* Quare, ut ejus obedientiam exprimeret, non est usus eodem verbo quo Angelus præcipiendo usus fuerat, dicendo *fugit in Ægyptum?* quare non saltem verbo tendit, profectus est, perrexit, aut alio simili, sed usus est verbo isto *fecessit? Non littera, non syllaba in Scripturâ divinis sunt vacua mysteriis*, inquit Divus Chrysologus à nobis aliàs adhuc allatus. Quid igitur? audi, & mirare : nimirùm Vir ille amabilis & amantissimus ita cum suo pignore exibat è terra Israel, & pergebat in Ægyptum, & non tantùm corpore à terra Israël, sed etiam corde & animo (quod significat verbum istud *fecessit*) ita, inquam, exibat, ac si nunquam amplius rediturus. Nimirùm puer & Mater ejus, in quibus ejus divitiæ ejus thesaurus ; secum deferebat. Et deinde quia ubi Rex ibi curia : ubi Papa ibi Roma : à fortiori ubi Deus ibi cœlum, ibi totum.

Porrò ex hâc quæstione nascitur se- XVI
cunda, cur scilicet cùm fugiendum esset expectavit Dominus ultimum istum articulum, in quo fugiendum erat, ut eum de fugâ incundâ moneret? Cur, inquam, non maturius illum præmonuit, ut sic posset de rebus suis commodè disponere, & de commeatu pro longo itinere cogitare & providere? Respondeo humana sunt ista quæ non attendit Deus ; si hoc fecisset, nec tantùm meruisset Divus Josephus, nec ita apparuisset summa ejus paupertas, & rerum terrenarum contemptus, ingens ipsius pro puero cura & amor & virtus gratiæ. Quare hac subreptione uti voluit Deus, ut ea omnia manifesta faceret ad nostram ædificationem in Divo Josepho : non enim voluit tantùm Deus Divum Josephum curam pro Christo habere, quam modò diximus, ideſt summam, sed etiam voluit eam nobis notam esse, ut ex ea colligeremus summum ejus apud Christum filium suum quem

ita

ita curavit & amavit meritum.

XVII. Abrahamo Geneſ. cap. 12. verſ. 1. præcepit Deus ut egrederetur de terrâ & de cognatione ſuâ, in Hebræo pro *Egredere* eſt *lech* à *lecha*, hoc eſt *vade tibi*, ac ſi diceret in tuam utilitatem, in tuam ipſius commodum vade: Et tamen adhuc Deus Patriarchæ mentem divite animat, allicit & firmat promiſſione, ſubdens, *Faciamq; te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſq; benedictus.* Quantum Divus Joſephus ſuperat & excedit hanc ſuam figuram? non enim ſibi ſed puero fugere jubetur & matri: nec placidè egredi jubetur, ſed fugere metu crudelitatis & perſecutionis immanis Herodis; ac fugit noctu in omni itineris aſperitate, & tamen non audio illi ullam promitti mercedem, non premiis animari, nullius rei ſpe relevari: fortior nimirũ erat Abraham & ab omni terrenarum rerum affectu defæcatior. Quid ei alia promittatur merces? magnæ mercedis loco habet, Chriſto, ejusque matri ſervire, & obſequium, aliquod præſtare; tota illius cura, totus ejus amor eſt JESUS; præter illum nil aliud deſiderat, nil aliud quærit, nil aliud curat.

XVIII. Verumtamen quemadmodum ituro in terras exteras Abrahamo multa promittitur ſoboles, ita peregrinaturo Divo Joſepho nulla licet promittatur, multa tamen & copioſa donata eſt filiorum ſpiritualium copia: meruit enim ex hoc Pater conſtitui omnium gentium, non quæ in Ægypto ſolùm, ſed etiam quæ in univerſo mundo quà latè patet, ad Deum converſæ ſunt aut convertuntur, & in omnibus deinceps mundi ætatibus convertentur.

XIX. Sed, inquies, ſi tanta fuiſſet illius pro Chriſto cura & ſollicitudo, quomodo ergo illum ita amiſit cum eſſet tantùm duodennis? hoc argumentum facit etiam contra Beatam Virginem. Et certè cui non videatur mirum quod Beata Virgo, & Divus Joſephus qui tam ardenter illum amaſſe dicuntur, ejus abſentiam ad diem integrum itinerantes, quoando magis ad eum advertere debebant, ferre potuerint? Reſpondeo tamen in hoc caſu nullam incuriam aut culpam ex parte Divæ Deiparæ, vel Divi Joſephi interveniſſe, ut impiè voluerunt impii Lutherus & Calvinus: patet id primò, ex interrogatione Virginis, nomine utriuſq; factâ Chriſto Domino; ait enim illi Virgo, *Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus & ego dolẽtes quærebamus te:* Si enim culpâ illorum amiſſus fuiſſet non fuiſſet Virgo auſa in ipſum Chriſtum illam refundere dicendo, *quid feciſti nobis ſic?* ſed ut erant juſti & humiles culpam humiliter agnoſcentes veniam deprecati fuiſſent, aut certè in ſeipſis confuſi præ verecundiâ conticuiſſent. Patet ſecundò, ex reſponſione Chriſti ad illam interrogationem, non enim in illos retorquet iſtam quærimoniam, ſed ait: *Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* quod quidem non dicit aſſerendo, ſed interrogando, inquit noſter Sylveira, poſt alios in hunc locum: ac ſi diceret, *Nonne ſciebatis quod in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* Itaque per hæc verba videtur Chriſtus voluiſſe Luthero & Calvino occurrere: Cùm enim ipſe eſſet verus Filius Dei, ad negotia Patris ſui cœleſtis ferebatur totus. Ac proinde nullâ humanâ diligentiâ impediri poterat quo minus hæc juxta occaſiones ſuo tempore implerer.

Cauſa ergò quod illis tunc fuerit amiſſus JESUS non fuit incuria aut negligentia ulla ex parte Virginis aut Divi Joſephi, non inobedientia aut dedignatio aliqua ex parte Chriſti, non caſus aliquis ex parte hujus vel illius, vel utriuſque, ſed Dei conſilium: Poterat enim Chriſtus ſuos præmonere parentes de conceptâ à ſe voluntate remanendi in Jeruſalem, & non ibi manere illis inſciis ut fecit, & minimè præmonitis. Hoc tamen voluit & non illud, ut oſtenderet, & hoc in exemplum noſtrum, ſe in Patris ſui Cœleſtis negotiis eſſe ſuæ libertatis & authoritatis, nec in illis ullo modo dependere à parentibus carnis. Ita Venerabilis Beda in hunc locum, & alii. XX.

Voluit interim in eâ ætate ſpecimen aliquod dare ſuæ Divinitatis, ne non tunc Deus fuiſſe putaretur, ſed XXI.

postea tantùm factus ut voluit Nestorius: Et ut ex hoc magnitudinem modestiæ ejus intelligeremus, quia cùm talia posset & ante, & postea, tot tamen annos in silentio ut homo privatus, ignotusque omnibus latêre voluit, nihil more vanorum hominum & nimis fervidorum moliens ante tempus.

XXII. Quod verò per integrum diem processerint Maria & Joseph non advertentes ejus absentiam nisi sub vesperam, quando divertendum fuit ad hospitia, ex eo contigit primò, quod ad has solemnitates convenientes, & his finitis ad propria remeantes, viri cum viris, fœminæque cum fœminis per turmas fortè procedere solebant; Pueri autem cum his vel illis. Ita Beda citatus & Toletus annotat. 70. Secundò, quod Sanctissima Virgo & Divus Josephus filium suum magnâ reverentiâ & submississimè venerabantur: undè etsi parvum adhuc ætate viderent, tamen ut verum Deum agnoscebant, ac propterea multa voluntati atque arbitrio ejus relinquebant, seseque illi submittebant. Tandem tertiò, quamvis Beata Virgo & D. Josephus ægrè ferrent à JESU disjungi, ex charitate tamen patiebantur aliquando se eo privari, ut alij divinâ ejus præsentiâ frueretur, quam sciebant non futuram sine fructu, cùm mores ejus ex omni parte absoluti atque perfecti, oris ac vultus dignitas, totiusque corporis situs, majestas ac suavitas (quæ omnia divinum quid exhalabant) ad se omnes attraheret, in eosque ipse mille gratias effunderet. Vide nostrum Sylveira tomo 1. in Evangel. lib. 2. cap. 10. quæst. 9. Et hæc de curâ Divi Josephi primo modo sumptâ. Nunc de eâdem secundo modo, idest pro munere, & officiis quæ ex illa cura & sollicitudine Christo exhibuit.

XXIII. Jacob cùm scalam in somnis vidisset cœlum attingentem, vidit quoque Dominum isti scalæ innixum Genes. cap. 28. vers. 13. Itane Deus cui omnia innituntur, innixus ipse hîc scalæ perhibetur? Latet hic sine dubio magnum aliquod mysterium, quod pandit egregiè in rem & materiam nostram, Abbas Rupertus lib. de Divin. Offic. cap. 18. ubi reddens rationem cur Ecclesia anteprimam Missam Natalis Domini legat librum Generationis, sic loquitur. *Ecce verè divini structores ordinis, per hujus seriem lectionis scalam illam nobis repræsentant profundo noctis tempore, quam nocte dormiens Iacob vidit, cui summitate suâ Cœlos tangenti Dominus innixus eidem Iacob apparuit, & semini ejus terram hæreditariam repromisit, quando pro ejusdem propagatione seminis ibat jussu Patris sui, ut acciperet uxorem de domo & de cognatione Patris & Matris. Nam cùm omnia in figurâ contingerent illis, quid scala illa præfiguravit, cui Dominus innixus, ut dictum est, apparuit? nisi generationem IESV Christi, quam Evangelista divino ore ita contexuit, ut per Ioseph ad Christum perveniret: cui videlicet Ioseph supremo scalæ gradui Dominus parvulus innixus est. An non ille Beato innixus est, quando pupillus in hoc sæculo, ideſt absque carnali Patre natus, solatio ejus cum puerperâ Matre sustentari dignatus est? Et, ut cætera taceam, nonne tunc vel maximè illi innixus est, quando ne ab inimicis, Herode, vel cæteris inveniretur, qui quæsituri erant animam eius in Ægyptum ab eodem Nutricio suo deportatus est, iterumq; defuncto Herode in terram Iuda relatus est?* Eodem modo idem eximius Doctor in Matth. cap. 1. lib. de Gloriâ & honore Filii Hominis, ad illa verba: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de quâ natus est IESVS, qui vocatur Christus, Scala ista,* inquit, *est Generatio IESV Christi: latera scalæ, summi Patres, & Principes sunt hujus Generationis, Abraham, atque David, ad quos promissio facta est. Supremus scalæ gradus cui Dominus innixus est? iste est Beatus Ioseph vir Mariæ de quâ IESUS, qui vocatur Christus, natus est. Quomodo iste Deus & Dominus huic innixus est? utique tanquam Tutor pupillus, quippe qui in hoc mundo sine Patre natus est, ita innixus est huic Beato Ioseph, ut esset infantulo iste e Pater optimus, ut hujus solatio paterno puer cum Virgine puerperâ sustentaretur.*

Sub Josephi umbrâ, curâ, & patro- XXIII.
cinio Christum futurum innuisse Angelum, dum ei in somnis apparens, dixit: *Ioseph Fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, quod enim*

*enim in eâ natum est, de Spiritu Sancto est: Pariet autem filium & vocabis nomen eius IESVM.* Matthæi cap. 1. vers. 20. Sententia est Oris Aurei Divi Chrysostomi homil. 4. in Matth. ubi versans illa ultima verba, *Pariet autem Filium & vocabis nomen eius IESVM:* ait. *Neque enim quia de Spiritu Sancto est, idcirco te à ministerio tantæ existimes dispensationis extraneum; nam etsi nihil habeas in hac Generatione commune: (Virgo quippe permansit intacta,) tamen quod proprium Patris, quod nihil infuscat Virginis dignitatem hoc tibi facile concedo.* Est etiam Divi Thomæ Aquinatis in Catena ad eundem locum, ubi sic ille conformiter ad Glossam. *Quia,* inquit, *posset Ioseph dicere, ita, concepit ipsa de Spiritu Sancto, & pariet Filium: Quid ergo ad me? in nullo sum ei necessarius: ideo subdit ipsius Iosephi obsequium, vocabis nomen eius IESVM. Ostenditq; quod quamvis non fuerit necessarius conceptui, tamen utilis est procurationi, quia ipsa pariet filium, & tunc Matri & Filio erit necessarius: Matri, ut ab infamiâ defendat: Filio ut eum enutriat.* Hæc Divus Thomas.

XXV. Et optimè quidem Angelicus Doctor: etenim in asserti ipsius corroborationem nullibi in Evangelio legimus Angelum præscripsisse Divo Josepho ea quæ circa Christum præstare debebat, nisi solùm cùm fugiendum fuit in Ægyptum, aut inde redeundum in terram Israel, aut recedendum à terrâ Judâ, & secedendum in partes Galileæ quando Angelum pro his ei apparuisse invenio, eaque illi in particulari denunciasse, quia nimirum ad illa ejus providentia propria se extendere non poterat: sed quoad alia omnia, nihil ei in particulari ab Angelo circa puerum injunctum aut demandatum legimus: & tamen ab illo tempore quo ei, ut supra, apparuit Angelus, & ut præfatum est, dixit *Ioseph fili David noli timere accipere Mariam Coniugem tuam, &c. pariet autem filium & vocabis nomen eius IESVM,* omnia circa Christum gessit ac si ejus Pater carnalis fuisset: Intellexit ergo ex istis verbis se Christi Patrem esse, sibi omnia Patris munia esse imposita, omnia se ei debere Patris officia, & ex alterâ parte vidit Angelus amorem illi ex tunc divinitus infusum, eum inclinaturum ut omnia illi præstaret, & longè majora, quam ipse multis verbis præscribere potuisset. Benè ergo in verbis allatis dicitur Joseph filius David. *Inventi siquidem,* inquit Divus Gregorius Nazianzenus Orat. 1. *Dominus David is eum filium verum, virum secundum cor suum, cui non Israelis imperium, sed Cœlorum regnum, Dei Matrem committeret & filium.* Hinc Origenes in hæc verba, *Egressus David in prælium ne extingueretur Israel.* Ex lib. 1. Reg. cap. 1. vers. 17. introducit Angelum, filium Dei Sancti Josephi curæ & custodiæ committentem, hisce verbis ei loquentem, *Minister, serva, custodi, fer, cura, intende, & huic qui nascitur, & huic quæ generat.*

Ex hâc curâ Matri gravidæ omni XXVI.
affectu & sollicitudine servivit, ut prolem in ipsâ servaret, & ex eâ in Bethleem ad censum profectus, cum jam natum secum in libris publicis describi curavit, ut ei jura civis Romani acquireret, licet non iis indigeret: ex eâ mox in lucem editum suscepit, ejusque membra gelida in sinu & gremio, ut melius potuit, fovit: ex eâ ipsum circumcidit, adhibitâ omni circumspectione possibili eique nomen imposuit ut filium esse Abrahæ constaret: ex eâ eum in Templum juxta Dei legem induxit & pro eo par turturum aut duos pullos columbarum obtulit: ex eâ in Ægyptum illum, seu in brachiis, seu in scapulis bajulans, ut vult Dionysius Carthus. deportavit, & gladio Herodis infanticidæ eripuit: ex eâ eum ex Ægypto in terram Israël revexit: ex eâ reversus, cum eo in terram Juda timuit ire, quod audisset in eâ Archelaüm pro Herode Patre suo regnare, & secessit in partes Galileæ. Ex eâ quotannis illum secum ad solemnitates in Jerusalem duxit, & in unâ illarum, cum duodennis esset, perditum cum dolore requisivit: ex eâ denique eum ab utero matris per totos triginta annos, quoad usque ipsius ope non amplius egeret, nutrivit ex laboribus manuum suarum & sudore vultus sui, quo quid sublimius? quid eminentius?

XXVII. Dei etenim est creaturas alere & pascere psalm. 144. vers. 16. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escas illorum in tempore opportuno: Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione:* in hunc verò hominem Divum Josephum ille ipse oculos suos figit, ab eo alimentum expectat, & hic ei subministrat. Sed quomodo? non ex iis quibus abundabat, sicut abundant divites hujus sæculi, qui tamen etiam ex his pauperibus pro Christo erogantes copiosè remunerantur: sed ex his quæ labore & sudoribus suis quotidianis comparare potuit: hinc pondera quantum Divi Josephi nostri meritum? quantum ei Christus debitor, si ita loqui fas est, qui dignatione, permissione, promissione, &c. se suarum creaturarum debitorem constituere non dedignatus est? quantum nos ei debitores? Cùm enim ex sudoribus illius quotidianis Christus sit alitus, & augmentatus, profectò quando Christus Sanguinem pro nobis in Passione & Cruce fundebat, sudores aliquo modo D. Josephi fundebat ex quibus iste sangnis coagmentatus fuerat. O fœliciſſimi sudores tui magne Pater Patris mundi totius, qui ita ad universorum hominum Redemptionem concurrerunt!

XXVIII. Huic conceptui magnum conciliatur lumen ex iis quæ hic suprà n. 24. & 25. diximus ex Sententiâ D. Thomæ Aquinatis, quod scilicet quando D. Josepho dixit Angelus fructum ventris Mariæ conjuges (pro quo angebatur) non esse de adulterio, sed de Spiritu sancto, & ut filium quem paritura erat vocaret Jesum, ex his, & ex tunc intellexit eundem quoque esse filium suum & sub suâ curâ constitutum: nam cum eodem tempore quo hoc illi indicatum est, simul etiam sit ei indicatum ipsum esse Salvatorem mundi, qui salvaturus erat populum suum à peccatis eorum, quis dubitet quod quando Christo alimentum præbebat aliaque exhibebat, id fecerit ex magno cordis affectu, nec tantùm attendens quod suus erat filius sibi cœlitus datus, sed etiam illos qui per ipsum erant accepturi hæreditatem salutis, per ipsum operandæ?

XXIX. Itaque D. Josephus ei cui cum Prophetâ Regio ex progenitoribus suis cantabat, *spes mea Deus ab uberibus Matris meæ in te projectus sum ex utero, de vētre Matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me.* Vices reddere meruit, cum in suam curā ab utero matris suscepit, ei inde ut dicam Deus fuit: cum suo auxilio, ex summâ dignatione indigere volentem, quoad vixit juvit, curavit, defendit.

Fuit in hoc D. Josephus optimè præ- XXX
figuratus per sui nominis gerulum antiquum Patriarcham Joseph, qui cum esset filius Jacob, alio nomine dicti Israël per naturam, factus est ipse ejusdem Patris sui Pater per officium, ministrando scilicet ei cibum & alimentū tempore famis: inde est quod Genes. c. 49. dicitur *Pastor Israël*, ideſt Iacob Patris sui, qui ut diximus alio nomine dictus est Israël.

Sed valde observandum Iosephum XXXI
illum antiquum loco citato, non tantùm dici *Pastorem Israël*, sed etiam *lapidem*: inde, inquit, Scriptura loco citato Gen. *Egressus est lapis & Pastor Israël*: non solùm quia fuit lapis angularis, qui duas in se numerosissimas copulavit Israelitarum tribus, tribum dico Ephraim, & tribum Manasse; sed etiam quia in Hebræo vox *Even*, pro quâ latinè ponitur *lapis*, componitur ex *Au* quod significat *Patrem*, & ex *Ben* quod significat *Filium*: ut proinde secundùm hoc Ioseph ille antiquus (figura nostri) fuerit Pater & filius Iacob, filius naturâ, Pater officio: filius, quia ab eo genitus: Pater, quia eum ipse aluit. Ita D. Iosephus est simul Pater & filius filii sui: filius, quia ab eo esse accepit: Pater, quia ei alimentum reddidit.

Divus Hieronymus epist. ad Sanctum XXXII
Damasum Papam pulchrè observat has duas voces Hebræas *Reghim* & *Roghim*, quarum una significat nutritium, alia amantem, uno tantùm puncto differre, ut inde discamus nutritionem in nutrito, affectum & amorem in nutriente supponere: & quemadmodum in nutriente amor est causa nutritionis activę, ita in nutrito amor esse debet effectus nutritionis passivæ: vide ergo qualis in Christo fuerit amor erga Divum Iosephum nutricium?

CAPUT

## CAPUT XXIII.

### *Metus D. Iosephi pro Christo Domino.*

I. METUS inquit Cicero 4. Tusculan. est opinio impendentis mali, quod intolerabile esse existimatur: Medius est inter curam & sollicitudinem, de quâ cap. precedenti; & dolorem seu molestiam, de quâ sequenti: Cura quippe versatur circa malum possibile seu remotum ut illud præveniat, omnesque illi vias & rimas precludat: Metus circa impendens & proximum, ut illud expugnet: Dolor verò sub præsentaneo gemit.

II. Est metus, ut cura, & sollicitudo, affectus & passio amoris, illiusque effectus genuinus: hinc illud Poëtæ.

*Res est solliciti plena timoris amor.*

Quare ex metu Divi Josephi pro puero optimè probatur ejus pro eodem amor, qui in eo etiam talis extitit, ut quamvis non aliundè probaretur Christi Pater, fuisse tamen vel ex eo solùm satis liquidò constaret.

III. Et verò quis exprimat quis ille & quantus fuerit, qui illum corripuit metus, quando ex ore Angeli audivit Herodem omnium hominum truculentissimum vitæ pueri insidiari? Quantùm Deus immortalis! ab illo metu urgebatur? quantùm præmebatur? Hinc nihil cunctari potuit ut fugeret, ne si fortè vel minimùm tardaret, periculum infans incurreret: Hinc in itinere longo diversoria publica fugiens ad tuguriola divertebat; à viis publicis & regiis ad semitas & avia declinabat, ne fortè visus & agnitus, insequentibus fortè fortunâ tyranni satellitibus ab hospite vel obviis proderetur: hinc viâ terrestri, non maritimâ, quæ facilior erat, incedere elegit, tùm ne in portu cum puero & Matre navem opperiri cogeretur quando solveret, tùm etiam quia vidit maris navigationem etiam robustis plerumque nocivam, à fortiori, tenero infanti & Matri delicatę futuram nimis periculosam. Sed ô quanta toto illo itinere quoad usque in Regionem Ægypti perveniset, & extra periculum puer positus esset, mentis trepidatio! Non folium in arbore movebatur, non minimum etiam feræ fortè cursantis strepitum obaudiebat, quin trepidaret, veritus ne fortè miles Herodis esset qui insequendo instaret: Ergo jure optimo potuit Divus Josephus sibi usurpare istud Solis ad Phaëtontem filium suum ex Clymene, Oceani & Thetyos filia, procreatum apud Ovidium lib. 2. Metamorph. non longè ab initio.

*Pignora certa petis? do pignora certa timendo,*
*Et patrio Pater esse metu probor, aspice vultus*
*Ecce meos.....*

Quam tamen mentis angustiam, ut ita loquar, pro tunc in eo Deus permisit, tum ut mereretur, tum ut disceremus apud Deum honorem non esse sine onere, tum etiam ut ipse Divus Josephus factus Christi Pater disceret quod Deus carò munera sua vendat.

IV. Secundò, cùm redeundum fuit ex Ægypto, & repetenda postliminio Patria, cùm jam omnia tuta videbantur, ecce iterùm novus timor: Rem accipe ex Matthæi cap. 2. Defuncto impio & truculento Herode internâ febri, dissenteriâ, voracitate, intestinorum exulceratione, podagrâ, ventriculi inflammatione, verendorum putredine, fœdissimâ tentigine, tremore, nervorum contractione, asthmate, intolerabili denique totius corporis fœtore, ut refert Josephus lib. 17. Antiquit. Jud. cap. 9. & alii. *Ecce*, inquit Matthæus citatus, *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge accipe Puerum & Matrem ejus & vade in terram Israel, defuncti sunt enim qui quærebant animam Pueri.*

V. Surgit igitur Divus Josephus Cœlestibus obtemperans monitis, Puerum & Matrem magna cum devotione accepit, ut in terram Israel redeat post annos exilii. Sed cùm terra Israel multa & varia loca complecteretur, nec ullum in particulari, ad quem redire deberet, designasset Angelus,

per

per illam terram Israel, Judæam intellexit, quæ erat prima & potior pars terræ Israel, tum quia ibi sedes Regni, tum quia in ea erat Templum quod puero uti Messiæ, deinceps necessarium futurum putabat. Quare in Judæam reverti cogitavit, ita Divus Augustinus lib. 2. de Consens. Evangelist. cap. 9. & ex eo Glossa. *Quia*, inquit, *non distinxerat Angelus, Joseph intellexit Judæam, quæ dignior est pars Regni. Putavit enim tali Puero uonnisi Ierosolymis habitandum, sed cum audisset existens in confinio illius, Archelaum ibi regnare pro Herode Patre suo, timuit illo ire.*

VI. Videns ergo Divus Josephus periculum imminens, eo quod ibi, quò tendebat, regnaret Archelaus filius Herodis persecutoris, mali corvi malum ovum cœpit esse perplexus & cogitare an hanc partem terræ Israel intellexisset Angelus, an aliam Regni partem, ibique hæsit divinum petens & expectans consilium: Et hoc nonne est timere? & prudentissimè quidem.

VII. Sed, inquies, nunquid Divus Josephus Vir Justus esse potuit (quod tamen asserit Evangelium) qui de eo quod ei per Angelum fuerat divinitùs imperatum timuit vel dubitavit? Angelus ei à Deo præceperat ut rediret in terram Israel: ergò illius reditus ibi securus futurus erat. Secundò, dixerat *defuncti sunt enim qui quærebant animam Pueri:* ubi ergò timoris fundamentum? Sed certissimum est quod in Divo Josepho hic timor non vituperio sed laudi sit vertendus, nec fuisse incredulitatem peccaminosam, sed dubitationem prudentissimam: nõ enim dixerat Angelus ut iret in Judæam, nec etiam illam per terram Israel intellexerat: non ergo fuit dubitatio de Angelicâ fide aut veritate, sed de intelligentiâ suâ: & prudenter quidem, nam magnæ prudentiæ est in rebus magnis non propriæ fidere sententiæ ac judicio, sed Deum per orationem consulere: & bene dubitasse constat, quandoquidem ab Angelo monitus sit quod de facto non esset sibi in Judæam proficiscendum, sed in Galilæam, quia sine dubio futurum erat, ut ibi non esset securus puer, ut ipse prudentissimè timuerat. Porrò cùm eundum esset in Galilæam, & non in Judæam, potuissetque Angelus eâ super re primâ vice Dei mentem Divo Josepho aperire, & non expectare ipsius dubium & anxietatem novam, non fecit tamen, ut daret locum prudentiæ & providentiæ Divi Josephi, magisque nobis innotesceret ipsius pro Puero sollicitudo, timor, & amor.

VIII. Sed quæres primò: quare Joseph timuerit ire in Judæam propter Archelaum, quia ibi regnabat pro Herode Patre suo, & non timuit ire in Galilæam propter Herodem Antipam ejusdem Archelai fratrem, & dicti Herodis Ascalonitæ infanticidæ filium, cùm etiam hic Herodes Antipas regnaret pro Herode Patre suo in Galilæâ. Respondeo, Quæstio hæc non bene proponitur: Nam Divus Iosephus non debuit post monitionem Angelicam timere in Galilæam ire? si enim tunc timuisset, infidelis fuisset: sed quæstio hæc ad hoc est reducenda. Cur in Galilæâ securius futurum erat pro puero quam in Iudeâ; cùm utrimque filii Herodis Ascalonitæ infanticidæ regnarent pro Patre suo, Archelaus in Iudæâ, Herodes Antipas in Galileâ? Respondeo itaque ad hoc. Primò, quia Archelaus erat ambitiosior & sævior Herode Antipâ, quod colligitur ex eo quod fuerit Archelaus à Patre totius Regni successor constitutus, non Herodes Antipas, qui si Tetrarchiam Galileæ obtinuit, non illam obtinuit de Patris voluntate, sed de Romani Senatus & Imperatoris concessione. Secundò, quia Archelaus fuit ob sævitiam ab Augusto Cæsare in exilium pulsus. Denique quia infanticidium Herodis Ascalonitæ non contigerat nisi in Iudeâ, idque in Bethleem & finibus ejus tantùm. Quare Archelaus facilè intellexisset Christum noviter advenam in Judæâ infanticidium evasisse ex ejus ætate, ideoque eum ad necem revocasset, quod non fuit timendum in Galileâ, ubi regnabat Herodes Antipas ex quo nihil ibi tale contigerat, & Nazarethanus ab omnibus habebatur.

Quæres

IX. Quæres secundò, si D. Iosephus rediens ex Ægypto, cum audisset Archelaum regnare in Judeâ pro Herode Patre suo timuit illò ire, quomodo ergo quotannis à reditu potuit illuc proficisci cum Puero ad templum in tribus anni solemnitatibus majoribus, maximè verò Paschali, eodem Archelao ibidem regnante & regni sedem tenente? Respondet dupliciter ad hanc quæstionem Divus Augustinus lib. 2. de Consens. Evangelist. cap. 10. Primò, negando quod parentes Christi venerint in Jerusalem ad festivitatem cum Puero, nisi post Archelaum à Romanis in Galliam relegatum: sed pace tanti Doctoris hæc solutio non videtur mihi satis firma. Primò, quia ex Iosepho lib. 17. antiquit. cap. 15. Archelaus regnavit in Iudeâ decem annis post mortem Patris sui Herodis, postquam tamen statim monitus est Divus Josephus ut acciperet puerum, & ut rediret cum eo in terram Israel: & sic Archelaus non fuit à regno ejectus nisi circa decimum septimum Christi: at saltem constat ex Evangelio Christum anno ætatis suæ duodecimo Ieroslymam ascendisse cum parentibus suis, Luc. c. 2 vers. 42. Secundò, quia mihi certum videtur parentes Christi veniss ad festivitates in Ierusalem, non tantùm cum esset factus Jesus annorum duodecim, sed singulis annis à reditu ex Ægypto, nec in solemnitate Paschali solùm, sed etiam in omnibus aliis: nam si ex omni mundi Parte confluebant Iudæi ad solemnitatem Pentecostes, Actor c. 2. n. 9. etiam qui extra terram Israel degebant, ad quod tamen non tenebantur, ut latè probat Abulensis in Matth. cap. 1. quæst. 30. & cap. 2. quæst. 75. quomodo Beatissima Virgo & Divus Josephus qui omnibus erant sanctiores, & Religiosiores, & habitabant in loco non ita dissito ab Ierusalem, non ipsi ascendissent? & hoc non sine puero, quomodo enim illum solum reliquissent? Quod verò Evangelium tantum fecerit mentionem ascensus in anno Christi duodecimo, & non aliorum præcedentium, id inde provenit, quod in hoc anno contigit factum memorabile, quod non debebat præteriri in historiâ Christi: nimirum quod remanserit in Ierusalem: ubi in Templo repertus, sedens inter Doctores, audiens illos, & interrogans eos.

X. Quare hâc Responsione dimissâ accipe secundam ejusdem Augustissimi Doctoris & optimam, quod scilicet cum ex omnibus partibus terræ Israel immò ex omnibus mundi plagis, ut constat ex Act. cap. 2. vers. 9. & seqq. concurrerent Iudæi in Ierusalem in tribus istis solēnitatibus, potuit in omnibus D. Iosephus cum puero tutè venire, cum in tam confertâ & confusâ multitudine non potuisset facilè distingui ab aliis, & facilè esset mox reversuris inter tot latêre, ubi tamen meritò debuisset timere facere habitationem continuam.

XI. Quare Divus Iosephus ut erat justus & timoratus, esto Archelaus Regni Herodiani, & Paternæ hæres crudelitatis, ibi regnaret, non habuit quod timeret in istis solemnitatibus cum aliis in Ierusalem ad templum convenire, ipsa accipe tanti verba Doctoris. *Fieri poterat*, inquit Sanctus Doctor, *ut per diem festum inter tam ingentem turbam latenter ascenderent mox reversuri: ubi tamen aliis diebus habitare metuerint, ut nec solemnitate prætermissâ essent irreligiosi nec continua mansione conspicui: Ita timebant parentes puero habitationem in Ierusalem, ut tamen propter Dei timorem, festivitatem solemnem non prætermitterent, in quâ latêre facillimè possent.*

XIII. Quæres tertiò, ex dictis constat quod Divus Iosephus revertens ex Ægypto, propter timorem Archelai filii Herodis Ascalonitæ infanticidæ, cujus ille vestigiis inhærebat à Iudeâ, quò tendebat, diverterit in Galileam, quodque fuerit tutus in Nazareth. Quare ergo non potuisset ibidem similiter esse tutus tempore Herodis? Crescit dubium ex hoc, quod Herodes non misit interfici nisi infantes qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, ergo nullum erat pro puero periculum in Nazareth (quæ non erat in finibus Bethleem, imò extra fines totius Judeæ, utpote in Galilæâ) ut esset illi fugiendum in Ægyptum, ad effugiendum Herodianum furorem. Confirmatur, quia Deus à quo revelatio proficiscebatur

ficiscebatur, & mandatum fugiendi, sciebat quo in loco futura erat Sanctorum cædes innocentium, ac consequenter non futuram in Nazareth, ubi domicilium erat illorum, quandoquidem de facto ibi minimè fuerit persecutio, nec se extenderit ultra fines Appendicum Oppidi Bethleem.

XIII. Respondet P. Suatez in 3. part. Divi Thomæ quæst. 36. art. 4. disp. 17. sect. 1. licet divina providentia potuerit eum in Nazareth custodire, ut non fuisset necesse exulare, si tamen humanam spectemus providentiam, non poterat ibi existimari satis tutus, quia cum Herodes ille esset Rex utriusque Provinciæ, facile poterat inquirere & perscrutari, donec intelligeret mulierem quandam peregrinam & advenam, peperisse in Bethleem in stabulo ad quod adventurant Magi cum dromedariis & Comitatu, ac postea discessisse. Atque adeò ulterius progrediendo in inquisitione suâ salvatorem in suo Regno invenire, præsertim cum (ut notat D. Hieronymus ad illud Matthæi cap. 2. *Mortui sunt enim qui quærebant animam pueri*) non solùm Herodes, sed etiam alii, ut Regi assentarentur, pueri quoque necem procurarent.

XIV. Nec refert quod Deus præsciverit Herodem non extensurum persecutionem suam, usque in Nazareth: tum quia noluit negotium hoc gubernari juxta præscientiam istam, sed juxta periculi gravitatem, & rerum humanarum consuetum cursum, & juxta quòd in tali occasione humano modo vitari conveniebat: tum etiam quia licet tantùm constet interfectos fuisse pueros in Bethleem & in omnibus finibus ejus, non tamen indè sequitur non adhibuisse Herodem omnem diligentiam aliam in toto Regno suo, si fortasse alicubi vestigium aliquod novi Regis nati deprehendere posset: unde cùm satis notum esset Christum natum in Bethleem, fuissetque nativitas Christi reddita valdè publica & perspicua, per adventum solemnem Magorum, & per ea quæ publicè erant gesta in ejus Præsentatione à Simeone Sene & Annâ Prophetisâ, si indè in Nazareth reversi Joseph & Maria cum Puero durante Herodis persecutione ibi manere perseverassent, imò non omninò è toto Regno abscessissent, facilè potuisset perquirendo, ad illos pervenire, ac sic puer periclitari: Post reditum autem ex Ægypto, quando non putabatur puer potuisse evasisse, sed in communi cæde extinctus: mortuo Herode, totque annis ab inde elapsis cessavit ejusmodi periculum, & maximè diviso regimine in duos non inter se consentientes.

Bis itaque Divus Josephus ex hoc amoris metu Christum liberavit à morte, vitamque tam præciosam nobis servavit. Primò, dum eum ab internecione quæ ab Herode exercita est substraxit. Secundò, etiam dum illum ab Archelai ejusdem Herodis filii, & morum hæredis, furore subduxit. Etsi enim hic non cogitaret de Christo occidendo, quem credebat jam in communi infantium nece involutum, certò tamen erat cogitaturus, & mortem illaturus, si in Jerusalem, quò tendebat, rediens ex Ægypto Joseph cum Matre & Puero perrexisset. Dico certò, quare enim Divus Josephus timens ire in Jerusalem ubi regnabat Archelaus pro Patre suo, ab Angelo fuisset monitus nè illò iret, sed secederet in Galilæam, si non ille benè timuisset? Quin etiam dico D. Josepho datum esse divinitus hoc timere, quia futurum erat pro certo quod Archelaus in mortem pueri machinatus fuisset, nisi secedendo fuisset ei substractus. XV.

Hinc collige quàm Christus, quàm nos Divo Josepho ex hoc simus debitores. Nam præterquam quod Deus non cuicumque Christi actioni, aut qualicumque ejus morti salutem nostram affixerat, sed morti ignominiosissimæ & crudelissimæ Crucis, ad quam eum servavit Divus Joseph: Vita Christi non minùs fuit nobis necessaria quàm ejus mors: Quid enim mori profuisset, si exemplis & doctrinâ ejus caruissemus? Cùm ergò Christo vitam Divus Josephus istam servaverit, ipsi debemus quod exempla Christi, quod ejus doctrinam, legem, Evangelium, habemus; quod prophantasmate (qualem voluerunt Hæretici) reputari non possit: Denique XVI.

quod

quod in Cruce, à quâ salus nostra pendebat, mortuus sit: & quantùm Christus salutem nostram sitivit, tantùm Divo Josepho se debitorem sensit, qui vitam istam sibi servavit, à quâ exempla, probationes & argumenta Divinitatis, & veræ Humanitatis, doctrina, Evangelium, Mors Crucis, salus nostra pendebat.

## CAPUT XXIV.

### *Dolor Divi Iosephi pro Christo Domino.*

I. HUNC Divi Josephi pro Christo Domino dolorem se prodentem video in duobus Evangelii locis. Primò Matthæi cap. 1. vers. 21. in his verbis. *Vocabis nomen eius IESVM, ipse enim salvum faciet populum à peccatis eorum.* Secundò in his Luc. cap. 2. vers. 48. *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*

II. Pro primi loci ex Evangelistâ Matthæo intelligentiâ, huc revocanda quæ diximus supra hoc Tract. cap. 20. Section. 2. num. 65. quod scilicet simul ac Deus Divo Josepho per hæc verba tribuit potestatem imponendi puero nomen JESUS, dedit quoque illi ut conciperet, & omninò penetraret vim aut energiam istius Divini Nominis, ut dum illud ei interpretans dixit: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* In hoc nullam credo posse formari difficultatem.

III. Intellexit ergò primò melius quàm ullus mortalium post Deiparam Conjugem suam, hunc Puerum esse populi Salvatorem non quales Josuë, Gedeon, David, & alii ante ipsum, sed singularem, utpote qui salvaturus erat populum suum, non ab hostibus corporalibus solùm, ut illi, sed *à peccatis eorum*, quod non est hominis, sed Dei: Quis enim à peccatis salvare, seu ut dicit Marcus cap. 2. vers. 7. *Peccata dimittere potest nisi solus Deus?*

IV. Intellexit secundò modum quo iste suus JESUS istam erat perfecturus eximiam salutem, scilicet per Mortem & Sanguinem suum, ut omnes Scripturæ testantur, & præfigurabant omnia Legis antiquæ sacrificia quæ mactabantur: & certè absque hoc ut quid factus esset Deus Homo? Quare deinceps istum filium suum sibi cœlitus datum & natum non aliter aspiciebat Divus Josephus, quàm ut innocentem totius universi victimam pro communi omnium salute in arâ Crucis tempore præfinito immolandam: nec ullo modo dubitandum omnem cruentæ ac acerbissimæ istius Mortis & Passionis seriem ipsi fuisse tunc manifestatâ. Quoties ergo hæc cogitatio ejus mentem subibat, quàm frequenter, autem subibat? O quantus compassionis dolor ipsius animam ejus amore flagrantissimam transverberabat! si enim illa in aliis, Sancto Francisco Seraphico, Sanctâ Brigittâ, Sanctâ Catharinâ Senensi, Sanctâ Mariâ Magdalenâ de Pazzi Ordinis nostri, & aliis, eam fecit impressionem, quam in eorum Actis legimus; quantùm amabo in ejus animâ fecit, quæ cùm adeò ejus amore flagraret, toties eam sibi habuit præsentissimam, & illius subjectum continuò præ oculis suis?

V. Ergo licet is qui juxta justi prophetiam Simeonis animam Virginis pertransiit doloris gladius eum non transfixerit, quia non fuit præsens actuali Christi morti, ut illa, utpotè ante mortuus: illi tamen ex ista morte suus non defuit dolor, nec ille modicus. Angelus enim ei, ut Simeon Virgini eum morte crudelissimâ moriturum significaverat, ut proinde Divum Josephum hic dolor totâ vitâ suâ tenuerit sicut Virginem suus. O Pater JESU Sanctissime, Martyrum Illustrissime, quem ipsiusmet Christi dolores ut & tuam Sacratissimam Conjugem pupugerunt, & Martyrem effecerunt. Reliqui Martyres corpore passi sunt, & corpore quod odio prosequebantur, ideoque de eo non multùm curabant: Sed tu ô Sanctissime Pater! cum Dilectissimâ tuâ Conjuge in Christo summè dilecto passus es, & in animâ transverberatâ dolore.

VI. Secundò, hic dolor Divi Josephi pro Christo patuit cùm factus esset

hic annorum duodecim, quando ascendentibus illis Jerosolymam secundùm consuetudinem diei festi, consummatisque diebus ut redirent, puer JESUS illis insciis remansit in Jerusalem: hunc dolorem manifestat amorosa illa querela Virginis, quam Puero inter Doctores post triduum reperto gaudium ineffabile succedens amori & dolori ineffabili, expressit Lucæ cap. 2. vers. 48. his verbis: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.*

VII. In quibus verbis attende primò dolorem communem utriusque, Virginis & Divi Josephi in hac occasione: Nam verba ista profert amantissima Virgo non tantùm nomine suo, sed etiam prædilecti Sponsi sui Divi Josephi, ut patet, & verba sunt non increpantis, sed conquærentis, & affectum utriusque summum aperientis. Deindè non dixit Deipara *Fili mi*, tam etsi hoc majorem affectus sui teneritudinem expressisset, sed dixit tantùm *Fili*: Non enim loquebatur pro se tantùm in particulari, sed pro se & pro Viro suo, qui & ipse, ut illa, de ejus amissione doluerat: quare ut suum, ita & Sponsi pro puero amorem & affectum hoc verbo exprimere voluit, simul & omnibus esse manifestum, quod JESUM non suum tantùm filium, sed & Divi Josephi Sponsi sui existimabat, unde & mox ad majorem expressionem subdidit: *Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.*

VIII. Adverte etiam non dixisse *quid fecisti Patri tuo & mihi sic?* sed *quid fecisti nobis sic*; Quamvis enim hoc idem significet quod illud, tamen hoc aliquid habet quod non illud: Nam per hoc, *quid fecisti nobis sic?* participat sibi Beata Virgo Josephum in passione & sensu ob Christum amissum, quod non ita feciſſet, si dixisset *quid fecisti Patri tuo & mihi sic?* Et ratio est quia ille terminus *nobis* in præcedenti propositione est communis, & ideo significat communionem cum aliqua paritate, non ita illi termini *Patri tuo & mihi* in posteriori, qui cum importent discretionem, possunt esse cum quacumque diversitate.

IX. Ait ergo Beatissima Virgo suo & Divi Josephi nomine, *Fili quid fecisti nobis sic?* non rogat cur id fecerit? ideſt cur manserit? vel cur cum Doctoribus de lege disputaverit? hoc enim jure suo facere poterat: in actionibus enim Theandricis ab illis non dependebat, hocque illi probè sciebant, sed *quid fecisti nobis sic?* ideſt ut nobis insciis remanens, causa doloris hujus nobis fieres? Est ergo sensus: Scio fili, scio te justâ de causâ à nobis ad tempus recessisse: sed cur quæso nos hujus rei conscios esse noluisti? tantorum nos secretorum participes hactenus effecisti, quid ergo in nobis est quod nos hoc latere, & tanti doloris causam nobis dare voluisti? An eâ in te nostram in te dilectionem, nostrum voluisti probare affectum? sed nunquid nosti quanti te faciamus? quanto te prosequamur amore? nec dubito etiam de tuo in nos amore, quid ergo hoc est quod nos ita experiri voluisti? *Quid fecisti nobis sic?* Hunc sensum innuunt illæ duæ particulæ *nobis & sic.* Et ita quidem Deum plerumque probare suos, notum est ex sacris Scripturis, ut amplius eorum amor & dilectio firmetur. & eluceſcat: Vide nostrum Beauxamis tomo 1. in Evangelia ad hunc locum.

I. Secundò, ex iisdem etiam verbis magnitudinem hujus colligo doloris, consequenter amoris: Tantus fuit ut quomodò illum exprimeret non invenerit aut Beata Virgo, aut sacer Evangelista: Quod subtiliter suo more noster Sylveira tomo 1. in Evangel. lib. 2. cap. 10. quæst. 20. ad eadem verba eruit ex his verbis *Fili quid fecisti nobis sic?* His verbis, inquit ille eximius Interpres, Beatissima Virgo ingentem expressit fuisse dolorem, quo cor utriusque transfixum est, quando filium suum deesse cognoverunt: hoc enim indicat illud adverbium *sic*, quod eandem hîc habet vim & energiam quam Joannis cap. 3. vers. 16. ubi eodem utitur sacer Evangelista ad insinuandam illam, quam explicare non potest, divini erga nos amoris magnitudinem, & per quem nobis tradidit filium suum unigenitum. *Sic*, inquit, *Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum nobis daret*: ubi Evangelista dicit

dicit quod Deus dilexerit mundum *sic*, non dicit quomodo, quia non potest: Similiter hic dicit *Fili quid fecisti nobis sic?* quid? dicere non potest, vis doloris omnem superat eloquentiam.

XI. Didacus Stella Minorita Nobilis Lucæ Interpres versans etiam hunc locum expendit in illo verbo *Fili* rationem grandem & prope divinam, quâ Beata Deipara suum Sponsíque sui maximum expressit dolorem: Hanc autem sic ille explicat. Quando Christus orabat in horto, cùm esset tristis anima ejus usque ad mortem, usus est istâ voce *Pater*: dicens, *Pater si possibile est transeat à me calix iste*, in quo verbo inquit Didacus Stella, latebat divina quædam quærela: ac si diceret, Tu ò Pater! meus Pater cùm sis, & ego filius tuus, quomodo permittis me tantum & tam amarum bibere Calicem? Eodem modo & nunc Beatissima Virgo utitur nomine Filii, *Fili*, inquit, *suo* & Sponsi sui nomine, quid fecisti nobis sic? *Fili*, tu filius cùm sis, & ego Mater tua, hic Pater tuus: quomodò potuisti ad hoc te resolvere, ut nobis tantum nobis causares dolorem? hoc ne ego Mater tua, hic Pater tuus, quos amas, & à quibus vicissim amaris, debuimus à te expectare Fili? Si manendum erat & ita constitueras, tu Deus quidem, nos opera manuum tuarum, sed interim ille Pater tuus, ego Mater tua, & tui amantissimi, cur igitur non prænonuisti ut non discederemus ante te. & cum tanto animi angore nobis perditum crederemus?

XII. Ad rem quoque Divus Bernardinus Senensis Serm. de S. Iosepho art. 1. cap. 2. acutè observat Beatam Virginem in hâc occasione prima vice Christum Dominum *Filii* nomine compellasse: rationem cupis? accipe. Quia nimirum, inquit, ille Sanctus Pater, *Filius à philos (quod græcum nomen est) idest amor denominatur, profectò enim dulcius amoris verbum proferre non potuit quam hoc, cùm ait Fili*, cui materni amoris voci dolorem associavit subjungendo, *dolentes quærebamus te*, ut intelligeremus dolorem ejus æqualem fuisse amori, ita tamen ut amori & dolori suo amorem quoque sui Sponsi sociaverit & dolorem. Unde idem Sanctus Pater eleganter ad propositum nostrum subnectit magnam observationem dicens, *Vide notanter advertendum quod hic solum legitur Virginem Ioseph appellasse Patrem IESV, quia sensus doloris quem habuit de IESV perdito, verum in eo monstraverit Patris affectum.* Quid clarius? sed quid elegantius in rem nostram?

Restat jam ut de causâ hujus doloris XIII. D. Iosephi æquè ac Virginis dicamus. Noster Guido Perpinianus Opere cui « titulus quatuor unum, idest in Evang. « ad illud Luc. cap. 2. vers. 48. *Ecce Pater* « *tuus & ego dolentes quærebamus te.* Cur « dolentes quærunt? inquit, an ne for- « midabant infantem perditum? & ex eo « quod præierit puer in comitatu, quod « erraverit? absit, nunquam enim fieri « poterat ut perditum formidarent in- « fantem, quem Deum esse cognove- « rant: explicat id Origenes in Lucam homil. 19. eleganti similitudine, *Quomodo*, inquit, *tu si quando scripturas legis, quæris in eis sensum cum dolore quodam ac tormento, non quod scripturas errasse arbitreris, sed quod illæ intrinsecus habeant veritatis sermonem atque rationem, & tu nequis invenire quod verum est: ita & illi dolentes quærebant IESVM, ne fortè recessisset ab eis, ne relinquens eos ad alia transmigrasset.* Hæc noster Perpinianus ex Origene. Ubsid quod dicit, non credidisse perditum, aut quod erraverit, sed veritos ne recessisset ab eis, ne relinquens eos ad alia transmigrasset approbo; sed quod adjunxit Origenes quod cogitarint fortè rediisse in Cœlum, error est nimis crassus, non cadens in Beatam Virginem, aut Divum Josephum, qui sciebant ipsum in his quæ Patris sui sunt debere esse, & prius mori debere ut salvaret populum suum à peccatis eorum, quam in cœlum redire.

Cardinalis Toletus tamen annotat. XIV. 79. hoc nonobstante existimat Beatam Virginem (idem dicendum de Divo Josepho) doluisse quod putarint à viâ aberrasse sicut cæteri pueri solent, quamvis non eodem modo: neque enim ullâ ratione accidisse crediderunt illi aliquid per errorem non volenti, quem certissimè sciebant esse Deum, omniscium, sed quemadmodū

similis esse voluit in infantiâ cæteris infantibus per omnia, in membrorum exiguitate, infirmitate, lachrymis, in eo quod cœperit prius balbutire quàm perfectè & distinctè loqui, ut infantes cæteri, &c. ita arbitrari potuerunt Maria & Joseph, placuisse illi nunc more aliorum puerorum à viâ deviare, sed voluntate, non ut illi errore. Sed nec hoc probabile arbitror, nec eò confugere in hâc difficultate cogimur cum planior via non desit, ea scilicet quam aperuit suprà noster Perpinianus.

XV. Et verò cùm satis intellexerint initio perquisitionis ex cognatis & notis puerum non in progressu tantùm, sed nec initio reditus fuisse cum illis, inde præsumendum prudentissimè factum, quod non per avia illum requisierint hæc hàc, ille illac, sed rectè utrèque simul in Jerusalem venerint ibi eum requirentes: ubi quoque in Templo inter Doctores, audientem illos, & interrogantem eos invenerunt.

XVI. Non placet etiam multis sententia Divi Antonini Archiepisc. Florentini ex Ord. S. P. Dominici in 1. p. tit. 5. cap. 1. §. 5. existimantis dolorem Deiparæ & Divi Josephi inde processisse, quod metuerent ne fortè puer in manus Archelai incidisset: An enim oblitus erat Divus Josephus Angelum sibi apparuisse dum periculum erat ab Herode ut ab illo puerum eriperet? nec prius monuisse ut rediret, quam periculum cessasset: & iterum alio periculo subnato ab Archelao filio præcedentis, eundem Angelum iterùm apparuisse, & monuisse ut illud declinaret secedendo in Galilæam? quomodo ergo potuisset cogitare eundem puerum tunc à Deo & Angelis ita derelictum, ut periculum illud quod evaserat jam incurreret. Secundò, cum non ignorarent puerum istum esse Deum, nec periculum, si quod fortè subfuisset, ipsum latuisse quomodo cogitare potuerunt ita in hoc periculum, quod sic ante præcaverat, incurrisse?

XVII. Dicendum ergo, quod cùm Maria & Josephus scirent IESUM esse Deum, sibi persuaserunt, non casu aberrasse, sed ex voluntate suâ, & ex alto consilio ipsis incognito ab illis declinasse? Colligitur hoc Responsione Christi ad illos: *Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* tamen ob ejus absentiam meritò doluerunt. Primò, eo quod hanc illis insciis affectasset, maximè cùm ignorarent quamdiu duratura esset. Secundò, quod etsi culpam in se non agnoscerent ob quam Christus ita se subduxisset, solliciti tamen erant ne fortè aliqua commissa fuisset quæ eos latèret: ita enim solent verè humiles, quales Maria & Joseph: quod quam valdè amantes angere aptum sit, clarum est. Tertiò, cruciabant quoque Deiparam & D. Josephum cogitationes de incommoditate pueri circa cibum, potum, hospitium apud exteros & ignotos.

Cæterùm cum Beatissima Virgo & XVII. Divus Josephus ob hanc absentiam tanto dolore affecti fuerint, atque ideò ex illo ipsius causam requisierint, mirum est valdè, quod cum à filio redditam non intellexerint, ut asserit Evangelium, quieverunt tamen ibi nec ulterius de hoc filium interrogare præsumpserunt, nolentes amplius scire quam Deus vellet: Atque ubi cognoverunt illud opus esse paternæ voluntatis, cessarunt inquirere ulterius, magnâque resignatione divinæ dispositioni sibi non aliter insinuatæ, se conformarunt: ex quo discimus quantum debeamus nostrum intellectum submittere divinis ordinationibus.

## CAPUT XXV.

### *Fontes hujus amoris paterni in D. Josepho.*

VIDIMUS hactenus in Divo Josepho amorem pro Christo Domino & filio suo verè paternum, illum ejusque magnitudinem per ejus effectus naturales, scilicet sollicitudinem seu curam, metum & dolorem pro ipso probavimus: eaque omnia in eo gradu, ut etsi deessent argumenta quæ cumulavimus, ut verè Christi Pater esse demonstraretur, nemo tamen est qui non ex his illum

illum crederet Christi Patrem. Restat nunc pro hujus singularis prærogativæ prætioſæque materiæ complemento, Tractatus coronide ut paucula de istius eximii amoris fontibus dicamus; quandoquidem & ex illis ejusdem quoque amoris magnitudinem perspiciemus.

II. Itaque præter summam objecti amabilitatem, immensam dico Filii pulchritudinem, bonitatem, gratiam, suavitatem, majestatem, sapientiam, & perfectionem, quæ in omnium pectoribus sui amorem accendebant; duos alios in Divo Josepho, quos non in alio Patre comperio, hujus sui Paterni fontes Amoris; quorum primus est natura & ratio ipsa: Secundus, Divinum donum.

III. Primum hujus eximii in eo Amoris fontem dico esse naturam & rationem ipsam, esto enim verissimum sit Divum Josephum non genuisse ex se Christum, ut illius Pater naturalis dici possit sicut alii Patres: in quantùm tamen fuit ex vi matrimonii sui cum Divâ Deiparâ Pater illius Prolis, quæ in ipsâ sibi conjugio unitâ, & secum indiviso affectu caro una, concepta est, & in eâ à Deo ex directâ voluntate pro ipso formata, habuit proculdubio, & habere debuit naturaliter amorem pro illâ: Proles quippe illa sic, ut præfertur, in uxore suâ sibi indivisibiliter unitâ inventa, fuit verè sua, atque adeò eam ut suam naturaliter, & ex dictamine rationis naturalis amare debuit & curare.

IV. Quemadmodum enim ille qui inveniret in prædio seu fundo suo fontem, vel arborem, aut fructum, etiam supernaturaliter productum, eum naturaliter amaret, imò eò magis, quò minus illum sperabat: ita Divus Josephus naturaliter amare debuit, & de facto amavit Christum, pro se in uxore jam suâ productum, hoc est eò magis, quò minùs illum sperabat.

V. Noster Christophorus Avendano Catholici Regis Ecclesiastes Ordinarius serm. de Sancto Josepho §. 3. pulchram movet quæstionem ad propositum nostrum. Apud Jurisperitos, inquit, tale quid quæritur: Moritur vir relinquens uxorem à bimestri vel trimestri gravidam: nubit illa non multò post alteri, & postea filium enititur: Quis Pater hujusce prolis censendus est? mortuus ne maritus, aut conjux vivus? Nescio, inquit Avendano, quid jura nostra de hac re decernant, Athenienſium Statuta habebant vivi filium debere dici, ut refert Herodotus, ex eo quod uxor defuncti jugo hujus liberata, tota transeat absolutè & cum illis quæ in utero suo gestat in jus, potestatem, & dominium illius, cui secundò nubit.

VI. Quid ex hoc volo? accipe, si res ita habet, & ita definiêre Athenienſes, apud quos studia litterarum adeò floruerũt; Quantò fortiùs ergo & strictiùs Divus Josephus fuit Pater Christi, qui eum in uxore suâ non ab altero aut cùm alterius esset, sed jam suâ divinitus pro se productum accepit? Cùm ergo Christus adeò strictè esset filius suus, quantùm quæso illum amavit? quantùm ei charus fuit? Certè mihi omninò videtur certum & indubitatum hoc modo plus dilexisse filium istum quàm ullus alius pater prolem ex se genitam, maximè verò attentâ bonitate & perfectione istius filii sui singularissimâ, secundùm quam nulla unquam proles ita se amabilem exhibuit: attento etiam quod cùm Divus Josephus nullis esset passionibus obnoxius, plus ex ratione movebatur ad amandum filium suum, quàm ex inclinatione appetitus, cujus contrarium videmus in cæteris parentibus: At certum est fortiorem esse amorem rationis, quàm appetitus carnalis; ergò &c. Amor enim naturalis in homine dividitur in tres ſpecies, quorum primus & infimus est amor inclinationis, cœcus, quia est ex impetu naturæ. Secundus est amor passionis seu appetitus, qui aliquid videt, sed parùm, & valdè imperfectè, & obscurè; quia oculos habet valdè debiles & obtutum valdè circumscriptum, & ille invenitur in brutis æquè ac in hominibus. Tertius est amor rationis qui non ambulat, nisi in lumine, cùmque oculos habeat perspicacissimos, omnia penetrantes, duobus aliis ducatum præstat amoribus, eorumque gressus dirigit & ordinat.

Secundus

VII. Secundus fons istius eximii amoris Divi Josephi & præcipuus, fuit gratia: quia cùm ista proles fuerit à Spiritu Sancto formata in uxore Divi Josephi jam suâ ex directâ voluntate supplendi actionem ejus, & efficiendi illum Patrem Christi, debuit quoque per sequelam necessariam idem Spiritus Sanctus infundere illi amorem pro istâ Prole, quem natura dat Patribus pro filiis quos ipsi genuerunt: Hinc Rupertus Abbas lib. 1. de Glorià & Honore Filii Hominis in Matthæum ad illa verba ex cap. 1. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ*: ait, *Spiritus Sanctus amborum* (ideſt Mariæ & Josephi) *conjugalis amor in ambobus præsidens, conjugem viri hujus fidei commisit & de carne Virginis hominem formans, paternum viro huic, ejus qui nascebatur Infantis, amorem pœnitus infudit.*

VIII. Spiritus Sanctus ergò, qui, hos Conjuges in seipso, ideſt in Spiritu Sancto copulando, Divo Josepho Virginem tradidit, tradidit simul & fidem, quâ eam servaret intactam: Ita quoque quia eam illi tradendo, tradebat consequenter & filium brevi in eâ formandum, amorem quoque contradidit, qui necessarius erat, ut pro illo tot ærumnas, pericula, itinera, exilium, labores, &c. exantlaret. Ad hoc autem planè fuit necessarius Paternus, & nonne etiam Paterno major? eum ergo ei infudit: At quis nescit quod quando gratia eundem effectum producit quem natura: effectum à gratiâ productum esse longè perfectiorem & excellentiorem eo qui à naturâ produceretur? Sic utique vinum à Deo in nuptiis Canæ Galileæ supernaturaliter productum, fuit longè excellentius illo quod natura produxerat, ut patet ex vocibus Architriclini istarum nuptiarum: *Omnis homo primò bonum vinum ponit, deinde id quod deterius est, tu autem servasti bonum usque adhuc.* Sic Humanitas Christi à Spiritu Sancto formata perfectior fuit etiam in naturalibus quam aliæ formatæ ab hominibus; & ita de cæteris. Ergo & amor paternus Divi Josephi à Deo illi infusus, excellentior fuit eo quem natura dat Patribus generantibus: Nullus igitur pater naturalis ita amavit prolem quomodo Divus Joseph Christum: ergo & reciproce nullus filius ita amavit patrem naturalem, ut Christus Divum Josephum.

IX. Aſt quantùm crevit iste amor Divi Josephi ex consideratione quod idem Filius suus esset Deus? De Sancto Leonide nascentis Ecclesiæ Martyre, & Magni Origenis Parente, refert ex Eusebio Cæsar. lib. 6. Inst. c. 2. Cardinalis Baronius tom. 2. Annal. ad annum Christi 204. ipsum filio suo dormienti sæpè numero adstitisse, & quoniam per revelationem didicerat divinâ scientiâ replendum, pectus ejus stragulis quibus cooperiebatur denudatum, perinde ac si sacer Dei Spiritus ipsum tanquam Templum per inhabitationem consecrasset, augustè & cum reverentiâ solitum exosculari, atque lachrymis, quas præ animi jucundissimâ fundebat voluptate, irrigare.

X. Idem & quantò meliori jure de Divo Josepho existimandum: quam frequenter vagienti in cunis puero sollicitè invigilans, ac religiosè supveniens operimentum quo tegebatur detrahebat? quam sæpè pectus illud in quo omnes sciebat esse absconditos sapiétiæ & scientiæ Dei thesauros ad Col. cap. 2. veneratus, & osculis demulcens, abscedebat, beatum millies & centies millies beatum se reputans quod tantæ prolis à Deo effectus esset Pater. *Stupebat*, inquit Sanctus Bernardinus Senensis Tom. 3. Serm. de Sancto Josepho artic. 2. cap. 2. *ruminando corde, & oculis intuendo, quod Filius Dei se fecerat filium suum, & elegerat eum ad illum nutriendum, bajulandum, regendum, & conservandum in necessitatibus vitæ suæ.*

XI. Sed qualis eidem D. Josepho sensus quando Christus adhuc parvulus existens, *Nunc ad eum vice Patrem, nunc ad sanctam repsit matrem: per virginales cervices gratas alternando vices:* ut canebat in Responsorio ultimo ultimi Nocturni Officii de Sancto Josepho antiquum Ordinis nostri Breviarium, quando, inquam, ille infantiliter jocando in sinu ejus se absondebat? quando illi arridebat? basia infigebat?

Quod

XII. Quod si beati oculi qui viderunt quæ Sancti Apostoli Luc. cap. 10. vers. 23. *Ipse* (inquit Cardinalis Toletus ad illum locum convertens se ad Divum Josephum) *ipse, inquam, non solum vidit & audivit, sed in ulnis sæpe portavit. Quid admirabilius* (verbis utor Divi Laurentii Justiniani in fasciculo divini amoris) *quam Dei Filium Virginis mammas sugere, Iosephi foveri in gremio? Fælix Ioseph*, inquit S. Thomas de Villâ Novâ, *cui donatum est talibus interesse mysteriis, horum gaudiorum fieri consortem, qui dulcissimos audire concentus cœlestium spirituum, audire tripudia, videre obsequia, ovantes Angelos, adorantes Reges, lætantes Pastores, beatis oculis inspicere meruisti.*

*Quis ergo deneget*, concludo verbis Divi Bernardini Senensis tom. 3. serm. de Sancto Josepho, *quod ipsi tenenti Christum in brachiis tanquam Pater, & balbutienti, aut confabulanti cum ipso ut Pater, Christus sive infans, sive adultus, non ingereret, aut imprimeret ineffabiles sensus, atque jucunditates de semetipso, & hoc cooperante interius gratiâ Christi, cum filiali aspectu, afflatu, atque amplexu.* Quod si hæc JESUS in D. Josepho actione intentionali seu objectivè? quid efficientiâ reali? assentior Isidoro Isolano part. 2. cap. 15. dicenti: *Egressus IESUS ex utero Virginis, Iosephi cor vulneravit æterni amoris indesiturâ cicatrice.* XIII.

# TRACTATUS TERTIUS.

## D. JOSEPHI SANCTITAS ex nonnullis ejus Virtutibus.

I. NON inefficaciter, ut tamen arbitror, Divo Josepho strictæ ac veræ paternitatis jura respectu Christi Domini, quâvis cum non genuerit, asseruimus Tractatu præcedenti: Quare licet in eo aliquibus fortè parum prolixi fuisse videri possimus, nescio tamen an omninò rectè. Meminerit si quis est talis, melius esse dicere fusè, quàm confusè, neque ex verborum mensurâ pensandam esse prolixitatem. sed exipsâ materiâ verborum: itaque vitiosæ prolixitatis argui non posse Tractatum illum cujus prolixitas non consistit in verbis inutilibus, sed in explicatione congruâ, in multitudine probationum, & copia objectionum & solutionum. Hinc eloquentiæ latinæ Princeps Cicero: *Nimis longum non est, inquit, cui nihil adimi potest*, cui concinit Isidorus Pelusiota epist. 57. dicens: *Ver abbreviatas cum perspicuitate conjuncta, non in argumentorum prætermissione, sed in earum rerum, quæ ad institutam materiam nihil opis conferunt, rejectione sita est. Vt enim ea quæ ab orationis argumento aliena sunt ponere, supervacaneum est; ita etiam eorum, quæ ad ipsius confirmationem aliquid momenti adferunt; nihil omittere necesse est. Quocirca ne tu quoque, si in pugnacem atque in argutricem orationem incidas prolixitatem accuses; verùm illud cogita, non aliter eam, id quod quærebatur, perspicuè declarare potuisse, nisi longo verborum ambitu uteretur. Nam si affirmandum duntaxat & pronuntiandum sit, brevis sanè atque compendiosa sit oratio. Si autem probandum & demonstrandum, tum verò, ut in longum quidem extendatur, omnem autem redundantiam atque earumdem rerum repetitionem fugiat, necesse est.* Et Divus Augustinus in Prooëmio Retractationum suarum. *Absit*, inquit, *ut multiloquium deputem, quando necessaria dicuntur, quantâlibet sermonum multitudine ac prolixitate dicantur.* Melius adhuc & pressius in Exposit.

psalmi 18. locum obscurum explicaturus ait: *Si hoc planum esset unum aliquid audiretis: quia verò obscurè dictum, multa audituri estis.* Qui tamen ut multitudinem illam cum brevitate stare ostendat, ait in initio ejusdem psal. *Psalmi hujus textum breviter percurramus.* Denique in istâ Divi Josephi paternitate omnia illius magnalia in ordine gratiæ & gloriæ, ut & Sponsæ ejus in suâ maternitate, fundantur: quare in illâ stabiliendâ nihil omitti debuit: & hæ fuêre causæ justæ prolixitatis, non superfluitatis.

II. Manent itaque ex assertâ ibi Divi Josephi ad Christum paternitate plenissimè ac sufficientissimè probatâ, quæ Parte primâ Tract 1. & Tract. 3. de gratiis illi ante paternitatem istam adeptam, sed tamen ejus aliquando futuræ intuitu collatis, ut scilicet ad illam convenienter, ut decebat, disponeretur pronunciavimus, qualia sunt illa quæ de ejus singulari prædestinatione, de copiosâ ejus in utero sanctificatione, de confirmatione in gratiâ, de accelerato rationis usu, de fomite restincto, de castitate & virginitate plus quam Angelicâ disseruimus: Quid enim est gratiæ, quod non debetur Patri Dei ex illis, quæ congruæ ipsius ad tale munus dispositioni conveniebant, quæ aliis eò interioribus, collata fuisse dignoscuntur? & quantum quæso supra illos ex rectâ ratione?

III. Verùm enimverò in hâc quoque assertione jacta sunt fundamenta & præjudicia solidissima ad ea quæ deinceps dicturi sumus, maximè hoc Tractatu de ejus Sanctitate & nonnullis ejus virtutibus, & Tract. 1. Partis sequentis de ejus gloriâ apud Deum incomparabili, & Tract. 3. de ejus Patrocinio singulari: sunt enim ista illius Præcelsissimæ Dignitatis appendices & sequelæ.

IV. Sed esto certissimum sit hoc, efficacissimèque ex assertâ Divi Iosephi Paternitate concludatur, ipsum cum gratiis, quibus ad illam præparatus est, illarumque bono usu & nunquam interrupta illis correspondendi sedulitate, necnõ aliis eâ dignitate adepta ei ubertim adjectis, ad inconceptibilem sanctitatis & perfectionis gradum conscendisse, quem non aliter explicare possumus, quam dicendo fuisse talem, ut nulla sub Dei Matre major unquam extiterit sanctitas aut futura sit: non parùm tamen confert ad istius solidissimi præjudicii credibilitatem, & tantæ ex eo antecedente trahi solitæ à sapientibus omnibus consequentiæ firmitatem, spiritualem etiam nostram ædificationem, illas ejus virtutes introspicere, quas præ cæteris divinum, licet paucis, in eo observavit & commendavit Evangelium, ut nos illas nobis ipsis proponeremus imitandas tanquam summas, utpote quas ab ipso Iesu omnis sanctitatis Magistro docente & faciente didicit, & simul cum illo per totos triginta annos exercuit.

Et quia humilitas, omnium sensu, V. est cæterarum basis & fundamentum, ideò ab illa hanc materiam auspicabimur, finituri per charitatem quæ est earumdem forma & complementum.

## CAPUT PRIMUM.

### *De profundissimâ D. Josephi humilitate.*

QUOD Divus Justinus Martyr I. cognomento Philosophus, quæst. 36. ad Orthodoxos de Diva Deiparâ affirmavit, hoc Sanctissimo ejus Sponso Divo Josepho aptare non dubito, *Beatiorem fuisse virtute quâ* Pater *Dei esse meruit, quàm dignitate, quâ Pater Dei effectus est.* Nam Salvator ipse mulieri cuidam, quæ extollens vocem de turbâ dixit ei, *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Respondit, *Quinimmò Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Luc. cap. 11.

Sed quâ potissimum virtute istud II. decus comparasse dicendus est? Censeo prorsus (& quis aliter?) eâdem quâ Sponsa & conjux ejus suam maternitatem. Hanc porrò quâ virtute illâ? variant Authores in illâ assignandâ.

III. Præmium fuisse Fidei ipsius visum fuit Sanctæ Elizabethæ Matri S. Joannis Baptistæ: ait enim hæc Mariæ, *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* Hanc videtur

videtur sequi Divus Augustinus tract. 4. in Ioannem, & lib. 4. de Symbol. ad Cathecumen. cujus hic accipe verba: *Impletur uterus Matris sine ullo complexu Patris: sentit prolem, quæ se ignorabat coniugem* (intellige complexu) *Angelus ad Virginem loquitur, à Virgine cor præparatur, Christus fide concipitur.*

IV. Alii volunt fuisse præmium obedientiæ ejus, ita Divus Bernardinus Senensis tom. 2. serm. 51. ubi censet Virginem consensu suo his verbis, (*Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*) ex animi sententiâ prolatis expresso plus apud Deum meriti consecutam, quam Angeli omnes hominesque universi: & speciatim censet istius consensus & obedientiæ mercedem, fuisse gratiarum incrementa immensa, fœcunditatem virginitatis prodigiosè conjunctam, ipsam denique Dei Maternitatem.

V. Alii volunt fuisse præmium virginitatis ipsius, alii humilitatis, alii pietatis & summæ Religionis: Alii denique volunt fuisse præmium virtutum omnium: à quibus postremis in re non dissentiunt illi, qui istam maternitatem huic aut illi ejus virtuti attribuunt & deferunt: non enim isti dicunt hanc maternitatis ejus dignitatem fuisse præmium Fidei, Obedientiæ, Virginitatis, Humilitatis, Pietatis aut summæ Religionis ejus excludendo cæteras, maximè charitatem, sine quâ impossibile est placêre Deo, cum certissimum sit quod si aliis virtutibus caruisset, non fuisset digna ut esset Mater Dei: sed quantùm ad meritum primarium huius maternitatis, & rationem quæ principaliter movit Deum ut hanc illi conferret, alii hoc huic virtuti tribuunt, alii isti.

VI. Ego, ut hîc sensum meum proferam, si ulli Divæ Deiparæ virtuti in particulari, ejus demississimæ humilitati cum intensissimâ charitate conjunctæ hoc meritu mtribuendum esse existimo cum communi ferè omnium Sanctorum Patrum Choro, quorum hæc una vox est de Virgine Matre. *Virginitate placuit, sed humilitate concepit.* Vide D. Augustinum Serm. 35. de Sanctis. Sanctum Maximum Taurinensem homil. Dominicæ de Ramis. Divum Bernardum sermone 1. super Missus est. Divum Bonaventuram in Speculo cap. 13.

VII. Crevit ergo Beatissima Virgo ad tantam celsitudinem per profundissimam humilitatem, ideoque facta est supra omnes, quia ipsa se dejecit infra omnes. Vin' videre? clamant ei omnes: *Beata Viscera Mariæ Virginis quæ portaverunt Æterni Patris filium, & beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum.* Sed unde hoc? Audi ipsammet Virginem in suo Cantico *Magnificat*, &c. *Respexit humilitatem Ancillæ suæ, ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Ergo ideò præcipuè facta est Dei Mater, & ob id Beata, quod fuerit humilis & abjecta in oculis suis: Eâdem ergo ratione Divus quoque Josephus Pater Christi, quo nihil post Matrem majus, quia nihil eo humilius.

VIII. Sapientissimus Menæus antiquus Author Græcus de Sancti Patris Gregorii Nazianzeni laudibus dicens, verba hæc magnifica magnificè de eo protulit. *Si statua ex singulis cunctisq. virtutibus humani effigie formanda esset depingendus foret Gregorius.* Ad eundem planè modum ego de Divo Josepho: Si humilitas ac modestia suis vivis ac genuinis coloribus delineanda esset, aut suis partibus & membris constituenda, certissimè nulla aptior illius imago vel idea esse poterit quàm Divus Josephus omnium mortalium humillimus. Non legit attentè Sanctos Evangelistas Matthæum & Lucã, qui hoc ignorat. Sciebat utique Sanctissimus Patriarcha, sciebat *superbiam non esse magnitudinem, sed tumorem: quod autem tumet videtur magnum, sed non est sanum.* Sed ad rem veniamus, magnitudinemque Divi Josephi ex ejus Humilitate videamus.

IX. Humilitatem ipsius summam fuisse patet ex summis illius gradibus quos enumerat Divus Anselmus lib. de Similit. & ex eo Vincentius Bellovac. in Spec. moral. lib. 1. d. 100. part. 3. ad quos ipsa pervenit: quorum primus est, cùm quis ex perfectâ sui ipsius notitiâ, suæque nihilcitatis apprehensione, contemptibilem se, & nihil esse agnoscit: Secundus, cùm hoc fatetur: Tertius, cùm hoc ab aliis credi & dici

non dolet: Quartus, cùm non ægrè fert se contemni & contemptim tractari: Ultimus, cùm amat & gaudet se ita tractari. Quæ omnia in hoc Sanctissimo Viro, omnium utique humillimo, in summo reperiri, ex tuis oculis subjicio in tribus occasionibus. Prima ante ipsius nuptias cum Beatissimâ Virgine, ut per eam præpararetur, & fieret dignus qui summæ & humillimæ isti Virgini conjungeretur. Secunda: in ipso puncto harum nuptiarum, ut per eam acciperet ultimum complementum dispositionis ad istam tantam conjunctionem: Tertia, post easdem nuptias, ut congruè pro ratione tantæ conjunctionis & qualitatis ornaretur.

X. Quoad primam: Consideranda sunt in Divo Josepho tria: Primum, ipsius Natales. Secundum, in talibus Natalibus fortuna & conditio: Tertium, in hâc fortunâ & conditione animi ejus dispositio: Omnia enim hæc faciunt ad rem nostram. Pro natalibus nihil eo sublimius. Pro fortunâ & conditione, nihil humilius. Pro animi dispositione, nullus eo magis contentus: hæc sigillatim ordine consideremus.

XI. Quod spectat ejus natales: Natus est hæres primi Regni totius mundi, scilicet Judaicæ, peculii Dei, ex quo Christus, Messias & Filius Dei nasciturus erat: natus est, inquam, Hæres immediatus & directus Davidis Regis, ut latè probavimus supra Parte 1. Tractatu 2. cap. 12. Sect. 2. & 3. Ergo nihil eo sublimius. Et ut hoc non esset, est tamen verum, ut Evangelium, ipsum esse ex illo sanguine cretum, ac per consequens esse ex primâ omnium totius mundi stirpe & prosapiâ, quid illustrius aut nobilius? Adde ipsum, sive hoc, sive illud, non descendisse ex istis tantis Progenitoribus nisi ut esset Pater Filii Dei Incarnandi: ecce ipsius natales: quàm ex his Magnus!

XII. Sed interim vide in tali adeoque illustri origine ejus fortunam & conditionem: quid humilius! quid abjectius? Ad ultimam Deus, qui Regna dat & aufert pro nutu suo, quibus, quando, & quomodò illi placet, conditionem, cum ex singulari suæ providentiæ dispositione dejecit, in eo imum cum summo mirè maritans, quia eum volebat summè humilem, & summè cum Matre suâ sibi similem. A summis ergò natalibus ad imam fortunam dejectus est, ex Rege opifex, saltem ex Principe Carpentarius faber factus: Quàm stupenda revolutio! quàm mira combinatio! quàm impenetrabilis Dei providentia! ecce hominem omnium Sanctissimum, ad quem jure hæreditario pertinet sceptrum Davidicum & Salomonicum, Deo volente, destitutum, ac loco sceptri ferrum & asciam tractantem: Ecce è contra hominem omnium nequissimum Herodem, vitâ indignissimum, sceptrum ejus injustè occupantem & gestantem, ac in ejus Solio gloriosè residentem: O cœci ergo homines mundani! qui omne bonum, omnem fœlicitatem vestram in fulgore constituitis transituro rerum mundanarum, qui interim nihil est nisi illusio, cujus duratio non extenditur ultra vitam fragilissimam, & quam sæpè corripitur? & cujus tandem finis, vel catastrophe, vel saltem confusio æterna. Quam diversa sunt judicia Dei à vestris? vult quippè Deus Divum Josephum, ad quem spectabant ista non tantùm jure natalium, sed etiam jure meritorum sublimium, illis spoliatum, & à sublimitate Throni sui ad opificium deturbatum; rapiat interim illa nequissimus mortalium Herodes, ut illius fiat Pater qui humilitate suâ venit aut sanare mundi superbiam, aut damnare.

XIII. Verùm cùm non ex eo statim quis humilis quod in statu imo & dejecto: Luciferi enim superbia summa in ultimâ etiam suâ dejectione, ideò oportet hîc tertio loco Animi Divi Josephi ex sublimi ad imum dejecti, nec de juribus suis ignari, dispositionem attendamus.

XIV. Nascimur omnes cum semine honoris seu inclinatione ad illum, nec ullus est tam exiguus aut tam obscurus, in quo propriæ amor excellentiæ altissimas non egerit radices, qui eos perpetuò proritat, ut conatus exerant ad assurgendum. Hoc quotidie oculis usurpamus. Ergo perpendite qualem

vim

vim debuit habere hæc impressio naturalis in animum hujus Viri ex tam sublimi progenie orti, qui non obstupuerat, & quem non latebant jura sua? sed cùm aliundè probè sciret Deum ob rationes justissimas & altissimas, quamvis sibi occultas, eò quò se constitutum videbat dejecisse, non solùm non erubuit de tam vili & abjectâ conditione, non solùm à se abjecit omnem cogitationem indè emergendi, sed etiam conditionem istam amplectitur cum amore, gratias mille agit Deo, qui eam ipsi elegit, atque eâ adeò contentus est, ut serram & asciam suam, quam exosculabatur, non voluisset cum totius mundi sceptro commutare.

XV. Prognatus ergo cùm esset ex Regiâ Davidis stirpe, genusque duceret ex longâ Patriarcharum, Regum, Ducumque serie (recensebat enim in Majoribus suis Patriarchas omninò quatuordecim, Reges totidem, totidèq; Duces) à quibus sibi nomen facere poterat, ut faciunt homines hujus sæculi: Non fecit, nec è majorum suorum gradibus & titulis honorificis se erexit, sed abjecit potiùs infra omnes adeo ut nec fabrilem exercere erubuerit, cupiens in oculis mortalium esse abjectissimus, qui Cœli calculo erat Altissimus: in quo profectò stulta damnavit hominum studia, qui stultissimè sibi à Parentibus, ab Avis, & Pro-avis gloriam accersunt, non autem à virtute propriâ, in quâ tamen vera nobilitas, & gloria.

*Nam genus, & Pro-avos, & quæ non fecimus ipsi,*
*Vix ea nostra puto.*

Uti nec putavit Vir Sanctissimus, cui una virtus, & Dei gratia pro culmine & gloriâ fuit, ut de illo meritò dicere possim, quod Divus Hieronymus de Pammachio qui Senatoriatum cum Cucullo Monastico permutavit, epist. ad Pammach. *Quis crederet hoc*, inquit, *ut Consulum Pro-nepos, & Turiani germinis decus, inter purpuras Senatorum furvâ tunicâ incederet, & non erubesceret oculos Sodalium, ut deridentes se derideret?* Quis, inquam, crederet hoc, ut Divus Josephus longâ ac perenni Patriarcharum, Regum, Ducumque serie progenitus, Sceptrique Davidici ac Salomonici hæres directus ac legitimus, non tantùm non erubesceret videre se ignobilis opificis ventrali præcinctum, ac pro sceptro serram tractantem, sed etiam inde gloriaretur, in eoque statu mundum deridentem derideret, ac de eo triumpharet?

Quare meritò Spiritus Sanctus Cantic. cap. 2. vers. 16. loquens per os Animæ sanctæ & Deo devotæ, dicit: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Ideò ut ait Glossa. *Inter Josephum & Mariam.* Joseph ergo, ut Maria, comparatur lilio ut humilitatem in magnitudine. Etenim ut unà ex parte lilium, teste Plinio lib. 21. histor. natural. cap. 5. & nostris etiam oculis testibus, inter omnes flores altius omnibus caput attollit, sivè, ut verbis Plinii utar. *Nulli florum excelsitas major.* Ita ex alterâ parte insigne illud hujus excelsitatis documentum præbet, quod ubi ad debitam Celsitudinem pervenit (quæ est ut sit omnibus excelsius) obstipo capite versus terram inclinat. Lilii ergo imaginem in Divo Josepho expressam intuemur, dum omnibus Sanctorum Choris superior, caput demittit per summam illam, quam hic prosequimur, suam humilitatem. XVI.

Pro secundo argumento humilitatis ejus, ea attentius perpendo, quæ ei contigerunt, dum jam actu Divæ Deiparæ conjungendus, fuit in matrimonium: Sacerdotes quorum erat virgines Deo sacratas, & Templi obsequiis mancipatas, Parentibus orbas collocare: cùm inter se quæsissent cui Maria orba & nubilis, ac de Deo apud Templum sacratarum numero, esset in Sponsam tradenda, nec inter eos conveniret propter mores Gentis ex unâ, & votum Virginis ex alterâ: Placuit eo super negotiò ad oraculum recurrere, è quo hæc audita vox, hoc responsum: *Cujus Virga de repente floruerit, ipse est quem Deus Mariæ Sponsum designavit, ipsam ei tradite.* Tunc convocati omnes Contribules, in quibus Divus Josephus cum cæteris; sed hic virgam vel non attulit, vel occultavit: ita ut cùm nihil apparuisset XVII.

cœlestibus responsis conforme', secundò redeundum fuerit ad portam Sanctuarii, & consulendum iteratò oraculum: undè eadem vox quæ primâ vice, Virginem istam ei tradendam cujus virga efflorescceret. Quo responso iterùm accepto, cœperunt Sacerdotes, & qui convenerant attentius circumspicere, adeo ut cùm Viro Sanctissimo nullus ampliùs esset evasioni locus, debuerit, ut cæteri virgam suam proferre, vel, ut ait Sanctus Eustachius in Hexamer. à Sacerdote proferendam accipere, quæ (eventu oraculo respondente) illicò & in germina & in flores sese explicuit, ac pro evidentiori adhuc divinæ electionis ejus signo, columba nivea è cœlo in eam devolavit, & ab illâ in caput Divi Josephi, ubi & consedit: Quare Principes Sacerdotum, Sacerdotesque cuncti qui convenerant, rem admirati, pari voto Mariam illi desponderunt: Hæc ex Divo Hieronymo lib. de ortu Virginis, vel eo qui est ejus Author inter Opera ejus, & Divo Eustachio citatis.

XVIII. Super quo casu ut ad rem nostram veniamus, inquirendum occurrit cur Divus Josephus prima vice virgam suam vel non attulerit, vel occultarit, ut ad oraculum iteratò redire necesse fuerit? vin scire? dicam quod censeo: hoc fecit ex summâ, quæ me in stuporem rapit, humilitate, & humillimâ de seipso æstimatione. Non poterat sibi figurare vir modestissimus oraculum ullo modo pro se locutum, nec sibi persuadere in se quidquam reperiri, quare Deus vellet eum aspicere, multò minùs ad favorem suum aliquod miraculum edere: uno verbo adeò in oculis suis sibi parvus erat & abiectus, ut extra omnium qui convenerant numerum, ac si non esset computaret: quanta hæc humilitas & animi modestia! inveni mihi parem: latuerat eo usque, atque mundo semper incognitus vixerat Divus Iosephus, nihil omninò ambiebat nisi semper sic latère: & ideò virgam suam non profert, sed occultat, ut absconditus maneat, nihil quærens nisi soli Deo placere.

XIX. Omne quod magnum est & rarum, latet: Nam primò Deus, *Posuit tenebras latibulum suum*, Psalm. 17. vers. 13. *Habitat lucem inaccessibilem*. Substantia & essentia cujuslibet rei est invisibilis, sola accidentia apparent, anima pars hominis nobilior non videtur. Metalla pretiosiora, ut aurum & argentum, profundius in terrâ detrusa sunt, nec nisi magnis sudoribus effodiuntur: Uniones non reperiuntur nisi in fundo maris: lapides pretiosi nonnisi in aviarum præcipitiis Rupium: secundò in statu gratiæ Deus est absconditus in carne, remissio peccatorum in aquis baptismatis, gratia sub egenis elementis, Christus sub specie vini & panis. Tandem in statu gloriæ, omnis gloria filiæ & Regis ab intus, vita Sanctorum est abscondita cum Christo in Deo. *Et nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus bona diligentibus se*, 1. Corinth. cap. 2. vers. 9. ex Isaiæ c. 64. v. 4.

Propterea etiam Christus Deus nutricium suum, Custodem, Tutorem, Salvatorem, Patrem latère voluit: propterea Evangelium tam pauca de eo profert: propterea Ecclesia de eo tamdiu & tam altè siluit: isto nimirùm exemplo, inquit R. P. Fullonius Jesuita Lcod. ad lib. 2. Mach. cap. 4. sect. 3. monendi eramus, laudes, existimationem, approbationem, etiam quæ à viris probis & spiritualiter judicantibus proveniunt, non esse magnifaciendas: curari non debere, ut non curavit noster Sanctus Josephus, judicium & gloriam quæ cum tempore volvitur, sed eam quæ perstat cum ævo sempiterno: vitam nostram cum Christo, cum Mariâ, cum Josepho, nos debere procurare absconditam, nisi Deus voluerit illam manifestatam, non id esse altissimum flumen, quod majori sonitu defluit, neque opulentius conchylium, cui striata melius cochlea, aut levigata nitescit: neque illum ditiorem mercatorem, qui plus mercium exponit, neque magnificentiorem Principem qui Palatiorum frontes habet ornatiores: sed fluminis altitudinem ab alveo, qui latet, metiendam: pretium conchylii ab incluso margarito stastatuendum: mercatoris divitias attendendas esse in recessu: Principis magnificentiam in interioris aulæ apparatu, XX

ratu, pompa, nitore spectandam: Ita à simili eos non esse sanctiores qui plus habent speciei & nominis, quorum facta oculos magis & aures feriunt, sed qui in interiore hominis corde, ubi Pater videt in abscondito, perfectius operantur.

XXI. Pro tertio humilitatis ejus argumento, considerandus est Divus Josephus post nuptias. Certè si necdum virgini conjunctus talia dedit argumenta suæ humilitatis, credemus ne post conjunctionem minus fuisse humilem? ergo ne cum illâ intumescere vel ab humilitate suâ recedere didicisset? è contra hæc virtutum Mater fœcunda, profundiores adhuc in ejus pectore egit radices: Et certè quomodò fieri potuisset, ut anima tam benè dispositа non evasisset humilior in convictu tantæ Virginis, quæ cum esset Dei Mater, erat tamen tam humilis, tam abjecta, in oculis suis? sed quomodo non fuisset factus sibi ipsi vilior, videns ante oculos suos filium altissimi factum infantem, positum in præsepio bestiarum, tam pauperem, tam humilem, tam parvum, tam absconditum? Quomodo non se usque ad imum nihili sui se abjecisset, videns ipsum æternum Deum oculis suis, universi creatorem diu & noctu ante se humiliatum, sibi subditum, & humillimè obtemperantem?

XXII. Hæc ratiocinatio adeò justa est, ut nulla alia probatione opus esset ad obtinendum cujusvis rectè judicantis assensum, ex quo maximè tam pauca de Sancto isto divinum dixerit Evangelium: sed ecce tamen adhuc ex illo ejusdem virtutis vestigia, & argumenta.

XXIII. Primò in stabulo Bethleemitico ibi observo quod nato Christo, Pastores qui erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum, ab Angelo moniti ad illud advenerint, quodque invenerint *Mariam & Ioseph & infantem positum in præsepio*, Luc. cap. 2. v. 16. At dum Evangelium loquitur de adventu Magorum ad idem stabulum, non facit mentionem ullam tunc Divi Josephi, sed dicit simpliciter Matthæus cap. 2. *Invenerunt puerum cum Mariâ Matre ejus & procidentes adoraverunt eum.* Quid hîc Mysterii? Certè nullo modo probabile est Divum Josephum in hâc ultimâ occasione, si non adfuit, adeò abfuisse, ut non potuerit non adfuisse dum ibi essent Magi; quandoquidem hi ab inde non discesserint valdè subitò, sed ibi saltem reliquum istius Dei & noctem exegerint sequentem, moniti sunt enim ibi in somnis ne redirent ad Herodem, & ideò per aliam viam reversi sunt in Regionem suam, ut dicitur Matth. cap. 2. v. 12.

XXIV. Idemque sentit mecum Gerson Cancellarius Parisiensis in suâ Josephina, dist. 9. ubi sic ille.

*Inveniisse Ioseph Pastores littera tradit.*
*Mentio nulla fit hic, sed qualiter hujus honoris*
*Hujus mysterii mãsisse putabitur exors:*
*Præsertim Reges qui non cessére repente:*
*De reditu vetito nam somnis visio facta est,*
.....
..... *An sola relicta videtur*
*Mater cum puero, quando vaga fama per urbem*
*Insonuit totam, Reges venisse potentes*
*In dromedariis, in pulchro & divite cultu?*

XXV. Restat ergo dicendum Divum Josephum ibi tunc non apparuisse, sed non longè ab inde se occultum tenuisse, donec discederent: Quare autem hoc? utique quia hi erant Reges cum multo comitatu, cum pompâ, fulgore, & gloriâ: & ideò hîc se abscondit, vel non apparet, qui apparuerat coram Pastoribus, coram exiguis & simplicibus. Nunquid in hoc non est humilitas? Quod si Divus Cyprianus tract. de Nativ. Christi, de his Pastoribus, qui ab Angelo ad Christi cunas vocati sunt ait: *Electa adest humilium personarum simplicitas, ut poneretur Regula, & indissolubilis daretur forma, quod nonnisi pauperibus Spiritu Christi patet humilitas, nec superbos ad intuitum sui posset admittere veritas.* Vide quàm humilis debuit esse Divus Joseph, qui tam familiariter, tam continuò, tam diu, tam intimè ei adfuit?

XXVI. Secundò, in Præsentatione Christi: hoc ut fiat clarum, adverte quod ex lege

lege Levitici cap. 12. tenebantur Judæi pro natis suis adimpletis Purificationis diebus offerre agnum unum Deo in holocaustum, & turturem unam, aut pullum columbæ pro peccato, vel casu quo non invenisset manus alicujus unde haberet agnum, loco illius aliam turturem, vel secundum pullum columbæ: Ita quod si potuisset invenire ut agnum posset offerre, tenebatur absolutè agnum offerre: vide caput citatum Levitici, ubi res hæc clarissima est. Atqui Joseph & Maria in Præsentione Christi non agnum obtulerunt, sed par turturum aut duos pullos columbarum Luc. cap. 2. vers. 23. & 24. Signum ergo est quod non invenerit manus Josephi & Mariæ unde agnum offerrent, quem procul dubio obtulissent, si habere potuissent, cùm essent uterque legis observantissimi, & sectatores zelantissimi ejus quod perfectius esse poterat, quod certè non ignorabant, quia erant illustratissimi. Sed quomodò potest ita esse quandoquidem non ita pridem munera pretiosa, ac quidem aurum inter alia à Regibus Magis acceperant? quæ tam citò expendisse non est probabile, nec agnus tanti valoris sit, ut pro eo habendo multa pecuniâ opus fuerit.

XXVII. Huic difficultati non difficilis responsio: Erogaverat jam Divus Josephus in pauperes, quæ ex Magorum preciosis muneribus provenerant; adeò amans erat sanctæ ac beatæ paupertatis, quæ nutrix est humilitatis, sicque sibi in suâ humili complacebat conditione. Et licet prævideret futurum, ut intra paucos dies offerre deberet puerum JESUM in Templo, non tamen reservavit ex muneribus istis nequidem undè agnum emere posset offerendum, quia non minùs futurus erat religiosus turturem aut columbæ pullum offerendo, & tamen sic faciendo, exercebat non solùm charitatem & misericordiam in pauperes illa eis erogando, & paupertatem illa à se abdicando, sed etiam sanctam Humilitatem quæ oculos fugit, soli Deo, in quem solum intendit placere cupiens.

XXVIII. Tertiò, tandem cùm JESUM duodennem in Jerusalem perditum (ipso utique abillis se subducente) post triduum invenisset in Templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem eos, & suus esset hic puer JESUS, esseteque verè illius Pater; Mater quoque pueri, uxor sua foret, & ipse istius familiæ caput, cui uterque humillimè subditus erat, quamvis ipse, ut Mater, dolorem de ejus amissione sensisset, & de inventione gaudium, non tamen elatus est gaudio illo quo perfundebatur, ut præsumpserit puero dicere quidquam, sed totum Matri ex reverentiâ ac si ipse nihil esset, reliquit; adeò modestus erat & parvus in oculis suis. Quare hęc Filio suo tam pro se, quàm pro Sponso suo ipsum tamen sibi præferens, & de humilitate cum ipso decertans, dixit: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.*

Cùm ergò Divus Josephus tam humilis fuerit, quid mirum si tantùm à Deo sublimatus? Cum tam profundas miserit radices deorsum, quid mirum si tàtum fecerit fructum sursum? Quare appositè valdè Ecclesia ad introitum Missæ de illo eum comparat Palmæ dicens. *Justus ut Palma florebit.* Ut enim observarùt Philosophi naturales, & experientia docet, in Palmâ profunditas radicum illius, est mensura altitudinis trunci & ramorum ejus, eâdemque proportione surgit & expanditur ramis in altum, quâ deprimitur & dilatatur radicibus deorsum. XXIX

## CAPUT II.

### *De Divi Josephi perfectissimâ Obedientiâ.*

PRIMUS humilitatis fœtus, I
est obedientia: nec enim hęc sine illa verè stare potest: Quid enim est Obedientia propriè loquendo? est humilis subjectio judicii mei ut approbem quod ab authoritate superiore præcipitur: voluntatis ut illud amplectar & velim: & totius mei ipsius, ut illud ipsum exequar. Atque in hac quidem obedientiâ tria potissimum consideranda: Primum, cui illa præstanda: Secundum, in quibus: Tertium,

Tertium, quomodo: tum enim verè unusquisque perfectus obediens dicitur, cùm hæc tria perfectè impleverit, ideſt cum, primò, illis quibus debet; ſecundò, in omnibus in quibus debet; tertiò, eo modo quo debet, obedientiam præſtiterit: In quibus omnibus quantùm Divus Joſephus eminuerit, (propter quod obedientiam ejus perfectiſsimam in titulo pronunciavimus) hîc diſcutiendum. Sed priùs

II. Obſervandum quemlibet hominem triplicem quodammodo gerere perſonam tres ſtatus ſeu Reſpublicas ad quas pertinet, & in quibus vivit: Vivit enim in mundo, ut homo: in Eccleſiâ, ut fidelis: in Patriâ, ut civis. Eſt in mundo ut homo communi conditione, eſt in Eccleſiâ ut fidelis Dei miſerentis vocatione, eſt in Patria, ut civis vel nativitate, vel ſuâ electione: Ut homo in mundo, debet obedientiam Deo ut authori naturæ: ut fidelis in Eccleſiâ debet eidem in Rectoribus & Paſtoribus obedientiam, ut authori gratiæ: ut civis in Patriâ debet ei obedientiam in Principibus & Magiſtratibus, ut authori ordinis & politiæ. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo, inquit Apoſtolus ad Rom. cap. 13. verſ. 1. Et Deus ipſe Proverb. cap. 8. verſ. 15. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.*

III. Porrò trium iſtorum Regnorum ſeu Statuum, Mundi, Eccleſiæ, Patriæ, & cujuſque membri illorum anima, ſunt leges: Anima mundi & cujuſque in illo hominis, eſt lex naturalis: Anima religionis & in illâ cujuſque fidelis, eſt Evangelium: Anima patriæ & in eâ cujuſque civis, ſunt leges politicæ & civiles. Quamdiu anima in corpore & membris, unumquodque illorum vivificat, vegetat, & ad actiones ſibi proprias movet. Abeat anima, abibunt omnia, & ubi ante venuſtas, nil niſi vermes, putredo, cinis. Iſta in illis omnibus ſtatibus, Mundo, Eccleſiâ, Patriâ: quamdiu lex ſartatecta eos animat, omnia vernant, florent omnia: Leges ſi tollas, nil niſi chaos, confuſio, horror.

IV. Alligetur ergo unuſquiſq; hominum, fidelium, civium, legibus mundi, Religionis, Patriæ, ut animæ ſuæ, ſine quibus homo non homo, fidelis non fidelis, civis non civis, ſed cadaver tantùm, & ſpectrum hominis, fidelis, civis. Hoc noſtro ſenſu dixit Eccleſiaſtes cap. 12. v. 13. *Deum time, & mandata ejus ſerva, hoc eſt omnis homo.* Quid namque iſta cauſalis *enim*, & iſtud *hoc omnis homo.* An ſine timore Dei & mandatorum ejus obſervantiâ homo non homo? an cum hâc & illo homo pluſquam unus homo? Ita planè certo utique modo. Quomodò hoc? homo, iterùm dico, eſt homo in mundo, eſt fidelis in Eccleſiâ, eſt civis in Patriâ. Timeat Deum, qui præſidet iſtis tribus ſtatibus, & ab hoc deſcendat ad obſervantiam legum omnium iſtorum ſtatutum, quæ ſunt ab ipſo, & ſic erit verè *omnis homo*: hoc eſt verus homo, verus fidelis, verus civis: aliàs non erit niſi ſimulachrum hominis, fidelis, civis: ſeu potius tinea & peſtis mundi, Religionis, patriæ: hoc quoque vidit Diogenes Philoſophus gentilis, qui hominem quæritabat in confertâ multitudine, in populoſiſſimâ civitate, medio die, cum lampade accenſâ, in pleno foro, in planeis, per Compita.

V. Verùm enimverò cùm Obedientia ex Divo Thomâ ſecundâ ſecundæ quæſt. 104. ſit pars juſtitiæ quædam, licet hâc virtute ſubditi omnes & divinâ & naturali lege ſuos omnes Præfectos etiam Sæculares & Civiles colere debeant, Dei tamen, atque aliorum iſtiusmodi Præfectorum habitâ differentiâ: quemadmodum enim naturalia omnia naturæ, ita quæ liberum habent arbitrium ſine ullâ exceptione divinis præceptis, juſtitiæ neceſſitate in omnibus parêre oportet; at obedientia homini præſtanda certis eſt circumſcripta limitibus, neque in omnibus promiſcuè vel ſervus Domino, vel vaſallus Principi, vel Filius Patri, vel miles Duci, vel Religioſus Prælato, obtemperare tenetur, ſed in iis dumtaxat quæ præcipientis poteſtati ſubjecta, ſublimiori authoritati non repugnant: Et hæc fuit obedientiæ Divi Joſephi amuſſis & norma: Obedivit Deo ut Deo, obedivit Sacerdoti, obedivit Cæſari, obedivit Hærodi, obedivit Magiſtratui, uti ejus miniſtris: obedivit

Deo in omnibus, Sacerdotibus in divinis, Cæsari, Herodi, Magistratui in Politicis & Civilibus : & obedivit simpliciter absque discussione, celeriter & non ex desidiâ, hilariter & non ex tristitiâ aut necessitate. Hæc sunt objecta, partes, & modi veræ ac perfectæ obedientiæ.

## SECTIO PRIMA.

### *Obedivit Divus Josephus ut homo Deo ut Authori naturæ.*

VI. DEus est Author naturæ quia Creator est, etiam & gratiæ quia Redemptor simul & Remunerator : In utroque statu illo ei obediendum, & primò quidem oportet hominem perfectè subjici & acquiescere voluntati ac dispositioni Dei ut est Author naturæ, Rector mundi, in quo ipse est ut homo.

VII. Hujus status leges nihil aliud sunt quam generales Divinæ Providentiæ & gubernationis effectus, quales sunt ordo & series partium hujus mundi, ortus rerum & occasus, vicissitudines & revolutiones temporum, varietas fortunę & casuum ejus, qui respectu nostri accidentiâ dicuntur casusq; fortuiti, sed respectu Dei sunt ex proposito voluntatis suæ. Satis est in hanc lucem venisse, ut legibus istis obnoxii simus, pro ut de facto sumus, volentes nolentes : Illud tamen addendum quod etsi illius obnoxium esse sit necessitas inevitabilis, possumus ea nihilominus in bonum convertere, tolerabilia reddere & efficere, ut Cœlum nobis valeant : quomodo ? per debitam voluntatis nostræ cum divinâ, rectissimâ, justissimâ, & omnipotentissimâ ( quæ omnia ista pro nutu suo agit, volvit & revolvit ) conformationem.

VIII. Feram ergo spontè ut dies & noctes sibi succedant, & conatus ac studia mea ista vicissitudine, vel abrumpant & perdant, vel retardent : ut æstas me suo ardore urat, Hyemsque suo rigore, ut tonitru me terreat & fulgur indiscriminatim omnia feriat : ut pluvia me in itinere perfundat ? ut siccitate ager meus arescat : fortunam patiar sine animi dejectione adversam, sine elatione prosperam, sine alteratione abeuntem & redeuntem, miscentem adversa prosperis tristia lætis : excipiam tranquillus morbos post sanitatem, & dum advenerit, mortem meorum & meam ; quia leges sunt quibus mundi Rector suam regit rempublicam : quibus Christianè accinit gentilis Seneca epist. 104. *Nubilo*, inquit, *serena succedunt, turbantur maria cum quieverint, flant invicem venti : noctem dies sequitur, pars cœli consurgit, pars mergitur, contrariis rerum æternitas constat : ad hanc legem noster animus aptandus est, hanc sequatur, huic pareat, & quacumque fiunt debuisse fieri putet, nec velit objurgare naturam : optimum est pati quod emendare non possis, & Deum, quo Authore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari : & hic est magnus animus qui se Deo tradidit, at contra ille pusillus ac deneger, qui oblectatur, & de ordine mundi malè existimans, emendare mavult Deos quam se.* Quid christianius si tamen addideris quæ adhuc idem Seneca epist. 86. *Non ex ebore tantum Phidias sciebat facere simulachra, faciebat ex ære : si marmor illi, si adhuc viliorem materiam obtulisses, fecisset quale ex illâ fieri optimum posset, sic sapiens virtutem si licebit, in divitiis explicabit, si minus in paupertate : si poterit in patriâ ; si minus in exilio : si poterit, Imperator : si minus miles : si poterit, integer, si minus debilis. Quamcumq; fortunam acceperit aliquid ex illâ memorabile faciet.*

IX. Quis in hoc ordine Divo Josepho in obedientiâ æquiparandus ? secutus est ille Deum quâcumque libuit ducentem : sed ducentem quà ? non per amœna, sed per lutosa, non per plana, sed per salebrosa : non per mollia, sed per aspera. Quis talem fortunam qualem ille expertus est, & animo tam pacato & tranquillo ? *Ita affecti sumus*, inquit Seneca lib. de consol. ad Helviam, *ut nihil apud nos æquè magnam admirationem occupet, quam homo fortiter miser ; & spectaculum sit dignum ad quod respiciat intentus operi suo Deus, vir fortis cum malâ fortunâ compositus.* Ecce tibi Divum Josephum, si ullus unquam, talem,

talem, cum malâ fortunâ luctantem, & eluctantem, filium Regum, pauperem & contentum.

X. Non fecit ille ut plerique noſtrûm quibus nihil in ore frequentius quàm iſtud, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terrâ*; & nihil minùs in corde. Quotus quiſque enim noſtrum eſt, qui hoc dicens non faciat ſicut ille, qui amico ſuo precioſum monile offerens, precibusque diu inſtans, ut accipiat, illo manum ad oblatum porrigente ſuam ipſe protinùs retrahit: Non ita, inquam, Divus Joſephus, qui, & ore continuò verſabat illa verba *Fiat in me voluntas tua*, referente Sanctâ Brigittâ lib. 6. Revelat. cap. 59. ita & mente ad illam ſe perfectiſſimè obtulit, & per omnia ac ſemper paratus extitit: flexanimis Deo adeò, ut quocumque volebat duceret ſtatim: voluit ipſum ex Rege pauperem, dixit ille animo prono, volenti & demiſſo, fiat: Voluit illum laborare, laboravit; ſudare, ſudavit; algere, alſit; peregrinari, peregrinatus eſt; exulare, exulavit; contemptibilem eſſe, gaviſus eſt.

XI. In hoc etiam ordine Mors ipſius ſeriò obſervanda. Sanctus Pater noſter & Dei Propheta Elias ante Chriſtum optavit mortem pertæſus vitam: alii Sancti etiam eam optaverunt, ſed ideò quia poſiti procul à Chriſto optabant vivere cum illo: Sed tu, ô Patriarcharum Sanctiſsime! qui vivebas hic cum eo, quomodo voluiſti mori, & ſic ſeparari ab illo? Apoſtolus Paulus ad Philipp. cap. 1. cupit diſſolvi ut eſſet cum Chriſto qui erat in cœlo, ſed tu qui es hîc cum illo cupis diſſolvi & eſſe ab illo, ejuſque ſuaviſſimâ quâ fruebaris præſentiâ privari: quid hoc eſt? Certè duas in iſto Sanctiſſimo Viro diſtinguere debemus voluntates adverſum ſe colluctantes, voluntatē ſcilicet manendi & fruendi Chriſto, & voluntatem obtemperandi Divinæ Providentiæ & diſpoſitioni, ac ſic moriendi, & diſcedendi ab eo: In primâ, erat delectatio ſumma, quâ perfundebatur in præſentiâ Filii ſui & Sponſæ ſuæ: In ſecundâ, nihil niſi Divinum beneplacitum, non enim tunc adhuc patebat aditus ad Regna Cœlorū, ſed deſcenſurus erat ad Sanctorum lymbum Patrum, ibique manſurus, donec aſcenderet cum Filio ſuo, cœlo ipſius morte referato: Et licet ex diſpoſitione Dei deberet tunc mori, poterat tamen à Filio ſuo, qui etiam vitâ functos excitarat, ob ſublimiſſima ſua apud ipſum merita diſpenſationem obtinere & prorogationem, quam tamen nec petere voluit: ſed conſiderato hanc eſſe Dei voluntatem, ut tunc moreretur, huic divino peneplacito ſe conformans fecit ut voluntas prima in ſe cederet ſecundæ, & ſic ſublimiſſimè conformavit ſe voluntati divinæ.

## SECTIO II.

### *Obedivit Divus Joſephus ut Fidelis Deo ut Authori Gratiæ.*

SEcundò debet unuſquiſque homi- XII.
num ut fidelis in Eccleſiâ, obedire Deo ut gratiæ Authori & Conſummatori: debet, inquam, Sanctæ Religionis quam profitetur ſcita ac Leges amplecti: quæ antiquis erant lex ſcripta, nobis Evangelium & Eccleſiæ mandata. Chriſtianus es, vide ne nomen vacuum & inane portes: ah quale crimen in fundo Chriſti, hoc eſt animâ Baptiſmi obſignatâ charactere, ſtygis imperium erigere. Quale crimen in Eccleſia Sacroſanctis Myſteriis participare, Angelicæ Menſæ accumbere, & ad inſtar dæmonum procari? lege Chriſtianum dici, & moribus eſſe Scytham?

Mandatis ab his nunquam Divus XIII.
Joſephus ne vel latum unguem diſceſſit unquam: nec in his ſolùm religioſa ejus Obedientia explorata eſt, ſed etiam in aliis extraordinariis ac quidem maximè arduis & difficilibus probata.

Docent Medici filios naſci cum in- XIV.
clinatione vehementi ad illa, ad quæ eorum parentes cogitabant & quibus afficiebantur tempore generationis eorum: Atqui dum generabatur Divus Joſephus, parentes ex quibus genitus eſt, non agebant ex libidine, ſed ex ſtudio & voluntate obtemperandi legi Dei: genitus eſt enim ut diximus in

superioribus à Jacob in uxore Heli fratris sui sine liberis defuncti ex præcepto legis Deuteronomii c. 25. Ergo natus est cum vehementi propensione & naturali quâdam inclinatione ad observantiam legis, in quam intendebant ejus parentes in illius genere tione. Quid mirum ergo si in obedientiâ excelluit ille qui ad eam à naturâ præparatus est.

XV. In actuali legis obsetvantiâ genitus, in eâdem quoque deprehensus est quando evectus ad desponsationem Virginis. Monuimus enim supra Parte 2. Tractatu 1. cap. 13 num. 5. cùm dandus esset dignus illibatæ Virgini Sponsus id factum ex oraculi decreto, ratione cujus Sacerdotes nacti sunt occasionem solemnitatis Enceniorum, ad quam celebrandam ex præcepto legis convenire solebant Judæi, maximè verò qui erant ex Tribu Judâ: Cujus concursus ratione facile fuit innuptos ex præfatâ Tribu ad conditam diem convocare, ut ei cujus virga floruisset, Virginem in Sponsam juxta Oraculi responsum traderent. Quare cùm Divus Josephus per omnia Legis observantissimus, in Jerusalem ad festum ascendisset, & ad jussionem Sacerdotum adstitisset, virgâ ejus solâ inter cæteras Contribulium suorum se in flores explicante, manifestè omnibus apparuit eum a Deo electum, cui Virgo tradenda erat.

XVI. Cùm verò in actuali obedientia & præcepto Legis jubentis adesse solemlemnitati, & Sacerdotis præcipientis adesse concursui, factus est Divus Josephus Virginis Sponsus, observarunt Sancti Patres, non tantùm virgam ejus se in flores explicuisse, sed etiam Spiritum Sanctum in specie candidissimæ columbæ in eum devolasse, & ejus capiti consedisse, ut quid hoc? nisi ut manifestum fieret ex tunc Spiritum Sanctum ejus possessionem solemnem accepisse, ut deinceps ille nonnisi ex ejus motu & ductu se ageret.

XVII. Et verò undè ille Mariam duxit in uxorem? unde cum eâ virginitatem servavit illibatam? unde inventam gravidam nesciens adhuc mysterium non traduxit? unde in Bethleem jamjam parituram, non tam ad descriptionem (ad quam non erat necessaria illa) quàm ut ibi juxta Dei promissum Filium suum pareret advexit? unde pro Filio suo, expletis purgationis diebus, par turturum aut duos pullos columbarum potiùs quàm agnum obtulit? undè in Ægyptum pro salute Matris & Prolis cum utroque aufugit? unde sublato periculo, in terram Israel redire jussus, audito quod Archelaus regnaret in Judæâ pro Herode Patre suo, hâc relictâ pro pueri securitate ad partes Galilææ secessit? &c. Nisi ex hoc Spiritus Sancti ductu, nunquam ejus restitit impulsui, quin è contra, omni semper conatu illum secutus est, nec in ullo unquam defuit gratiæ Dei. Qualis ista obedientia?

XVIII. Ex hâc obedientiâ Christum circumcidit, eique nomen JESU imposuit. Cujus obedientiæ gravissimam circumstantiam ex profunda meditatione supra hac Parte 2. Tractatu 2. c. 20. num. 64. & sequentibus habes. Vide ibi ne idem bis repetamus. Ex hac quoque obedientiâ, *Postquam consummati sunt dies Purgationis Mariæ tulit JESVM in Ierusalem ut sisteret eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.* Luc. cap. 2. vers. 22. & 23. Ex hac dedit pro eo hostiam secundùm quod dictum est in lege Domini par turturum aut duos pullos columbarum, Lucæ cap. 2, vers. 24. Ex hac denique per singulos annos veniebant in solemnitatibus cum Conjuge sua ad dies festos solemnes in Jerusalem è Nazareth, Lucæ cap. 2. vers. 41.

XIX. In quâ obedientiâ illud non est prætereundum quod eò contigit cum factus esset JESUS annorum duodecim: cùm enim tunc ad festum de more ascendisset, & dies festos consummasset, perdidit JESUM, quo nihil ei molestius accidere poterat. Quod Saül offerrens Sacrificium amittat regnum & Dei gratiam 1. Reg. cap. 23. quod Ozias incensum offerens leprâ cooperiatur, 4. Reg. cap. 15. & 2. Paralip. cap. 26. nihil mirum, quia licet hi bona agerent, non tamen benè. At Divus Josephus, cum Beatâ conjuge religiosissimè hoc præceptum adimpleverant, & omnia cum summâ perfectione consummarant, & tamen Christum amittunt:

tunt: sed hæc est probatio fortissimorum ac perfectorum. Sic contigit Jobo, sic Tobiæ, sic aliis justis: obtulerat Holocausta Job pro filiis, ne fortè peccassent: optima Patris oratio pro filio ne peccet filius, aut si peccavit ut ei dimittatur, & tamen mediâ die post oblatum sacrificium domus corruit & filii pereunt. Redibat Tobias à mortui in mediis plateis jacentis laboriosâ sepulturâ, pro quâ etiam dimiserat prandium suum, nec eâ die comederat, & reversus dum fessum labore corpus recreare putat excœcatur: sic Divo contigit Josepho: obsequitur legi per quam religiosissimè, festum celebrat per quam devotissimè, nec ullus eo & conjuge suâ melius, aut tam benè, & tunc puerum perdit quo nihil ei tristius: si ergo videris te cum benè egeris mala invenire, probatio justi est, ne doleas nec despondeas animum, sed Deo gratias age.

## SECTIO III.

### *Summum hujus obedientiæ Divi Josephi argumentum.*

XX. PErfecta tunc obedientia censetur, & verè est, ut docent Sancti Patres quando obeditur simpliciter absque discussione, celeriter & non ex desidiâ, hilariter & non ex tristitiâ aut necessitate, constanter non cedendo arduis occurrentibus, & perseveranter non deficiendo. *Verus obediens*, inquit Divus Bernardus de præcept. & dispensat. *Mandatum non procrastinat sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit ut mandatum peragat imperantis, non attendit verus obediens quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus quod præcipitur.*

XXI. Præclarissimum vide hujus perfectæ obedientiæ si unquam fuit in Divo Josepho testimoniũ apud Matthæum cap. 2. in ipsius fugâ cum Matre & Puero in Ægyptum ad monitionem Angeli: instabat pullulo Jesu, instabat & Virgini parenti sævus Herodes, & prope ferrum eorum cervicibus impendebat, quando Divo Josepho nil minus cogitanti, *Apparuit Angelus in somnis dicens surge, accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi, futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum, & exurgens à somno fecit sicut præceperat illi Angelus.*

Hìc verba singula, singulæ expen- XXII.
dendæ circumstantiæ hujus facti, habent enim omnia quoddam obedientiæ pondus immensum. Itaque ponderandum. Primò, cui paret? Secundò, in quo? Tertiò, quomodo? Quartò, quàm simpliciter? Quintò, quàm promptè? Sextò, quàm constanter?

Primò, Angelus est qui ei apparet, & XXIII.
qui per fugam prolique matrique consulere jubet: & ille ipse Angelus qui paulò ante nunciarat eum quem nunc salvare jubet, esse Salvatorem omnium. Divus Hieronymus in Matth. cap. 2. vers. 12. observat quod adorato à Magis in cunis Domino, dum de reditu cogitant responsum acceperint in somnis, ne redirent ad Herodem, non dicitur autem à quonam acceperint istud Responsum, cùm tamen ibidem versu immediatè sequenti explicitè dicat Angelum fuisse qui in somnis apparuit Joseph, & monuit de viâ arripiendâ: Quid hoc? censent Interpretes cum de Angelo nulla fiat mentio in responso dato Magis in somnis, uti in hoc casu Divi Josephi immediatè sequenti, ab ipso Deo immediatè fuisse responsum datum Magis: Rationem discriminis reddit Divus Hieronymus citatus, cujus verba refero, si fortè in eis aliquid non ita vulgare expendere liceat: *Responsum autem*, inquit, *Magis non per Angelum fit, sed per ipsum Dominum, ut meritorum Ioseph privilegium demonstraretur.*

Sed instabis, quare ex hoc quod XXIV.
responsum datur Divo Josepho per Angelum, Magis verò per Deum ipsum, demonstratur meritorum Divi Josephi privilegium? contrarium enim potius primâ fronte videtur. Verùm citò dicâ ex hoc meritorum D. Josephi privilegium supra Magos ostenditur, quoniam scilicet Magis ipse Deus exerta Domini authoritate reditum imperare debuit, Josepho autem non sic, etiam in re longè difficiliore, sed

satis fuit nutum per quemdam de ministris insinuare : consummata ergo Josephi obedientia ostenditur, dum tam promptè à cubili surgit, ut in re tam arduâ obediat ad vocem ministri, ac si à Deo ipso excitatus fuisset & jussus.

XXV. Secundò, jubetur exire de terrâ suâ & de cognatione suâ, déserere domum suam & omnia sua, peregrinari in regionem longinquam, & exulare in tertâ ignotâ, barbarâ & incultâ, ubi homines efferati, ubi nullus timor numinis, nullus amicus, nullus notus, per viam asperam & desertam, in loco horroris & vastæ solitudinis, sine commeatu, sine divitiis, sine duce, sine idiomate : nonne hic tentatur ut fortis?

XXVI. Jubetur Pater fidei nostræ Abraham egredi de terra suâ & de cognatione suâ, & domo Patris sui Genes. cap. 11. & quia fecit sicut præcepit ei Dominus, mirè extollitur à SS. Patribus : sed quid hæc obedientia si conferatur cum istâ Divi Josephi? Mittitur quippè Abraham in terram quam ei daturus erat & semini ejus possidendam, eâ quam actualiter possidebat longè meliorem : duxit deinde secum Loth filium fratris sui : tulit præterea uterque universam substantiam suam quam possidebant, & animas quas fecerant in Haran : Denique plurima & magnifica ei promissa proponit Deus, ut eum alliciat ad jussa peragenda, quorum omnium nihil inveniemus in hâc Divi Josephi obedientiâ : nonne ergo tentatur ut fortis?

XXVII. Sed quandoquidem imminebat Puero periculum, quare cum moniti sunt Magi ne redirent ad Herodem, non est monitus simul D. Josephus ut eis se adjungeret, & unâ cum illis in Persidem secederet? hoc enim pacto (præterquam quod omnia securissima fuissent) fuisset illi melius & charissimis suis pignoribus : vel si manendum donec dies purgationis Mariæ expleretur, & puer Deo oblatus esset, cur rebus istis peractis non mittuntur in regionem eorumdem Magorum ubi ab illis in honore & pretio habiti fuissent? ut impleretur, inquies, *Quod dictum est à Domino ex Ægypto vocavi filium meum*, Matth. cap. 2. vers. 15. Sed ut benè notavit Tostatus in hunc locum Matthæi quæst. 61. non est credendum ita factum quia sic scriptum fuit, sed potius è contra ita scriptum fuit, quia sic Deus fieri volebat : quærimus autem hîc cur Deus ita voluerit potius quàm isto modo? Quare respondeo primò, ex Imperfecto nostro in Matth. Homil. 2. ad eum locum : *Post Ægypti olim grave delictum, post multiplices plagas divinitus irrogatas, Deus Pater omnipotens qui non in finem irascitur recordatus misericordiæ suæ, Filium suum misit in Ægyptum, ut quæ jam dudum sub Moyse debitas scelerum suorum pœnas expenderat, veniente ad ipsam Christo magnæ reconciliationis signum & spem acciperet.*

XXVIII. Respondeo secundò cum Patre nostro Sylveira tomo 1. in Evang. lib. 1. cap. 7. quæst. 7. numer. 37. Sciebat Dominus quod Innocentes ob sui causam ab impio Herode essent perimendi, pro tali ergo tempore ipse etiam ærumnosæ & molestissimæ peregrinationi, & exilio, se subjecit : Dum enim sui erant sub truculenti gladio tyranni, noluit ipse in divitiis Orientalibus, ac regiis voluptuari deliciis : sed ut magis ad rem nostram accedam.

XXIX. Respondeo tertiò, Deum in hoc ad Divi Josephi majus meritum attendisse, quod sine dubio excrevit in immensum per labores, quos sustinuit fortiter eundo in Ægyptum, & ibi manendo, quos minimè pertulisset, si cum Magis, vel ad illos in Orientem profectus fuisset.

XXX. Sed pro majori elucidatione laborum à Divo Josepho in hoc itinere ex obedientiâ arrepto emensorum, tria statuenda. Primùm, quis fuerit locus ad quem se conferre debuit : Secundùm, quis ille à quo fugam cœpit : Tertiùm, quæ distantia ab hoc ad istum? Et quidem quoad primum, locus ad quem perrexit, & in quo demoratus est, vocatur Civitas Solis, & colligitur ex Isaiæ cap. 19. vers. 18. Heliopolis autem quæ est Civitas maxima totius Ægypti est idem Græcè, quod Civitas Solis apud Isaiam Latinè : ita Divus Anselmus,

Anſelmus, Divus Paſchaſius, Hugo Cardinalis, Chriſtianus Grammaticus, & Abulenſis citatus.

XXXI. Quantùm ad ſecundum incœpiſſe fugam ab Jeruſalem volunt Beda, Cajetanus, Janſenius, & ex noſtris Guido Perpinianus & Thom. Beauxamis quorum fundamentum eſt quod Matthæus c. 2. v. 13. Adorationi Magorum ſubjungat ſtatim hanc fugam, dicens: *Qui* (ideſt Magi) *cùm recеſſiſſent ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph dicens, Surge accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, &c.* Ita ut ab illâ monitione venerint ex Bethleem in Jeruſalem ad Purificationem & Præſentationem, & eâ peractâ perrexerint in Ægyptum. Alii volunt incœpiſſe à Nazareth quò reverſus eſt poſt Purificationem, ibique monitum fuiſſe de fugâ capeſſendâ, ita Origenes, Divus Chryſoſtomus homil. 9. in Matth. Theophilactus, Anſelmus, Euthymius in Matth. Suarez 3. part. quæſt. 23. art. 4. diſp. 17. ſect. 1. qui citat Tatian. & Ammonium Alexandr. in harmon. Evang. Abulenſis in cap. 1. Matthæi quæſt. 57. & noſter Sylveira tomo 1. in Evang. lib. 2. cap. 6. quæſt. 17. probant hi ſuam ſententiam ex Luc. cap. 2. ubi deſcriptionem Purificationis Mariæ & Præſentationis Chriſti in Templo, claudit his verbis verſ. 39. *Et ut perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam in Civitatem ſuam Nazareth.* Et ad fundamentum prioris ſententiæ reſpondent illud *ecce* in textu mox citato Matthæi non ſignificare connexionem inter res narratas (cùm conſtet inter diſceſſum Magorum & fugam in Ægyptum interceſſiſſe illud tempus quod fluxit à reditu Magorum uſque ad Purificationem, ideſt viginti quinque dies) ſed eſſe appoſitum ad ligandum ſermonem: & hæc ſecunda ſententia meo videri verior & amplectenda.

XXXII. Quantùm ad diſtantiam ſeu intercapedinem inter Nazareth à quâ, & Heliopolim ad quam migravit: Abulenſis mox citatus quem communiter ſequuntur omnes, à Gazâ, quæ eſt contermina Regni Ægypti, uſque ad Heliopolim numerat ſeptuaginta leucas, quæ conſtat tribus millibus Italicis, in quâ viâ ſunt tantùm viginti leucæ arabiles & competentis habitationis, reliquæ autem quinquaginta ſunt vaſtiſſimum deſertum. Brocardus autem à Gazâ uſque ad Hebron ponit iter unius diei: ab Hebron uſque ad Jeruſalem octo leucas horarias: ab Jeruſalem uſque Nazareth viginti ſeptem leucas: Conficiunt in ſimul centum quinque leucas, & iter unius diei, quibus addendæ viginti ſeptem leucæ reditus ab Jeruſalem poſt Purificationem in Nazareth, ac ſic fecit centum triginta duas leucas, & iter unius diei. Divus Bonaventura de Meditat. Chriſti cap. 12. dicit quod ad iſtud conficiendum Curſor impenderet quindecim dies, ad minùs duodecim.

Hanc viam confecit Divus Joſe- XXXIII.
phus, & licet pateret ei via facilior per mare in Ægyptum, elegit tamen ire pedes per viam terreſtrem ex communi omnium ſententiâ, tùm ne cum periculo pignorum ſibi concreditorum diu expectare cogeretur in portu, uſque dum navis aliqua ſolveret in Ægyptum, tùm quia maris navigatio fuiſſet non parùm tenero Infanti & Matri delicatæ ac inaſſuetæ nociva, ſaltem periculoſiſſima.

Et jubetur excedere vix reverſus ex XXXIV.
Jeruſalem in Nazareth, necdum ſaltem itineris ſatis longi, qui viginti ſeptem, ut diximus, leucarum ſeu octoginta & unius millium Italicorum labore recreatus, tantum iter arripere per aſpera, per montoſa, per paluſtria, per locum horroris & vaſtiſſimæ ſolitudinis. Nox erat tunc intempeſta quieti danda & ſomno, non itineri, maximè verò Infanti & Virgunculæ Matri: Hyems erat & quidem ſæva, ſpirabant frigidi Aquilones, è nube gravidâ fortè nix cadebat denſa, vel pluvia crebra, quæ & eos perfundebat, & vias reddebat invias: quomodò viam talem ineat Virgo? quomodò JESUS? quomodò Joſephus ipſe? ſed quomodò tam longâ, tam difficilem? Jacebat Infans, jacebat & Mater in lectulo, quomodò ex eo ſurgere faciet & hanc & illum mediâ nocte, abrupto præproperè ſomno? facit tamen: Accipit propterea Puerum, & vel ut Matri ſolatio ſit, vel ut tenelluli membra frigore rigentia foveat

foveat, in ulnas defert: Nec equo portatur aut lectică, nec rhedâ vehitur qui cœlos digito appendit. Portatur à Josepho stupente naturâ, stupentibus Angelis, dulce quidem pondus & amanti leve; sed tamen pondus, & hoc duce obedientiâ. O quoties in tanto itinere tramitem relinquere, & deflectendo per avia etiam longissimè viam requirere coacti sunt benè madidi, benè fatigati, vix pane satiati, solis fortè radicibus & herbis sylvestribus recreati. O miram obedientiam in re tam difficili! non obmurmuravit, non cunctatus est, non conquæstus est de itineris longitudine, de importuno noctis tempore, de hyeme, de inopinatâ & improvisâ profectione, de inopiâ ad expensas faciendas maximè per iter ignotum, desertum, barbarum, horridum & incultum. Ex quibus facilè est concludere si talem Vir Sanctissimus præstiterit obedientiam in tam arduis, quid fecerit in aliis.

XXXV. Quartò inquirendum, quomodo obedivit? quàm promptè? quàm simpliciter? quàm constanter? dixit ei Angelus: *Surge accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi, futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Quid ad hæc Divus Josephus? in re mirè obscurâ, perplexâ, & difficillimâ, nihil locutus est, nihil interrogavit, nihil replicavit, nihil obmurmuravit. Sed *consurgens*, inquit Evangelista, *accepit Puerum & Matrem ejus nocte & secessit in Ægyptum, & erat ibi usque ab obitum Herodis Regis.* Hoc est non tantùm fecit quod præcepit ei Angelus, sed etiam sicut præcepit. *Nisi enim*, inquit Divus Paschasius in hunc locum, *fiat sicut præcipitur, & non aliud quam præcipitur, & tum fiat, quando fieri præcipitur obedientia vera esse non potest.*

XXXVI. Promptitudinem obediendi huic cœlesti monito probat illud participium, *Qui consurgens*, quod significat ipsum à strato in quo jacebat, continuò, & sublatâ omni morâ surrexisse, Puerum & Matrem accepisse, & eodem instanti iter arripuisse, quid promptius? Tam promptus fuit ut iret in Ægyptum seu in exilium, quam ut rediret ex Ægypto in patriam suam, eisdem enim verbis Evangelista utrimque obediendi promptitudinem exprimit, ait enim hîc & illîc: *Qui consurgens accepit Puerum & Matrem ejus*, & pro primo, *secessit in Ægyptum*, & pro secundo, *venit in terram Israël*: imò promptior fuit ut iret in exilium: quia licet consurrexerit ut rediret ex ex Ægypto in patriam suam, sicut fecerat ut iret in exilium: Evangelista tamen observat quod profecturus in exilium non tantùm consurrexerit, sed etiam quod ipsâ nocte acceperit Puerum & Matrem ejus, & secesserit in Ægyptum, non verò ut rediret ex Ægypto. Esto enim dicatur hîc quoque quod consurrexerit, non tamen quod ipsa nocte acceperit puerum & Matrem ejus ut rediret in terram Israël; non tantùm quia res non ita urgebat hîc atque illîc, sed etiam ut sciremus Sanctissimum Virum promptiorem fuisse obedire in contrariis & duris quàm in placentibus. O miram obedientiam!

Simplicitatem verò & constantiam XXXVII. in obediendo probant cætera. Nisi enim simplex fuisset & cœca ejus obedientia, quam multa poterat causari & objicere contra hæc tam extraordinaria mandata? neque, saltem in speciem, adeò absurdè. Primò, enim poterat dicere si tu es ille Angelus qui mihi ante apparuisti, aut ab eo missus à quo ille, quomodò cohærent hæc quæ tu mihi modo imperas, cum illis quæ àte, vel ab illo mihi ante dicta? si ille, quem jam vis me subducere Herodi, est opus Spiritus sancti, si est filius altissimi, si Salvator populi sui ut dixisti tunc, quid igitur timet Herodem idest hominem? quare ab hoc fugiat ille sub quo tremût qui portât orbem, & ipsæ cœli columnæ? ille, inquam, cujus majestatem laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates? an non alia via, alius modus minus ignobilis se ab illo expediendi? an non potest efficere ut terra dehiscat, & illum vivum absorbeat? an non ex æthere fulmina in caput infandum evocare? an non è cœlo accire Angelorum Legiones, quorum unus solus unâ nocte cêtum octoginta quinque millia Assyriorum exercitus

Sennacherib

Sennacherib potuit interficere? aut si non placet modò illa vis cœlestibus, cur non subtrahitur Infans captis oculis Herodis & Curialium ejus? id enim ei factu facile; & aliæ Deo viæ, eæque innumeræ perditum impediendi, coercendi, comprimendi, imò opprimendi. Cur ergo eligitur turpis fuga? sed cur in Ægyptum? in exulem terram, in extorre & arens solum? &, quod caput est, ab Idolis infame? denique si fugiendum in Ægyptum, cur non hoc indicatum cùm esset Jerosolymis ut parceretur labori quem suscepit ut rediret Jerosolymâ Nazarethum, ac deinde Nazaretho usque Jerosolymam, ut ex hinc pergeret in Ægyptum? cur ipsâ horâ quâ discedendum & non ante, ut daretur aliquod tempus disponendi de rebus necessariis, & se ad tantum iter comparandi? hæc omnia sese objiciebant, mentem ejus pulsare poterant, sed vir justus perfectissimè Deo subditus nihil horum audit, tenet Dei verbum firmissimum, & sequitur præcipientem, ô qualis triumphus Dei de toto homine! de ejus judicio, cujus lumen ita retunditur, de voluntate cujus libertas ita subjicitur: de omnibus potentiis & facultatibus ejus quarum actus ita ei consecrantur?

XXXVIII Sed quid tandem de constantiâ hujus obedientiæ? Audi, jubetur esse in Ægypto in exilio, quamdiu verò? *Esto ibi usque dum dicam tibi*, inquit ei Angelus. Ergo quamdiu? hoc ei manebit incertum & occultum: pendendum & semper erit ex Dei nutu, & boni Angeli ore, & dictis: & verò pendebimus, inquit, & in hoc casu & in omni vitæ cursu, stat enim in obedientiâ & vivere & mori: sollicitus minimè fuit ut quæreret quot mensibus quot annis hoc exilium, hæc mala, hæc afflictio durabunt, nec id ei Angelus aperuit, sed dixit solùm, *Esto ibi usque dum dicam tibi.* Nec ipse inquisivit. Non voluit Deus ipsum cognoscere quanto tempore ista afflictio duratura esset, ut esset paratus (prout de facto fuit, cum nihil de futura ejus duratione inquisierit) ad eas per totam vitam si ita ei placuerit tolerandas, ut sic licet uno tantùm die durasset afflictio, meritum tamen ipsius non esset unius dici, sed totius vitæ.

De justo in brevi consummato dicitur Sapientiæ cap 4. Quod *consummatus in brevi expleverit tempora multa*, quia nimirum jam seipsum Deo ad labores multorum temporum obtulerat, eosque jam mente & animo acceptarat & pro Deo exantlare præsto erat, si sic ei placitum fuisset: unde nec eorum meritis privari debuit, per accidēs enim fuit quod abbreviatâ ejus vitâ eos non tolerarit: Jam enim animo paratus erat ad eos, multis temporibus sustinendos. Ita etiam Divus Josephus, licet exilium illud, illiusque incommoda nonnisi per septem annos pertulerit, habuit tamen meritum immensi temporis, quia fuit præsto illud pro Deo tolerare sine mensurâ, quamdiu voluisset Deus. XXXIX.

Patet ergo ex his quàm verum sit quod Beatissima Virgo D Brigittę lib. 6. Revelat. cap. 59 revelavit. Conjugem suum Josephum hæc verba ferè continuò in mente & ore habuisse, *Vinam vivam & adimpleam voluntatem Dei mei.* XL.

Sed quid miramur ipsum Deo obedientem, miremur potius Deum ipsi obtemperantem. *Erat enim subditus illi*, Luc. c. 2. vers. penult. & quod voluerit Deus Pater & filium sui sibi per omnia æqualem & consubstantialem & filii sui Matrem, ab hujus Sanctissimi Viri nutu & ore pendere, in cujus rei argumentum ipsi, non Mariæ Angelus Domini apparuit, dum eis fugiendum & dum à fugâ redeundum. XLI.

## SECTIO IV.

### *Obedivit Divus Josephus hominibus in omnibus.*

DIvus Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 1. quærit utrum homo teneatur alteri homini obedire, & respondet eodem artic. in corp. his verbis, dicendum quod sicut actiones rerum naturalium procedunt ex potentiis naturalibus; ita etiam operationes humanæ procedunt ex humanâ voluntate: Oportuit autem in rebus natura- XLII.

libus, ut superiora moverent inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis collatæ divinitùs: unde etiam oportet in rebus humanis quod superiores moveant inferiores per suam voluntatem ex vi authoritatis divinitùs ordinatæ. Movere autem per rationem est præcipere, & ideo sicut ex ipso ordine naturali divinitùs instituto in rebus naturalibus inferiora superiorum motioni subjiciuntur, ita etiam in humanis ex ordine naturalis ac divini juris tenentur inferiores suis superioribus obedire. Hæc Divus Thomas.

XLIII. Et noster Divus Damascenus lib. 2. de Fide Orthod. cap. 7. dicit potuisse à Deo dari proprium lumen homini quomodo & Soli, sed non datum, ut ordo inter creaturas quæ subsunt & præsunt ostendatur; & doceamur communicare invicem, & lubenter subesse, si Deus ita disposuit: & Divus Gregorius Nazianz. orat. 9. *Obedientiam*, inquit, *tam terrena quàm cælestia tuentur & conservant: summoperè itaq. cavendum ne exclusâ obedientiâ invehatur anarchiâ; regereq. sese ipsi velint qui regi debent cum apertâ totius multitudinis pernicie.*

XLIV. Ergo in tertio hujus mundi statu, idest in Civitate, in Oppido, in Patriâ, in quâ cives sumus, debemus Magistratui & Principibus obedire ut Dei Ministris in legibus politicis & civilibus, in quibus nihil contra Deum, quandoquidem per Deum Reges regnent, & legum conditores justa decernant, & hoc ut ait Apostolus ad Rom. cap. 13. vers. 5. *Non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam:* ita ut illi peccent qui illorum leges temerè transgrediuntur.

XLV. Ex quibus tria colligenda: Primùm, quod Leges & Sanctiones Politicæ & Civiles (à fortiori Ecclesiasticæ) non tantùm Principum fidelium, sed & infidelium, etiam sublato scandalo, in conscientiâ obligant Christianos omnes ut alios ipsis subditos, in iis quæ non sunt contra Deum & Religionem: quia *omnis potestas à Deo est, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, inquit Apostolus loco proximè citato: Secundùm, quod Heterodoxi qui volunt excutere jugum suorum Principum legitimorum prætextu Evangelicæ libertatis miserrimè decepti, ut Judæi Evangelium evertant: quia Evangelium præcipit obedire Præpositis etiam discolis: & potens est illos deturbare vel mutare si non vellet illos regnare: Tertiùm, tantùm abest ut Evangelium & Religio Christi destruat potestatem publicam, sive illa Monarchica sit, sive Aristocratica, sive Democratica, quin potiùs illam adstruit, stabilit, & corroborat; quando-quidem doceat illam esse à Deo, nosque omninò adstringat ejus legibus & placitis etiam in conscientiâ.

Quare in hoc tertio statu ut civis in XLVI. Patriâ me spontè subjiciam omnibus legibus & ordinationibus civilibus ac politicis, moribus quoque sive consuetudinibus receptis, nec Religioni contradicentibus, Patriæ seu Civitatis in quâ natus sum, vel quam voluntate meâ elegi, nec gravabor reddere Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei Deo.

Hæc itèrum obedientia mirè eluxit XLVI. in hoc Sanctissimo Viro de quâ ex tribus vel quatuor ejus actionibus, de quibus solùm nobis constat, judicium ferendum.

Primò, namque obedivit Sacerdoti- XLVII. bus dum ad eorum jussionem comparuit cum aliis contribulibus suis, quando quæstio fuit de collocandâ Beatâ Virgine Deiparâ in matrimonio, ut diximus supra. Comparuit, inquam, quamvis ipse inter omnes nullo modo de nuptiis cogitaret. Poterat enim ipse secum apud se ita raciocinari: Quid ad me ista jussio, qui de nuptiis non curo? compareant illi quibus nuptiæ sunt in votis, ego apud me maneo, celebs enim esse volo: Sed non fecit quia verus obediens ita affectus est, ut potiùs cogitet esse mandatum & obligationem ubi non est, quàm non esse ubi est. *Perfecta obedientia*, inquit Divus Bernardus tract. de Præcepto & Dispens. cap. 9. *legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod injungitur spontanea, vigore liberalis, alacrisq. animi modum non considerans*

in

*in infinitam libertatem extenditur.*

XLIX. Secundò, in exercitio artis suæ in summâ humilitate, & cum summâ resignatione, summam exercuit obedientiam, subjectus omni humanæ creaturæ propter Deum, qui subjecerat eum in spe: prostratus quippe à fortunâ, vel melius à Deo ejusque justissimâ Providentiâ à summis natalibus ad infimam sortem, à sceptro, inquam, ad malleum, illis quibus operas suas locabat, ut humillimus servus, modestissimè inserviebat flexanimis ad omnem eorum nutum.

L. Tertiò obedivit Cæsari, nam cùm exiisset ab illo Edictum ut describeretur universus Orbis: *Ascendit Ioseph à Galilea de Civitate Nazareth in Iudæam in Civitatem David, quæ vocabatur Bethleem, eo quod esset de domo & familia David ut profiteretur cum Maria desponsata uxore sibi pregnante.* Inquit Lucas cap. 2. vers. 4. *Ascendit*, inquam, quod significat iter arduum, *in illis diebus*, idest hyemali tempore ad finem scilicet Decembris; *de Nazareth in Bethleem*, idest ad viginti quinque leucas horarias, ut minimùm, *cum Maria*, idest brevi pariturâ, unde non levis ei timor: sed quod caput est *desponsatâ sibi uxore*, quam sciebat verbo divino filio Altissimi fœtam, idest illo sub quo tremunt etiam illi qui portant orbem, & ipsæ cœli columnæ; illo, inquam, ante cujus conspectum mors fugit, ad cujus vocem mortui resurgunt, videntes autem eum portæ mortis confractæ sunt; illo denique ante quem Augustus cum supercilio suo, nec etiam culex est, & nihilominùs hæc sciens, ac se tanti Domini Patrem à Deo electum & effectum paret edicto ut alii de trivio homunculi.

LI. Hanc profundam reflexionem mihi ingessit phrasis seu modus loquendi Sancti Evangelistæ Lucæ hoc factum referentis. Nam postquam dixit cap. 2. vers. 3. *Ibant omnes ut profiterentur singuli in Civitatem suam.* Subjungit statim versu immediatè sequenti: *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de Civitate Nazareth*, quasi diceret non tantùm alii Edicto Cæsaris Augusti Majestatis obedientes iverunt singuli in Civitatem suam, ut profiterentur, sed etiam (quod admirère) Joseph cum Mariâ sibi desponsatâ uxore pregnante.

Ultimò, denique obedivit quoque LII. impiissimo Herodi, suo (etiam secusâ suâ in Patrem Dei electione & evectione) inferiori, rebelli suo, sceptri sui violento & injusto occupatori, verbo uno notissimo Tyranno, obedivitque sciens, volens, lubens, immò cum summâ modestiâ, & cui nulla unquam similis, cessit illius furori: tanti faciebat obedientiam ut illam sedibus & regnis anteponeret quam nullis ullus verbis unquam ita extulit ut D. Remigius apud D. Thomam in Catenâ, ubi sic ille: *Hoc aditu rediit vita, quo ingressa est mors: per inobedientiam. Adæ omnes perditi sumus, per obedientiam Ioseph omnes ad pristinum statum incipimus revocari.*

Tu itaque Christiane qui hæc legis, LIII. vel audis, noli sub obedientiâ gemere ut sub jugo jumentum, sed ad exemplum Sanctissimi Patriarchæ Josephi, Patris JESU, & Mariæ Sponsi, exhortante etiam Sancto Ambrosio serm. 3. in psalm. 118. *Erige cervicem tuam*, quia cùm fers legem & obedientiam, dum caput tuum Deo ut authori naturæ subdis in quantùm homo in mundo, vel ut gratiæ authori & consummatori in in quantùm fidelis in Ecclesiâ, ei denique in Principibus ac magistratu tanquam ministris ab eo missis in quantum civis in Patriâ. *Redimicula non vincula geris.*

## CAPUT III.

### *De Paupertate Divi Iosephi rerumque terrenarum contemptu.*

DUPLEX est paupertas, una I. necessitatis, altera virtutis: Prima, est onerosa & gravis: Secunda, generosa & levis: Prima, est egena & tenuis: Secunda, dives & opulentia: Prima, vilis & sordida: Secunda, nobilis & suspicienda: divitiæ verò, licet ex se non sint malæ, nec vituperandæ, quia tamen pericu-

losæ, & ut plurimùm fomenta malorum, ideò illarum contemptus consulitur, & ei semper præferenda paupertas, quidquid in contrarium sentiant homines mundani, & nil nisi terrena sapiētes, idq; ex multis rationibus.

II. Prima, quia dives juxta vulgatissimam parœmiam *aut iniquus* aut iniqui hæres. Primò, iniquus vel quia iniquè acquiruntur vel quia solent iniquitati servire, vel quia homo ex quo per peccatum à rectitudine cecidit, nimis inordinatus est ut eis benè utatur ut debet: unica siquidem virtus, scilicet misericordia illas distribuit per eleëmosynam, quam adhuc sæpissimè vanitas inficit. Sed è contra avaritia eas congregat cum injustitiâ & irreligione & mille aliis vitiis. Prodigalitas expendit cum gulâ & profusione, superbia ad ambitionem, vanitas ad luxum, pompam, & ostentationem, aliorumque contemptum, ira ad vindictam, luxuria ad corruptelam; ut meritò Salvator eas vocet, *Mammonam iniquitatis*, quæ superbiæ, quæ libidini, quæ iræ, quæ vindictæ, quæ ludis, quæ luxui, quæ commessationibus, quæ histrionibus, quæ parasytis, quæ justitiæ labefactandæ, quæ pudicitiæ corrumpendæ servit: quare pauperes, qui non habent illas, non invideant divitibus qui eas habent, quia periculum quod ex illis imminet divitibus, majus est malum incomparabiliter inopiâ, quam ipsi ex paupertate suâ patiuntur: divites verò quibus tanta ex illis incumbunt pericula, videant an illas tanti facere debeant, quanti solent.

III. Vel secundò, iniqui hæres est dives, ut enim profundè Divus Chrysostomus in 1. ad Timoth. *Necesse est divitiarum initium ac radicem ex aliquâ iniquitate emanasse: unde id constat? ex eo quod Deus ab initio non fecit alium quidem divitem, alium verò pauperem, sed eandem omnibus aperuit humum: quo pacto igitur cum illa communis sit, tu illius permulta jugera possides, proximus verò nec unam glebam? Pater, inquies, mihi ista reliquit: ille autem à quo ea suscepit? à majoribus scilicet: sed hi à quibus? necesse est profectò per successionis lineam ascendendo invenire principium: id autem injustitiâ vacare non potest.* Hæc Chrysostomus Sanctus.

IV. Secundò, præferendam dicimus divitiis paupertatem virtutis, quia ditior est divitiis: licet enim paupertas aliquibus fortè indigeat, avaritiæ tamen, quæ ferè inseparabilis est à divitiis, omnia desunt: ut enim præclarè latinæ Princeps eloquentiæ Cicero: *Tam deest avaro quod habet, quàm quod non habet.* Nam adeptis non gaudet dum novis semper inhiat, & miratur quod inimicus quem fugit eum nunquam deserat, ut Tantalus in aquis, inops & sitiens in medio abundantiæ, auro, quod sitit, ipsius capsas non ipsum implere valente.

V. Hinc pulchrè Seneca etiam exnaturali lumine in hâc materiâ christianizans, *Parem Deo*, inquit, ideſt fœlicem, *pecunia non faciet, Deus nihil habet*, utpote qui omnibus omnia tribuens, se solo dives est & Beatus. *Prætexta non faciet, Deus nudus est*: Nullum enim habet operimentum, præter lucem propriam, amictus lumine sicut vestimento. *Fama non faciet, Deum nemo novit, & multi malè de illo æstimant & loquuntur.* Imò etiam ab Athæis exsibilatur, & ab impiis laceratur. *Non turba servorum, Deus solus est*, & ante mundi creationem nullus erat qui eum coleret. *Non pompa, lecticam ejus portantium, ipse vehit omnia*, cuncta portans verbo virtutis suæ. Quid ergo parem faciet Deo, ideſt fœlicem? audi eundem Senecam epist. 25. *Quisquis desiderium suum clausit, cum ipso Jove de fœlicitate contendit.* Et verissimum est illud quod sub nomine Philonis Judæi circumfertur, *Virtutis studiosus paucis indiget in confinio mortalis & immortalis natura situs.*

VI. Tertiò, paupertatem virtutis divitiis præferendam ducimus, quia cum illa sit voluntatis, non est gravis, dumque paucis caret commodis, multis levatur curis quæ comitantur divitias: Et sicut nihil est tam leve quod ei grave non sit, qui invitus aliquid facit, sic à contrario nihil est tam grave, quod non ei qui volens exequitur, leve esse videatur. *Nisi fortè*, inquit Doctissimus Salvianus lib. de Provid. *Antiquis illis priscæ virtutis viris, Fabiis, Fabriciis, Concinnatis, grave fuisse existimamus*

quod

*quod Pauperes erant qui divites esse nolebant, cum omnia scilicet studia sua, omnes conatus suos, ad omnium emolumenta conferrent, & crescentes Reipublicæ vires privatâ paupertate ditarent: nunquid parcam illam tunc agrestemq; vitam cum gemitu & dolore tolerabant, cum viles ac rusticos cibos ante ipsos exercebantur focos sumerent, eosq; ipsos capere ante vesperam non liceret? Nunquid ægrè ferebant quod avara illos à divite conscientiâ auri talenta non premerent? aut etiam argenti usum legibus coercerent? Nunquid illecebræ & cupiditatis pœnam putabant, quod distenta aureis nummis marsupia non haberent? Cùm patricium hominem, quod ad decem usque argenti libras dives esse voluisset, indignum curiâ judicarent? non despiciebant tunc puto pauperes cultus, cum vestem hirtam ac brevem sumerent, cum ab aratro accerserentur ad fasces, & illustrandi habitu Consulari, illis fortè ipsis, quas assumpturi erant imperialibus togis, modicum sudore pulverem detergerent. Itaque tunc illi pauperes Magistratus opulentam Rempublicam habebant. Et quæ rogo insania est, & quæ cæcitas, ut egestuosâ ac mendicante Republicâ divitias posse credant stare privatas? Tales ergo tunc veteres Romani erant, & sic illi tunc contemnebant divitias nescientes Deum, sicut nunc non spernunt sequentes Deum.*

VII. Sed *nullâ major*, inquit gravissimus Tertullianus lib. de Patientiâ, *Ad pecuniæ contemptum exhortatio est, quàm quod ipse Dominus in nullis divitiis invenitur.* Addit Apostolus Jacobus c. 2. *Audite fratres dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide & hæredes, regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* ubi sic Glossa: *Diligentius attendite, quia non qui ditiores in sæculo, hi sunt meliores in examine divino,* & ideò non sunt præferendi. Ubi & Divus Thomas Aquinas, paupertatem multùm Christo placere advertit. Primò, quia eam sibi assumpsit: Etenim *cum esset dives propter nos factus est egenus,* 2. Corinth. cap. 8. Secundò, quia statim ut mundi incola esse cœpit, paupertatis signa erexit: natus est enim in stabulo, & ut loquitur Ecclesia.

*Fœno jacêre pertulit*
*Præsepe non abhorruit,*
*Parvoque lacte pastus est,*
*Per quem nec ales esurit.*

Tertiò, quia paupertatem inter homines conversans tenuit; *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet,* Matth. cap. 8. Quartò, quia pauperes elegit in Apostolos, erant enim Piscatores. Quintò, quia Regnum Cœlorum promittit pauperibus Spiritu Matth. cap. 11. Sextò, quia paupertatis consilium tradidit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus,* ibid. Ultimò, quia nudus mori voluit: ergo tam studiosus, tam amator paupertatis, non alios voluit in terris habere parentes quàm pauperes, & divitiarum contemptores: licet enim propter edomitas in illis passiones, fomitem extinctum, & mentem ex toto in Deum erectam, nihil à divitiis, aliàs periculosis, in illis timendum esset, quin è contra illis in bonum, ita usi fuissent qualiter nulli alii, quia tamen illarum abdicatio, etiam bono usu longè melior est, & tutior; ideò illam in eis non divitias exquisivit.

Hæc conjectura adeò fortis est ad VIII.
probandam in illis Christi parentibus paupertatem istam virtutis, & divitiarum contemptum, ut sola sufficiat: sed tamen non desunt aliæ: eum enim præterea probant in Divo Josepho. Primò, quod fabrilem exercuerit, ut patet ex Evangelio pluribus in locis: nec valet si dicas cum aliquibus, etsi Faber dicatur non tamen significari tenuem, sed architectum aut Magistrum qui plures ac diversi generis artifices sub se haberet, hoc enim supra refutavimus, part. 1. tract. 2. cap. 13. sect. 1. Vide Responsionem ibi. Secundò, patet ex paupertate hospitii ad quod ratione illius divertere coactus est in Bethleem, eò perfectus ad pendendum Cæsari censum cum Mariâ uxore suâ, cùm enim non esset eis locus in diversorio in eo Oppido, quia nimirum ditiores loco præoccupaverant, & eis alii ab hospitalariis & cauponariis mercedem & luctum quærentibus præferrentur, debuerunt ad stabulum bestiarum deflectere, ubi *enixa est puerpera Regem qui cœlum terramq; regit*

*regit per sæcula.* Tertiò, ex oblatione pro Christo factâ in Templo quando postquam *impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt IESUM in Ierusalem, ut sisterent eum Domino.* Tenebantur enim Judæi strictè ex præcepto divinæ legis die à partu quadragesimo venire cum natis suis ad templum, & ibi pro illis offerre agnum anniculum: Quod si fortè non potuissent manus illorum invenire ut agnum emerent offerendum, ob paupertatem, tunc & non aliter, par turturum offerebant, aut duos pullos columbarum: atqui Divus Josephus & Maria non agnum obtulerunt, sed par turturum aut duos pullos columbarum, Evangelio attestante Lucæ c. 2. Non ergo potuit illorum manus invenire ut Agnum offerrent: ergo pauperes erant. Hinc Venerabilis nostra Margareta à Sanctissimo Sacramento in verbis à nobis suprà relatis part. 1. tract 3. cap. 3. de illis ait: *Nihil eis præter Nazarethanam domunculam.*

IX. Sed hæc eorum paupertas non fuit necessitatis, sed virtutis & electionis, probatur primò, de D. Josepho: nam ipse fuit filius legalis Heli ut diximus. & propterea successit in ejus bona ex lege: Atqui Tritavus Heli in Genealogiâ Divi Lucæ cap. 3. dictus etiam *Joseph*, qui fuit filius Mathatiæ, suo tempore utramque gubernavit Galilæam, ut notavimus suprà part. 1. tract. 2 cap. 14. sect. 1. num. 11. ex Josepho Judæo lib. 2. de bello Judaico cap. 25. & Philone item Judæo in Breviario temporum: Tanta ergo gloria, ut adhuc intulimus ubi suprà, non potuit adeò fuisse detrita in Heli, ut nihil prorsus habuerit quod transmitteret in filium suum legalem & hæredem Divum Josephum.

X. Ex quo præterea conficitur Divum Josephum paupertatem illam virtutis ex mentis opulentiâ elegisse, & amplexatum fuisse etiam antequam ad nuptias cum Virgine perveniisset, eaque bona patrimonialia in quæ successerat, exceptâ domo suâ Nazarethanâ ad habitationem necessariâ in pauperes distribuisse, quandoquidem ex tunc fabrilem didicerat, eamque exercuerat ad victum comparandum.

Quoad Beatam Virginem verò, XI
certum est ipsum fuisse Sanctorum Joachim & Annæ unicam prolem, ergo consequens quod ipsa fuerit bonorum ad illos spectantium hæres: unde Eusebius Emissenus: *Manifestum est*, inquit, *Beatissimam Virginem Mariam nobilissimam hæredem, parentibus suis in hæreditatem successisse, siquidem nec fratres habuit, nec habuisse legitur.* Bona verò habuisse nec exigua nimis manifestum est ex SS. Patribus, & patebit ex sequentibus.

In his bonis occurrunt primò res XII
immobiles, idest quæ soli sunt aut solo adhærent, agri, prædia, domus, l. 23. ff. *de usu.* At constans est Patrum doctrina Divæ Virginis Parentes plura prædia & domos possedisse, & Beatam Virginem illa ab ipsis hereditasse. Nam primò Sancta Anna sterilis pro obtinendâ prole à Deo in horto suo orabat, ut asserunt Sanctus Germanus in Encomio de Virgin. Præsentat. Antiochus homil. 107. Epiphanius serm. de laudibus Virginis. Secundò, Sanctus Joachim, ut habet Sanctus Hieronymus, vel quisquis est Author lib. de Ortu Deip. inter opera Divi Hieronymi. *Ad Pastores qui cum pecudibus suis erant in pascuis suis secessit.* Tertiò, plura habuerunt hinc & inde domicilia, quæ ex institution. *de usufr.* l. 15. ff. *qui satisd.* inter res immobiles numerantur: unum in Sepphoro seu Dio-Cæsareâ, quæ Urbs est in ipso Galileæ meditullio, quam Brocardus itiner. 5. Bredenbach. ibid. Fretellius pag. 49. noster Joannes Pascha Itinerarii d. 174. Salmeron Proleg. 41. & alii communiter, Patriam seu natale solum Divi Josephi existimant: Aliam domum tribuit Divo Joachimo Sanctus Damascenus lib. 4. de fide orthod. cap. 15. scilicet ad Piscinam probaticam prope templum: idemque asserunt alii inter quos Joan. Zeverinus Vera in Itiner. Hierosol. cap. 9. Bredenbach. 26. Julii, Salign. tomo 8. cap. 6. Vitriacus cap. 58. Will. l. 11. Belli Sacri cap. 15. & 16. noster Joannes Pascha citat. d. 107. qui dicunt utrumque Mariæ Parentem diem ibi obiisse, ibique Templum in honorem Beatæ Annæ extructum. Vide nostrum Lezanam in Annalibus.

nalibus. Et hæc quidem certa videntur, quæ verò de aliis ædibus, quas in Nazareth, Bethleem, & alibi habuisse dicuntur, non ita.

XIII. De mobilibus etiam bonis constat: nam divisio illa substantiæ quas in tres partes secabant Parentes Beatæ Virginis, quarum unam Templo, pauperibus alteram, tertiam sibi & familiæ suæ sustentationi addicebant, ut Sancti Patres observarunt, & communis est Traditio, testatur non modicam fuisse bonorum mobilium copiam quæ spectarunt ad illos. Cùm ergo Beata Virgo eorum unica proles, fuerit eorum hæres, & Divus Josephus per Beatam Virginem propter suum cum eâ matrimonium; undè illi tam pauperes ut supra, nisi ex electione voluntatis?

XIV. Addendum ad hæc quod Divus Josephus & Beata Deipara nato in Bethleem Christo, oblata à Magis preciosa munera vel acceptarunt, vel non; si non, quæ ratio poterit assignari nisi hæc, quod scilicet sanctam paupertatem professi, illa munera contra istud suum propositum admittere noluerint: Si verò acceptarunt (ut acceptasse cēsent ferè omnes, & meo videri probabilius) quod ergò paucis ab inde diebus pro Christo, quem in Templo præsentarunt, non obtulerint nisi par turturum aut duos pullos columbarum, cùm tenerentur agnum offerre, si inveniſſet manus ipsorum unde illum habere potissent, oportet ut inde provenerit quod nihil amplius ex illis muneribus eis supereſſet: nam cùm essent divinæ legis observantissimi, & illius semper quod perfectius erat sectatores fidelissimi, absolutè autem tenerentur agnum offerre si habuissent undè illum emerent, sine dubio cùm illum non obtulerint, sed tantùm illud quod illi quorum manus agnum invenire non poterant, scilicet par turturum, aut duos pullos columbarum, ut ait Lucas, oportet certissimè credere quod illorum manus tunc non invenerit ut agnum illum offerre possent: At impium esset, vel etiam cogitare quod ea munera, vel illorum pretium tunc decoxerant. Ergo omninò necessarium est, quod cùm illi sanctam paupertatem ex mentis opulentiâ elegissent, consequenter omnia à se abdicarint, & nihil sibi præter Providentiam & proprium laborem reservantes, omnia egenis erogarint.

Et hoc ut firmissimè statuimus, ita certissimè credendum, ita tamen ut hoc non tantùm Sanctæ Virginis virtuti concedatur, sed etiam Divi Josephi, habet enim hac in re Sanctus Patriarcha noster optimam partem, utpotè in cujus jus & potestatem ista omnia transierant, & de quibus Beata Virgo ipsi ut capiti subjecta disponere non poterat nisi de ejus nutu. XV.

Sed, inquies, potuerint Maria & Joseph bona sua mobilia non violata lege Moysis alienare, & in pauperes erogare eorum pretium: at immobilia qualia sunt prædia, pascua, pomaria, domicilia: neque poterant vendi aut in alios transmitti in perpetuum, cùm lex Levitici cap. 25. nimis manifesta sit, quæ decernit hæreditatem venditam in anno Jubilæi redire ad vendentem: unde Eusebius Emissenus homil. de Virgin. Nativit. Lege in Levitico & invenies quod nemo hæreditatem suam ex toto vendere potuisset, veniente namque Jubilæo omnis hæreditas ad proprium Dominum revertebatur. Quod si Josephus & Deipara fecerunt aliter, nec retinuerint in suâ potestate hæreditatem paternam, legem temeraruntur, læserunt præterea Justitiam, quia ea bona sibi de jure asciscere poterant propinqui eorum, ipsi verò non fecerunt, ergo non fuêre adeo pauperes. XVI.

Ad hanc objectionem duplex est responsio. Prima est, ipsos renunciasse hæreditati ad favorem illius qui eis in illâ succeſſisset, quod justè potuisse fieri in lege veteri videtur: Cujus rei ratio ex eo petenda est quia ex tali renunciatione in proximiorem, nulla cuiquam fiebat injuria, secus esset si in distantiores hæreditas transmissa fuisset, sed quia hæc via vix potuit esse in usu apud Judæos, obstabant enim filii, etsi moriebatur quis improlis, asciscebantur fili legales, relictis istis consanguineis proximioribus, non est credibile D. Josephum & Mariam tam recenter conjugatos viam tam inusitatam XVII.

accepisse

accepisse cum notâ insolitæ singularitatis. Quare ad secundam responsionem propero: Pro quâ

XVIII. Notandum primò ex Ulpiano in l. *si quid vi*, ff. *de acquirenda vel amittenda possessione*, ita dominium distingui à possessione, quod illud nobis etiam invitis remanere possit, cùm possessio statim recedat ubi id constituerimus: Quare dominium quod in hæredia, hortos, prædia, pascua, domos, habuêre Divus Josephus & Maria, etiam in illis invitis perseverabat, etsi ea alienassent, cùm ex lege Levitici citatâ fas non esset Hebræis ita se abdicare hæreditate paternâ; ut simul cum possessione abjicerent dominium.

XIX. Notandum secundò, alienari tamen potuisse in perpetuum à Divo Josepho & Deiparâ ædes & domicilia quæ in Urbibus habuerunt, patet hoc ex eâdem Levitici lege cap. 25. citato, ubi sic habetur: *Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi donec unus impleatur annus, si non redemerit & anni circulus fuerit devolutus, emptor possidebit eam & posteri ejus in perpetuum, & redimi non poterit etiam in Iubilæo.* Aliter res se habebat de domiciliis ruralibus quæ alienari non poterant nisi ad tempus: Subditur enim ibidem. *Sin autem in villâ fuerit domus, quæ muros non habet, agrorum jure vendetur, si ante redempta non fuerit in Iubilæo revertetur ad Dominum.* His prænotatis.

XX. Respondeo secundò, cùm Beata Virgo & Divus Josephus tam pauperes fuisse probentur, argumentum est luce meridianâ clarius ab illis vendita quæ vendi poterant, scilicet armenta, greges & mobilia cætera, domos, etiam quas habebant in Sephoro seu Dio-Cæsaræâ, & in Jerusalem. Alia verò hoc est fundos, pascua, hortos, pomaria, juxta legem usque ad annum Jubilæi, & congestam exinde pecuniam simul cum eâ quæ ex Magorum donariis provenerat dispersisse, & tantâ liberalitate in pauperes effudisse, ut nihil sibi ex iis, etiam nec unde agnum pro Filio offerrent, reservarint.

XXI. Igitur quia Lex Divina Moysi tradita permittebat abdicationem possessionis & ususfructus, dominii verò non item. Ita se gesserunt Beata Virgo Deipare & Sanctissimus ejus Sponsus, ut retento, licet invitè dominio, quo se libenter abdicassent, si potuissent, eorũ usumfructum vendiderint, quem largissimè sparserunt in egentes: quâ in re utriusque humilitas & charitas refulget, charitas in erogatione, humilitas in abdicatione & paupertate, quia ut docet Divus Thomas Aquinas 2. 2. quæst. 19. artic. 12. & 3. part. quæst. 40. artic. 3. ad 3. *Paupertas voluntaria est indicium maximæ humilitatis.*

Dices paupertas quæ cum abdica- XXII.
tione rerum temporalium excludit etiam earum Dominium est perfectior illâ quæ stat solùm in abdicatione usus fructus: Cùm ergo paupertas D. Joseph (idem dic de B. Virgine) non excluserit dominium istud, ut jam responsum est, sequitur quod paupertas ejus non fuerit perfectissima. Respondeo quando retinetur dominium invitè, tantùm abest ut hoc minuat perfectionem paupertatis, quin potius è contra illam auget: at D. Josephus & D. Deipara invitè illud dominium retinuerunt, ô quam libenter enim eo se abdicassent si potuissent, sed prohibebat lex divina: fuit ergo D. Josephus in omnibus virtutibus Evangelicis ante Evangelium eminentissimus, nam cum jure ad Regnum etiam subditis obedivit, virginitatem in conjugio servavit, & paupertatem cum dominio tunc inabdicabili conjungere potuit.

Sed ad majorem hujus sanctæ Pau- XXIII.
pertatis in Divo Iosepho elucidationem. Notandum ex Sanctis Patribus & Doctoribus, esse quatuor illius gradus, quorum primus est omnium bonorum temporalium abdicatio realis & in effectu, ita ut homo omnibus quæ possidet, & iis quæ possidere posset, dimissis, reddat se absolutè incapacem & impotentem quidquam possidendi ut proprium. Magna est hæc actio: cùm enim divitiæ media sint ad procuranda omnia hujus vitæ bona & corporis commoda, & è contra illius vitanda incommoda aut leniẽda, propter quod tam Græci quàm Latini eas vocaverunt facultates, quod nomen signat illorum posse, respectu prædictorum: sine dubio

dubio magna res est iis se sponte & animo volenti privare. Quam ob rem Scriptura Ecclesiast. cap. 31. vers. 3. dixit. *Beatus vir qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris.* Et denotans talem raritatem, subdit. *Quis est hic & laudabimus eum? &c.*

XXIV. Secundus gradus est illa non tantùm abdicare, sed etiam affectum ad illa, ut nec habeat, nec habere velit, nec æstimet, nec curet: Hic gradus est præcedente perfectior. *Plus enim* (inquit Divus Bernardus tomo 1. serm. de Bon. deserend. *concupiscentia mundi quàm substantiæ nocet. Et hæc est fugiendarum causa divitiarum, quod vix, aut nunquam valent sine amore possideri.*

XXV. Tertius gradus est, ut quis sit necessariis contentus, & caveat sibi à superfluis. Pro cujus intelligentia observandum est diligenter res posse esse homini necessarias aut superfluas duobus modis; Primò absolutè & in summo rigore, ut v. c. ad vitam, panis & aqua sunt in rigore necessaria. Cætera sunt etiam in rigore superflua. Secundò, moraliter & modo ad infirmitatem humanam accommodato, non tamen sensualitati indulgenti. His positis.

XXVI. Per res necessarias quibus debet esse contentus pauper voluntarius in hoc tertio gradu constituendus, & superfluas à quibus debet abstinere, non intelligo extremas illas, & quæ sunt tantùm in rigore tales, quibus etiam Sancti non semper se adstrinxerunt, imò nec Christus Sanctus Sanctorum, & norma paupertatis, sed illas quæ sunt moraliter tales, quibus communiter Sancti fuerunt contenti, aut saltem Religiosi benè timorati, & cum quibus, ab aliis tanquam à prohibitis abstinuerunt.

XXVII. Quartus gradus & ultimus est, ut non tantùm toleremus sine perturbatione, si quando necessaria illa secundo modo desint, sed etiam gaudeamus, & etiam aliquando voluntariè ultimæ paupertatis effectus experiri velimus. Et certè qui omnia quibus indiget, habet, & cui nihil deest unquam, nec in victu, nec in vestitu, nec in aliis necessariis, esto voluptuosis & superfluis careat: Pauper est gratus seu jucundus, austerum nomen portat, sed non magnis impensis. *Non laudabile*, inquit Divus Vinc. Ferrerius tract. de vitâ spirit. cap. 1. *esse in paupertate, sed in paupertate paupertatem amare.* Quæ omnia facile erit unicuique in iis quæ diximus de Divi Iosephi paupertate reperire.

Verùm hæc generosa rerum terre- XXVIII
narum abdicatio, adeò ex se meritoria & utilis ad cæterarum comparationem virtutum, hoc speciale adhuc habuit in Divo Josepho, quod multùm contulerit ad augmentum dulcissimi amoris in filium sibi divinitùs datum & commendatum, simul & meriti incrementum, in eo scilicet alendo: Quippe non suorum hæreditas parentum, aut uxoris suæ lectissimæ cibavit Jesum, non famulatus Avorum aliquid ministravit, sed solus Josephus, qui ideò voluntariè rerum omnium egestatem elegit & amplexatus est: Lac ipsum sacrorum Mariæ uberum, quod suxit Iesus Infantulus, ex alimento crescebat quod Iosephi manus lucratæ erant, & dederant, non alienæ, & ne ipsæ quidem hæreditates paternæ. Atque ita Christum ex suis sudoribus, pauperes Christi ex suis aluit bonis.

Considera ergò, Lector Amice, XXIX.
& tecum ipse perpende, si tam flagrans esset Regis alicujus in quempiam amor, ut nec cibari, nec vestiri, nec incedere, nec urbes ubibus commutare vellet, nisi ex istius unius, verbi causâ Petri famulatu, quid de hoc homine sentires? Nonne illum primum in amore Regis diceres? nonne ille in tuâ opinione secundus à Rege esset? Flagrans amor Verbi Dei in Divum Iosephum talis fuit, à nullo voluit quàm ab ipso nutriri, educari, vestiri, protegi, defendi, profectionem de loco ad locum instituere.

Tandem unum est adhuc valdè con- XXX.
siderandum in hâc Divi Iosephi paupertate, & rerum temporalium abdicatione, quod animi ejus fortitudinem & constantiam mirè commendat, & extollit, quod nimirum Hebræorum gens cum benedictionem Dei maximam, in abundantiâ rerum terrenarum poneret, eamque magni faceret, pauperes ut invisos Deo habebat, & sine

misericordiâ adjiciebat; itaut ad eorum duritiem molliendam in ipsa etiam bruta animantia misericordiam impensam commendaret: vide ergo ubi, & quando Divus Joseph paupertatem eatenus inusitatam aggreditur? & quomodo in illa ejus spes in Deum, contemptus non tantùm rerum temporalium, sed etiam judiciorum humanorum, cœlestium amor, & omnium virtutum cohors effulgeat?

XXXI. Sed quia non omnium est ista paupertas, sed eorum tantum quibus datum est, pro generali omnium instructione dico, imitandam nobis in Sanctissimo Patriarchâ paupertatem spiritus: quamvis enim non omnes teneãtur ad rerum omnium realem abdicationẽ & in effectu, tenentur tamen omnes habere paupertatẽ Spiritus, ut scilicet divitiæ si affluant cor eis non apponant, & sicut perfecti ex consilio Salvatoris reipsâ cum affectu omnia relinquunt, ita cæteri omnes ea relinquant in præparatione animi, si, & quando Deus voluerit.

XXXII. Videant autem omnes ne sibi falsò de hâc præparatione animi adblandiantur: certè non est facilè nec obvium possidere divitias & non ab illis possideri: etenim si non adhæresunt divites affectu ad ea quibus potiuntur, cur adeò egrè ëis se exuunt? cur tam ardenter quærunt? cur tam dolent cum perdunt? quàm pauci possunt dicere cum Senecâ lib. de vitâ Beatâ: *Ego divitias & præsentes & absentes æquè contemnam, nec si alicubi jacebunt tristior, nec si circa me fulgebunt animosior: ego fortunam nec venientem sentiam, nec recedentem. Ergo terras omnes tanquam meas videbo, meas tanquam omnium.* Ac deinde. *Mihi divitiæ si effluxerint nihil auferent nisi semetipsas. Tu stupebis, & videberis tibi sine te relictus, si illæ à te recesserint: apud me divitiæ aliquem locum habent, apud te summum. Ad postremum divitiæ meæ sunt, tu divitiarum.*

XXXIII. Affectus nostri nos decipiunt: illos liberos putamus, quod secus esse experimento discimus, avibus persimiles, qui tum primùm se sentiunt laqueo irretitas cum inde se expedire nituntur: vel ut corpus & anima, quæ mutui amoris vim & vinculum non prius agnoscunt, quàm illud jam instante per mortem dissolutione prope ruptum animadvertunt: exemplum hujusce rei luculentum est adolescens ille, de quo Matthæi cap. 19. hic quantum divitiarum esset implicatus amori ante non persensit, quam consilium Salvatoris de reali & actuali rerum omnium quas possidebat abdicatione audivit, quamvis diu ante in præparatione animi omnia reliquisse putaretur, utpote qui mandata servaverat: dicente enim Christo, *Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni & sequere me*, discessit tristis; potiusque elegit manere dives. Et quot sunt isti similes?

Causa rei hujus, cujus tam frequen- XXX
ter experimentum fecimus, est quod amor proprius & commodorum nostrorum nobiscum natus, in nobis altè latet, nec se citò prodit, sed abscondit, & latenter, quia naturaliter, in nobis sua agit: unde non facilè discernitur, nisi per effectus, cùm scilicet bonis possessis, & in affectu nostro positis, excidendum esse timemus, vel de facto excidisse videmus: non ergo fidamus cuicumque affectionum nostrarum præsumptæ indifferentiæ, nisi eam benè exploraverimus: Certa erit rerum abdicatio in præparatione animi, si reipsâ eas abdicaverimus, ut fecit D. Josephus.

Res est certè multis deploranda la- XXX
chrymis, quod cum agitur de rebus temporalibus, quàm maximâ possumus diligentiâ & curâ ad res adeò viles, quæ nos relinquunt, aut quas fortè citius quàm cogitamus relinquemus, comparandas incumbimus, nihilque omittimus eorum quibus nos eas securissimè assequuturos arbitramur: at ubi de negotio agitur omnium negotiorum, eò scilicet, in quo vertitur salus animæ æterna, speculativas nescio quas quærimus sententias & distinctiones, & quæcumque vel tenuem habent verisimilitudinis speciem rimamur, ac totis amplectimur ulnis, quibus tanquam oraculis adhæremus, revera id agentes, ut sub speciosis & apparentibus prætextibus amorem proprium nutriamus, appetitiones nostra

nostras altè rebus caducis immersas, & ab eis divelli refugientes, in perniciem nostram foveamus; cùm tamen non ignoremus, non ita facilè esse opibus & commoditatibus frui, quin suâ, ideſt ipsarummet opum & commoditatum causâ, appetantur. Non ignoremus etiam nos non esse securos, dum illis perfruimur, à periculo illas immoderatè amandi: cor enim humanum facilè omnibus quæ frequentat adhæresci.

XXXVI. At, inquies Abraham dives erat, divites erant Patriarchæ, & nihilominus ille Sanctus, & hi quoque Sancti: Tu benè quidem. Sed quando tibi erit proles unica ut illi, & jubente Deo adhuc ei sacrificandam præter nudam animi præparationem, ensem exertum, & extentam te habere dexteram videro ut ille; tunc te cum illo sanctum esse non difficilè credidero, & ex illâ animi præparatione, de hâc Spiritus paupertate judicare potero, nisi quod adhuc animadvertam conditionem & tempora illorum Sanctorum Patrum longè à nostris discrepare.

XXXVII Si enim unquam fuit difficile divitè salvari, nunc maximè id verum est, cùm mundi vanitatem ad summum excrevisse videmus: Nam sicut cùm tranquillum est mare, potest quidem onusta mercibus navis securè viam agere, & ad portum tandem pertingere: sed si mare intumuerit, & tempestas navem concusserit, non ita, oportet illam exonerare & merces in mare projicere, aliàs naufragium faciet. Ita fuit aliquando mundus serenus ac tranquillus, cùm scilicet isti Patriarchæ vivebant: tunc ciborum nulla preciositas, vestium cultus nullus, fastus & arrogantia nulla, & ideò licet divites, viam in cœlum agebant, sed nunc, nunc, tempestas est, quantus enim ciborum apparatus? quantus in vestibus luxus? quantus in moribus fastus? quanta in omnibus vanitas? Vides ergò, ô homo! in istorum medio cor tuum tanquam mare fervens, quod quiescere non potest, vides affectus nimios exurgentes quibus divitiæ vim tribuunt, ac fomenta ministrant, agitur ergò jam de summâ rerum omnium, de animâ, de salute tuâ, quare vide quid pro securitate tuâ agendum habeas.

Porrò paupertatem Christi Evan- XXXVIII
gelistæ prosecuti, Regalem Divi Iosephi Patris Generationem & originem non prætermiserunt, sed præmiserunt, ne illa despiceretur in Christo, & ejus parentibus: quamvis enim pauperes essent, erant tamen maximè nobiles: nec ad tantam paupertatem decideranr, sed sponte descenderant: Voluit verò Christus Parentes suos nobiles simul esse & pauperes, sicut & ipse fuit: Nobiles, quia nobilitas ad virtutem incitat: Pauperes, quia divitiæ sunt irritamenta & fomenta malorum.

## CAPUT IV.

### *De Castitate Divi Iosephi.*

DIVUS Hieronymus lib. 1. I.
contra Iovinianum ait: *Omnes virtutes Spiritus quasi solidissimum fundamentum cõtinentia sustentat.* Nimirùm ut longè ante Divus Iacobus Apostolus in epist. suâ Canonic. c. 13. ait. *Quæ desursum est sapientia, primùm quidem pudica est.* Græcè pro pudica, est *agni*, & Syriacè *dachia*, hoc est pura, casta, impolluta à rebus venereis: inde *agnos* frutex in arborem assurgens, vocatur Latinè *vitex*, quo conciliari castitatem dicunt Naturalistæ: quasi sit nõ tantùm *agnos*, verùm etiam *agenos*, ideſt impediens generationem.

Ergo Sapientia quæ de sursum est, II.
*primùm pudica est*, hoc est casta, ut enim optimè Cicero lib. de Senectute. *Omne animi lumen extinguitur à voluptate, & quo major est, eò magis mentem à suâ sede & statu dimovet.* Quid deinde Jacobus? *Pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ, & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione*, vides ergo ut omnes virtutes spiritus quasi solidissimum fundamentum continentia sustentat.

Et meritò quidem, quomodo enim III.
animus meliores exciperet divinæ lucis radios, nisi esset instar nitidissimi chrystalli, qui quantò tersior est, eò copiosius illis perfunditur? Quare cum hic tractatus sit de Divi Iosephi

virtutibus; continentia verò illarum sit substentaculum & basis, cujus summa species est virginitas; licet de eâ multa toto ferè Tractatu primo hujus Partis secundæ disseruerimus, hujus tamen loci ratio postulat, ut nonnulla hic addamus, quæ ad hanc ejus eximiam inter cæteras virtutem ejusque notionem faciunt, & magnitudinem.

IV. Porrò duplex est virginitas apud Patres & Doctores: Physica una, altera Theologica. Prima consistit in integritate corporis præcisè. Secunda, cum integritate corporis conjungit integritatem mentis. Pater Christophorus Vega Jesuita, secundâ part. Theolog. Marianæ Palestrâ 19. certam. 10. num. 1437. ait ad primam virginitatem (quam vocat latam & communem) opus esse, & sufficere nunquam nupsisse, neque in aliquam culpam externam sponte incidisse. Sed minus rectè primum requirit: certum est enim Beatam Virginem & Divum Josephum, illosque omnes de quibus supra hâc part. tract. 1. cap. 8. & alios innumeros nobis ignotos, qui nupserunt, virgines tamen hoc modo permansisse, quandoquidem nunquam integritatem corporis violarint.

V. Itaque ad virginitatem Physicam istam opus est & sufficit præcisè in corruptionem carnis externam sponte nunquam incidisse. Ad Theologicam verò omninò opus est nec in hanc sponte incidisse, ac præterea nec illam, etiam ut licita est per matrimonium unquam voluisse.

VI. Prima, licet imperfecta, adhuc tamen vera est & laudabilis: quod vel ex inde patet, quod Ecclesia eam in pluribus suspicit & veneratur: nam exempli gratiâ 21. Octobris solemni cultu festum peragit Sanctarum Ursulæ & sociarum undecim millium virginum, quas tanquam virgines colit, licet animo nubendi proficiscerentur, ut patet ex annotationibus Baronii ad Martyrologium istius Diei, & Annalibus Ecclesiasticis. Et res clarior est est quam ut longiori probatione indigeat.

VII. Fuit virginitas Divi Josephi plena, quia Virgo non corpore tantùm, sed & mente; quod ex pluribus capitibus. Patet primò, ex eo quod ante Deiparam nullam aliam duxerat uxorem, ut ostendimus suprà hac Parte 2. Tract. 1. cap. 3. Secundò, quod dum virgo ducenda fuit, de nuptiis tunc nihil cogitabat, sed à Deo ab æterno electus ut tantæ virgini conjungeretur, ea puritate quam talis poscebat conjunctio ornatus, vocatus est ad eas nuptias, eique Virgini conjunctus, non arbitrio, vel electione suâ, sed divinâ prorsus dispositione per oraculum & miraculum manifestatâ. Tertiò, quod nunquam de copulâ cogitavit nubendo, quin è contra ei expressè renunciavit etiam voto nuncupato: vide suprà hâc Part. 2. Tract. 1. cap. 5. unde ergo suspicio esse posset illum aliquando virginem mente esse desiisse.

VIII. Quod si ita argumentamur de D. Josephi virginitate etiam ante ipsius cum Virgine Deiparâ nuptias, quid dicemus? quomodo argumentabimur de eâdem Angelicâ virtute post illas? Pulchritudo ipsa, res mira! quam virgineo Corpori natura asperserat, licet in aliis puellis sit voluptatis illecebra, in Deiparâ erat potens ad pudicitiam incitamentum ex Sanctis Patribus: Erat Maria inter Virgines ut lilium inter spinas ex Ecclesiæ sensu. Aliæ Virgines spinæ sunt, quia sibi ipsi mundæ, aliis tamen noxiæ sunt, aliis spinæ sunt, à quibus etiam solo oculorum conjectu pungunter, lacerantur, cruentantur: Virginem enim aspicere etiam incautè, est lædi; tangere est pungi, quia spina est, & suos habet aculeos. Unde Cardinalis Vitriacus in vitâ S. Mariæ d'Oignies ex Patriâ nostrâ Leodiensi, refert quod ipsa ita corpus macerarit & siccarit jejuniis & pœnitentiis, ut ne primos quidem libidinis motus amplius sentiret: Cujus tamen manum, cùm Vir aliàs gravis & spiritualis apprehendisset, indè carnis motum sensit: propter quod hanc vocem de cœlo obaudiit: *Noli me tangere*, & deinceps tali contactu abstinuit. De omnibus ergo exceptâ Deiparâ mulieribus verè Poëta.

*Regulus ut visu, Siroi Acheloia cantu,*
*Et necat affictu Thessala saga levi.*

Sic

*Sic oculis, manibus, sic urit fœmina cantu:*
*Sic trifidum fulmen ve Iovis esse queat.*

IX. At Maria lilium est miri candoris, à quâ nec oculus læditur, nec animus, quia in eâ nihil culpæ, ut in aliis, nihil fomitis, nihil unde concupiscentiâ aliorum exardesceret, omnia unde extingueretur: Quantùm ergo Divus Josephus ex tam diuturno cum illâ convictu retulit modestiæ & pudoris?

X. Quod si ita ad favorem Divi Josephi argumentari licet ex convictu ejus cum Mariâ purissimâ Conjuge suâ, quid ergo ex convictu & colloquiis cum prædilecto & dulcissimo Filio suo JESU Domino nostro per totos triginta annos? sed quid ex ipsius dono & collatione? quid ex recognitione pro amore, curâ, laboribus, & obsequiis ab eo sibi præstitis?

XI. Sed ad alia Castitatis Divi Josephi argumenta pergamus: cùm Deuteronomii cap. 24. Lex dicat: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam in oculis ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manibus, & dimittet eam de domo suâ*: Quare ergo Divus Josephus visâ Uxore suâ gravidâ, quam sciebat se non tetigisse, non est usus istâ legis permissione? Certè cùm per hoc genus remedii quod debebat fieri coram judice & in formâ judiciariâ, fieret uterque liber; eoq; fine fieret coram judice, ut & repudians posset alteram ducere legitimè, & repudiata alteri si invenisset, nubere. Quid dicere possumus de Divo Josepho hoc remedio non utente? nisi quod homo castissimus non cogitabat de secundis nuptiis, qui non cogitaverat de primis, quare non curavit per talem libellum istam sibi comparare libertatem.

XII. Quanta verò fuerit ejus virginitas colligere licet ex proposito ipsius Virginis Sponsæ ejus; quod tale fuit secundùm SS. Patres, ut etiam Maternitatem Dei quodammodò recusaret, si cum illius dispendio ea comparanda fuisset in quo quidem proposito ita firma fuit Virgo purissima ut non aliter consensum suum Angelo dederit, quam ut ejus virginitas salva esset. Vide à nobis mox dicenda hoc cap. num. 20. Quomodo ergo illa quæ ita cautum esse voluit suæ virginitati, se viro sponsam tradere consensisset, nisi hujus castitas sibi tanta esse cõstitisset, ut cùm ipso nullum periculum subitura esset? quod cum ei plenissimè cõstitisset, hinc in ejus matrimonium libenter consensit, & non aliter, cum nec sine expressâ cautione de conservatione suæ integritatis in maternitatem Dei consenserit.

XIII. Ex eodem quoque capite, ideſt Mariæ virginitate, Divi Josephi puritatem ejusque sublimitatem colligendam vult Divus Hilarius in Matthæum canon. 1. ad hæc verba, *Ioseph Fili David noli timere accipere Mariam Coniugem tuam.* Ubi sic ille Sanctus Pater. *Ergo*, inquit, *& Conjugis nomen Sponsa suscepit, & post partum in Conjugem recepta, tunc IESV Mater ostenditur: ut quemadmodum Iusto Ioseph deputatur ejusdem Mariæ in virginitate Conjugium, ita venerabilis ejus ostenderetur in IESV Matre Virginitas.* Quasi diceret: In aliis conjugium carnis commercio peragitur, Mariæ verò & Josephi conjugium est in Virginitate. Sed attende Hilarii comparationem. *Quemadmodum*, inquit, *Iusto Iosepho deputatur Mariæ in Virginitate conjugium, ita venerabilis Iosephi ostenditur in IESV Matre Virginitas.* Hoc est à Deo Divi Josephi Virginitas Mariæ Virginitati in conjugio deputata est & copulata, ergo Divi Josephi Virginitas in Mariæ Virginitate ostenditur: O qualis est Sanctissimi Josephi Virginitas, quæ in suæ Conjugis Virginitate ostenditur! quid nisi puriorem Virginitatem, & velut carnis exlegem Deiparæ Virginitas demonstrare potest? Vis ergo nosce in hoc Conjugio Divi Josephi puritatem? Deiparæ Virginitatem respice, considera attentè, in illâ enim elucet purissima & incorruptissima Divi Josephi puritas. Sed hæc quamvis magna in commendationem Castitatis & Puritatis Divi Josephi, leviora sunt: quare ad majora progrediamur.

XIV. Dico ergo Divus Josephus primus est absolutè inter puros homines, ut ejus sacratissima conjux inter fœminas, in hâc Angelicâ virtute, non tantùm

quia primus fuit cum illâ, prioritate intentionis, & causæ exemplaris, ut docuimus suprà hâc part. 2. tract. 1. c. 10. per totum, sed, quod magis ad rem facit præsentem, quia primus primitate dignitatis, excellētiæ & perfectionis in illâ virtute, ut etiam docuimus ibidem.

XV. Itaque Divus Josephus inter puros homines primus est in virginitate primitate dignitatis, excellentiæ, & perfectionis: neque id uno modo, sed omnibus. Primò, ex parte objecti, quia nimirum in materiâ maximè difficili & arduâ, scilicet in matrimonio, ubi virginitas maximè lubrica est, & nunquam non eo usque labefactata: Secundò, quia illa etiam ad majorem voluntatis immobilitatem, & firmitatem, virtutisque perfectionem, voto firmata: Tertiò, id totum sine ullâ scripturâ, sine præcepto, sine consilio, sine exemplo, omnium primus: etsi enim ante ipsum virgines extiterint, puta Elias, Elisæus, & filii Prophetarum, idque ex voto, non tamen in matrimonio: proinde omnium similiter in matrimonio continentium Dux factus & antesignanus.

XVI. Cujus quidem virginitatis ex hâc parte magnitudo & prærogativa quo melius à nobis concipi possit: Ponderandum primò, quo in pretio erat apud Judæos matrimonii fœcunditas, quantique fiebat in veteri lege: Propterea enim primò, non reliqua tantùm multitudo, sed & omnes Sacerdotes & Levitæ, ipse etiam summus Sacerdos uxores habebant. Secundò, eâ etiam de causâ viri boni, & Dei cultores Summi, Prophetæ quoque ac Patriarchæ Sanctissimi, non modò nubebant, sed etiam eorum aliqui plures habuerunt uxores, ut sic esse possent Patres filiorum plurimorum. Tertiò, quin etiam tunc frater fratris sui absque liberis defuncti uxorem accipere, eique semen suscitare per legem tenebatur.

XVII. Ponderandum secundò, quàm probrosa erat è contra & ignominiosa eo tempore sterilitatis. Primò, quia præter opprobrium naturale & affixum illi, quod etiam nunc viget, tunc ab omnibus steriles censebantur à Deo maledicti. Secundò, quia eam alicujus & gravissimi quidem peccati pœnam esse arbitrabantur, eo quod reipsâ experti erant, Deum eam ob causam sæpè mulieres reddidisse steriles: sic sterilē fecit domum Abimelech, propter raptam Saram Abrahæ uxorem, Genes. cap. 20. v. 18. Sic per Oseam Israeli lascivienti sterilitatem minatur. *Da eis Domine*, inquit, *quid dabis eis? vulvam sine liberis & ubera arentia.* Tertiò, quia cum eo tempore Christus ex illo populo nasciturus esset, alieni ab eo esse æstimabantur, qui posteritatem non haberent, quasi nihil ad futuri Messiæ generationem contulissent.

Hinc Severus in Catenâ Græcâ: XVIII *Tanto*, inquit, *studio tunc temporis homines sobolem curabant, ut qui sine spe propagationis decederet haberetur quasi execratus à Deo.* Immò Rabbi Salomon (apud Bellarmin. lib. 2. de Monachis cap. 6.) in cap. 9. Genes. vult fuisse reum homicidii eum qui liberis non daret operam: & Rabbi David Kimki in cap. 56. Isaiæ, ait sententiam esse antiquorum Judæorum, eum qui non relinquit filium, esse tanquam excommunicatum à Deo.

Et licet à parte rei res non ita haberet, non enim Sara, non Anna, non Elizabeth erant excommunicati, alieni à Deo, gravissimi alicujus peccati rei, quos justos fuisse ex scripturâ constat: attamen verum fuit homines illius temporis in illâ fuisse opinione (si tamen de nuptis, & conjugatis sit sermo) non de innuptis, qui virginitatem profitebantur & vitam cœlibem, quia certissimum est Eliam, Eliseum, & filios Prophetarum, qui virginitatem coluerunt in pretio habitos, quibus adde S. Joannem Baptistam & Essenos, qui etsi virginitatem servarent, in magno tamen honore ad Judæis habebantur. Vide Evangelistas pro primo, pro aliis Josephum Judæum l. 2. Antiq. & l. 2. de bello Judaico, Philonē lib. de vitâ contemplat. & lib. quod omnis probus sit liber, & Plinium gentilem lib. 5. c. 17. XII

Cùm autem essent tales in opinione hominum steriles, hoc sufficiebat ad opprobrium & ignominiam: ex hoc enim sequebatur ludibrium, contemptus, & confusio, quorum tantus horror apud homines: quod opprobrium etsi esset utriusque conjugis, in virum XX

tamen

tamen præcipuè redundabat, cujus proinde major confusio & dolor: cùm ergo Divus Josephus prævideret si virginitatem voveret, eamque servaret in matrimonio cum conjuge suâ, futurum ut istam ignominiam & confusionem incurreret, eam nihilominus voverit & servarit, qualis amabo, quantaque ista ejus virginitas? & quæ alia tam difficilis? tam ardua? tam cara?

XXI. O quàm fortis, quàm generosa hæc tua ô Sanctissime Patriarcha resolutio! arguis nimirum ut conjux tua apud mellifluum Doctorem D. Bernardum Homil. 2. in Missus est & dicis: *Mihi melius est maledictum incurrere, quàm castitatem violare, nam licet video maledictum, sed non peccatum, hæc enim maledictio quid est nisi hominum exprobratio? Mihi autem pro minimo est quod hominibus displiceo, dum me possim virginem castam exhibere Christo.* Christo ergo devoves te exhibere Virginem, & nescis quod ipsi exhiberi te oporteat etiam Patrem: eligis in Israël maledictum incurrere sterilitatis, & ecce maledictio benedictione commutatur, virginitas prole compensatur: eligis in Israel esse contemptibilis, ut illi placeas cui te probasti, & ecce beatum te dicent omnes generationes. Et hinc disce tu Christiane in iis quæ sunt Dei & virtutis, judicia hominum non attendere, ab eorum æstimatione non pendere, vel curare quid sit dicturus mundus.

XXII. Ut porrò ex hoc primitatem ejus in virginitate ex parte objecti consideratâ efficaciter colligimus, sic etiam ex parte formæ. Quid enim est forma Virginitatis, nisi amor, affectus, adhæsio virginitati? Quis autem firmius? quis immobilius illi adhæsit post Divam Virginem quàm Divus Iosephus, qui illam omnium primus in ipso matrimonio, ubi nunquam amplius non labefactata, servare potuit & servavit usque ad mortem inviolatam? qui ab eâ amplectendâ nec confusione omnium summâ deterreri potuit?

XXIII. Quàm firmiter Diva Deipara immobiliter virginitati adhæserit colligunt Sancti Patres & Doctores: Primò, ex hoc ejus ad Angelum responso: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* idest non cognoscam: Ex hoc enim colligunt illi, eam adeò puritatis suæ amantem, ut etiam Matris Dei dignitatem, licet ex mente Doctoris Angelici Divi Thomæ aliquo modo infinitam, sibi oblatam, acceptare quasi recusarit, si Virginitas amittenda fuisset. Secundò, ex aliis ejus verbis jam præallata sequentibus, cùm per Angelum assecurata & certificata quod non ex viro sed de Spiritu S. conceptura esset se submittens per hæc verba, *Ecce Ancilla Domini fiat mihi*, addidit non *quod dixisti*, sed *secundùm verbum tuum*, idest secundùm quod dixisti: quibus non præbuit suum consensum absolutè, sed tantùm sub conditione, idest ut conciperet sine viro, juxta id quod Angelus dixerat: ubi iterùm elucet ejus castitas: Amor enim quo illam virtutem prosequebatur, apud illam effecit ut licet non amplius dubitaret quomodò conceptura erat, nimirùm sine viro, prout ei ab Angelo dictum fuerat, verbis tamen adhuc voluerit conditionem istam exprimere: quo quid majus dici possit non video.

XXIV. Sixtus (sive is sit Pontifex Sanctus, sive alius Philosophus Christianus) tractat. de malis Doctoribus & de Castitate dicit. *Castitatem esse rem præ cæteris Deo charam, in quo præcipuè ejus similitudinem gerimus, si incorrupti & integri manserimus. Est enim*, inquit, *infinita virtus corporis vincere voluptatem.* Sicubi castitas, virtus infinita apparuit, ubi priùs aut potiùs quàm in D. Deiparâ, sed vide mihi quomodo D. Josephi mores, moribus correspondeant Sacratissimæ Conjugis; ut enim illa pro servandâ integritate virginali summum recusabat oblatum honorem, sic Divus Iosephus pro eâ summum non abhorruit opprobrium, summam & præsentissimam nihil curavit confusionem. Quid ergo ille, qui talem nihili duxit confusionem, potiùs non elegisset, quàm puritatem suam fœdare?

XXV. Singulariter commendatur in Historiâ Ecclesiasticâ, & utique verè commendabilis est Sanctæ Euphrasiæ Nicomedensis Virginis & Martyris pro Castitate dimicatio. Deprehensa Euphrasia diuque altercata cum impuro Gladia-

Gladiatore, dum se cò loci vidit, ut neque vi, neque lachrymis, (defendunt enim se virgines lachrymis) ab armato atque impotente Iuvene tueri pudicitiam posset, sistere illum jubet, ostenditque velle se pretio redimere quod prece non poterat: Notum sibi esse medicamenti genus fingit, quo qui semel corpus illinat, nullo deinceps ferro telove nocumentum incurrat. Tantùm arcani, quod hodie dum, inquit, clam omnibus habui, tibi monstrabo, câ tamen cõditione, ut mihi persanctè jures, nullam in posterùm pudori meo allaturum injuriam: Quod cùm miles incensus armorum gloriâ audisset, facturum se quod illa petebat jure jurando promisit: Tum illa ab eo tantisper aversa, & liquefactâ, quam fortè penes se habebat, cerâ, collum ac cervices oblinit sibi: Deindè conversa ad juvenem, ut scias, inquit, data à me tibi verba non esse, periculo meo artis quam expositi probationem facito. Age tu ipse stringe jam ferrum, istoque gladio collum, quod ipsa mihi liquamine communivi, impete validis quantùm potes lacertis, mox intelliges quàm tutam me adversum te reddere potuerim artificio meo. Ille, cui ardorem libidinis cupido experiundi medicamenti penè restrinxerat, ferrum educit, ac tenerae collum puellae extento brachio validè impetit, praecidit-que eodem ictu sibi spem potiundae virginis, ac virgini metum amittendae integritatis. O plenum generosae animae pectus! ò susceptum in arenâ, sed è cœlo suggestum consilium oportunum! At ô corruptos nunc sæculi mores! ô perversos nunc puellarum, juvenumque amores! habent & ii praestigias suas, & phyltra, & adinventiones quibus pudicitiam non ad sanguinem propugnent, sed quâvis arte vel marte expugnent.

XXVI. Fuit illa sine dubio hujus pudicissimæ Virginis pro virginitate & integritate dimicatio admirabilis. Quid tamen illa brevis vita quam uno ictu celeriter finivit ad confusionem illam & opprobrium perpetuum, quod in praeparatione animi subivit in Deum erectus Divus Iosephus, profitens & amplexatus virginitatē in ipso matrimonio illo antiquo tempore? Quid dolor ille cum amaritudine quâ ab animæ dimidio suæ, Virgine dico charissima sibi, divelli voluit, ne fortè in illius consortio quæ lapsa apparebat castitas ejus periclitaretur? quid cum exilio illo perpetuo cui se consequenter condemnavit? Quare ex ordinario Divinæ Iustitiæ processu, uti Beata Virgo recusans ob amorem virginitatis Dei Maternitatem ob hoc ipsum effecta est Dei Mater, non futura, ut ait Divus Chrysostomus, si non tam sublimiter Virgo fuisset: Ita D. Iosephus ob simile Virginitatis propositum, opprobrium & maledictum amplexatus, non est passus illud opprobrium, sed ob hoc ipsum factus est Pater Filii Dei.

Fuit etiam Divus Iosephus primus XXVII in virginitate primitate dignitatis ex parte causæ efficientis, quia nimirùm ejus virginitas processit ex majori charitate, affectu, & ampliori gratia, quod nemo negaverit, qui ea quæ de eo hactenùs diximus de ejus incomparalibus meritis ad justæ rationis & æquitatis bilancem adducere voluerit.

Fuit tandem Divus Iosephus primus XXVII in Virginitate primitate dignitatis excellentiæ & perfectionis ex parte quoque causæ finalis, idque dupliciter: Primò ex parte Divi Iosephi, quia scilicet ille eam servavit ex perfectissimo puritatis amore, & ut inseparabilius ac purius Deo adhæreret. Secundò, ex parte Dei, quia à Deo qui illud donum excellentissimæ Virginitatis ei contulit ad altissimum finem ordinata. Nulla enim virginitas tantum finem habuit, aut habere potuit, quantum virginitas ipsius & prædilectæ Conjugis ejus: In his enim fuit unus & idem virginitatis finis, scilicet cooperatio œconomiæ Incarnationis Verbi Dei: Quare ut Beatæ Virginis tanta fuit puritas, ut per illam meruerit Verbum concipere & parere: ita Divi Iosephi tanta debuit esse, & porrò fuit, ut per illam meruerit ipsius Pater esse. Ad hæc quid quæso addi poterit? his igitur rem hanc finientes ad alia transeamus.

CAPUT

## CAPUT V.

*Divi Josephi summa mansuetudo, animi moderatio, justitia, ac iterum castitas; in Resolutione ab eo captâ dimittendi potius quàm traducendi uxorem inventam gravidam.*

I. CUM non è parentum carnalium arbitrio, sed divino moderante numine, Sanctissima puella Maria Mater Jesu futura, viro suæ Tribus electo, probato, cui nomen Joseph, desponsata, cum eo ex lege conjugii domesticam ageret consuetudinem, ab Angelo affata est: & ejus utero in dies magis magisque intumescente, deprehensa est esse gravida: at is fœtus, haud è complexu viri, sed à Spiritu sancto erat.

II. Porrò Joseph cùm indubitata cerneret in conjuge suâ argumenta, sibique conscius esset se minimè illius authorem, & tamen aliunde eos comperisset Sponsæ suæ mores, ut in eam non caderet certa & indubitata adulterii suspicio, atque aliàs vera probitas, neque sit prona ad malè judicandum, neque præceps ad vindictam: verbo uno, *cum esset justus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*, Matth. c. 1. vers. 19.

III. At Josepho recessum sic apud se meditanti, en Gabriel Angelus qui Virgini conceptum annunciaverat admirabilem, se in somnis exhibet, eumque sic affatur: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natũ est, de Spiritu sancto est.* Quasi diceret quæ torquet animum tuum anxietas? quid fluctuas? quid agitaris? aut quod divortium meditaris? noli timere, noli ab eâ distrahi quæ tibi tanta charitate juncta est: fœtus iste quo vides alvum quotidianis auctibus intumescere, ut non ex te, ita nec ab aliquo quoquam mortali: sed Pater præparavit uterum, Spiritus sanctus obumbravit & fœcundavit, Dei Filius implevit.

IV. Prosequitur cœlestis genius dicens, *Pariet filium*, non tibi solitariè, sed orbi toti, hujus tũ interim Pater eris & dicêris, & nato puero, seu Pater, nomen impones, non quod tibi tuus suggesserit animus, sed quod ex re Deus illi ante mundum conditum destinavit: vocabis, inquam, Jesum, qui salvum faciet populum suum à peccatis eorum, non pecudum victimis, sed sanguine suo precioso. Ecce rei gestæ seriem. Quæritur in hâc historiâ, cur seu quo ex motivo D. Josephus Virginem deprehensam gravidam dimittere voluerit?

V. Duæ fuerunt olim hâc super re celebres opiniones: Prima Origenis, Divi Hieronymi, Theophylacti, & Dionysii Carthusiani in cap. 1. Matth. Divi Basilii Magni Orat. de human. Christi gener. D. Bernardi homil. 2. super missus est, Divi Thomæ in Supplem. quæst. 62. art. 3. ad 2. Gersonis tom. 4. Epist. de instit. festi Sancti Josephi, quam defendit Viguerius instit. Theologic. cap. 20. §. 9. dicentium, Divum Josephum voluisse dimittere Beatam Virginem, non quod esset illi suspecta de fornicatione, sed è contra, quia sciens illam divinitus concepisse filium Altissimi, reputavit se indignum ejus consortio & cohabitatione; memor fortè illius quod Deus dixerat Moysi de figurâ illius, hoc est Rubo, qui ardebat nec comburebatur, Exodi cap. 3. *Noli accedere, sed solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est*; vel etiam Patris sui Davidis, qui 2 Reg. cap. 6. timuit introducere Arcam Dei in domum suam: Ideò, inquit Origenes citatus, Virginem dimittere volebat, quoniam virtutem mysterii & Sacramẽtum quoddam magnificum in eâdem agnoscebat, cui approximare se indignum existimabat: ergo humilians se ante tantam & tam singularem Virginem cogitavit se ab eâ elongare.

VI. Si petas unde hoc mysterium in uxore suâ operatum scire potuit, Respondet inter hos Gerson, Mariam antequam ad invisendam Elizabetham cognatam suam pergeret, Mysterium

Incarnationis sibi annunciatum Josepho suo aperuisse, obstupuisse verò, ut par erat, Josephum, & de conjuge suâ dimittendâ, quod illius convictu non esset dignus cogitasse. Sed præter quam quod nimis gratis dicit B. Virginem id ei apperuisse, & D. Josephum verbis ejus fidem adhibuisse, quia ex nullo probatur, quin potius contrarium verosimilius est, vide infra dicenda num. 18. & 19. Ruit etiam ex hoc in particulari hæc explicatio Gersonis quod si ei tunc Beata Virgo hoc secretum aperuisset, ac propterea ab illâ discedere voluisset, id illicò exequi cogitasset, quod non fecit, sed notat expressissimè Evãgelium, tùm primùm id cogitasse, cùm ex ventre intumescente apparuit ei evidenter gravida.

VII. Propterea dicunt alii hoc à Deo ipsi fuisse revelatum, sed contra hoc est, primò, quod hoc nimis gratis dicitur, & non probatur: Eccur enim Evangelista, qui alias revelationes ipsi factas non tacuit, hanc tanti momenti subticuisset? Secundò, quia, si hoc ei Deus revelasset, tunc simul & semel timore illo ei cohabitãdi correptus fuisset, tũc etiam Angelus eum confirmasset, & non depost in aliâ distinctâ apparitione. Tertiò, quia hæc revelatio non potest cohærere cum verbis quæ Angelus habuit ad ipsum: dum enim dicit illi *Joseph Fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam*, addit pro ratione: *Quod enim in eâ natum est de Spiritu Sancto est.* Quod idem est ac si dixisset, Noli timere Joseph, non est illicito violata complexu Conjux quam vis dimittere, sed ex Spiritu Sancto supra naturam fœcundata: Atqui si propterea Joseph dimittere uxorem voluisset eo quod divinitùs concepisse sciret, nonne dicenti Angelo, noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, quia divinitùs concepit, optimè respondisset, hoc scio, & propter hoc ipsum est quod ego eam dimittere cogito, non enim cum eâ quæ tantæ sanctitatis & dignitatis est habitare mereor. Tertiò, dicitur in Textu quod cùm esset justus noluit eam traducere, ideſt ut manifestè patet ex verbo Græco infamare, & ut adulteram acculare, sed voluit eam dimittere: non ergo sciebat ex revelatione Conceptionem in uxore esse laude dignam, aut propterea eam dimittere voluit. Quartò, hæc opinio dum humilitatem Divo Josepho tribuit, adimit prudentiam: si enim ex Spiritu Sancto uxorem concepisse cœlitus cognoverat, quantæ imprudẽtiæ immò & crudelitatis fuisset ab eâ clam se proripere? quo enim velo, hoc divortio posito, tantum obtegeretur mysterium? Ex quibus evidenter patet hanc sententiam nullam habere probabilitatem.

VIII. Secunda sententia est illorum qui dicunt Divum Josephum mysterii hujus eâtenus ignarum, visâ evidenti ex utero quem gestabat uxor conceptione, ab eâ occultè recedere voluisse, quia absolutè aliquid mali de eâ cogitabat: pro hac citantur Divus Augustinus serm. 16. de Verbis Domini, Divus Chrysostomus hom. 4. in Matthæum. Divus Justinus dialogo contra Triphonem satis post medium. Divus Ambrosius de instit. Virg. cap 5. Divus Hilarius & Euthymius in cap. 1. Matth. Nicephorus lib. 1. cap. 8. & alii: Nec propterea peccavit malè cogitando, quia cùm tunc nondum esset ei revelatum Incarnationis mysterium, ipsius opinio non potuit esse temeraria, quia nunquam fuit aut erit mulier, nisi hæc quæ gravida fuerit aut erit & non de viro suo, nisi violato conjugii thoro: quinimò justum omninò videbatur ut timeret nè Deum offenderet, si contra legem adulteram retinuisset, quare illam etiam dimittere cogitavit, & dum hoc cogitavit, Justus ab Evangelistâ reputatur & declaratur.

IX. Inter Authores hujus sententiæ displicet Pater Carthagena Scriptor aliàs celebris, & etiam erga Sanctissimum Patriarcham benè affectus (taceo Dausquium Canonicum Tornacensem in Binoctio suo erga eundem Sanctum nimis illiberalem, imò contra ejus gloriam parum modestè dimicantem) qui tomo 4. lib. 4. homil. 3. asserit Divum Josephum in hâc occasione fuisse Martyrem, & Martyrii ipsius seu pœnæ genus fuisse zelotypiam. Sed quis credat Virum adeò Sanctum, qui nihil

nihil de carnali commixtione cogitabat, à tam vili passione tam impotenter fuisse abreptum?

X. Nec, etiam remoto hoc Carthaginæ opinamento, arridet hæc secunda sententia: Primò, quia si Divus Josephus Beatam Virginem judicasset absolvere ream, debuisset pro isto crimine tam manifesto juxta suam conscientiam cum illâ agere: atqui ex lege Dei adultera debebat acculari & lapidari, cùm ergo hæc ex fide sua talis fuisset ex hypothesi, debuisset illam accusare, & non ipsius peccato connivere illi parcendo, & eam occultè dimittendo: sed contrarium patet ex Evangelio, quod eum ex hoc Justum pronunciat, quod noluerit eam traducere, hoc est diffamare, seu ipsius crimen in judicium producere. Secundò, quia non est probabile Divum Josephum nihil prorsus dedisse Conjugis suæ quàm ipsi Deus per oraculum & miraculum manifestum non ita pridem conjunxerat, virtuti, quæ in ea ad miraculum & stuporem emicabat, maximè verò, ex quo Deo fœta erat, qui in ea ut Sol trans nubem scintillabat.

XI. Quare tertiam sententiam amplector quæ est nostri Joannis Sylvani Patriarchæ Jerosolymitani XLIV. vulgò Imperfecti in Matthæum cap. 1. quem videntur sequi Haymo homil. in Vigil. Nativit. & Glossa ordinaria quæ docet Divum Josephum de uxore suâ nec absolutè malè ob virtutem, nec absolutè benè ob ejus uterum judicasse, atque adeò quod eam inventam gravidam dimittere voluerit, non processisse hoc ex reverentia, nec ex indignatione, sed ex justitia, quæ eum tenuit suspensum inter utramque partem, & propter quam timuit illam diffamare, ne fortè innocens esset, vel retinere ne fornicaria.

XII. At quod Divus Josephus de uxore tunc non judicarit absolutè malè clara est nostri Imperfecti sententia, qui ex hoc pronunciat eum verè Justum, quod non secundùm visionem oculorum judicavit, sed egregiis potiùs Mariæ virtutibus adversus ipsammet oculorum aciem detulit. Undè sic exclamat. *O inestimabilis laus Mariæ! magis credebat castitati ejus, quàm utero ejus, & plus gratiæ quàm naturæ. Conceptionem manifestè videbat, & fornicationem suspicari non poterat. Possibilius esse credens, mulierem sine viro posse concipere, quàm Mariam posse peccare.* Ad eum planè modum quo de Catone Seneca lib. de tranquill. animi, cap. 15. *Catoni ebrietas objecta est: at facilius efficiet quisquis objecerit hoc crimen honestum, quàm turpem Catonem.*

Sententiam hanc nostram habet in terminis citatus noster Imperfectus ubi sic ille. *Quoniam auditio verborum Mariæ, & consideratio vitæ ejus mala existimare de eâ non sinebat Joseph: Consideratio autem conceptionis ejus non permittebat eum ad plenum bona æstimare de eâ, & sic animus ejus inter utrasque partes fluctuabat, & tenere eam timebat, & trâdere eam non audebat.* XIII.

Videbat ergo ex una parte uxorem suam gravidam quam non retigerat, nec ei adhuc revelatum erat cœleste Sacramentum Dominicæ Incarnationis, & sic absolutè de Virgine benè judicare non poterat: Aliundè verò eam cœlo volente, idque per oraculum simul & miraculum testificante, non ita pridem duxerat, videbatque tam sanctam, tam pudicam, tam honestam divinâque gratiâ ita perfusam, ut omnes in sui admirationem raperet, sibi ipsi quoque ad castitatem omnigenasque virtutes illicium esse persentiret potentissimum, prout decebat eam quæ jam Deo fœta erat, quæ omnia etiam ipsum impediebant judicare absolutè de illâ in malam partem, maximè cùm esset Sanctissimus & plenus charitate, quæ non cogitat malum. XIV.

Itaque inter duas leges positus, unam de non infamandâ & periculo mortis crudelissimæ & ignominiosissimæ exponenda imprudenter honestissimâ ac sanctissimâ conjuge, alteram si fortè mali quid subesset de non convivendo & connivendo cum adulterâ, modum utramque servandi adinvenit eam dimittendo occultè, sicque justè egit: & ideò ab Evangelistâ justus vocatus est, maximè verò ex eo quod noluit eam traducere, quia nimirum tanta signa honestatis & probitatis in illâ elucebant; nonobstante utero suo, ut vix justus haberi debuisset, saltem in eo XV.

gradu quo justus erat, si eam contra talia signa propter uterum traduxisset.

XVI. Itaque probatio hujus nostræ opinionis post alias refutatas sumitur ex illis Matthæi verbis: *Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*, clarissimè per præcedentia illustratis. Accedit quod cum omnes tunc censerent tempus advenisse vel instare adventus Messiæ, cui Mater Virgo esse debebat, potuit cogitare apud se fortè illa est uxor mea tam sancta, tam casta, quâ monente, quâ suadente, quâ præeunte virginitatis votum emisi quod si illa esset quid facerem si eam accusarem? Quid si fortè in itinere ad cognatam suam Elizabetham ab aliquo virgunculâ sine culpâ vim passa? an etiam diffamabo? absit hoc à me. Sed si fortè culpa subesset (quod nescio) adulteræ commisceri nolo: & sic tutiorem ac justiorem viam elegit, neutrum faciendo, sed ab eâ clam se substrahendo: quasi diceret, uterus clamat iniquam mores sanctissimam, quid faciam? cohabitabone iniquæ? quid si iniqua non est? tradam ne sanctissimam? quid si talis non est? meam dubitationem dirimat recessus ab illa? quid justius? quid moderatius?

XVII. Confirmatur primò ex illis verbis, *Joseph Fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam.* Timor enim turbationem (quæ oriturquando animus circa duo utrimque angentia concluditur) comitari solet, non suspicionem: suspicionem enim ira potius comitatur quàm timor. Confirmatur secundò, quia hæc sententia magis favet virtuti Divæ Virginis & Sancti Josephi, suaviqúe Dei dispositioni.

XVIII. Sed petes cur non prius quàm Virgo appareret gravida Angelus apparuerit Josepho ut eum edoceret unde illa gravida esset, tum ne Virgo sanctissima in suspicionem veniret, tum ne ipse turbaretur, æstuaret, angeretur: auget dubium quod illud mysterium jam reseratum erat parentibus Sancti Joannis Baptistæ, nam Zacharias Pater, prophetando pronunciavit: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ*, Luc. cap. 1. Elizabetha mater, *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me*; ibidem: immò & ipsi Baptistæ necdum nato, *Ut enim facta est vox salutationis Mariæ in auribus Elizabeth exultavit in gaudio infans in utero ejus*, ibidem. Nonne Joseph dignior illis? nonne cum esset electus à Deo ut huic mysterio inserviret & puero, conveniebat illum prius & potius hoc mysterium agnoscere quàm illos? cur ergo hoc illis revelatur, ipsi absconditur? sed etsi Angelus non dixit quâ tamen ratione id Virgo Viro celavit? inquit Divus Chrysostomus homil. 4. in Matthæum, quæ enim & ab Angelo didicerat, & virum turbatum videbat, quomodò tantum mœrorem sermone non abstersit? Respondet ibidem Divus Chrysostomus his verbis: *Cur hoc*, inquam, *Angelus ante non dixit? ne scilicet Joseph de rei novitate dubitaret, & tale quid forsitan pateretur, quale legimus Zachariam pertulisse. Facilè quippe est credere verum esse quod dicitur, quando jam res ipsa oculis offertur: antequam verò incipiat fieri quod promissum est, laboriosè prorsus dicta, & præsertim inusitata creduntur: propterea istud nec Angelus indicavit, & Virgo id quod & audierat, & sentiebat, abscondit; neque enim sibi ullo modo à Sponso credendum putavit, si ad eum rem nimis novam suspectamq; deferret: quin immò magis eum in iram credidit concitandum, si quasi crimen admissum, hoc videretur obumbrare figmento: si enim etiam ipsa Virgo, cui tanta erat gratia conferenda, aliquid tamen patitur humanum, & dicit quomodo istud erit quoniam virum non cognosco? quantò magis ille dubitasset maximè cum id audiret ab uxore suspecta? Idcircò ei de hâc re Virgo quidem ipsa nihil loquitur: Angelus verò advenit tempore congruente.* Hæc D. Chrysostomus.

XIX. Nec tantùm ex prudentiæ virtute Beata Virgo hoc secretum non aperuit Divo Josepho, sed etiam ex modestiâ rarâ valdèque suspiciendâ, ne sua dona jactare videretur: atque etiam ex magnâ excelsâque in Deum fiduciâ, cujus providentiæ hoc totum opus, quod ipsius erat per excellentiam, commisit, certissimè

certissimè confidens Deum suam innocentiam & famam curaturum, ac vel rem totam oportunè patefacturum, ut paulò ante Zachariæ, Elizabethæ, & Baptistæ feciſſe experta erat, vel omnia directurum ad majorem suam gloriam, cui suam famam, & omnia sacrificari æquum erat. Quàm magnanima ista Virginis in Deum confidentia! quâ omne hoc siniſtræ opinionis & infamiæ periculum subiit, ejusque metum excussit. Discant ab illâ uxores aliæ, quæ viros habent morosos & suspiciosos, constantiam, & sperare in Deum quod ipse earum innocentiam proteget.

XX. Respondeo secundò, ex Divo Gregorio Magno homil. 26. in Evangelia. Divum Josephum permissum fuisse incidere in istam anxietatem & dubitationem propter eandem rationem, propterquam Divus Thomas permissus est dubitare de Resurrectione: *Nunquid casu gestum creditis*, inquit D. Gregorius, *ut electus ille discipulus tunc deesset, post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? non hoc casu sed divinâ dispensatione gestum est: egit namque miro modo Divina Clementia, ut discipulus dubitãs dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis sanaret vulnera infidelitatis..... quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postpositâ in fide solidatur.* Sic etiam Divus Josephus permissus est ante nativitatem Domini dubitare de integritate Matris ejus, ut dum ipse per Angelum ab ista dubitatione liberaretur, nos per ipsius testimonium omni exceptione majus, in fide confirmaremur Dominicæ Incarnationis. *Et certè quis locupletior testis Mariani pudoris, quàm Maritus,* inquit Divus Ambrosius lib. 2. in Lucam, *qui poterat dolere injuriam & vindicare opprobrium, si non agnosceret Sacramentum.*

XXI. Adstipulatur Divus Chrysostomus homil. 4. in Matth. ubi sic loquitur. *Postquam dixit Evangelista quia Christus esset ex Spiritu Sancto, & absque ulla mixione sexuum, sermonem suum etiam aliundè confirmavit: ne enim aliquis diceret, & undè hoc potest esse manifestum? quis vidit? quis audivit aliquando tale contigisse? Neque putares discipulum quasi gratificantem Magistro suo ista confingere, introducit Ioseph, ex his quæ passus est fidem dictis per cuncta facientem, ut planè hinc dicere Evangelista videatur, si non credis mihi, & testimonium tibi fortè meum suspectum est, crede igitur velmarito.* Ioseph autem vir ejus cùm esset justus, &c. *Cùm igitur esset justus, hoc frugi, bonusq; vir voluit dimittere occultè eam. Propterea verò Evangelista dixit quid justo illi acciderit ante notitiam, ut nequaquam de his quæ post notitiam rei sunt facta dubitares. Et certè si Maria talis fuisset qualem illam suspicio fingebat, non modò publicari meruerat, verùm etiam ex legis authoritate puniri. Sed Ioseph non solùm maius, verùm id quoque quod erat minus pariter indulsit.* Non facturus utique, minus verò cum illa deinceps convicturus, nisi Sacramentum agnovisset. Tertia responsio ad hoc quæsitum erui poterit ex iis quæ dicemus infrà num. 39.

Porrò hoc Divi Josephi factum Sanctus Evangelista ejus tribuit justitiæ, dicens: *Ioseph autem Vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere.* Sed cùm istud, *& nollet eam traducere*, significet *& nollet eam publico exemplo ignominiosè puniendam curare*: jure à Patribus vertitur in dubium quomodo justitia adducatur in argumentum pietatis & benignitatis? Nam ex hoc potiùs videbatur Divus Josephus dicendus pius, benignus, lenis & misericors, quàm justus. Sed respondeo nomen *Justus*, quo eum appellat Evangelista in hac occasione, non significare justitiam, ut particularis est virtus, & una ex quatuor Cardinalibus, sed justitiam communem & generalem, quæ omnes complectitur virtutes, & importat habitum & affectum implendi omnem legem. Et certè, ut hic tãtus vir tot in se motus sedare posset, & to exurgentes ist tam urgenti occasione passiones sistere, ac contineret, egùit plusquam unâ virtute justitiæ particularis, nec illa suffecisset ad tantam sui victoriam, imò è contra illa zelum potiùs ejus accendisset, ut manifestè gravida puniretur. XXII.

Confirmatur: duo in hac occasione Evangelista proponit consideranda: Primùm, quod videns uxorem suam, XXIII.

quam non tetigerat, gravidam & nesciens undè, eam tamen traducere noluerit. Secundùm, quod eam voluerit occultè dimittere, non enim putabat se posse tutâ conscientiâ illi cohabitare cum periculo peccati, si quid fortè mali subesset. Vide jam in utroque incomparabilem Sanctitatem.

XXIV. In primo, sic eam effert Divus Petrus Chrysologus. *Hoc pio*, inquit, *magis videtur convenire quàm iusto; sed humano iudicio non Divino. Penes Deum neque pietas sine iustitiâ est, neque sine pietate iustitia: Cœlesti sensu sine bonitate æquitas, sine æquitate bonitas non habetur, virtutes si separatæ fuerint, dilabuntur: Æquitas sine bonitate sævitia est, iustitia sine pietate crudelitas. Ioseph ergo meritò Iustus, quia pius; & pius quia iustus: Denique dum pietatem cogitat crudelitate caruit, dum causam temperat, iudicium custodivit, dum vindictam differt crimen evasit, dum refugit accusationem fugit sententiam.* Et optimè, nam Scriptura dicens: *Noli esse iustus nimium.* Ostendit evidenter justitiæ opus esse, justitiam moderatione temperare: in quem sensum elegantissimè Divus Gregorius Nazianzenus epist. 181. *Nihil grave*, inquit, *carnifices agunt, legibus enim inserviunt: nec iniquus est gladius, quo de improbis supplicium sumimus; nec tamen laudatur carnifex, nec cruentus gladius lubenti animo tractatur: humanus enim animus, si tamen humanus, in humanitatem & benignitatem potius inclinat.*

XXV. In secundo: Divus Augustinus tom. 10. serm. 63. de diversis: *Attendite*, inquit, *sinceram iustitiam: non enim propterea parcere volebat quod habere cupiebat: multi enim amore carnali adulteris uxoribus parcunt volentes eas quamvis adulteras habere, ut eis per carnalem concupiscentiam perfruantur: hic autem vir virtuosus habere eam non vult: ergo non carnaliter diligit: & tamen non vult punire; ergo misericorditer parcit. Qualis hic iustus est, nec tenet adulteram, nec propterea parcere videtur, quia libidinosè diligeret: & tamen nec punit, nec prodit: meritò planè testis electus est virginitatis uxoris.*

XXVI. Addo, nec ut arbitror improbabiliter, Divum Josephum non ideò solùm eam suspectam dimittere voluisse, ne fortè si non esset innocens, cum eâ manendo ejus crimini participaret, ut hactenùs placuit Sanctis Patribus, sed etiam ne suam ipse castitatem, & illius votum quod fecerat in discrimen adduceret: ita enim cogitare potuit apud se, & meo videri, sine dubio cogitavit, si illa fortè cecidit, quod nescio, cum eâ manere, mihi qui castitatem vovi licet eâ consulente, quomodò tutum? si enim ita cecidit cum alio, posset me quoque, qui me illam teneret diligere sentio, in eandem prævaricationem pertrahere: cùm igitur castitas non sit tuta nisi cauta, pro meâ securitate ab illâ me proripio. Quanta castitas illa? imò qualis justitia?

In utroque autem Divus Chrysostomus homil. 4. in Matth. celsitudinem virtutis meritò stupet ac miratur: verba ejus merentur lectionem & profundam reflexionem, habent enim ferè singula suum pondus. *Si Maria*, inquit, *talis fuisset qualem illam suspicio fingebat, non modo publicari meruerat, verùm etiam ex legis authoritate puniri: sed Ioseph non solùm majus, verùm id quoque quod erat minus pariter indulsit: non enim tantum eam damnare noluit, sed nec publicare. Vidisti nempè virum sublimiter philosophantem, & tyrannicæ illius affectionis immunem. Nostis enim profectò, quàm impotens res sit zelotypia. Propter quod ille benè, hujus rei non ignarus, aiebat*, Proverb. cap. 6. Plenus est zelo furor viri ejus, non parcet in die vindictæ. *Et rursus* inexorabilis est, inquit, *sicut infernus zelus. Et nos quidem plerosque novimus velle animam potius amittere, quàm in tormentum zeli atque huiusmodi suspicionis incidere. Quamquam hic quæ tandem diceretur esse suspicio, ubi ipse uteri tumor videbatur arguere suspectam? Sed tamen ita erat ille Vir ab huiusmodi passione mundus ac liber, ut ne in minimis quidem Virgini vellet inferre molestiam. Quia ergo & apud se illam retinere iniquum putabat, publicare atque in judicium trahere nihil esse aliud quàm eam in mortem trahere videbat. Neutrum horum facit, sed adhuc sub lege vivens supra legem philosophatur: siquidem adventante iam gratiæ, multa sublimioris disciplinæ documenta fulgere oportebat* XXVII.

*tebat: ut enim sol nondum radiis ostensis, eminùs tamen splendore suo maximam partem orbis illuminat; ita & Christus ex utero Virginis tam iamq; progrediens universo orbi etiam priusquam oriretur illuxit. Denique ante illum quoque Virginis Beatæ partum & Prophetæ in spiritu tripudiabant, & Mulieres in spiritu prædicabant futura & Ioannes nondum claustra egressus uteri gaudia sua pendebat & Matri.* Propterea igitur & Joseph tantam philosophiam mentis ostendit, neque enim aut in judicium tradidit Sponsam, aut ipse saltem ei manifestum exprobravit uteri tumorem, sed tantùm ab illâ se separare conatus est. Quum in his ergo omne negotium verteretur, atque in summâ res difficultate consisteret, advenit repentè Angelus, qui omnia simul mœsta & adversa dissolveret.

XXVIII Ex quo Divus Paschasius lib. 2. in Matth. sic eximiè ad mores concludit. *Hoc velim audiant temerarii, & discant inter causarum incerta diu secum ex reverentiâ timoris Dei deliberare negotia, ne discrimine levitatis pressi in deterius cadant. Et nos Fratres quoties turbat nos dubietatis caligo, fallit rerum species, facit superficies causarum interdum interiora veritatis nescire, declinemus ad præsens judicium, substrahamus sententiam, fugiamus discrimen, dicamus totum Deo, nedum temerè gestimus definire sententiam, nobis paremus ex discrimine alieno ruinam.*

XXIX. Discant etiam hinc severiores Superiores & Judices, quorum carnifex est animus, & ad pœnas irrogandas semper anhelans, non modò non humanitati, sed nec justitiæ consonum esse miseros reos ferociâ primùm vultus & judicialis strepitus turbaros captiosis interrogationibus implicare, & malè innodatos pejus pro verè confessis condemnare.

XXX. Verùm hoc profundius perscrutari lubet, nam in paucis Evangelistæ verbis, quibus justitiæ Divi Josephi specimen exhibet, venam invenio divitem, quâ effossâ, nihil amplius desiderari possit ad plenissimam istius Viri incomparabilis commendationem. Ecur amabo, ut hoc admirabile factum Divi Josephi referat Evangelista proludit isto modo dicens: *Ioseph autem vir ejus cum esset justus?* Cur potius hîc justus quam alibi? nunquid non justitia fuit, quod tam promptè, tam simpliciter, tam perfectè obedierit Angelo fugam in Ægyptum præcipienti? nunquid non justitia fuit quod tam Religiosè quot annis ascenderet ex Nazareth Jerosolymam ad solemnitates? nonne justitia fuit, quod ipse, cujus ex Davide & Salomone descensum duxerat S. Evangelista, & consequenter jus directum ad Regnum Davidicum indicarat, conjunctam cum tantis natalibus ultimam conditionem, nempe Fabri, tanquam ex inscrutabili Dei providentiâ sibi electam & provisam, resignatione summâ, & cum gaudio in spiritu Sancto excepit, amplexatus est? Nonne justitia fuit quod summam illam puritatem & castitatem in ipso conjugio mortalium primus servaverit? & tunc quidem cùm sterilitas probro & maledicto vertebatur? Cur ergò non in his, sed ibi expressè dicitur Divus Joseph Justus? Certè existimo ideò hîc expressè dici Justum, (quod de justitiâ communi & generali, quæ omnes complectitur virtutes intelligendum) quia censuit Evangelista justitiam quæ decebat Virum Mariæ habentis in utero filium Altissimi, cujus ipse erat Pater, nullo argumento hoc validiori, efficaciori & clariori probari posse, & ideò benè perpendendum ac ponderandum.

Duo ergò hîc considerandà, primùm, quòd videns uxorem suam, quam non tetigerat, gravidam, eam tamen traducere noluerit: Secundùm, quod eam dimittere voluerit, & utrobique ut magna crux, ita magna Justitia. Videamus. XXXI.

Quoad primum, quis explicet quàm graviter commotum fuerit & agitatum cor Sanctissimi Viri? Ex unâ parte non ignorat Sponsæ suæ Sanctimoniam, testis est oculatus honestissimæ conversationis ejus, quæ etiam cernentibus afflabat castimoniam: ex alterâ parte gravidam videt ipsam unde autem? ignarus est quid molestius? Cùm ergo sensim intumesceret Beatissimæ Virginis uterus, Sanctus Joseph sponsus ejus pudicissimus animadvertit XXXII.

quod

quod vix credere potest, videt indubitatè, quod tamen dubitat esse eam quę se ad servandam & vovendam virginitatem induxerat, aliunde quàm ex se gravidam. Rem videt, nescit modum: imò scit Virginem tam puram, & tam alienam ab eo quod videt, ut non credat oculis suis: Sed tamen illa fert uterum: disputat ipse cum animo suo quomodo gravida potest esse Virgo? & quomodo tam sancta, tam modesta fidem violasse Viro? Hæc inter se nimis pugnantia sunt.

XXXIII. Positum ergo erat cor ejus quasi inter duos lapides molares: hinc uterus premebat plenus: illinc probata honestissimæ Conjugis virtus. Uterus ciet odium, & quæ ex eo sequitur iram: virtus & rarissimæ uxoris dotes accendunt amorem, & quæ ex eo sequitur teneritudinem, utrumque quomodo cor ejus lancinabat? quomodo hinc & hinc distrahebat? quomodo se expediet? Recordatur uxorem se ad continendum, immò pro continentiâ servandâ ad vovendum adduxisse, sub prętextu quod actio conjugalis, licet licita & honorabilis, non tamen erat pura, & interim illam videt non diu post gravidam; auxisset procul dubio anxietatem, obruisset animum, nisi ejus amor spiritualis fuisset, & virtus probata, quod hoc initio conjugii, quando amor conjugum est vehementior: nec brevis fuit aut unius diei hæc in Divo Josepho angustia, sed diu illam sustinuit, & quo pede alvus intumescebat Virginis eodem ejus anxietas & mœror augebatur. Habenas Deus laxavit ejus dubitationi, ut eò usque crescceret quò poterat, ut in illâ omnes orituras in Ecclesiâ contra Virginis integritatem dissiparet & sanaret: unde passus est in hoc agone quantùm potuit, atque ita toto illo tempore Deus in Divo Josepho maximam quam potuit Mysterii Incarnationis confirmationem excudit, ut nobis liquidò constaret non fuisse opus viri, sed Spiritus Sancti.

XXXIV. Vide interim quomodo ille in hâc occasione adeò lubricâ (& cui nescio an ulla unquam fuerit, aut erit similis) se gessit? non ille, ut etiam justissimus & mansuetissimus fecisset, indiguari non excandescere, non præcipiti iræ impetu, quem hic casus, si ullus accendit, gravius aliquid moliri cœpit, sed motus omnes sedat, rationem servat, æquitatem tuetur, Deo confidit, & justitiam amplectitur: ut dum occultè dimittit uxorem, nec innocentem prodat, nec alieno crimini, si crimen adesset, participet.

Non ergo præceps ruit in iram, non XXXV.
exardescit in furorem, non turbat aut subvertit domum, non eam malè tractat, non expellit domo, nec aut palam facit ei confusionem, aut coram parentibus & amicis; non eam in particulari objurgat, quod facerent etiam Sancti, sed nec interrogat eam, unde illi hoc? immò nec torvè respicit, aut durius illi loquitur: verbo uno non illi, quamvis rea appareat, sed sibi ipsi omnem pro hoc facto pœnam irrogat, seipsum exilio damnans; ne vel Deum offendat, vel uxori injuriam faciat: Qualis hæc justitia! An hoc potuisset si fomes adhuc in illo vixisset? si non in summo sanctitatis culmine constitutus fuisset? & hæc ex observatione Joannis Hentenii Hieronymiani in Evangelia ad hæc verba: *Hæc autem eo cogitante*, Matth. cap. 1. vers. 20. ubi sic ille: Vide mansuetudinis excellętiam: non „
solum hâc de re, nihil alteri manifesta- „
bat, sed nec ipsi de quâ suspicionem „
habebat: tantùm apud se cogitavit „
clam dimittere eam. Hæc verò Hente- „
nius ex Divo Chrysostomo in eadem verba Matthæi, ubi ait: *Notatur etiam mansuetudo Ioseph, quia nulli enarravit suam suspicionem, neque ei quæ suspecta erat, sed in se cogitabat.*

Denique ut hinc indeficientem illi- XXXVI.
batamque prorsus Divi Josephi justitiam agnosceremus, nec ejus de Virgine uxore cogitationem in sinistram ullo modo partem interpretari possemus, justificavit eum in hâc ipsâ enarratione sacer Evangelista dicens: *Ioseph autem vir ejus cùm esset justus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Ex quo nimirum quàm constans, quantusque in perplexissimo negotio justitiæ ejus tenor fuerit appareret, quæ & ipsum Spiritum sanctum per os Evangelistæ loquentem, Interpretem vademque habere meruerit.

Quem

Quem autem Evangelista vel Spiritus sanctus ipse justum vindicat, quis injustitiæ condemnare audebit? & si in hoc summæ arduitatis negotio, ne in cogitatu quidem ejus labecula ulla inventa est, quâ demum in cogitatione; quove in opere contra justitiam vel Dei legem deliquisse videri poterit?

XXXVII. Quantum ad secundum: occultè ergo dimittere cogitabat seseque ab eâ clam proripere indemnem: sed quantò res hæc illi statura erat? quis edicat? quo sensu animæ dimidium suæ, & si ita dicere liceat semet a seipso divellet? tormentum ingens atque omni cruciatu acerbius, quo viri castissimi integerrimique animus diu noctuque suprà id quod dici potest torquebatur, quo tamen liberare se poterat nullo negotio, poterat enim tacere, & cum eâ manere, si non fuisset justissimus, aut si castitas ei defuisset.

XXXVIII Deus illa duo corda perfectissimè conjunxerat, & ita perfectè, ut nulla unquam æquè. Quàm sensibilis ergo, quàm amara debuit esse ista separatio futura suâ opinione perpetua! & quam triste vel de eâ solum cogitare! Deus meus (ita secum ipse) quomodo versa est in luctum cithara mea? quomodo subitò exhaustum est gaudium meum? Heu me miserum! quomodo video Solem sœlicitatis meæ obtenebratum? O me infœlicem cui ab illâ abscedendum quæ tam gratiosè lucebat in oculis meis! ô Maria! ô Sponsa mea olim mihi tam chara! ergone tu mihi deferenda? ô duram sortem! ô casum acerbum! quid? mihi vivendum & sine illâ vivendum? & quæ deinceps erit ista vita victuro sine illâ, quę erat totum meæ bonum & solatium vitæ? O munde! ô sine requie munde! ô Maria! quanta est angustia mea, & ut te deseram, & ut tecum maneam? ille qui suavi tuæ assuetus est præsentiæ quomodo poterit à te discedere? quæ manus tui repudium scribere? non utique mea, non, non erit illa ah! tui infœlicis dextera Sponsi: nam licet te deseram, te tamen amo. Ergo per orbem pererrans eo, ut homo palabundus, ut pauper, ut vagus, ut confusione plenus, malo gustui meo, propriæque detractum satisfactioni, malo in me ipsum sævire, quam vel in Deum delinquere, vel in te: hæc vel his similia Divus Josephus in hoc mœrore. Ex quibus discant conjuges non turbari, aut desperare; si in matrimonio suo inveniant cruces, quas minimè cogitaverant, si ab invicem aliquando patiantur: quandoquidem hoc matrimonium Divi Josephi & Virginis, tam sanctum, tam evidenter à Deo, & tam sublimiter in Deum, suis non caruerit molestiis & amaritudinibus.

In hâc autem perplexitate, non an- XXXIX.
te, adfuit Deus quam dum prope esset Josephi ut Mariam dimitteret: hoc significant verba illa: *Hæc autẽ eo cogitante*, ideest jam jam quod cogitabat facturo: *Ecce Angelus Domini apparuit ei, &c.* Permisit Deus, imò voluit ipsum quantum fieri potuit angi, ut quantum fieri poterat mereretur, nobisque patesceret magnitudo virtutis ejus ac sanctitatis; in hoc enim intendit Deus, ut Sancti sui, quantum fieri potest, crescant in merito. Ita probavit fidem & obedientiam Abrahæ Patriarchæ in filii sui Isaac immolatione, Genes. cap. 22. Vide quomodo præcepit ei Deus ut immolaret filium suum unigenitum quem diligebat Isaac. Hic ad cœleste mandatum nil cunctatus, exivit ut abiret ad locum quem præceperat ei Deus; sed non fuit satis: post tres dies itineris tandem pervenit ad radices Montis à Deo ad immolationem designati; non fuit satis: Relicto ibi comitatu ascendit ad verticem Montis, ubi immolatio fieri debebat; non fuit satis: Altare ædificavit; non fuit satis: in eo ligna ad sacrificium composuit; non fuit satis: filium suum Isaac ligavit, non fuit satis; eum posuit super struem lignorum, non fuit satis: extendit manum ut arriperet gladium quo præcinctus erat; non fuit satis: educit gladium; non fuit satis; brachium armatum elevat jam jam icturus. Tunc non ante, ecce Angelus Domini de cœlo clamat, *Abraham, Abraham non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognovi quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Tentavit Deus Abraham: sustinuit usque ad ultimum punctum Abraham,

ut nota fieret omnibus sæculis futuris ejus fides, Obedientia, & Constantia ac in Deum amor: Ita quoque probatus est D. Josephus.

XL. Quamvis autem Deus moram trahere videatur, non tamen tardat, quia venit tempore congruo: Viro enim Sanctissimo plenè probato *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis dicens, Joseph Fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, quod enim in eâ natum est de Spiritu Sancto est, &c.* Ac si diceret, Joseph ubi es? & quales sunt istæ cogitationes tuæ? Redi ad te & recordare quid promissum sit Davidi cujus Filius es, videque hoc in te nunc completum: quod enim in uxore tuâ natum est, de Spiritu Sancto est: Ita ferè Strabus in hunc locum. Quid poterat illi accidere jucundius quàm hoc in tam tristi confusione cogitatuum suorum nuncium? quod scilicet illa quam cœlo dante acceperat in uxorem, & quam tam tenerè diligebat, quam tanti faciebat, paritura erat ex Spiritu Sancto Messiam toties promissum, adeò desideratum, tamdiu expectatum; cujus ipse Pater futurus erat. Quid, inquam, potuit illi accidere jucundius quàm quod illam, à quâ tam ægrè se separabat, retinere jubeatur? Nunquid poterat sibi hîc usurpare illud ejusdem Patris sui Davidis Psal. 93. vers. 19. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Ac deinde illud Jacob Patriarchæ unius ex Progenitoribus suis *Tunc lætus moriar cùm videro faciem filii mei.*

XLI. An non hic miranda Dei nostri providentia, & stupendus ejus procedendi modus ut Sanctum nostrum reddat inclitum? Dum hæc agebantur, hæcque patiebatur Divus Josephus, actu hoc agebat Deus, ut eum omnium hominum faceret maximum, Patrem dico filii sui, & Prædestinatorum post Matrem primum, & ipse nesciebat: propterea duram istam dedit illi tentationem, eamque ob rem cùm Zachariæ & Elizabeth ejus uxori revelasset Mariam Filium suum de Spiritu Sancto concepisse, id tamen illi absconditû voluit: Si enim ei revelasset non fuisset tentatus & probatus, si non fuisset tentatus & probatus, nõ meruisset, ejusq; virtus fuisset nobis incognita.

Audiendus ad hoc propositum Rupertus Abbas sydus nostræ gentis, lib. de Glor. & honor. Filii Hominis in Matth. ad illa verba, *Joseph Fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, &c.* ubi postquam proposuit quæstionem cur Angelus non missus ad Josephum antequam Beata Virgo appareret gravida, ipseque dubitaret ac angeretur? Respondet his verbis. *Vt tentaretur & manifestum fieret tam sanctis Angelis, quàm nobis hominibus de ipso quod esset justus, & talis qui dignè sic deberet appellari Joseph fili David: sic enim Pater ejus David maluit exulare, quàm uti permisso legis dicentis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Sed surgens, ad Achis Regem Geth fugit, quomodo iste Justus Joseph occultè dimittere Mariam voluit proficiscens in Regionem alteram: amplius autem ex eo filius David tam insigniter tali in re, tali in tempore.* Pondera hæc postrema verba, *tali in re, tali in tempore*, ideſt pepercit non in tali quali injuriâ, sed in omnium gravissima: pepercit, non Evangelii tempore, sed Legis antiquæ: pepercit in principio desponsationis, quando amor nascens, quando zelus major, & ira potentior: & pepercit, non quocumque modo, sed eo quo explicuimus, ac ne ipsam, aut Deum offenderet, in seipsum sæviendo, & ea propter seipsum exilio perpetuo condemnando. XLII

Cùm ergo in eo passiones omnes, & affectiones appetitus tam concupiscibilis partis, quàm irascibilis, adeò edomitas videamus, ut in conjugio vivens, nihil de carne cogitaverit, ut videns uxorem suam gravidam nesciens unde, ne vel nutu quidem, vel verbulo eam contristarit, ut eam plus amans quàm seipsum, ab eâ tamen se voluntate & in animi præparatione avulserit ne Deum offenderet, & ne illi noceret, per orbem exul & vagus proficiscì elegerit, ut denique in tantâ iræ, imò furoris occasione, quâ nulla unquam major, eam tamen moderationem, æqualitatem, & justitiam servarit, quam hîc vidimus, nonne omninò concludendum quomodo fecimus XLIII

mus supra Part. 1. tract. 3. quod si ipse ut cæteri in Adam peccavit, ab eo tamen morbo ita sanatus sit (quod non cæteri) ut nihil imbecillitatis ei ex illo remanserit.

## CAPUT VI.

### *Divi Josephi ex hoc iterùm aliisq; Patientia, Animi Fortitudo, et Æquanimitas.*

I. PERFECTIO Dei summa est quod omnium plenitudinem & cumulum perfectionum in unicâ purissimâ ac simplicissimâ entitate, quam Theologi simplicitatem vocant, sine ullâ compositione & commissurâ colligat, ita ut omnes omnium entium perfectiones non solùm contineat eminenter & cum infinitâ supergressione, sed etiam simpliciter & seclusâ omni pluralitate: Non ergò in illo alia res Intellectus, & alia Voluntas, alia Scientia, & alia Potestas, alia Misericordia, & alia Justitia, & sic de cæteris; sed omnes sunt actus actualissimus, unicissimus, purissimus & simplicissimus: hic est enim conceptus essentiæ essentialiter infinitæ in omni genere: secus est de creaturis, quatũ esse cùm è diverso sit essentialiter finitum & limitatũ, eò excellentiores erunt quo plures in se coacervabunt perfectiones, quibus per multiplicitatem propius accedant ad aliqualem repræsentationem perfectionum, quæ reperiuntur in Deo per unitatem seu identitatem.

II. Neque tantùm propter limitationem sui esse omnibus creaturis essentialem, indiget homo pluribus perfectionibus ad sui ornamentum, & facultatum suarum complementum, sed etiam propter certorum excellentiam Actuum, quæ excellentia in aliquibus tanta est, ut nunquam illos producere posset sine adminiculis illis sive à Deo additis, sive proprio labore comparatis.

III. In hoc genere fuerunt plures virtutum actus, quas in Divo Josepho divinum commendavit Evangelium, de quorum aliquibus propterea in hoc opere sæpè recurrit sermo: inter quos maximè eminet hic, quò uxorem suam sustinuit gravidam, quam sciebat se non tetigisse: Tam magna enim res fuit in hoc casu eo modo se gessisse quo explicuimus capite præcedenti, ut non tantùm ad hoc pluribus eguerit virtutibus, sed totâ justitiâ, nec justitiâ communi tantùm & ordinariâ, sed totâ plenitudine Sanctitatis: quod satis innuit Sacer Evangelista dum hoc factum referens, Divum Josephum non tam asserit Justum, quàm præsupponit, dicens: *Joseph autem Vir ejus, cùm esset justus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Hocce enim modo huic facto præludens, nonne idem est ac si diceret: non mirandum cùm esset justus quod ita se gesserit: cùm verò nullus communiter tantùm justus, aut etiam tantùm communiter Sanctus ita se gerere potuisset in tantâ occasione, ut constat: relinquitur omninò ut Evangelista voluerit summâ fuisse præditum sanctitate, quia omninò talis ad talem actum fuit necessaria.

Quare hîc alii mirati sunt & laudavernut summam ejus prudentiam, alii fidem, alii & nos cum his castitatem, mansuetudinem, pietatem, benignitatem, moderationem, sanctum Dei timorem. Restat ut ex hoc quoque ac deinde aliis, animi ejus fortitudinem, sufferentiam & æquanimitatem perpendamus. IV.

Cæteri homines dum fiunt Patres ex inde percipiunt delectationem, & quærunt: & nisi illam se inventuros scirent, renunciarent libenter isti qualitati, quam sequuntur tot curæ, sollicitudines, & molestiæ tantæ. At Divus Josephus dum fit Pater, majores in animâ, quàm in corporibus suis Matres dum actu pariunt, patitur angustias. Cùm enim aliæ sint mentis cruces, & aliæ Corporis; quis est qui nesciat illas cæteris paribus his longè esse acerbiores & intolerabiliores. V.

Hinc Theologi intolerabiliorem docent in animabus damnatis & se purgantibus dolorem quem ex pœnâ damni percipiunt seu privatione Dei, VI.

eo quem ex pœnâ sensus, seu actione ignis. Hinc sæpè vidimus homines in carcere, in suppliciis, & cruciatibus corporis fortes esse, constantes, alacres etiam: in animæ verò anxietatibus timidos, tristes, dejectos. Hinc denique Salvator ipse, qui in torâ dolorosissimæ Passionis suę historiâ nunquam de ullo tormentorum suorum, quamvis atrocissimorum, auditus est conqueri, conquestus est in horto de animæ tristitiâ; *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et in Cruce de Paternâ derelictione: *Deus Deus meus ut qui dereliquisti me?* Ergo cruces mentis cæteris paribus corporalibus sunt acerbiores. At inter has animæ cruces quænam acerbior illâ, quam pertulit Divus Josephus dum fieret Pater? quale tormentum homini videre uxorem suam quam scit se non tetigisse gestantem uterum? Qualis crux propter hoc cogi eam dimittere, quæ in ejus oculis adeò gratiosè lucebat? quàm acerbum ob alienum factum exilium debere subire perpetuum, quod licet in re non pertulerit, ad illud tamen mente paratus fuit?

VII. Tolerabile fuit Abrahæ Patriarchæ quamvis durissimum, filium suum unigenitum quem diligebat tollere, gladioque caput ejus demetere, quoniam in eo facinore certâ præcepti divini luce dirigebatur: at in hâc æstuosissimâ fornace, nulla eo usque divinæ lux revelationis, nullum alicundè consilium, nulli enim vulnus suum aperire audebat, & vel Conjux supercharissima dimittenda, vel cum Dei supercharioris offensione retinenda? Quonamque in hujus medio perplexitatis sese verteret quidvè faceret Joseph? diligebat ipse haud dubiè conjugem sapientissimam, pudicissimâ, modestissimam, piissimâ, ut animam vitamq; suam, quoniam & amore ejus purissimo omniũ maximo mentem ejus impleverat Spiritus Sanctus. Et ecce de divellendâ, dividendâque animâ suâ cum eo agitur, conflictantibus inter se honore legis, & amore Conjugis: & quo interim pro communi utriusque satisfactione se convertat prospicere non datur nec nanciscì hostem à quo pro Deo ignem potiùs perferat vel ferrum. Sed si ferrum corpus ejus non pertransiit, pertransivit saltem ut antiquum Josephum Patriarcham ejus figuram psalm. 104. vers. 18. animam ejus donec veniret verbum ejus, ideſt supernæ instructionis per Angelum nunciantem *Ne timeret accipere Mariam Conjugem suam.* Et ita eo usque voluit Deus, qui antequam hæc pertulisset, Mysterium istud ei revelare noluit: Nimirùm quia suspecta est virtus quam labor non induravit. Hinc Seneca lib. de Provid. aiebat. *Magnus es vir, sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis? Descendisti ad Olympia, sed nemo præter te: Olympiam coronam habes, victoriam non habes: non gratulor tanquam viro forti, sed tanquam Consulatum Præturamve adepto: marcet namque sine adversario virtus, tunc apparet quanta sit, quantum valeat polleatq;, cùm quid possit patientia ostendit.*

Virtus profectò nullâ re sic exclarescit ac tribulatione. Ante tribulationem sciri non potest omninò an quis verè sit Sanctus: hinc necessaria est probatio, ut æstimari possit: Propterea Angelus ad Tobiam c. 12. v. 13. ait. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Expende verbum illud *necesse:* unde illa necessitas? sanctiansint verè tales ante tribulationẽ, à solo Deo cognoscuntur; at post tribulationem id omnibus constat hinc, ut clariores fiant, necessaria tribulatio. Immò ab ipsâ apparet quam magna sit virtus. Hinc est quod cùm fidelis sit Deus, qui non patitur nos tribulari supra id quod possumus, ut asserit Paulus 1. Corinth. cap. 10. vers. 13. ad hoc ut faciat cum tentatione proventum, juxta virium mensuram ponderat tribulationem, & ad magnas vires magnam, ad debiles debilem adaptat tribulationem. Immò cùm Spiritus promptus sit, caro autem infirma, sic ipse tentat, ut ad nostram conservandam virtutem, simul & humilitatem, velit quidem experimentum facere, non ex viribus, quas cognoscit debiles, sed ex voluntate, quam videt esse bonam, sufficiens illi quod vincere velimus: quo experimento contentus tentationem tollit, ne homo succumbat: quod totum non solùm nostrũ respiciens proventum operatur, sed VIII.

nostræ

nostræ etiam prospiciens humilitati, ne scilicet viribus nostris nos tentationem vicisse credamus: ideò sæpè non tentat vires, sed perspectâ voluntate contentus est: Quod acutissimè observavit noster Imperfectus in Matthæum homil. 14. explicans illa verba Orationis Dominicæ, *Et ne nos inducas in tentationem.* Ubi sic ait: *Duo ergo petimus, primum ut non inducat nos in tentationē. Secundò, ut si induxerit, liberet de periculo tentationis: nam verè si secundum veritatem justitiæ suæ examinaret homines Deus, nullus posset fieri salvus: ideò aut̄ difficilè tentat scitens infirmitatē, nostram: aut si tentat, non tamdiu tentat, quamdiu nos vincamus tentationem, sed quamdiu nos vincere velle ostendimus: ideſt non virtutem nostram tentat, sed voluntatem Apostolo nos confortante & dicente*, 1. Cor. 10. Tentatio vos non apprehendat nisi humana, fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis sustinere, sed &c. *Volens enim glorificare hominem, tentat eum, non ut cum magno judicio glorificet, sed ut ne sine causâ glorificet.* Quid pulchrius? sic ergo nos tentat Deus: illas immittit tribulationes quæ ex suâ parvitate cum viribus nostris comparatæ, non magnum possint fundare judicium, sed tantùm ut non videamur sine causâ glorificati: ideò non suprà id quod possumus, sed infrà tentari nos permittit ut faciat cum tentatione proventum.

IX. Ex quibus duo constant indubitata & certissima, inquit Laurentius Deaponte tom. 2. in Sapient. Salomon. cap. 10. num. 13. homil. 22. Primùm, tribulatione virtutem exclarescere: Secundùm, ex illarum pondere ponderis esse sumendum virtutis, ut major sit in virtute qui major est in tribulatione. Quod cum ita sit, quæ major tribulatio quàm illa Sancti Joseph? Anxia nempe illa de uxore (quam non tetigerat) cogitatio, quæ eum diu noctuque angebat, torquebat, terrebat: hæc tribulatio est sic magna; sic grandis, ut nulla ei comparari possit, non rerum, non status, non denique ipsius vitæ jactura: cogitatio enim tristis, amara, dissona, & ut talis apprehensa, est ille ignis, est fornax illa, in qua Deus justum probat: hinc ubi nos legimus Ecclesiastici cap. 27. *Vasa figuli probat fornax & homines justos tentatio tribulationis.* Complutensis versio ita habet, *& tentatio hominis in cogitatione illius.* Et optimè quidem, nullum enim tale Deus ab homine justo potest sumere experimentum, nullam similem illius tentativam facere, nullo eum sic igne purgare, ac unâ in mente tristi cogitatione, sinens eam intus non ossa, sed medullam, sed animam rodere, exsiccare: unde idem Ecclesiastic. ibid. vers. 5. *Aporia hominis in cogitatu illius*, & Job cap. 11. vers. 11. *Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum*, pro quo Complutensis legit *articuli cordis mei rupti sunt.* Quod explicans citatus Deaponte dicit ex Anatomistis duos in corde reperiri sinus, unum sanguine plenum purissimo, alterum omninò vacuum: ex quo conjectant in hoc secundo mansisse vitales Spiritus ob mortem exhalatos: sed melius in illo sinu formari cogitationes, quas ex illo exire affirmat Christus Matth. cap. 15. vers. 19. Ergo ibi illæ, quæ Divum torquebant Josephum.

Itaque hæc erat Sanctissimi Viri tribulatio, hoc experimentum, quo nullum majus, cogitatio aspera: *Antequam convenirent*, inquit Matthæus cap. 1. vers. 18. *Inventa est in utero habens. Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Expende singula, & duo simul grandia reperies, tribulationem, & virtutem: *Antequam convenirent inventa est in utero habens:* En tribulationem: quàm magna illa? & quæ amabo major? Adulterium enim non ex illis est quæ veram in se non continent infamiam vel injuriam, sed tantùm ex hominum opinione: Quin immò tantam in se infamiam & injuriam continet, ut nullo modo ab eo separari possit: Cùm enim per matrimonium vir & mulier fiant unum, cumque hujus, ideſt *mulieris caput sit vir*, ad Ephes. cap. 5. quid aliud facit adultera, quando alium superinducit, nisi caput sibi rescindere, virumque fœdè abjicere, atque alium sibi virum caput cōstituere: quo quid viro fœdius? hinc meritò nulla similis injuria, nullus X.

similis dolor : *Fortis enim est ut mors dilectio dura sicut infernus æmulatio*, Cantic c. 8. vers. 15. En Divi Josephi tribulationem ; aspice nunc virtutem.

XI. Inexplicabilis fuit ejus tribulatio: talis etiam eius virtus, ut propterea justè justum cum appellet Evangelista, dicens : *Joseph autem vir ejus cùm esset justus, &c.* Quasi diceret, qui taliter à Deo probatus est, ac ita fortis & constans inventus, nunquid non homo virtutis ? qui mare illud ac ignitarum oceanum cogitationum sic in seipso oppressit, ut foras nullatenus erumpere sint visæ, sed in seipso comprimens earum sic elisit fluctus ; qualem cordis possedit latitudinem & fortitudinem ? *Cùm esset justus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* O Vir supra omnes viros ! ô patientiam supra omnem patientiam ! fugam arripere cogitabat, ne traducere deberet in specie sontè ipse omninò insons, malens injuriâ ferre quam facere: non ergo ira illi, sed ipse iræ & animo dominabatur. Erat suimet potis, irâ superari non poterat, ira ejus in manu ejus, non vocata nunquam veniebat, exiens non erumpens, nutu non impetu ferebatur, non urebatur illâ, sed utebatur.

XII. Porrò ex hoc suspicor, quod sicut Beatissima Virgo, quos in partu dolores non senserat, sensit cum usurâ in morte filii sui, ut loquuntur Sancti Patres. Sic è contra Divo Josepho datum est Christo non supervixisse, ne in ejus morte sentiret dolorem, quem, ut ita loquar, redemerat in ejus generatione: & ideò Simeon ille senex non prædicit ei illos obventuros dolores, quos Mariæ, Luc. cap. 2. non quia non esset filius ejus; cùm ei æquè benedixerit ut Matri de tanto filio, sed quod tunc ille non esset eos perpessurus, quia illis à Deo substrahendus, ob id quod eos per antecessum in ejus generatione penderat.

XIII. Ad eundem ferè modum Christus Dominus Joan. cap. 21. cùm post Resurrectionem suam Petro significasset quâ morte clarificaturus esset Deum, ab eodem Petro interrogatus quid eventurum esset Joanni per hæc verba: *Domine hic autem quid* ? Respondit ei, *sic eum volo manere donec veniam, quid ad te ? tu me sequere* ? Quasi diceret ex plurimorum Interpretum sententiâ: nolo ille Martyrium patiatur ut tu, sed maneat, ut naturali morte vitam suam finiat. Cujus differentiæ ratio licet sit voluntas divina, dicitur enim ibi, *Sic eum volo manere*; hujus tamen divinæ voluntatis ratio hæc est, hîcque subintelligitur : Tu Petre, qui fugisti tempore passionis meæ cum reliquis, nec cruci adfuisti, nec usque ad illam me secuti estis, oportet ut post me, pro me in Cruce & tormentis moriamini: sed quoad Joannem, de quo tu Petre, inquiris, non ita : non est æquum illum iterum pro me mori, jam enim juxta crucem mihi est commortuus. Videndus Paulus de Palacio in cap. 27. Matthæi.

XIV. Ut ex parte Sponsæ suæ, sic ex parte quoque filii sui habuit Divus Josephus materiam explicandi fortitudinem animi sui, dum fugiendum fuit in Ægyptum jubente Deo cùm charissimis pignoribus sibi creditis : & ut mente pro Sponsa sua, sic reâpse pro filio suo exul fuit in terrâ barbarâ procul à notis, procul ab amicis. Sed quis facilè explicet aut capiat ea quæ in tanto itinere, mediâ hyeme, per loca deserta & invia, omni humanâ destitutus ope pertulit ? & quàm fortiter ? Quis non miretur, & obstupescat hunc Dei procedendi modum cum Divo Josepho, Deiparâ & Filio suo ? An non illi aliæ viæ suaviores ut servaret Filium ? Nonne in manu ejus cor Regum, ut aliorum, ut flectat ? nonne vita ut flectat ? nonne esse ut annihilet & destruat ? Quid denique non poterat omnipotens ut sine ullo Divi Josephi labore & prolè liberaret ab Herode & Matrem ? Et ecce quasi nihil posset procul amandat familiam suam. O judicia Dei verè abyssus multa ! quis crederet hos tres fugâ salutem quærentes esse familiam Dei ? vel quis crederet Deum sic regere familiam suam ? sed erigere Christiane, erigere supra humana omnia cernenti quidem illos oculis carneis, ut sunt omni humanâ ope destituti, nihil videri possit miserius, sed attentâ mente consideranti cordis tranquillitatem, & quiescente in Dei voluntate

tate animum, nihil videri potest sublimius.

XV. *Avida est*, inquit, elegantissimè ad propositum nostrum moralissimus Philosophorum Seneca lib. de Provident. *periculis virtus, & quo tendat, non quis passura sit cogitat, quoniam & quod passura est gloriæ pars est. Militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem meliore casu sanguinem ostentant. Idem licet fecerint qui integrare vertuntur ex acie, magis spectatur qui saucius redit: Ipsis, inquam, Deus consulit quos esse quàm honestissimos cupit, quoties illis materiam præbet aliquid animosè fortiterq; faciendi.*

XVI. Ut fugientem sic à fugâ revertentem attentè consideremus: dixerat ei Angelus Matthæi cap. 2. dum ei fugam in Ægyptum Dei nomine præciperet. *Esto ibi usque dum dicam tibi.* Subjungit, *Et erat ibi usque ad obitum Herodis.* Tum verò paulò post. *Defuncto*, inquit, *Herode ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens, surge & accipe Puerum & Matrem ejus, & vade in terram Israel.* Rationem subjungit, dicens. *Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.* Cur toties fit mentio de Herodis obitu? nempè ut advertas & scias, sic divinam Patris æterni providentiam suaviter & ordinatè omnia disponentem, ut non prius filium ab Ægypto revocarit, quàm defunctus ille fuerit, cujus causâ filius in Ægyptum secesserat: neque prius illum defungi voluerit, quam cursum vitæ naturalem expleviſſet. O rem planè miram! ecce nec pro filio suo superchariſſimo, nec pro Virgine Sanctiſſimâ, nec pro Josepho justiſſimo personis licet de se tam benè meritis curium, aut ordinem rerum mutat Deus, ut tu fortè velles tui causâ fieri miracula, omnia inverti, & quia non fit, dubitas an Deus sit vel habeat providentiam, eum deseris, ad illicita te convertis: Confundere ad hoc exemplum ob perversitatem animi tui.

XVII. Legimus sæpè Jobi historiam, sepius (quod ipsius digito Dei scripta sit) legi dignam: si penitius historiæ illius verba perpendantur, nonne videtur in illâ Deus gloriari, & quasi applausum & gratulationem quærere, quod eum habeat servum tam fidelem, tamque constantem, ut in quibusvis calamitatibus imperterritus & immobilis, non aliud usurpet quàm hoc, *Sit nomen Domini benedictum.* Attende Dei verba. *Considerasti*, inquit cap. 2. vers. 3 *servum meum Iob, quàm sit simplex & rectus*, & post tanta mala adhuc *retinens innocentiam.* Quod expendens Tertullianus lib. de patientiâ magnificè more suo sic extollit. *Quale in illo viro fretrum Deus de Diabolo extruxit? Quale vexillum de inimico suo extulit? Cum ille homo ad omnem acerbum nuncium, nihil ex ore exprimeret quàm Deo gratias ..... Quid? ridebat Deus, Quid? dissecabatur malus. Cum Iob immundam ulceris redundantiam magnâ æquanimitate distringeret, cùm crumpentes bestiolas inde, in eosdem specus & pastus foraminosæ carnis lndendo revocaret.*

XVIII. Illum verò cujus tota vita in deliciis & voluptatibus diffluit, deflet Seneca, licet infidelis, sed tamen Philosophus lib. de Provid. ex solo naturæ lumine his verbis. *Miserum te judico*, inquit, *quod non fuisti miser: transisti sine adversario vitam, nemo sciret quod potueris, nec tu quidem ipse: opus est enim ad notitiam sui experimento: quid quidem quisque posset, nisi tentando non didicit.* Et certè dicesne infœliciorem ferro & igne curatum, illo qui eruditatibus, vino, & cæteris deliciis extenuatus est? ferrum illi salutem attulit, huic voluptas leoninis uti ferro præcidit.

XIX. Sed ab hoc excursu ad mores formandos non inepto ad Divum Josephum redeuntes, uno verbo dicamus totam ipsius vitam, satis tamen protractam, à cunis usque ad funus, traduxisse in continuis ærumnis & laboribus: Sufficiat, inquam, dixisse eum ex Regibus ortum, immò ex Regibus Regem jure ad eam conditionem fuisse dejectum, in quâ usque ad senectam & senium ei ex labore manuum suarum diurno, & vultus sui sudore victitandũ fuit. Quam fortunam quomodò exceperit, vide à nobis dicta superius hoc Tractatu cap. 5. num. 12. 13. 14. & cap. 2. num. 4.

XX. Cæterùm, tu mi Lector, fortunam time, ut ille Vir Sanctissimus, quia in

hominis armatur modestiam, dum fastum nutrit. Audi hac super re Senecâ magnificè suo more sentientem epist. 36. *Res est inquieta fœlicitas*, inquit, *ipsa se exagitat, movet cerebrum non uno genere: alios in aliud irritat, hos in potentiam, illos in luxuriam: hos inflat, illos mollit & totos resolvit.* Quare animum tuum dispone ad excipiendum fortiter adversa: Dic tibi, inquit idem Seneca epist 98. *Ex iis quæ terribilia videntur nihil est invictum, singula vicêre tam multi: ignem Mutius, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato. Et nos vincamus aliquid. Rursus ista quæ ut speciosa & facilia trahunt vulgum à multis, & sæpè contempta sunt. Fabritius divitias Imperatoris rejecit, Tubero paupertatem, & se dignam, & Capitolio iudicavit, &c. Nos quoque aliquid ex his faciamus animosè, simus inter exempla, quare deficimus? quare desperamus? quidquid fieri potuit, potest.*

XXI. Ergo finge tibi mundum instar ingentis domus hospitalis, in quâ multitudo omnis generis languentium & gementium, qui solatio indigent: Omnes obeamus, singulos interrogemus. O tu bone! quid tibi dolet? bona amisi: sed hoc quid est ut ita sentias? hoc ante te Divo Iosepho, hoc Jobo contigit, hoc alios innumeris, & æquanimiter tulerunt: Tu verò mi amice, quid plangis? profligatus patriâ pulsus sum: pulsus fuit Divus Josephus, pulsi fuêre infiniti alii & nihil moti sunt. Tibi verò quid habet? Amicis careo, etiam Divus Josephus caruit in Ægypto, & alii sine numero à suis deserti: Et tu quid tibi acerbum? Honoris jactura: & illum contempsit Divus Iosephus, eum dimisit Manasses ut pœnitentiam ageret, & plurimi alii ut Eremum, & Claustra Deo vacaturi subirent. Te autem quod malum coquit? Erepta liberras: eâ caruit Divus Josephus ex Rege servus, imò fugere in exilium coactus; ea quoque carebat Daniel in foveâ Leonum & Joseph in carcere. Tibi autem quid molestiæ est? à morbo & infirmitatibus plurimum: Macte animo Tobiæ sanitas cœcitate vexata est, nec pauperi Lazaro ulcera quibus erat plenus nocuerunt. Tu denique quid horres? mortem. Hanc Divus Josephus, licet separantem à JESU & Maria mundi deliciis, lubens excepit à Dei manu, hanc septem fratres lib. 2. Machab. cap. 7. per exquisita obiêre supplicia, in hanc omnes ierunt, imus & nos, ituri sunt omnes. Tandem tu quid dices? malevolos habeo, sed cessabunt odia si non reputetur injuria, & necesse est ut ira cadat si unus à contentione desistat, eritque duplici ratione victor qui desistet quod & proprios animi motus devicerit & alienos mores emendaverit: verbo uno quod magis urit in istis omnibus est impatientia, eam si sustuleris, vespæ aculeum ademisti, te non amplius stimulabit, nihil erit intolerabile, maximè si in Deum, à quo illa, oculos conjeceris ut D. Josephus.

His addo, quod à quo Deus homo factus, illa in corpore suo suscepit, ipsis stimulum eripuit: hoc innuit Scriptura 2. Reg. cap. 22. ubi enumeratis ducum præclaris facinoribus in commendationem Davidis subdit: *David sapientissimus omnium sedet in cathedrâ, & quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Hæc verba prima facie parva apparent, nec novimus quomodo impleta sint in Davide, quem nec in cathedrâ, sedentem legimus, nec quomodo in eâ fuerit ligni vermiculus novimus. Cùm verò scripturam omnem impleri necesse sit, impleta est in Christo, quem David adumbravit, qui in Cathedrâ præsepii, & cruce, unde omnes homines patientiam docet & mortificationem, est ut tenerrimus vermis in ligno. XII.

Est aliquod lignum grave nimis, quod homo tollere non valet, neque portare: vermis tamen in eo formatus, quamvis tenerrimus, lignum corrodit & terebrat, & adeò leve illud reddit & efficit, ut quod vir tollere nequibat præ pondere, puer facilè tollat ac portet: hoc ergo mirabile in Christi commendationem dictum est, qui se vermem dicit, *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Hic vermis in cruce sic illam corrosit, ut deinceps facta sit Sanctis jugum suave, & onus leve: undenam enim XIII.

enim putatis pueros & puellas coram tyrannis & truciſſimis carnificibus exultaſſe? in mediis ignibus, ferris, rotis, tormentis gaviſos eſſe? Corroſum eſt lignum per Chriſtum, & hodiedum nonne juvenes videmus utriuſque ſexus mundo valedicere & libertati? delicias calcare? crucem, mortificationem, cilicia, cingula ferrea aculeis armata hilariſſimè amplecti? quid hoc? vermis hæc corroſit, Chriſtus hæc levigavit; ſcriptum eſt enim Iſaiæ cap. 10. computreſcet jugum à facie olei.

## CAPUT VII.

### *De fide & fiduciâ Divi Joſephi.*

I. NOMEN Fides in Scripturis ſacris plures habet ſignificationes: duæ ſunt inter illas præcipuæ: Primò, & propriè ſignificat actum illum intellectus, quo quis aſſentitur alicui aliquid dicenti, quod hic non aliter novit niſi quia illi dixit: Secundò ſumitur pro fiduciâ, quæ, ut docet Divus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 129. art 6. in corp. ex fide nomen ſumpſit & reducitur ad ſpem: quia tunc eſt fiducia, quando quis ſpem concipit ex hoc quod credit verbis alicujus auxilium vel beneficium aut ſervitium promittentis: ex quo conſequitur quod talis ſit ſpes promiſſionis, qualis eſt fides veracitatis, bonitatis, & poteſtatis promittentis: quod cum ita ſit explicatâ Divi Joſephi grandi fide in Deum primo modo ſumptâ, clara erit magnitudo ejuſdem ſecundo modo, ſive ſpei ac fiduciæ ejus. Igitur ad rem.

II. Fidei primo modo ſumptæ inter cæteras virtutes præſtantia, ex tribus maximè capitibus elucet: Primò, ex eo quod non tantùm ut cæteræ virtutes tendat in Deum ut in finem, ſed etiam ut in objectum primarium & immediatum: Fides quippe non modò credit in Deum, verùm etiã credit Deum, & credit Deo: & ideò cæterarum prægrediens claſſes virtutum, ſublimis reſidet in ordine earum quæ Theologicæ dicuntur; quamvis etiam ex eo adhuc Theologica dici poſſit & divina, quod nulla arte aut induſtriâ humanâ acquiri aut comparari poſſit, ſed omninò neceſſarium ſit illam à Deo mentibus noſtris infundi ut proinde Deus ſit illi principium, objectum, motivum, & finis: Principium, quia fides à Deo mentibus noſtris infunditur: Objectum, quia Deus eſt præcipuum quod per fidem creditur: Motivum, quia tota ratio credendi, eſt authoritas Dei revelantis id quod à nobis creditur: Finis, quia credendo, in Deum tendimus.

Secundò, elucet hujus virtutis præ- III.
ſtantia in eo, quod inter virtutes Theologicas ſit prima omnium, earumque fundamentum: Eſt enim fides, inquit Apoſtolus ad Hebr. cap. 11. *Sperandarum ſubſtantia rerum*: quod mirè illuſtrat Sol Scholæ Sanctus Thomas 2.2. quæſt. 4. art. 7. in corpore: Cùm enim, inquit Sanctus Doctor, in agibilibus finis ſit principium, neceſſe eſt virtutes Theologicas (quarum obiectum eſt ultimus finis) eſſe priores cæteris virtutibus: ipſe autem ultimus finis debet prius eſſe in intellectu, quàm in voluntate: quia voluntas non fertur in aliquid, niſi prout eſt in intellectu apprehenſum: unde cùm ultimus finis ſit quidem in voluntate per ſpem & charitatem, in intellectu autem per fidem; neceſſe eſt quod fides ſit prima inter omnes virtutes, cum certum ſit naturalem cognitionem non eſſe ſufficientem attingere Deum ſecundùm quod eſt objectum beatitudinis, ſub quâ tamen ratione Spes & Charitas debent in eum tendere.

Porrò primitas illa fidei non con- IV.
ſiſtit in eo, quod fides ſit major, dignior, aut perfectior omnibus aliis virtutibus in univerſum: major enim eſt Charitas, ſine quâ & ipſa fides mortua eſt: ſed in eo quod neceſſariò præſupponatur ad illas, ut earum fundamentum & baſis, ita ut aliæ ſine illa eſſe nequeant, cum hæc poſſit eſſe ſine illis: ac deinde etiam, quia aliæ virtutes nil conferunt ad illam, illa autem con-

fert ad omnes: estque regula & mensura cæterarum.

V. Quare ut charitas, quia est ipsa justificatio nostra formaliter, seu ratio formalis per quam efficimur justi, Deo grati, & chari, est prior cæteris virtutibus prioritate meriti & dignitatis; ita fides tanquam principium, fundamentum & radix nostræ justificationis, ut loquitur Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 8. prior est illis, etiam charitate, prioritate ordinis & causalitatis.

VI. Tertiò, præstantia fidei ex eo elucet, quod intellectum in quo est, & voluntatem quam regit, perfectè Deo submittat, eumque per hoc summo honore afficiat: pro cujus rei claritate majori.

VII. Notandum duplicem esse in credente credulitatem, prout est in dicente seu eo cui creditur, credibilitas. Prima credulitas, est quâ credimus rem aliquam absolutè propter solam dicentis authoritatem, seu veracitatis illius apud nos opinionem: Secunda, quâ aliqualem præterea requirimus asserti ejus probationem: quod tunc contingit quando timemus ne ille qui nobis loquitur in re obscurâ, ipse decipiatur. Primus modus adhibendi fidem, uti majestate plenus, Deo competit & debetur, illumque sibi jure vendicat: vult enim fidem suis adhiberi dictis propter supremum suum, quod habet in hominem totum & omnia quæ sunt in homine, dominium; & infallibilem suam, de quâ non est dubitandi locus, scientiam & veracitatem, & hoc absque ullâ discussione vel hæsitatione.

VIII. Quare in mysteriis fidei etsi fatendum sit aliqua esse quæ propter celsitudinem suam, vel propter apparentem cum ratione, vel sensu nostro contrarietatem, videntur incredibilia: sed Deus est qui loquitur, & divina sunt quæ loquitur, quam in partem ibimus? an Deo spreto, cœcutienti etiam in minimis & obviis ratiunculæ nostræ credamus? an Deo non committemus nos qui lucem habitat inaccessibilem? cujus majestatis incomprehensibilitas omnem intellectum superare nullus dubitat? cujus cogitationes, consilia, mysteria, si comprehendi possent, divina non essent? hîc hîc ergo, hîc captivandus intellectus in obsequium fidei sub immensâ Dei authoritate, hîc gloria danda Deo: hîc contra spem in spem, contra rationem in rationem, Deo credendum sine ullâ vacillatione. *Magnarum hic est vigor mentium*, inquit S. Leo Papa serm. 2. de Ascens. *& valdè fidelium lumen est animarum, incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu, & ibi figere desiderium, ubi nequeas inferre conspectum.*

IX. Talis sub sæculi proximè præcedentis finem Franciſci Bungensis in Japoniâ Regis fides: Hic diu cum conversione luctatus, tandem mortuo Sancto Francisco Xaverio illarum partium Apostolo, ei tam firmiter adhæsit, ut rebellantibus adversum se Fidei causâ subditis, amisso quadraginta millium militum exercitu, & filio suo, nihil tantâ jacturâ de Religionis, cui illa imputabatur, gradu demotus, Templum adierit, abjectusque in genua dixerit. Scis Domine passum me hæc fidei tuæ causâ, neque ideò unquam fidem mihi fore viliorem; ipsâ licet me regni universi & dignitatis jacturâ experiaris. Imò si & illi ipsi viri Apostolici, quorum laboribus Religionem debeo, si Pontifex ipse, à fide deficiant, te propitio tamen & juvante, perstabo immobilis, semperque te Deum Trinum, te Filium Dei Incarnatum unicamque tuam Ecclesiam profitebor. Ita P. Fullonius lib. 1. Machab. sect. 4. n. 9. Quantus magnæ hujus mentis vigor! qualis Dei de homine per fidem triumphus?

X. In hâc adeò præcellenti virtute, quam excelluerit Divus Josephus ut facilius assequi possimus, eam oportet ex duobus capitibus diligenter metiri: ex objectis scilicet, & ex eo modo ea credendi: ex objectis, inquam, circa quæ ille fidem suam exercuit cum circumstantiâ temporis in quâ illa objecta proposita sunt. Secundò, ex modo quo illa credidit, hoc est notabili differentiâ quæ reperitur in actibus fidei Divi Josephi, & aliorum Sanctorum, etiam

etiam maximorum utriusque fœderis, novi dico & veteris Testamenti.

XI. Quantùm ad primum, objecta ac mysteria omnium nostræ Religionis altissima sunt Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Mysterium Dominicæ Incarnationis, quæ in lege naturæ fuerunt valdè abscondita, & in lege scriptâ perpaucis admodum cognita: at hæc Divo Josepho, ut & ejus Sponsæ Deiparæ, fuerunt in particulari ei enucleatè tradita per eundem Angelum, ut docet Divus Thomas in Catenâ ad cap. 1. Matth. nam Divum Josephum à perturbatione, & Sponsam ab infamiâ liberans, revelat Mysterium Incarnationis in utero Sponsæ suæ peractæ, ac dicens illam concepisse Filium Patris Altissimi, idque de Spiritu sancto, apertè ei simul Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Patris, inquam, & ejus Filii, ac Spiritus sancti refert: ita ex nostris P. Corona tom 6. de Sanctitate Ecclesiæ Tract. 1. cap. 2. §. 12. num. 1. & 2. In quibus tamen magna illi ac forti fide opus fuit. Nam quomodo tot & tanta, quæ in his duobus mysteriis reperiuntur adeò sensibus & rationi nostræ opposita, omnemque humanum captum excedentia credere potuisset, nisi fides in eo thronum suum constituisset?

XII. Ex hâc quippe sublimissimâ fide processit, quod videns uxorem suam gravidam, quam sciebat se non tetigisse, suspenderit judicium suum, nec absolutè eam judicarit de adulterio, sed cogitarit posse benè fieri quod illa quæ tam honesta, tam pudica, tam sancta erat, esset illa, quæ Virgo & concipere & parere debebat. Vide à nobis dicta superius de hoc actu fidei hâc Part. 2. Tract. 2. cap. 17. notando primo per totum.

XIII. Fuit etiam res creditu difficillima, duo simul in speciem contraria de puero ab eodem lucis Angelo audire, & non unum, vel alterum, vel utrumque discredere. Primò dixerat ei Angelus aliquot mensibus antequam puer nasceretur quod ille de quo uxor sua gravida erat esset Filius Altissimi, & futurus populi sui Salvator: Interim vix natus est, cùm ecce apparens ei iterùm Angelus jubet eundem fugâ salvare: Nonne hæc in speciem contraria? Nunquid poterat cogitare se illusum fuisse? nunquid poterat dicere, si Deus esset nonne posset Herodem perdere mille modis? vel voluntatem ejus mutare? vel solo nutu cohibere? Quod si ipsum tolerare, ipsiu que barbariem permittere volebat, sive ob bonum interficiendorum, sive ob alias causas, nonne posset se inter medios hostes invisibilem reddere, vel etiam incidendo in majus ejus, tunc claro divinitatis ostento vindicari.

Deinde cùm didicit in Nazareth (unde fugiendum Angelus jusserat) nullos interfectos fuisse pueros, sed solùm in Bethleem & finibus ejus, nunquid poterat iterùm dubitare & dicere si è cœlo fuisset iste Genius, qui mihi apparuit, nunquid debuisset scire in Nazareth nullum pro Puero aut Matre fuisse periculum. Cùm ergo ibi esset domicilium meum, non erat quod ob futuram Herodis alibi persecutionem exinde fugerem in Ægyptum: ergo undique deceptus sum, per consequens uxor mea fuit mihi infidelis, ac sic novissimus error fuisset priore pejor. XIV.

Et quidem cùm de tantis rebus ageretur, videbatur Deus ad vitandum periculum hujusmodi dubiorum, & incommodorum ex dubiis nasci aptorum, debuisse aliam viam aptiorem eligere. Sed ex his apparet qualis fuerit cœli, de magnitudine & firmitate fidei Divi Josephi sensus, quàm illis periculis aut tentationibus exponere non dubitavit? quam erat illustratus D. Josephi interior oculus? quo cælesti lumine præditus, qui in tantis tenebris, in rebus tam perplexis, vidit & credidit? qui nodos illos in quibus illuminatissimi cœcutivissent, dissolvit tam citò, tam clarè, tam certò, & firmiter. XV.

Sicut ergò qui præclaram novit citharæ cordam eam distendit amplius & amplius ut altiorem reddat sonum, Cùmque ei dicis, vide quid facis nimiùm illum distendis, frangetur: Ait ille, sine me, ego novi chordam hanc præclaram esse, possèque distendi. Sic etiam Deus, ut Divus Josephus altiorem redderet sonum, plus ampliusque XVI.

ab eo distenditur: novit ille fidem ejus grandem, novit non frangendâ distensionem, sed perficiendam, novit eriam insolitis posse probari. Probata est amplius & amplius, & approbata, nobisque in exemplum relicta, ut vestigiis ejus inhærentes dicamus ex animo cum Propheta Regio psalm. 78. *Proba me Deus, & scito cor meum.*

XVII. Circumstantia temporis in quo hæc credidit, etiam ex hâc parte plurimùm consideranda est in hoc argumento, quod scilicet ea illi mysteria proposita sint & crediderit: primò tunc quando fides ita evanuerat, ut vix illius quidquam amplius reperiretur inter homines. Quo enim in statu erant tunc Judei quãdo Christus venit? propterea ex illis tam pauci eum receperunt. Secundò, quod ea illi proposita sint & crediderit cum Sponsa, sine ullo aliorũ exemplo. Tertiò, quod etiam illa à nullo eo usque credita eo modo; sunt enim illis proposita, ut peracta. Quartò, quod nullis adhuc eventibus aut miraculis illa confirmata vidisset, quæ omnia cùm sint fidei adminicula grandissima, fidem Divi Josephi sine illis firmam mirum in modum exaggerant. Quis enim neget fidem à majoribus traditam, diuturnitate temporis commendatam, à multitudine acceptatam, & approbatam, miraculis ac prodigiis confirmatam & roboratam, magis amicam esse & suasibilem illâ quæ novella est, & omnibus istis adminiculis nudata & destituta, qualis fuit fides Divi Josephi.

XVIII. Possumus secundò excellentiam ac præstantiam fidei Divi Josephi ex modo quo rebus tam difficilibus assensum fidelem præbuit admetiri; comparando fidem illius cum fide aliorum Sanctorum etiam maximorum veteris ac novi testamenti. Ac primò quidem quoad Antiquos quàm grandis fuit fides castissimę Susannæ? Consideremus in illâ omnia & singula. Daniel. cap. 13. Dicunt contra eam testes, & hi Senes, & Senes gravissimi, erant enim Judices populi: omnes illis credunt, & damnatur ab omnibus Susanna ut lapidibus obruatur tanquam fœda. Ducitur ad locum supplicii extra Civitatem: Erant omnium manus plenæ lapidibus, jamque parati jacere in eam. An non hoc negotium in desperatis? Sed accipe fidem generosam, fortem & firmam Susannæ. *Erat*, inquit Scriptura, *cor ejus fiduciam habens in Domino.* O mulier! magna est fides tua, fiat tibi sicut credidisti. Credidisti Deum tuam innocentiam cognoscentem, te liberaturum, liberaberis. Cùm jam omnes alii de ejus causâ desperassent, illa sola sperabat ex magnitudine fidei. *Erat cor ejus fiduciam habens in Domino.* Propterea Deus suscitat spiritum pueri Danielis, qui causam ejus suscipit, eamque apertissimè ostendit innocentem, & liberat hinc, illinc verò eos perdit qui maculaverant famam ejus.

XIX. Non minor fuit fides Jonæ Prophetæ in ventre ceti projectus in mare à nautis, quod propter eum orta esset fœda tempestas: devoratus est à ceto, & in ejus ventre conclusus tribus diebus & tribus noctibus: An non hic desperatus? Audi tamen ejus in hoc horribili specu orationem magnâ fide præditam. Igitur oravit Jonas Dominum Deum suum de ventre ceti, & dixit: *Abjectus sum à conspectu oculorum tuorum, verumtamen rursus videbo Templum sanctum tuum.* Jonæ cap. 12. Sed ô Jona! quid dicis? quid cogitas? quomodo putas te evasurum? quod tibi remedium cùm abysi vallent te? cùm ad ima montium descenderis, & costis belluæ marinæ conclusus detinearis vectibus terræ affixus? *Sublevabis*, inquit, *de corruptione vitam meam Domine Deus meus.* Quanta hæc fides.

XX. Major adhuc videtur fuisse fides Abrahæ Patriarchæ quandoquidem dictus sit Pater Credentium: Hanc maximè commendat Apostolus ad Romanos cap. 4. ex hoc, quod contra spem in spem credidit, & hoc in duobus. Primò, in eo quod dictum est ei ipsum habiturum filium: *Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cùm ferè esset centum annorum, & emortuam vulvam Sara.* Secundò, quod ex isto filio habiturus esset semen sicut stellæ cœli & arena maris, cui tamen adolescenti ex præcepto Dei hanc ex Deo posteritatem promittentis ibat caput amputatum. *In repromissione etiã Dei non hæsitavit diffidens*

*dens, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcumque promisit Deus, potens est & facere.*

XXI. Sed fides D. Josephi superavit in utroque fidem Abrahę. Nam primò, quãdo Deus promisit Abrahæ ipsum ex uxore sua vetulâ & sterili habiturum filium, videtur tantisper hæsitasse. *Cecidit enim Abraham in faciem suam.* Genes. cap. 17. vers. 17. & 18. *Et risit dicens in corde suo, putas ne centenario nascetur filius? & Sara nona genatia pariet? Dixitq; ad eum, utinam Ismael vivat coram te,* quem habuerat ex Agar ancillâ Saræ. Quæ omnia hæsitationem significant. At Divus Josephus Angelo sibi dicenti, *Joseph fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, quod enim in eâ natum est, de Spiritu Sancto est: Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus IESVM &c.* Credidit sine hæsitatione, sine morâ. *Exurgens à somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini.* Matth. cap. 1. versu 24. Quanta differentia ex hoc capite inter Abraham & Divum Josephum, inter utriusque fidem & fiduciam? Deus nihil promittit Abrahæ quod sit contra naturam, sed solùm præter illius cursum ordinarium. At Divo Josepho significatur uxorem suam illibatâ virginitate filium concepisse; quanta differentia est inter vetulam concipere de viro, & virginem sine viro? Abrahæ promittitur filius homo, Divo Josepho filius homo simul & Deus. Abraham vidit brevi de post rei eventum omnia confirmantem. At Divus Iosephus nihil videt nisi omnia in speciem contraria.

XII. Secundò, Abraham jussus est quidẽ immolare filium suum, sed ibi eum stitit, quia impeditus est immolare, nec immolavit. Vide aliquid amplius in Divo Iosepho nostro in iis quæ diximus supra hac parte 2. Tract. 2. cap. 20. Sect. 2. à num. 64. usque ad finem. Deindè Abrahæ tentatio duravit tantùm per aliquot horas aut dies, at Divi Iosephi tentatio totâ vitâ: nam audierat istum infantem esse Deum, & vidit (nec tamen despexit) omnium hominũ novissimum: Intellexerat eum populi Salvatorem futurum, & vidit suâ operâ indigere ut ab hominis mortalis persecutione salvaretur. Vidit, inquam, illum totâ vitâ pauperem, nec aspernatus est. Nimirùm invicta fides primę instructionis è Cœlo acceptæ, quod puer ille Filius esset Altissimi, quod futurus esset Salvator populi sui, animum ejus confirmabat, periculisque & ærumnis omnibus majorem efficiebat: Hæc est enim natura fidei ut semper inconcussa maneat tametsi omnia videantur desperata.

Si verò ipsum cum Apostolis novi XXIII. Testamenti Principibus primariis cõparemus, etiam magna inter ipsius & illorum fidem differentia. Quàm infirma fuit fides Apostolorum etiam post tot virtutes & signa in eorum conspectu à Christo facta usque ad missionem Spiritus Sancti? Et si postmodum firmiores extiterunt, quid non viderant? quid non ipsi in ejus nomine faciebant? Sed Divus Josephus statim ab initio credidit eâ firmitate, ut in exilium pro illo pelli nihil ei fuerit, paratus in mortem etiam ire si fors tulisset: & quænam ab illo signa fieri viderat? nunquid ipse mortuus erat antequam initium signorum faceret Jesus in Canâ Galileæ?

Illuminata est primò Virgo Sanctissima de divinæ Incarnationis executione jam jam in se peragendâ à Deo per Angelum ei dicentem: *Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum: Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus IESVM. Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideòq; & quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei* Cui illa mox respondit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum.* Post Deiparam verò ut Matrem Verbi carnalem, secundus Divus Josephus tanquam Pater verus & legitimus de ejusdem mysterii executione peractâ ab eodem admonetur Angelo his verbis: *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in eâ natum est de Spiritu sancto est.* Moxque ille ex fidei istius luce & fervore, *Exurgens à somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini.* XXIV.

Et cùm Apostoli omnes postmodum in ejus persecutione scandalizati fuerint, Petrus etiam qui videbatur futurus cæteris ferventior, & fidelior: XXV.

Divus Josephus nec in immani illâ Herodis persecutione, nec in fugâ, seu itinere adeò incommodo, nec in exilio tam diuturno, vel in aliâ quâcumque tentatione, aut pueri infirmitate, unquam scandalizatus est, nullo etsi ab ipso miraculo confirmatus: quis ergo neget fidem D. Josephi ipsammet Apostolorum fidem miraculis suffultam excellenter superasse.

XXVI. Tandem cæteri omnes Fideles tum ex Judæis, tum ex Gentilibus, ipsique etiam Discipuli Domini & Apostoli fidem Christi vel difficilius, vel tardius, aut imperfectius susceperunt: Quid horum in Deiparâ & Divo Josepho notare est? illa ad Angelicam vocem sine morâ *Ecce*, inquit, *Ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum.* Simul utique & pleno mentis assensu, & corpore virgineo Christum concipiens. Joseph pariter ad primam cœlestem monitionem, incunctanter plenâque fide, *Surgens à somno fecit sicut præceperat Angelus Domini.*

XXVII. Ut ergo Virgo Sacratissima juxta verbum Elizabethæ à Spiritu sancto inspiratæ Beata, quia credidit: ita & Sponsus ejus Divus Josephus, Beatus, qui idem ipsum Mysterium tantâ fidei promptitudine suscepit, quandoquidem quod illa in seipsâ virginitate suâ illæsâ peragendum, id ille quoque primus in conjuge suâ sine ullâ cõjugii aut thori sui injuriâ cœlitus peractum esse credidit; illa incunctanter, ipse sine mora; & sine vel minimâ mentis tergiversatione.

XXVIII. Cæterùm cum notissimum sit talem esse Divinæ Providentiæ dispositionem & agendi modum ut media per superiora, & infima per media collustret, & illuminet, (sic v. c. Christi servatoris sive temporalis nativitas ex Virgine, sive Resurrectio à morte, sive Ascensio in Cœlum, non statim promiscuè toti populo, sed testibus præordinatis à Deo, & per hos aliis postea manifestata fuit.) Ita quoque hâc divinâ luce Maria & Joseph ut ante alios omnes, ita præ omnibus aliis sub Christi Domini adventum perfusi ac deinde per illos alii omnes.

XXIX. Deinde cum primæ fuerint horum illustrationes, ideò & tam plenæ atque abundantes. Atque adeò totalissima mysterii in illis fuit Dominicæ Incarnationis, sive quoad modum ejus & substantiam, sive quoad finem (qui gloriam Christi & Redemptionem nostram respicit) illuminatio, & talis qualis nulla alia. Si enim Evangelii sui prædicationem Apostolis suis Christus committere noluit nisi desuper copiosius illuminati virtuteque majori ex alto induti essent, ut legimus Actor. cap. 1. Commisisset ne Deus Pater filium suum incarnatum custodibus, nutriciis, parentibusque non plenè ac plenissimè prius in fide ipsius illuminatis, divinâque virtute ad custodiæ ejus labores, periculaque omnia invincibiliter subeunda corroboratis?

## CAPUT VIII.

### *De Divi Josephi silentio in quo consistit justitiæ cultus.*

LINGUA modicum quidem membrum est, *ignis est* tamen, inquit Divus Jacobus Apostolus in suâ Epistolâ cap. 3. *& universitas iniquitatis*: quam multa enim quotidie inquieto illo membro peccamus? Tam multa, ut idem Divus Jacobus ibidem dicat. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potest etiam frano circumducere totum corpus*: ita concludit mirabili illatione iste Apostolus. I

Propterea dæmon cùm patientissimum Jobum in omnibus membris ejus sævissimo percussisset vulnere, ut à plantâ pedis usque ad verticem capitis non esset in eo sanitas, linguam tamen & labia intacta reliquit, quemadmodum ipse Job de seipso testatur dicens, cap. 19. vers. 20. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummoda labia circa dentes meos*, ut scilicet posset loqui, cur autem hoc? ut posset verba impatientiæ proferre, quod tamen non fecit: *In omnibus enim his non peccavit Job labiis suis, nec stultum quid contra Deum locutus est.* Quare meritò Scriptura sacra plurimis in locis instantissimè commendat pervigilem istius membri custodiam. II

Sed

III. Sed quia hæc res una est è difficillimis, adeò ut ferè impossibilis videri possit, ut patet ex eodem D. Jacobo ibidem vers. 7. ideò Propheta Regius psalm. 140. vers. 3. ad Deum recurrit, sine quo nihil, his verbis: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiis labiis meis.* Quod tamen explicans Divus Gregorius Magnus lib. 7. Moral. cap. ult. ait: *Qui ori suo nequaquam poni obstaculum sed ostium petiit, apertè docuit quod & per disciplinam retineri lingua debeat, & ex necessitate laxari*, quemadmodum ostium aperitur quando aperiendum, clauditur quando claudendum. Eo denique sensu ejusdem Regii Prophetæ Regius filius Proverb cap 13. vers. 1 *Quando sederis*, inquit, *ut comedas cum Principe, statue cultrum in gutture tuo*; ut scilicet quomodo cultro dissecas cibos, & comedenda separas à relinquendis, v. c. ossibus, ita prudentiâ sermones dividas, & proferenda à non proferendis secernas.

IV. Verùm ut cautum linguæ usum sacra Scriptura locis citatis aliisque plurimis commendat, ita quoque silentium adhuc multò pluribus extollit: unum præ omnibus adduco ex Isaiâ c. 32. vers. 17. omnia complectentem, ubi silentium vocat, *justitiæ cultum*: *Erit*, inquit, *opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium.* In quibus posterioribus verbis vox illa *Cultus* dupliciter accipi potest activè, scilicet & passivè: activè, quo pacto hic erit sensus, *ille qui justus est servabit seu colet silentium*, quod utique manifestum est: nam ut inquit Regius Propheta psalm. 139. vers. 12. *Vir linguosus non dirigetur in terrâ*: Passivè verò ut significet silentium serere, alere, & ornare justitiam: hæc enim tria significat vox illa *Cultus*, ut observavit noster Matthias à Sancto Joanne tom. 2. Hist. Panegyr. Ord. Carm. part. 3. cap. 27. in initio.

V. Ex quo conjectare licet, quanta fuerit Divi Josephi justitia, cujus silentium tantùm fuit, ut in totâ Evangelicæ historiæ serie ne unicum quidem verbum ab eo referatur prolatum: quod certè mirabile existimo, quia non defuerunt illi, & multæ, & urgentissimæ loquendi occasiones: tacuit nimirum benter exterius, quia malebat loqui Deo, illumque audire sibi loquentem interius: uti Moyses servus Dei, qui ex quo cum Deo conversari cœpit, tardioris & impeditioris linguæ fuit.

Ezechielis cap. 1. visionem habuit Propheta illam admirabilem quatuor animalium mysticorum, quorum unum quodque habebat quatuor capita (consequenter quatuor ora) & quatuor alas: Nullam tamen ab illis vocem audivit aut sonum, nisi sonum alarum qui similis erant sono aquarum multarum, vel ut sonus sublimis Dei: alis contemplationis & amoris in sublime elati ad Deum volabant, ideò nihil dicebant; ita Divus Josephus. VI.

Nos homunculi scioli esse & videri volumus, multaque effundimus in laudem nostram, & si quis vel à naturâ favor, vel à Cœlo gratia data sit, eam illicò linguâ loquace prodimus: non ita Sanctus Josephus, non ita humiles animæ: norunt hæ tacère, imò & alios de se tacère ambiunt & amant. VII.

Toti universo spectabilis erat Divus Josephus longâ Patriarcharum, Regum, Ducumque serie progenitus, Patriarchis, inquam à virtute rebusque gestis inclytis quatuordecim: Regibus totidem, totidemque Ducibus ab Imperio, re bellicâ, gloriæque monimentis præclaris, æquibus rectâ lineâ, perennique generationis serie originem genusque ducebat; sponsam duxerat, quæ ei filium dederat; sed qualem? Deum, ipsumque Altissimi filium: de his loqui poterat, de hisque gloriari, ab his sibi nomen facere: at non fecit, ut in oculis mortalium maneret abjectissimus in Cœli calculo erat celsissimus. VIII.

Angelorum apparitionibus sæpius recreabatur, eorumque revelationes plurimas acceperat, multaque ab iis didicerat: De iis tamen ne verbum quidem unquam jactavit, adeò silentium colebat. E contra Joseph ille antiquus qui hujus figura fuit in plurimis, fratribus suis somnia sua aperuit, Genes. cap. 37. & indè eorum invidiam sibi conciliavit; non conciliasset si objectus in somnis futuræ magnitudinis suæ imagines tacuisset, uti fecit noster D. Josephus. IX.

Quantam

X. Quantam etiam habuit loquendi occasionem dum vidit uxorem suam gravidam? quantam etiam dum jussit ei Angelus fugâ salvare puerum, quem paulò ante asseruerat salvaturum populum suum? quantam in laboriosissimo illo itinere? quantam in exilio tam diuturno? quanta poterat hîc opponere? quanta causari? Nunquid potèrat hîc inquirere? nonne nonnihil conqueri? fecissent etiam Sanctissimi; sed in his omnibus D. Iosephus fide sublimi in Deum erectus altissimè siluit.

XI. Cùm Iesus factus annorum duodecim sese ab Ioseph & Mariâ datâ operâ clam substrahens remansisset in Ierusalem, eumque illi cum dolore huc & illuc quæritantes, nonnisi post elapsum triduum in medio Doctorum sedentem, & illos interrogantem reperissent, dixit Mater ejus ad illum, Lucæ cap 2 vers. 48. *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Nonne poterat in hac occasione aliquid Ioseph, ut illa dicere? Nonne doluerat, ut Mater, ejus jacturam? nonne requisierat eum ut illa? nonne lætitiam ex ejus inventione, admirationem ex ejus prudentiâ & responsis hauserat ut illa? Nihil tamen in hac occasione dixit, adeò semper fuit silentii tenax.

XII. Hauserat animo illud altissimum Dominicæ Incarnationis Mysterium, usurparat oculis & auribus suis multa cœlestis Sapientiæ arcana, tùm ab Angelo tùm à Virgine, tùm à Iesu dilecto Filio suo: De his poterat melius loqui quàm ullus alius: sed tacens conservabat omnia verba hæc conferens illa in corde suo. Quam benè conveniebat illi quod Ennodius Ticinensis in Paren. Festo & Symmacho honoratis Curiæ luminibus tribuit. *Est in illis & Magistra taciturnitas & eruditi forma silentii.* Ita quoque in Divo Iosepho magno morum & totius Sanctitatis Magistro, fuit magistra illa taciturnitas, per quam plus posteros docuit; quàm alii multis etiam voluminibus. nimirùm ut silentium illi fuit mater sapientissimorum cogitatuum, sic & nobis: Multa quippe eaque excelsa de illo cogitare docuit: docuit & pauca, immò nihil in nostri commendationem eloquii.

XIII. Tandem ex vitâ Ven. Margaretæ Bealnensis Ordinis nostri & Congregationis Discalceatarum S.M.N. Theresiæ habemus inter alia ipsam fuisse cœlitus edoctam D. Iosephum cum Sanctissimâ suâ Conjuge iter ex Nazareth in Bethleem eundo, & ex Bethleem in Nazareth redeundo, tum deinde ex Nazareth in Ægyptum, ac postea ex Ægypto in terram Israel cõfeciſſe in silentio, quin etiam quamdiu simul vixerunt parcissimè valde fuisse collocutos, & cum vicinis rarissimè, quia nimirùm mens illorum non poterat satis satiari in contemplatione amabilis illius & divini objecti, prædilecti, inquam, Filii sui, quem præ oculis continuò habebant, & à quo abripiebantur quodammodo extra se in illius admirationem, amorem & adorationem.

XIV. Rarissimo exemplo sapientissimus Gentilis Zeno Athenienſis etiam in convivio taciturnus mansit, & rogatus à Legatis ad illum missis ecquid ex illo Principi suo referrent? Eximio posteris documento respondit: *Vidisse vos Athenis Senem, qui inter pocula posset tacere.* Tanta res est hominem posse frænare linguam suam! Quàm ergò admirabilis Divus Josephus, qui non semel ex fastu & supercilio philosophico, ut Zeno, sed totâ vitâ suâ ex humilitate silere potuit? Ideò ita taciturnus quia *custodiebat vias suas, ut non delinqueret in linguâ suâ.* Utinam nos tali exemplo proficeremus, & discceremus non aliter loqui quàm juxta prisci illius Philosophi præceptum ad discipulum suum, *Si quid habes melius silentio, loquere.*

XV. Hujus Sanctissimi Patriarchæ exemplo rarum fuit quod Beata Joanna de Cruce servavit silentium, nec minus præclarum quod suis Sororibus de eâ virtute tradidit consilium. Hanc aliquando Sorores rogarunt ut verbum illis ædificationis loqueretur: quam sicut hinc retinebat humilitas, ita illinc ejus Custos Angelus, cui mirabiliter erat familiaris ad loquendum impulit, eamque instruxit quid proloqui deberet. Quid ergo illud? *Die,* inquit,

inquit, *Gaudete cum gaudentibus, Flete cum flentibus, sed tacete cum loquentibus.* O verè Angelicum documentum! quo observato innumera volubilis linguæ incommoda vitantur, experiemurque certò certius, quàm verum sit quod cecinit nescio quis Poëta hoc versu Heroico.

*Non ulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.*

XVI. Infinita sunt prope modum mala linguæ non domitæ, ut propterea à Sancto Jacobo Apostolo citato dicta sit lingua *Universitas iniquitatis*, ac digno quidem vocabulo, seu quia ut in Universitate omnes scientiæ, ita in linguâ omnes discuntur iniquitates, seu quia per eam committuntur innumeræ: Illas per Alphabetum totum deducunt nonnulli, ut intelligamus, quod sicut ex litteris Alphabeti omnia nomina, ita ex lingua omnia peccata. Est ergo secundùm illos lingua. A. Abundans, Acerba, Adulatoria. Est lingua B. Bifida, Blasphema. Est lingua C. Calumniatrix, Capitosa, Contemnens, Contumeliosa. Est lingua D. Deridens, Detrahens, Dissoluta, Dolosa. Est lingua E. Edax, Efferata, Exagitans, Exlex, Expiscans, Est lingua F. Factiosa, Fallax, Fascinans. Est lingua G. Garrula, Gulosa. Est lingua H. Helluans, Hypocritica. Est lingua I. Jactans, Impertinens, Impia, Impostrix, Impudens Est lingua L. Litigiosa, Ludicra. Est lingua M. Maledica, Mendax, Mordax, Murmurans. Est lingua N. Nugax, Novatrix, Nequam. Est lingua O. Obscœna, Obstrigillans. Est lingua P. Pallians, Pejerans, Perfida, Profana, Prodens. Est lingua Q. Quærula. Est lingua R. Rabida, Rebellis, Restrictionibus utens. Est lingua S. Sannans, Scurrilis, Secretifraga, Susurrans. Est lingua T. Temeraria, Tentans, Tergiversans, Tumultuosa. Est denique lingua V. Vaniloqua, Venerea, Versipellis, Vesana. Quàm meritò ergo dicta Universitas iniquitatis.

XVII. Ideò etiam nullum in inferno membrum ita cruciatur ut lingua: Attende in hujus rei probationem vel miserum divitem Evangelii epulonem in inferno sepultum, dum pauper Lazarus in sinu Abrahæ excipitur fovendus. Non petit ibi miser ille epulo ut suus refrigeretur stomachus, ardebat tamen, & meritò, nam neglecto paupere Lazaro jejuno, epulabatur quotidie splendidè. Non petit ut refrigerentur manus, ardebant tamen, cum illæ ad accipiendum porrectæ fuissent, ad dandum remissæ. Non petit, ut refrigerentur pedes: ardebant tamen, velocesquippe cucurrerant ad malum. Non petit ut refrigeretur corpus: ardebat tamen, quandoquidem illius cutem ita curaverat, & ut illud ornaret quidquid infra byssum & purpuram erat despexerat: sed hoc solùm rogat ut refrigeretur lingua sua. Nimirùm plus in illâ cruciabatur quàm in reliquis membris, inquit noster Guido Perpinianus in Evangelia ad istam historiam, quia in illa plus peccaverat quàm in omnibus aliis per adulationes, blasphemias, calumnias, detractiones, edacitatem, fallacias, gulam, hypocrysim, impostruras, jactantias, lites, mendacia, nugacitates, obscœnitates, &c. Hæc tantisper excurrendo sint dicta, ut si ad linguæ refrænationem non alliciunt nos Divi Josephi exempla, terreant saltem à vitiis atrocissima linguæ supplicia.

## CAPUT IX.

### *De Divi Josephi contemplatione & amore seu totali animæ ejus in Deum absorptione.*

I. RES est indubitata quod summus apex perfectionis hominis justi in hâc vitâ, in intimâ ipsius cum Deo unione consistat, quia ut docet Apostolus 1. Corinth. cap. 6. vers. 17. *Qui adhæret Deo unus Spiritus est cum illo*, qui est ipsissima perfectio per essentiam. Hæc verò unio est formaliter ipsius Dei contemplatio & amor summus. Sed quomodò per has duas operationes fiat unio animæ ad Deum, diversimodè hi & illi explicant: quoad me, non video quomodò possit melius explicari, quam per unionem quæ fit inter amantes per ample-

xum mutuum, per quem amans amanti unitur exterius, quantum uniri potest.

II. Amplexus ut fiat, & per ipsum exterior illa unio, tria omnino requiruntur. Primùm, præsentia illius qui amplectendus est. Secundùm, brachia, quibus amplectamur. Tertiùm, motio seu applicatio brachiorum ad amplexum: præsentia quidem requiritur personæ quæ amplectenda est, quia nisi illa præsēs & prope esset quomodò ille hanc amplexari posse? Brachia etiam, quia sine illis impossibile esset facere amplexum: denique motus seu applicatio brachiorum ad amplectendum, quia nihil prodesset præsentia personæ amplectendæ, nec brachia quibus fit amplexus: si hæc vel cancellata vel remissa tenere velles. Oportet omninò ad complendum amplexum, ut brachia ista moveas, ea ad personam amplexandam proferas, circumferas, illis eam stringas, alias nunquam erit amplexus.

III. Parisotmiter ad unionem animæ cum Deo tria similia concurrere debent. Primùm, est præsentia Dei ad animam, non illa generalis solùm, quâ omnibus rebus præsens est per immensitatem, sed illa quâ præsens est justo per gratiam sanctificantem, tum quia hæc unio spiritualis est, tum quia cùm sit apex perfectionis, supponit alias virtutes quas perficit & consummat, tum denique quia licet Deus peccatori propè sit per ubiquitatem, longè tamen est ab eo per aversionem: *Longè enim à peccatoribus salus, & iniquitates vestræ*, inquit Isaias cap. 59. v. 2. *diviserunt inter vos & Deum vestrum*. Immò hoc donum est tam excellens, ut non omnibus promiscuè justis, sed maximis tantùm & probatissimis donetur privatissimisque Dei amicis: Secundùm, sunt duo animæ brachia, idest binæ ipsius facultates præcipuæ, intellectus scilicet & voluntas, quibus anima Deum amplectatur & stringat, qui nonnisi spiritualiter amplecti & stringi potest. Tertiùm, est motus istorum brachiorum, seu operatio utriusque istius facultatis circa Deum, non quæcumque sed illæ quibus amplecti eum anima potest & stringere, contemplatio scilicet quæ est intellectus, & amor depuratissimus, qui est voluntatis, qui dum sibi invicem implectuntur, Deum, ut ita loquar, complectuntur & stringunt arctissimè.

IV. Porrò huic Tractatui de Virtutibus eximiis Divi Josephi coronidem impositurus duas illas virtutes, contemplationem & amorem, combino, quia sunt inseparabiles, non enim potest esse summa illa operatio quæ fit in apice mentis, scilicet contemplatio, sine amore depuratissimo & flagrantissimo ibidem: quod vel ex definitionibus contemplationis, quam tradunt Doctores, manifestè liquet: est enim contemplatio juxta Gersonem Cancellarium Parisiensem & alios, *Extensio animi in Deum per amoris desiderium*: vel secundùm alios, *Est motio Anagogica, idest sursum ductiva animæ in Deum per amorem fervidum & purum*: vel denique secundùm alios, *Est experimentalis cognitio habita de Deo ex amoris unitivi complexu*, quæ quantò in aliquâ creaturâ rationali major est, tantò illa Dei amantior, sanctior, & perfectior.

V. Quàm ergo Sanctus D. Josephus! quam perfectus! quàm in sanctitate & omni virtute eminens, qui ita Deo fuit unitus, ita in eum mente absorptus! & quis ita ut ille si solam ejus Sponsam Mariam exceperis? cui eum, ut in prædestinatione, ita in meritis, toto hoc opere ex ratione & justitiâ supparem facio, faciunt & alii Doctores innumeri, facientque semper omnes cordati.

VI. Summam porrò illam Divi Josephi cum Deo unionem probant penè omnia, quæ de eo per totum hoc opus hactenus disserui, videturque ad illam totus à Deo compositus & adaptatus: nec video quomodò tam sublimes virtutes, & quidem isto tempore, atque in eo gradu haberi potuissent ab homine non sublimissimè illuminato, & Deum sublimissimè amante.

VII. Quid enim ex illa ejus æterna colligemus prædestinatione, quam part. 1. tract. 1. cap. 5. & seqq. explicavimus, & probavimus intimè conjunctam, vel etiam insertam in prædestinatione Christi Domini cum prædestinatione

Beatæ

Beatæ Virginis, per quam ex tunc separatus est ab omnibus omnium aliorum Sanctorum ordinibus, evehendus aliquando ad ordinem unionis hypostaticæ, in quo solæ tres illæ Sacræ Personæ JESUS, Maria, Joseph; JESUS in quo, Maria per quam, Joseph sub quo ista unio facta est? an ullus extra hunc ordinem intimius illo potuit esse Deo unitus? cerne deinde illum in tempore, adhuc utero materno illatebratum: cur ibi non solum gratiâ præventus, sed etiam usu rationis donatus? nisi ut ex tunc utroque dono isto utens, inciperet jacere fundamenta illius unionis, futuræ eò perfectioris quò hæc erant altiora & citiora: atque ita ab inde semper pergens iret de virtute in virtutem, donec videretur ab eo Deus in Sion.

VIII. Sed quare in eo fomes extinctus? ac deinde bonis fortunæ tam mirabiliter destitutus? nonne ut mundo, ut carni, ut concupiscentiis, ut passionibus mortuus, & supra omnia terrena positus, mente Deo excedens introiret in potentias Domini, ibique Deus auditas illi faceret omnes voluntates suas? inde illa ejus apud Sanctam Birgittam adhuc alibi à me allata suspiria ex imo ducta pectore, *Vtinam vivam, & perficiam voluntatem Dei mei!*

IX. Dicebat de seipso Ezechiel Propheta cap. 8. *Emissa similitudo manus apprehendit me in concinno capitis mei, & elevavit me inter terram & Cælum. Hic Sanctus*, ait Divus Gregorius Magnus lib. 37. Moral. in Job, *in carne mortali positus, plenè quidem ad superna non pervenit, sed tamen ima omnia dereliquit.* Plus certè præstitit Divus Josephus, cujus tota conversatio, si ullius, cum Deo: qui sic vixit, quasi præsentis vitæ nulla bona noscet qui sic inter homines versatus est, quasi homo non esset, nisi humanitatis exercendæ gratiâ, cui meritò illud accinere possumus.

*Rebus procul mortalibus*
*Mens avolabat fervida,*
*Divûmq; juncta Cœtui*
*Hærebat inter sydera.*

X. Itaque his clausis compressisque corporis sensibus, extra carnem mundumque positus, in se collectus, cum Deo loquens, & Deum in se loquentem audiens, vitam agebat superiorem rebus sub aspectum cadentibus, & Dei rerumque cœlestium purum speculum effectus, Cœlites & Deum in se repræsentabat, & veracius quàm ullus dicere poterat: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Qui enim ita adhæret Deo, an non unus spiritus est cum illo? 1. Corinth. cap. 5. vers. 17. Ex his ergo ut ex dispositionibus colligenda ejus cum Deo unio, sed ut illam etiam ab effectibus cognoscas.

XI. Revoca ob oculos totam vitam ejus, stupendas prorsus virtutes ejus, quas in præcedentibus perstrinximus, præcipuè verò illam animi ejus dispositionem quâ tam abjectam conditionem in talibus natalibus, suorum jurium non ignarus, amplexus est, quomodo diximus supra hoc Tractatu cap. 1. numer. 15. Admirabilem illam Obedientiam de quâ cap. 2. Evangelicam ante Evangelium spiritus paupertatem de quâ cap. 3. castimoniam illam eâtenus inauditam, quam primus omnium hominum in Conjugio ipso servare voluit & vovit, eo tempore, quo illa erat ei probro & maledicto vertenda; de quâ cap. 4. Denique celsissimum illud imperium in omnes animi sui motus & passiones, maximè ostensum dum vidit uxorem suam, quam non tetigerat, uterum gestantem: quis unquam talia audivit? An non hæc sunt supra omnem hominem? signum ergo argumentumq; manifestissimum, hunc Sanctissimum Virum triplici in Deum extasi fœliciter raptum: Primâ, intellectus per contemplationem: Secundâ, voluntatis per unitivum amorem: Tertiâ totius suiipsius per Deificam operationem.

XII. Sed si talis fuit hucusque mentis Divi Josephi in Deum absorptio, tam intima illius cum Deo unio, quantùm quæso crevit illa apud præsepe, cùm Deus factus homo, & recenter natus, in illo duobus novis modis mirabiliter operari cœpit in ordine ad istam secum unionem, effectivè scilicet, & objectivè simul.

XIII. Quoad primum docent Philosophi, quod etiam experientiâ patet, Perfecti Agentis esse sine morâ operari, & actum suum exercere statim ac est.

Cum ergò Christus Homo Deus, totius Author gratiæ, & Sol justitiæ, esset omnium agentium perfectissimum, statim ac mundo illuxit, debuit incipere agere ac quidem modo perfectissimo: Hinc adhuc ex utero materno Baptistam in utero etiam existentem sanctificat: Elizabethæ Matri ejus ac Zachariæ Patri oculos mentis aperit, & Mysterium sui in carnem adventus agnoscunt: Hinc statim ut natus, Angelos è cœlo, Pastores de propinquo, Magos de longinquo, ad cunas suas attrahit, Herodem tyrannum turbat, & omnem Jerosolymam cum illo, Simeonem senem & Annam veteranam lætificat: Neque credendum eas solas ab eo tunc factas in cordibus mortalium operationes, ac mutationes, quarum Evangelium (quod in omnibus brevitati studet) meminit, sed & alias innumeras: Hinc Orosio lib. 6. contra Gentes cap. 22. & aliis attestantibus, Augustus Romæ à Senatu *Dominus* vocari recusavit, quamvis id fine intentione, eo tamen qui nascebatur movente secretò, in cujus præsentiâ nullus Dominus, omnes servi. Alia vide apud Baronium & alios.

XIV. Et certè si in omnibus retro sæculis tantas Deus gratias prærogavit, quãtas ex scripturâ passim agnoscimus intuitu illius tantùm posteriorâ tempora futuri: quid hodie quando nascitur & incipit tempus gratiæ? & ubi magis quàm in illis à quibus credendum est incœpisse, Matre dico, & Patre, Mariâ & Josepho, tam benè meritis, tam benè dispositis? quo lumine, quâ claritate mentes illorum implevit? quo amore præcordia inflammavit? quis conciperet? quanto minus edicere valeat? ut proinde meritò de ambobus, quod Divus Ambrosius de solâ Matre dixerim. *Non mirum si Dominus redempturus mundum operationem suam incipit à Matre & Patre: ut per quos salus omnibus parabatur, iidem primi fructum salutis haurirent ex pignore.*

XV. Non solùm effectivè ut supra Christus recenter natus, & primitias sui in carnem adventus, in Mariâ & Divo Josepho consecrans, mentem Divi Josephi, ut Mariæ, in se totam tunc absorpsit, sed etiam objectivè: & quorum ut hujus sacri Paris Conjugum? quibus primò in carne apparere voluit, & à quibus primò videri, adorari, amplecti, ac cum quibus tam familiariter agere & conversari voluit.

Nemo Mysticorum ignorat eos qui XVI.
per contemplationem ad Deum frequentius accedunt, abundantius, ac perfectius quotidie illuminari, ut inter alios docet Sanctus Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. cùm ait. *Certè sicut Moysi ex justâ operatione, & ex eâ quæ continenter ei intercedebat cum Deo loquente consuetudine, vultui insidebat glorificata quædam corporis species: ita etiam justæ Animæ divina quædam vis bonitatis inhærens per inspectionem propheticam, & administrantem operationem quasi intelligentis illuminationis, perinde atque caloris solaris, imprimit quoddam apertum justitiæ signaculum, lucem animæ unitam per charitatem, quæ nullo spatio distinguuntur, quæ Deo afflat, & Deo afflatur.* Unde non est mirandum Divum Josephum, qui non solùm in obsequio Christi, sed in illius quotidianâ assiduâque præsentiâ & contemplatione, tot annorum spatio occupatus fuit, specialissima super omnes homines, unicâ Sponsâ præeminente, amoris ac unionis divinæ privilegia fuisse assecutum.

Si Sanctus Franciscus, aliique Sancti XVII.
tã multi, ex solâ ac nudâ hujus Infantis in præsepi spirituali repræsentatione, quam imaginariam vocant Theologi, quia licet pertingat usque ad intellectum, primariò tamen incipit à sensibili aliquâ imagine, vel imaginariâ repræsentatione; si, inquam, illi ex tali simpliciter visione, vel ad illius amplexum admissione, ita extra se rapti fuère, ita illuminati, ita incensi, ita deinceps affecti, ut eis ab indè omnia quæ mundi erant prorsus despuerint: Quid censendum erit de Divo Josepho ex hac tam amabili apparitione, immò possessione, quæ fuit & realis ex parte objecti, & etiam ocularis ex parte potentiæ, seu videntis. *Stupebat*, inquit Sanctus Bernardinus Senensis tomo 3. serm. de Sancto Joseph art. 2. cap. 2. *ruminando corde & oculis intuendo, quod filius Dei se fecerat filium suum, & elegerat eum ad illum nutriendum, basulandum,*

*dum, regendum, & conservandum in necessitatibus vitæ suæ.*

XVIII. Perpende jam quid fecerint in illo ista duo copulativè, ideſt & talis præsentia, possessio, & familiaritas Dei, quâ nulla unquam talis, & tanta claritatis ardorisque abundantia, quâ mentem & cor ejus tunc cumulavit Christus, utroque isto modo simul & semel in eum vim suam exercens. *Quis deneget,* inquit idem Sanctus Bernardinus ibidem, *quod ipsi tenenti Christum in brachiis tanquam Pater, & balbutienti aut confabulanti cum ipso ut Pater, Christus sive infans, sive adultus, non ingereret, aut imprimeret ineffabiles sensus atque jucunditates de semetipso, & hoc cooperante interius gratia Christi cum filiali aspectu, afflatu, atque amplexu.* Et certè venerabili nostræ Margaretæ à Sanctissimo Sacramento revelatum est ut in verbis ejus à nobis supra part. 1. tract. 3. cap. 3. num. 4. relatis quod Jesus, *in utriusque*, ideſt Mariæ & Josephi, *corda sanctiores emittere non cessabat igniculos, exterius etiam in eorum oculos divinitatis suæ tot evibrabat radios ut totì exœstuarent divini incendiis amoris.*

XIX. Quod si his addideris, quod illa tam privata familiaritas, quod illa tam suavis, tam admirabilis Dei fruitio, non fuerit transiens, aut horaria ut aliorum Sanctorum, sed perpetua & usque ad mortem? quod ex illius ore sactatissimo omnia secreta cœlestia didicerit, quod toto illo tempore simul cum illo, & in ejus consortio, cum Beatissimâ Virgine virtutes omnes, quarum doctrinam illis tradebat, exercuerit, quid ex inde colligendum erit?

XX. Quid quod illud etiam quod ipsum divertere seu distrahere debere videbatur, rapiebat adhuc in Deum: nam si fortè contigebat ipsum sui opificii causâ aliquando domo abesse, mente tamen apud divinam prolem suam manebat, & ineffabiliter consolabatur ex recordatione hâc, illam in domo sua esse, se pro illâ laborare, & suos sudores in ipsius alimentum esse convertendos, quos illi medullitissimè consecrabat, ut illi aptissimè applicaverim quod de Divo Bernardo dixit Author vitæ ejus lib. 1. cap. 5. & lib. 3. cap. 1. *Interiori quâdam quam secum ipse sibi circumferebat solitudine fruebatur, totus quodammodò exterius laborabat, & totus interius Deo vacabat.*

Ad hoc quoque argumentum adducunt nonnulli illas apparitiones Angelorum, quas habuit, & quorum meminit Matthæus cap. 1. & 2. illos enim libenter visitant Angeli, quibus eorum Dominus se reddit familiarem, immò illorum ministerio utitur Deus, ut sua secreta suis amicis & intimis deferant, hinc Albertus Magnus in c. 1. Matth. *In Angelorum crebrâ visitatione,* inquit, *familiaritas Dei notatur. Instruit Angelus dubitantem, docet in Ægyptum fugientem, comitatur euntem, dirigit revertentem, erudit in Nazareth manentem.* XXI.

Sed hîc quæres animi causâ quales fuerint hæ apparitiones Angelorum factæ Divo Joſepho? an scilicet in corpore assumpto & visibili ei apparuerint, vocem ex eo emiserint quæ corporis auditu percipi posset? & videtur quod non, quia si in somnis factæ sint, ut asserit Evangelista, sine dubio non fuerunt tales, quia hujusmodi apparitiones sunt vigilantium, non verò dormientium, circa quos similes apparitiones nihil efficerent, cùm dormientes, hoc ipso quod sunt dormientes, habeant sensus ligatos, quinihil percipiùt. XXII.

Visus est ergo Angelus & locutus est Divo Joſepho per species quas ei impressit, quæ ipsum ei & præsentem & loquentem repræsentabant: certissimè verò per illas species cognovit ejusmodi revelationes esse à Deo, & quid illæ significarent. Et Cardinalis Cajetanus observat revelationum Divo Joſepho factarum perfectionem. Hæ enim præstare videntur omnibus Angelorum apparitionibus in veteri Testamento, quoniam quæ Divo Joſepho factę, fuerunt cum tanta claritate mentis, ut nulla hęsitatio intervenerit, cùm in apparitionibus factis v. c. Abrahæ Patriarchæ ad ilicem Mambre, Iacob, Iosue & cæteris, immò etiam in apparitione factâ Zachariæ Patri Sancti Ioannis Baptistæ non defuerit obscuritas aut hæsitatio. XXIII.

Quæres secundò, cur istæ apparitiones Divi Joſephi exhibitæ fuerint in somnis? XXIV.

somnis? Xenophon Colophonius & Epicuræi quidam docent Dei majestate indignum obire lectos dormientium, concursare grabatos, & stertentibus injicere somnia, quæ illi expergiscentes, vel non recordentur, vel non intelligant, vel etiam contemnant: vel si curanda sibi putent stultâ impleti superstitione, die noctéque animo pendeant, aut inani impendentium malorum metu perterriti, aut fallaci futurorum expectatione bonorum elati. Sed præterquâ quod in sacris litteris non divina solum, sed divinis etiam plenissima rebus somnia recensentur: Hypocrates ipse lib. de insomniis duo statuit somniorum genera, quæ non vana sunt, sed vera: alterum vocat divinum, alterum naturale: divina dicit à Deo immitti, & semper aliquid magnum ac memorabile portendere: naturalia provenire ex causis ferè intra dormientis corpus latentibus, & his bonas aut malas corporis affectiones indicari: ne verò prioris generis somnia divinæ videantur disconvenire Majestati, expedit causas proponere atque explicare, cur qui vigilantibus sua consilia pandere potest, & potuit Deus, sæpissimè illa dormientibus, ut Divo Josepho, communicet?

XXV. Quatuor sunt hujus rei causæ: prima quam tangit Hypocrates initio libri de insomniis, ubi docet in vigiliâ animam hominis variis distringi occupationibus, & cogitationibus gravibus distrahi: curis, negotiis detineri, per sensus item exteriores avocari ad ea quæ extra ipsum sunt, & per varia eorum sensuum spectacula divagari, multipliciqúe rerum humanarum strepitu interpellari, & à sui rerumque cœlestium contemplatione avocari: incertis præterea fluctuare deliberationibus, variisque studiis & affectibus æstuare, qui non sinunt eum quod verũ est & rectum, ut oportet, advertere: at verò in somno ab ejusmodi vacuus & liber animus, capacior est divinæ lucis.

XXVI. Secunda causa est, quia quæ vigilantes accipimus ea solemus discutere, examinare, atque ad rationis trutinam expendere: in somnis autem animus hominis res sibi objectas citra examen excipit promptiorque est ad credendum visis divinitus datis: constat autem ex unanimi doctrinâ omnium, qui de rebus divinis scripserunt, ad eas res non tantùm intellectu sed etiam affectu, & quodam animi quasi sensu & gustu percipiendas, melius longè esse homini si se agi & regi sinat, quam seipsum agere, auditorem potius esse quam arbitrium & ponderatorem: denique simpliciter credere potius, quam causas credendi disquirere & expendere.

Tertia causa desumitur ex Aristo- XXVII
tele lib. de Divinat. quæ fit in somnis, ubi ait: *Quemcumque motum quo animus dormientis extrinsecus pulsatur & cietur quamvis levem & exiguum, magnam tamen habere vim commovendi animum, vehementerq; in ipsum imprimi, atque altè in eo inhærere*, quod intendit Deus dum in somnis apparet & hominem docet.

Quarta denique causa est, ut eâ re XXVIII
ostendatur quantò sit Deus potentior quovis homine ad docendũ hominem: homo quippe docere nequit hominem nisi vigilantem, audientem, & accusantem, Deus autem etiam altissimè dormientem: quo satis ostendit se in omnes hominis facultates summum habere imperium, summamque efficacitatem.

Quæres ultimò ex quibus signis XXIX
conjectura accipiatur quod divina sint somnia. Respondeo multa prorsus sunt quæ ad somnia divina requiruntur, sed quæ ipsa produnt admodum pauca, eaque demonstrare difficillimum. Nos quod ingenio atque ratione potest, ex Doctoribus qui eâ de re scripserunt, proferimus, unicuique suum jus relinquentes, ut meliora si habeat, proferat.

Oportet primò & ante omnia ut XXX
somnia si divina sint, sint certa, composita, ordinata, & inconfusa, ut benè percipi possint: quia sæpè numero contingit somniantibus multas, variasque objici formas: & ut in nubibus videmus nunc animantium, nunc aliarum rerum similitudines efformari easdemque brevissimo tempore in alias atque in alias commutari, moxque dissolvi

dissolvi, & evanescere, ita quoque experientiâ constat in hominis imaginatione res alias atque alias formas accipere, mutari: quæ cum per se commotionem spirituum in quibus rerum sunt imagines sequantur, manifestum est non esse à Deo, nec meliori loco quam merè naturalia debere haberi. Præterquam quod quæ Deus immittit somnia, illa velit esse nota & certa rerum & significandarum signa, qualia hæc esse non possunt, propter nimiam eorum inconstantiam.

XXXI. Secundò, debent continere veritati maximè contentanea: si enim falsa quædam per somnia ingerantur, ut si sint contraria aliis revelationibus receptis & approbatis, non est dubium illa non esse divina, Deus enim non potest esse sibi ipsi contrarius, nec falli, quia summa sapientia est, nec fallere, quia summa bonitas.

XXXII. Tertiò, admoneant etiam mortales non de levibus, sed de gravibus rebus: quamvis enim in manu Dei sint omnia, & nec folium quidem de arbore cadat sine ejus voluntate, capillosque etiam capitis nostri ille omnes numerarit. Ut tamen de minimis, & ad rem nihil pertinentibus nos novo insolitoque modo per somnium instruat, quæ necessitas? cùm præcipuè ille omnia magno maturoque judicio faciat.

XXXIII. Quartò, non debent invitare ad malum, sed ad bonum, mala enim à Deo suggeri nemo dixerit, qui quid sit Deus noverit: summum est bonum: à summo perfectoque bono malum quomodò suggeri possit? *Non Deus volens iniquitatem tu es*, psalm. 5. v. 4.

XXXIV. Quintò, debent esse utilia vel illis qui somniant, vel aliis pro quibus somnia immittuntur: ut enim ipse Deus ait Isaiæ cap. 4. *Ego sum Dominus Deus tuus docens te utilia*, atque hinc est quod à Deo aliena semper existimata sint earum rerum somnia, quarum cognitio facit tantùm ad inanem curiosæ scientiæ ostentationem.

XXXV. Sextò, ut somnia sint divina, oportet, ut non sint de rebus per se claris & notis de quibus nullum habetur dubium: Quemadmodum enim Deus miracula non temerè facit, sed vel urgente suâ gloriâ, vel hominum salute: ita nisi necessitas nostra aliqua, vel ipsius honor postulet, dare Deum revelationes per somnia, aliove modo, non est credibile.

XXXVI. Verumtamen non est necesse ut si hæc omnia adsint, mox definiamus, somnia esse divina: Primò, quia utrum verè adsint, licet dubitare: Secundò, quia etsi adessent, alias tamen aliquando causas habere possunt quàm Deum; ut constat ex multis somniis apud Historicos: quale fuit Cyri majoris, qui Persarum Monarchiæ fundamenta jecit, ad cujus pedes dormientis Sol visus est, terque ab illo appetitus manibus, ter se convolvens, elapsus est: quo somnio Magi Persarum sapientes interpretati sunt significari eum triginta annis Imperio potiturum, quod & ita contigit: tale etiam fuit Alexandri Magni, de quo refertur, quod dum in quodam prælio, Ptolemæus, qui ei successit Regno Ægypti, venenato telo ictus, summo cum dolore ex eo vulnere moreretur, assidens ei Alexander, somnoque correptus, vidit in quiete Draconem radiculam ore ferentem, simulque commonstrantem ubi illa nasceretur, quæ scilicet præsentissimam vim haberet Ptolemæum aliosque milites eodem teli genere vulneratos, protinus sanandi, quod & fecit. Tale quoque Hannibalis, qui ardebat insatiabili cupidine funditus perdendi Romanum Imperium: Cùm enim variis eâ super re cogitationibus ac deliberationibus æstuaret, visum habuit in somno juvenis specie supra humanam, qui se dicebat ab Jove missum Ducem ad invadendam Italiam, jussitque ne respiceret quod retro & à tergo fieret. Sed, ut est humanum ingenium ad vetita pronum, diu temperare oculos nequivit, respiciensque retrò, vidit horrendum, non visu modò, sed etiam dictu monstrum, belluam vastam & immanem, multis circumplicatam serpentibus, quâcumque incidebat omnia proterentem, atque pervertentem: Cœlum item, nigerrimis undequaque obductum nubibus, præcipitare nimbos fulgoribus mixtos, qui attonitus percunctatus est ex illo suo Duce quid illud monstri & portenti esset?

esset? Respondit que ille vastitatem Italiæ, pergeret ille ire quò parabat, nec præter ea quidquam inquireret, sineretque fata esse in occulto: cujus somnii veritatem eventus probavit, plus enim mali Italiæ Hannibal attulit quam illo fuit viso demonstratum.

XXXVII. Ex duobus verò ut mihi videtur deprehendi potest quænam somnia sint divina: scilicet ex conditione rerum quæ suggeruntur, & motione hominis cui suggeruntur: nam quoad primum, si res quæ in somno revelantur tales sint, quarum certa cognitio solius Dei concessu, atque munere hominibus potest contingere, & talis sit mentis motio qualem solus Deus potest efficere, somnia hæc omninò divina erunt.

XXXVIII Et esse tales res nemo dubitat, si quidem haud paucæ sunt quas solus Deus novit. Quod verò hæ mortalibus quandoque divinitus revelentur mox intelliget, qui, quæ harum rerum conditio attendere voluerit. Ad tria verò res hæ revocantur. Primò, ad futura contingentia. Secundò, ad cogitationes seu arcana cordium. Tertiò, ad fidei nostræ mysteria, de quibus extant exempla in Scripturis & Historiis Ecclesiasticis.

XXXIX. Altera ratio unde ea cognoscuntur esse divina sumitur ex interiori motione hominis, cui eædem revelationes fiunt: singulari enim mentis illustratione & commotione Deus sese apud mortales insinuat, tali scilicet, qui sic mentem illustrat, sic voluntatem afficit, sic hominem de fide & authoritate somnii certum facit, ut Deum esse ipsius Authorem ipse perspiciat, agnoscat, & liquidò judicet. Hucque spectat memorabilis illa sententia Divi Gregorii Magni libr. 4. Dialog. cap. 48. *Sancti Viri*, inquit, *inter illusiones atque revelationes, ipsas visionum voces & imagines quodam intimo sapore discernunt, ut sciant quid à bono spiritu percipiant, & quid ab illusore patiantur. Nam si erga hæc mens hominis cauta non esset, per deceptorem Spiritum, multis se vanitatibus immergeret, qui solet multa vera prædicere, ut ad extremum valeat animum ex unâ aliquâ falsitate laqueare.*

## CAPUT DECIMUM ET ULTIMUM.

### *Prosequimur materiam præcedentis Capitis, de Divi Josephi Contemplatione & summo Amore.*

I RICHARDUS de Sancto Victore lib. 1. de Contemplat. cap. 3. distinguit inter cogitationem, Meditationem & contemplationem in unâ eâdemque materiâ, seu respectu unius ejusdemque objecti, Dei nempè & attributorum ac perfectionum ejus, in eo quod cogitatio sit ex imaginatione, meditatio ex ratione, contemplatio ex intelligentia & amore: quod cogitatio per devia quæque sine respectu perventionis ad Deum, huc illucque vagetur; meditatio ad eum cum magnâ industriâ & animi contentione nitatur, contemplatio autem perveniat, & volatu libero, mirâque agilitate in summis Dei mirabilibus se librat: quod denique in cogitatione sit evagatio, in meditatione investigatio, in contemplatione verò admiratio. Ita Richardus loco citato.

II Et optimè quidem, maximè verò quod in verbis postremis: Nam Divus quoque Augustinus lib. de Spiritu & Animâ: Contemplationem definivit. *Perspicuæ veritatis jucundam admirationem.* Et ejus Discipulus Divus Thomas 2. 2. quæst. 180. artic. 3. ad 3. docet *Admirationem esse actum consequentem contemplationem sublimis veritatis.* Nec enim quælibet Dei agnitio, est aut censeri potest contemplatio, sed ea sola quam sequitur admiratio & vehemens amor, ut enim ait Hugo de Sancto Victore lib. 7. de Cœlest. Hierarch. *In contemplatione plus diligitur quàm intelligitur, intrat dilectio & appropinquat, ubi scientia foris stat.* Cùm enim objectum contemplationis sit infinitum & infinitè supra omnis intellectus creati capacitatem, hic in contemplatione suâ non valens ipsum comprehendere, nec profundius in illud intrare, quàm

quo

quò eum divina claritas producit, cogitur ibi sistere, & admirari boni sibi incomprehensibilis immensitatem, & quasi in ignorantia ejus quod ex eâ restat cognoscendum & admirandum hærere, voluntatique facere locum, & relinquere prosecutionem, amplexum, gustum & fruitionem tanti boni.

III. Illæ itaque duæ facultates simul pergunt quantum possunt in contemplatione, quo usque intellectus non valens ulterius progredi, quia lux ejus & radii supernaturales non ei ampliùs concedunt, cogitur sistere in admiratione tantæ rei, quam capere nequit: tunc enim voluntas quæ sequitur impetum amoris ulterius se ingerit, illique suavitatis ac bonitatis oceano se immergens, ita afficitur, ut vellet si fieri posset non solùm illi uniri, sed etiam unificari: His positis quæ explicant extasim quam secundùm Dionysium Areopagitam, facit Divinus amor in contemplatione: Hanc in Divo Josepho amplius videamus ex utroque illo actu admirationis & amoris.

IV. Quoad admirationem audiendus super unâ, quæ omnes comprehendit, Divus Lucas Evangelista: sic ergò ille cap. 2. vers. 23. *Erat Pater IESV & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.* Ut Maria Mater JESU, ita Joseph Pater ejus mirabatur. Quod si D. Joseph ut Maria mirabatur super his quæ audiebat ab aliis de filio suo: quantò magis super his, quæ ipse ex ipso filii sui ore, de seipso, de virtutibus, de rebus æternis, de divinis Arcanis, de Regno cœlesti audiebat quotidie? Sed quantò magis, facto in hâc scientiâ divinâ, novâ atque inauditâ, ab hoc cœlesti Magistro exceptâ, progressu, miratus est & obstupuit? Quàm obstupescebat ille videre Deum ob hominis amorem carne velatum, sibi tam familiarem? se licet tam vilem & abjectum in Patrem tamen illius esse electum? ipsum sibi subditum, & à nutu ab ore suo pendentem? Si etiam stupidi, ut ita loquar, velut Pastores, ad aliqua tantùm mysteria, & solùm transeunter admissi, obstupescebant, exardescebant, quantò magis ipse ita illuminatus, ita dispositus, qui tam frequentibus per totos triginta annos interfuit?

V. Sed dices fortè, idem Lucas ibidem paulò inferius dicit ipsum fuisse miratum, cùm vidit JESUM Filium suum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos, non secùs ac dicit de reliquis quod *Stupebant omnes qui eum audiebant super prudentia & responsis ejus.* Ergo tunc non erat valde illuminatus in rebus divinis, si enim valdè illuminatus fuisset, sciviſſet utique JESUM in ea ætate fuisse æquè sapientem, ac in virili; immò, ut Deum fuisse infinitæ super omnes homines sapientiæ: atque adeò non fuisset miratus quod tam prudenter Doctores legis interrogaret, eisque responderet.

VI. Respondeo primò, Lucam in objectione non dicere de solo Divo Josepho JESUM filium suum admiratus sit, sed idem etiam dicit de Beatâ Virgine, dicit enim ibi vers. 45. *Et factum est post triduum invenerunt* (id est Joseph Maria) *illum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentiâ & responsis ejus. Et videntes admirati sunt, & dixit Mater ejus ad illum &c.* Ubi vides quomodo ambo admirati sint. Quod si ita est, dic ergo (si istud argumentum valere putas) nec Beatam Virginem fuisse tunc valde illuminatam; si enim fuisset, non fuisset mirata.

VII. Respondeo secundò, separat expresse sacer Evangelista in hoc textu Joseph & Mariam à cæteris quoad admirationem: ait enim de cæteris. *Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentiâ & responsis ejus:* tum de Josepho & Mariâ, de quibus ante erat sermo, subjungit. *Et videntes admirati sunt, & dixit Mater ejus ad illum, &c.* Igitur Evangelista manifestè innuit aliam fuisse horum, & aliam cæterorum admirationem: Joseph & Mariæ fuit admiratio, cæterorum fuit stupor, stupebant cæteri ex ignorantiâ, Joseph & Maria mirabantur ex cognitione & perspicacitate. Cæteri nesciebant ipsum esse Deum, & ideò mirabantur in puero duodenni sapientiam supra ætatem in suis interrogatio-

nibus & responsis : At Joseph & Maria mirabantur ejus doctrinam, & mysteria illa quæ tunc pandebat, prout solebant mirari cætera quæ ex ejus ore hauriebant : quæ admiratio proveniebat ex summâ illorum mysteriorum cognitione per contemplationem, quæ eo plus mirabitur aliquis, quo plus in eorum agnitione profecerit. Est enim contemplatio ex Divo Augustino suprà, *Perspicuæ veritatis jucunda contemplatio* Respondeo tertiò, significant verba Evangelistæ ad litteram Patrem Jesu & Matrem miratos quod isto modo se substraxisset ab illis, ut se manifestare inciperet ipsis insciis.

VIII. Hærebat ergo attonitus ad ea quæ supra diximus Divi Josephi, ut & Mariæ animus : rapiebatur mens ejus extra se in Deum, ad fontem divini luminis & bonitatis, stupebat, mirabatur ea quæ ipse supra omnes mortales vidit, quæ audivit, quæ manus ejus contrectaverant de verbo vitæ ; & cui unquam vita manifestata est ut illi ? cui Deus unquam ita familiariter, ita efficaciter locutus est ut illi per triginta annos ? unde Sanctus Thomas de Villanovâ exclamat : *Fœlix Joseph cui donatum est talibus inter esse mysteriis, horum gaudiorum fieri consortem, qui dulcissimos audire concentus, cœlestium spirituum sentire tripudia, videre obsequia, ovantes Angelos, adorantes Reges, lætantes Pastores, beatis oculis inspicere meruisti.*

Sed quomodò ad tantum lumen, ad tantam Dei communicationem & familiaritatem exarsit in amorem ?

X. Distinximus supra hâc parte 2. Tract. 2. cap. 21. in Divo Josepho duplicem amorem respectu Christi Domini : unum quo diligebat eum ut Pater suum filium : alterum quo eum diligebat ut creatura Deum suum, & verè distinguí debent illi duo amores : sed tamen separari nequeunt in illo, quin è contra hic ex illius consortio mirum in modum excrescebat : & quis explicet quomodò cor illius charitate divinâ jam imbutum eliquabatur, quando reflectebat istum quem cernebat oculis filium suum, esse Deum ipsum ? se illius esse Patrem super terram ? cùm illum pectori suo admotum, brachiis suis insertum complectebatur, stringebat, osculabatur ? Virgilius primo Æneidos volens exprimere ardentissimum Didonis in Æneam amorem, non putavit se id posse præstare melius, quam repræsentando eundẽ Didonem in sinu suo tenentem Cupidinem, tunc à cœcis mortalibus amoris Deum existimatum & nuncupatum, & ex ejusmodi complexu totum in amorem conversum : Fabula fuit hoc : ecce tibi rem ipsam ipsissimam, Josephum dico sanctum, sancti amoris Deum verum toties & tam frequenter in gremio suo fovent̃em : quid ad hæc adjicere possem ad genuinam superintensissimi amoris illius in Deum expressionem ?

Sunt ergo præter summam Dei cognitionem, quam primò & essentialiter importat contemplatio, alii fontes uberrimi hujus Divi Josephi in Deum amoris, ex quibus quantus & quam redundans fuerit fluvius, qui ex fontibus tam copiosis promanat, colligere licebit : Primus est affectus Patris ad filium, & filium talem ac tantum : Secundus est gratia & charitas infusa, quæ ei plenissimè, collata fuit : Tertius est tam longa cum Christo conversatio, & tam familiaris convictus, ex quo oriri solet amor amicorum : ex quolibet autem istorum, tantus potest amor oriri, ut vix explicari possit, quid ergo erit amoris fluvius ex his omnibus in summo collectus ? XI

De primo fonte Patris, scilicet in filium affectu & amore : Cùm Deus vult amorem suum in homines comparare, & exaggerare, cõparat illum amori Patris in filium : *Nunquid ego sum Pater tuus qui feci te & creavi te* ? Maximus ergo est amor Patris in filiũ, quandoquidem divinus, qui infinitus est, ei comparatur. Hinc summa fuit Abrahæ probatio cum ei dixit : *Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & offer mihi illum*, Genes. cap. 22. Jacob qui non legitur ploravisse in omni labore suo, ploravit quando duodecimus filius suus Josephus amissus est : Et Job licet plures ei clades nunciatæ fuissent, nihil visus est commoveri, sed auditâ filiorum suorum morte, scidit vestes, totondit XII

totondit caput, & in terram se projecit: qualis ergo fuit Divi Josephi in filium suum amor? Vide à nobis dicta superius hâc part. 2. tract. 2. cap. 21.

XIII. Quibus adde, quod quando filius est unicus, quando est sapientissimus, quando optimus, mirum in mundum crescit & exuberat amor Patris in illum: Præterea singulare fuit Divi Josephi inter Patres omnes privilegium, quo mirum in modum hic ejus affectus excrescere potuit; certa scilicet securitas quod hic naturalis amor eum à Deo suo non dividebat, aut distrahebat, quin potius è contra adglutinabat & conjungebat: unde & omninò habenas ei laxare poterat. Amor naturalis aliorum parentum sæpè periculosus est illis: moderari debet & cohiberi ne nimium crescat, & amori Dei contrarius sit. Hoc verò in D. Josepho locum habere non potuit, qui cùm filium diligebat, Deum suum diligebat, quem non potuit tantùm diligere, ut non esset amplius & amplius diligibilis & diligendus, & ideò sine timore diligens & amori habenas laxans crevit, ut fornax septuplum succensa.

XIV. His iterùm accedit quod Pater est quem filius devinxit summis beneficiis ut eum diligeret cui esse dedit, & cor quo amatur, & quod proinde naturaliter in authorem suum reflectitur. Quo ergò hic amor pervenit tot titulis exaggeratus? quò ultra procedamus nihil restare videtur, & tamen minus est quod hucusque diximus. Igitur.

XV. Procedebat secundò Amor Divi Josephi in Christum à gratiâ & charitate infusâ quæ comparatur igni. *Ego veni ignem in terram mittere, & quid volo nisi ut ardeat?* Lucæ cap. 12. ut intelligamus quod quemadmodum ignis est omnium agentium naturalium activissimus, ita charitas infusa adeo fortis est, ut excedat omnem naturalem amorem, illumque facilè vincat, ut patuit in Abrahamo, in Martyribus, & aliis: Nullus enim amor naturalis effecit ut ea homines pro filiis, parentibus, uxoribus, viris, seipsis efficerent, quæ Apostoli, quæ Martyres pro Christo. Et ut honestus amor apud Alciatum Emblemat. 199. depingitur ligans Cupidinem, ita amor supernaturalis quando cum naturali congressurus descendit in arenam, semper vincit supernaturalis naturalem. Quod manifestum est in Abrahamo Genes. c. 23. in quo duo isti amores pugnaverunt, & in Matre Machabæorum 1. Machab. cap. 7. in Sanctâ Felicitate, & in Sanctâ Symphorosâ cum septem filiis, in quibus Dei amor amorem naturalem filiorum facile superavit: Hic verò amor supernaturalis in Divo Josepho fuit summus, qua ei gratia data est ut Patri Christi: Simul ergò pone in illo camino cordis Divi Josephi, pone, inquam, amorem naturalem maximum, & superadde infusum, quo perveniet flamma illa?

Augebat tertiò hunc amorem miro & inexplicabili modo conversatio & perpetuus convictus cum Christo. Est enim convictus oleum quo amor incenditur & intenditur. De Philosopho scribebat Seneca epist. 6. *Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodò audisset: vitæ ejus interfuit; secreta perspexit, observavit illum an ex formulâ suâ viveret.* Hinc Sancti mente (non aliud valentes) cum Deo conversari quantum possunt, eumque sibi præsentem facere conantur, fugiuntque quàm maximè creaturarum commercium, ut nihil obstet quominùs ille ignis in eorum cordibus accedatur, & ardeat: Atqui D. Josephus usque ad finem vitæ Christi Dei sui præsentiâ perfruitus est: Si ergo Christus exteros, ut Magdalenam, ut Petrum, & alios qui ejus præsentiâ aliquando fruiti sunt, ita sibi devinxit, quid quæso effecit in Divo Josepho Patre suo per tot annos secum tam familiariter agente? quomodo illum accendebant verba illa vitæ quæ velut jacula ignita ex ejus ore procedebant? sed quomodò exempla per quæ illum ad eorum quæ verbo tradebat praxim manu ducebat. Poterant ergò sine dubio è cœlo Seraphini discere amorem ex corde Divi Josephi, ascendit quippè hic *super Cherubim & volavit, volavit super pennas ventorum.*

XVI.

Ex quo quid sequitur nisi quod cùm XVII.
iste ejus amor per singulos dies & horas majora semper, & majora faceret incrementa, tandem talia evaserint

ejus opera ut fuerint summi apud Deum meriti: nam præcipua ratio meriti sumitur à gratiâ & charitate, per quam, ex quâ, & ob quam fiunt: Quare plus meritus est Joseph unico actu, & in minimis, quàm alii magni Sancti pluribus actibus & in rebus arduis.

XVIII. Et ex his omnibus patet quod diximus in initio & in progressu hujus operis, omnia ut oportet miro modo cohærere, Paternitatem cum donis, dignitatem cum virtutibus, ut quemadmodum summam adeptus est dignitatem, ita quoque virtutes possederit omnes in summo.

XIX. Sed interim quis hæc pro dignitate hactenus agnovit? sed unde hoc? Accipe ex hac similitudine. Nonne Sol inter Astra omnia est clarissimus? An aliquid eo in rerum naturâ aut clarius, aut visibilius? Interim habeat licet aliquis oculum sanissimũ ac perspicacissimum, si tamen pulvere aspergatur, quid ex illo percipiet? nihil aut ferè nihil. Ad eum planè modum quamvis Divus Josephus, ut Pater Jesu, qualem absolutè pronunciant Evangelistę, sit inter omnes Sanctos sicut Sol inter stellas splendidissimus, tot radiis, quot virtutibus redimitus, & satis acici habeamus, ut quid de summâ istâ in eo Patris Jesu qualitate nos docuerunt tot magni, qui nos præcesserunt homines, percipiamus, eam tamen delibare tantùm, nunquam penetrare poterimus: Solæ mentes excelsæ, & à terrenis abstractæ, ut Evangelistæ, ut Augustini, ut Bernardini, ut Theresię, & similes; quid illa importet, quidve secum advehat, aliquantulum perceperunt, quæ nos ex illis huc usque in duabus hujus Operis Partibus expressimus. Cùm ergò propter magnitudinem objecti & imbecillitatem nostræ acici aliis quàm terrenis parùm assuetæ plura non possimus, in his esto finis Secundæ Partis.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

SYNOPSIS



# SYNOPSIS MAGNALIUM
# DIVI IOSEPHI
## PARS TERTIA.
## DIVUS JOSEPHUS IN Gloriâ, omnium in vitâ & morte Proto-Patronus.

I. HIC titulus unum dicit explicitè, alterum implicitè : Explicitè dicit patrociniũ, seu intercessionem Divi Josephi, & quidem primam ac summam : Implicitè ejus cultum seu invocationem, & hoc quidem prius, illud posterius. Certum enim est ideò Sanctos pro nobis patrocinari, pro nobis apud Deum intercedere, & impetratos à Deo favores nobis deferre, quia à nobis invocantur: quamvis non negem etiam nõ invocatos pro nobis frequentissimè Patrem misericordiarum orare, nobisq; opitulari ex intensissimâ ac propensissimâ suâ in genus nostrum, cujus aliquando pericula subierunt, necessitates experti sunt, & labores exantlaverunt, charitate & cordialissimâ compassione.

II. His verò duobus, patrocinio scilicet seu intercessione, & cultu seu invocatione continetur tota materia, quę est de honore Sanctorum, seu de ipsorũ gloriâ extrinsecâ, illa scilicet quam à nobis recipiunt, & quam apud nos habent, cujus tamẽ tota utilitas in nos redundat.

III. Sed hæc extrinseca gloria præsupponit intrinsecam, quæ in ipsis est, quam à Deo ipso remuneratore accipiunt, & à quâ propriè Beati sunt: nam ideò à nobis invocantur Sancti, ideò ad illos in necessitatibus pro ope & auxilio recurrimus, & illi pro nobis intercedere & opem ferre possunt, quia æternâ beatitudine, quæ in Dei possessione consistit, perfruuntur: sicut verò illa gloria, quam à Deo accipiunt, præsupponitur ad illam quam nos ipsis deferimus, ita oportet ut illa sit exemplar, regula, & mensura hujus, idest oportet ut ille Sanctus qui plus à Deo honoratur, plus etiam à nobis honoretur, qui plus gloriæ à Deo accepit, plus etiam à nobis accipiat.

IV. Cùm ergo tota gloria externa Sancti Josephi, ut aliorum Sanctorum constet ex duobus istis, intercessione seu patrocinio, & cultu seu invocatione, ita tamen ut intercessio præsupponat invocationem & cultum : Et

hæc gloria externa præsupponat gloriam internam & inhærentem, ideſt quam in seipsis habent à Deo acceptam: ideò ut cohærenter & ordinatè procedamus, hanc Partem, ut duas præcedentes, in tres etiam Tractatus dissecabimus: In quorum primo, de ejus gloriâ internâ, quam in se habet Divus Iosephus: In secundo, de ejus invocatione & cultu qui est Pars prima gloriæ ejus externæ. In tertio, tandem de ejus patrocinio & intercessione; ejusdem gloriæ externæ parte alterâ.

# TRACTATUS PRIMUS.

## De Gloriâ Divi Josephi internâ & inhærente.

V. Siquando Lector Candide oculis hausisti prægrandem aliquam Triremem dum ex regionibus remeans longinquis, auro gemmis, pretiosissimisque onusta mercibus, post emersa æquoris spatia immensa, emersaque grandia à procellis, à syrtibus, à Piratis pericula, portum ingreditur: puta te habere umbram seu ideolam Divi Josephi ad portum gloriæ fœlicissimè pervenientis. Quantum quæso gaudium? quæ festivitas? quale tripudium civitati illi ad quam talis, ut suprà, Triremis appellit, & omnibus illis pro quibus appellit? Recipitur in portu cum mille acclamationibus, advolant omnes, omnes ovant, omnes exultant, utpote qui de ejus plenitudine quantum cuique fas erit sint accepturi: accenduntur ignes joviales, reboant è propugnaculis tormenta bellica, aliaque mille similia omnes edunt lætitiæ signa.

VI. Nulla unquam Triremis tam copiosis tam pretiosis onusta gasis, quantum Divus Josephus cœli divitiis: qui tandem exactis longioris vitæ diebus, emenso vitæ mortalis curriculo, appellit ad Portum quietis & Æternitatis: ingreditur in sanctam Civitatem Jerusalem Cœlestem, ad quam superatis dæmonis, carnis, mundi illecebris, aditum sibi fecit per grandia merita sua, quibus eum Deus tam abundè cumulavit, quam vidimus duabus Partibus præcedentibus hujus Synopsis. Quale ergo gaudium cœlo talem incolam & civem recipienti? quale nobis, qui de ejus plenitudine omnes prorsus quotquot sumus accipere valemus? sed luxuriantem discursum contineamus, & à generalibus his ad particularia descendentes, videamus ante omnia quid de ejus prodromis, Morte, Sepulturâ, Resurrectione, & in Cœlum Ascensione quæ hanc ejus gloriam præcesserunt sentiendum, ut eodem ordine procedat nostra Dissertatio, quo materia ipsa de quâ dissertamus.

### CAPUT PRIMUM.

### *De Tempore Mortis Divi Josephi.*

I. Statutum esse omnibus hominibus semel mori docet Sacra Scriptura, docet ratio, docet experientia: Scriptura docet, nihil enim in eâ hâc veritate frequentius, nihil explicatius. Docet ratio: Cùm enim ita à naturâ constituti simus, ut calor & humor pugnaces qualitates mutuo sese conflictu in nobis atterant, oportet ut alterutrâ vel utrâque tandem langueſcente corpus, quod ex eis coalescit, cadat, & vincu-

vinculum animi disrumpatur. Elige quantum poteris, & habe nutritioni alimenta saluberrima, habitationi commodissima loca, exercitationi amplissima tempora, curationi præsentissima medicamenta: te tamen ubique; tecumque mortis semina circumferes. In Paradisum etiam terrestrem, esto peccatum non penetrasset, mors tamen ex istâ qualitatum intrinsecarum compugnantiâ pervasisset, nisi fructus vitalis arboris, defectus omnes caloris & humoris arcanâ ac divinâ vi superasset: Idem denique docet experientia, quotquot enim unquam ante nos fuerunt, mortui sunt, moriuntur quotidie ante oculos nostros aliqui ex iis qui nobiscum vivunt, morientur cæteri, & ii omnes qui post nos venient. *Quis enim homo vivet & non videbit mortem?* à quâ nec Deipara, nec Christus ipse exempti fuêre? Quid ergo certius? quid clarius hâc veritate, (*omnes moriuntur*) quæ tantis firmatur munimêtis? quę omnibus mundi facibus majoribus colluſtratur? sacrâ scilicet Scripturâ, quæ fidelibus sufficit. Ratione, quæ sapientibus satisfacit. Experientiâ, quæ etiam stupidos convincit. Propterea hîc non inquirimus an Divus Josephus, tam eximius, ut hactenus vidimus, sit mortuus, sed supponimus ut rem indubitatam.

II. Neque mors tam deformis est, quàm depingitur, ut ea tantum Virum non decuisse videatur. Iniquis tantùm horrenda est, quorum finis æternus interitus: at justus moriens aspicit mortẽ, non ut vitæ, sed ut mortalitatis suæ finem: mors ergo D. Josephi omniũ justissimi, fuit, non vitæ, sed mortalitatis expoliatio, & trãsitus ad veram vitam.

III. Comparatur in Sacrâ Scripturâ mors Justorum somno ob varias rationes: tres tamen mihi videntur præcipuæ & maximè propriæ. Prima, quod Viri Sancti beatæ fiduciâ Resurectionis & immortalitatis erecti, non soleant magis mortem exhorrescere aut aversari, quàm viator lassus, vel operarius somnum. Hinc Reginaldus Cardinalis Polus apud Spondanum anno 1537. cùm audisset quod Henricus Angliæ Rex, caput suum aureorum millibus quinquaginta addixisset, mirari se dixit Henricum talia statuentem: cum cæde suâ, quàm tanti æstimabat Henricus, non magis sibi nociturus esset, quàm qui cubitum concessuro vestes detraheret.

Secunda ratio, quod æquè facile, immò multò facilius sit Deo excitare mortuos, quàm à nobis dormientes expergefiant: Propter quod Scriptura dum de hac excitatione à morte loquitur, his utitur verbis. *Multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt, &c. Lazarus amicus noster dormit eamus & excitemus eum.* Et Christus à seipse mortem excutiens ait: *Ego dormivi & soporatus sum & exurrexi.* IV.

Tertia ratio, quia sicut ex somno vegetiores exurgimus, ita ex morte vivaciores resurgemus, sanitatis labem viriumque deinceps decrementa non sensuri. Corpus emortuum ponitur in sepulchro, sed sicut granum frumenti in sulco. Granum frumenti in sulco revivisicit & exurgit pulchrius ac copiosius, ita & cadaver justi exsangue, pullulabit quatuor divinis dotibus, immortalitate, agilitate, subtilitate, claritate. V.

Mortem ergò Divi Josephi non negantes, sed & indubitatam supponentes, eam his quæ modò retigimus circumstantiis, aliisque privilegiis, ut omnium mortalium justissimi, adornatam ostensuri, à tempore quo illam obivit incipimus, ideſt quando, quâve illius ætate ea contigerit ante omnia inquirimus. VI.

## SECTIO PRIMA.

### *Quandonam mortuus Divus Josephus? an ante, an post Christum Filium suum?*

VII. Discrepant hîc inter se Authores, & abeunt in tres diversas sententias. Alii volunt non diu post annum Christi duodecimum, è vivis excessisse, ita Divus Epiphanius hæres. 78. Sanctus Vincentius Ferrerius serm. de Sancto Joseph. Ubertinus à Casalia lib. de arb. vitæ. Baronius ad annum Christi 12. Petrus Comestor & alii. Horum fundamentum est duplex: Primum, quod aliqui illorum Divum Josephum

senioulum

seniculum fuisse putant, quando duxit Deiparam, ut Divus Epiphanius qui arbitratus est fuisse octogenarium: Alii adhuc seniorem. Secundum fundamentum est quod ab illo Christi anno, nulla amplius fit mentio Divi Josephi in Evangelio.

VIII. Alii è contra volunt Christo supervixisse, cujus opinionis fuit D. Cyprianus ser. de Passione post med. & ante finem: citantur etiam pro hâc sententiâ D. Ambrosius lib. de Inst. Virg. c. 6. & in Lucâ c. 23. & Arnoldus Abbas tract. 7. de verb. Dom. ad illa verba Christi in Cruce pendentis ad Matrem; *Mulier ecce filius tuus*: trahitur etiam in hanc sententiam à nonnullis, Divus Augustinus serm. 81. de tempore, qui est serm. 2. in Feriam sextam post Dominicam secundam Quadragesimæ, ubi sic ille. *Vidit Joseph aliud somnium, quod Sol, Luna & Stellæ undecim adorarent eum: cui respondit Pater suus. Nunquid ego & Mater tua, & Fratres tui adorabimus te super terram? Hoc in illo Joseph impleri non potuit, quia jam Mater ejus ex hac vita migraverat: in nostro vero Joseph, ideſt Domino IESV Christo, somnii illius Sacramenta completa sunt. Sol enim & Luna & Stellæ undecim eum adoraverunt, quando post Resurrectionem Sancta Maria quasi Luna, & Sanctus Joseph velut Sol, cum undecim Stellis ideſt Beatis Apostolis, incurvati & prostrati sunt ante eum, & impleta est Prophetia illa, quæ dixerat*, Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes Stellæ & lumen.

IX. Hujus secundæ sententiæ fundamenta quoque duo esse potuerunt: Primum eruitur ex Divo Cypriano loco citato, quod scilicet ideo supervixerit D. Josephus Christo, ut traditâ per Christum in Cruce moribundum Joanni Discipulo Matre suâ dilectissimâ in custodiam, ad exclusionem D. Josephi adhuc viventis, constaret ipsum non fuisse reâpse Virginis Maritum & Patrem Christi, ut eatenus reputatus fuerat, & necessariò debuerat ad Mysterii Redemptionis consummationem. Ita enim loco citato Divus Cyprianus. *Considero te Christe in Cruce de Matre sollicitum, cui volenti loqui tecum cùm evangelizares, negaveras retroactis diebus colloquium, & prætuleras Matri auditores verbi, pauperes spiritu, dicens eos tibi esse pro Matre & Fratribus, qui voluntati Patris obtemperant: nunc materno moveris affectu, & thalamum humanitatis tuæ Cubiculario dilecto commendas, & provides sedulo benedictæ inter mulieres Apostolicam clientelam, & obsequium Virginis Virgini discipulo tradis, ut jam non Joseph tanti ministerii oneretur præsiturâ, sed Joannes, quia jam exigebat ratio ut cõjugii removeretur opinio, nec ultra Pater Christi æstimaretur, qui eâtenus vocem Patris & Conjugis tenuerat: habebat Joseph in hâc Christi dispositione rationabilem contradictionem, cùm alteri commendaretur Maria, si se cognovisset carnalem maritum: sed quia in spiritu actum erat conjunctionis illius mysterium, passus est Joseph æquanimiter sibi eum in hoc servitio præponi, quem digniorem sit judicabat, ideò maximè quia Magistri electio sic negotium ordinabat.* Huc usque Divus Cyprianus.

Secundum fundamentum hujus I.
secundæ sententiæ est, quod ideò Divus Josephus Christo supervixerit, ut istâ ratione potuerit esse unà cum Sponsâ suâ Martyr Calvarii Montis, quo honore & merito ipsum privari non debuisse volunt Neoterici hujus sententiæ authores.

Sed inter has duas extremas sibique XI.
invicem oppositas sententias alia est media hodieque communissima, quæ censet nec tam citò, nec tam tardè mortuum, sed circa illud tempus quo Christus cœpit se manifestare ad homines susceptо Baptismo, & collectis in opus Evangelii Discipulis: hæc sententia meo videri indubitata est, solaque nunc ab omnibus reputata vera.

Quod non sit mortuus tam citò id- XII.
est non diu post annum Christi duodecimum, ut vult prima sententia, probatur primò, ex Luc. cap. 2. ubi narratur, quod cùm Puer JESUS factus annorum duodecim remansisset in Jerusalem, id non advertentibus parentibus Divo Josepho & conjuge, ab eisque post triduum fuisset inventus in Templo in medio Doctorum: interrogationibus & responsionibus absolutis, *descenderit cum eis Nazareth, & erat subditus illis*, vers. 51. ubi præteritum

tum illud, *Erat*, cum sit Imperfectum, ut loquuntur Grammatici, significat rem non tam citò perfectam & finitam, sed illius continuationem & durationem.

XIII. Probatur secundò, ex eo quod Christus apud Evangelistas dicitur à Judæis, *Faber & Fabri filius*, eo quod scilicet artem Patris sui Josephi exercuerit, eique inservierit in fabrili exercitatione, ut explicat Divus Augustinus Serm. 81. de Tempore: non ergo tam citò mortuus Divus Josephus, cum id non potuerit Christus nisi adultus, & magis in ætate provectus.

XIV. Probatur tertiò, si penitius inspiciamus rationem divinæ dispositionis in electione Divi Josephi circa Christum, & illius curam ei cœlitus commissam, videtur omninò fuisse necessarium ut viveret usque ad tempus manifestationis Christi, quæ cœpit ab ejus baptismo, & vocatione Apostolorum: quia cum non conveniret Christus pro fabrilibus, quibus se domi exercebat (cùm à Judæis dicatur Faber) hominibus commisceri, oportuit ut dum ipse domi operabatur Divus Josephus foras exiret pro iis operibus quæ egressum postulabant: si enim Judæi Jesum quamvis latuerat, despiciebant tamen ob fabrilem, ita ut diceret, *Nonne hic est Faber & Fabri filius?* quid fecissent si promiscuè talis apparuisset? his addo quod non erat tam senex D. Josephus anno Christi duodecimo, cùm certum sit ex dictis, Part. 2. Tract. 1. cap. 14. sect. 3. congruâ ætate Virginem duxisse.

XV. Quod etiam non viveret amplius tempore Passionis. Probatur primò, quia à tempore manifestationis Christi nulla sit amplius in Evangelio de eo mentio, intervenientibus tamen, multis occasionibus faciendi si tamdiu vixisset, quandoquidem toties sit mentio etiam de fratribus & cognatis Christi.

XVI. Probatur secundò, quia post vocationem Apostolorum nuptiæ factæ sunt in Canâ Galileæ, ad quas dicitur vocatus & Jesus & discipuli ejus, Joan. cap. 2. eratque etiam ibi Maria Mater Jesu, ut patet ex textu Evangelii: jam sic argumentor, fuit ad istas nuptias vocatus Jesus, & Mater ejus, vel ob devorionem, vel ob viciniam, vel ob cognationem, & discipuli ejus ob ipsius Christi considerationem. Si ob cognationem certè & Divus Josephus cum illis vocatus fuisset si adhuc fuisset in vivis: si ob devotionem, vel viciniam, cum discipuli ob ejus considerationem vocati fuerint quantò magis fuisset Divus Iosephus si vixisset? quod si & is quoque vocatus fuit, cur illum tantùm tacerent Evangelistæ; signum est ergo manifestum nec illis adfuisse, nec amplius in vivis fuisse.

Probatur tertiò, quia in præsenta- XVII.
tione Christi in Templo expletis purificationis diebus, postquam benedixisset Mariæ & Josepho senex & justus Simeon, utpote qui agnoscebat utriusque propter istum filium fœlicitatem: Futura in Spiritu prævidens, prædixit Virgini quod aliquando animam ejus doloris gladius esset pertransiturus, scilicet in Passione Christi, non verò Divo Josepho: Quare hoc? nisi quia tunc quoque prævidebat, quod tunc D. Josephus non esset amplius ut Virgo in vivis futurus: si enim secus futurum fuisset profectò qui de ejus amissione in Jerusalem ita anxius fuit & doluit, ut eum sibi Deipara quoad hoc conjungere non dubitaverit, & tunc cum Virgine doluisset, & prædilecti filii sui tormenta & mortem in animâ suâ per compassionem sensisset: Conquenter Simeon eum in suâ prædictione ab uxore non separasset, quem ei in benedictione conjunxerat; qui cum secus fecerit, signum est eum prævidisse Josephum isto tempore non amplius futurum in vivis, ut in suâ animâ istum doloris gladium persentiret.

Probant alii quartò, quia si Divus X VIII.
Josephus tamdiu vixisset, proculdubiò Christo filio suo in Cruce morienti adstitisset: cùm alii non ita in ejus amore ferventes ut ipse, adstare non timuerint, ac consequenter Christus non alteri quam illi moriens Matrem suam commendare voluisset: atqui non illi sed Divo Joanni discipulo, quem diligebat, Matrem suam tunc commendavit: non ergo tunc Divus Josephus aderat, consequenter non amplius in

vivis erat : ita ferè inter alios noster Sylveira Tom. 2. in Evang. l. 4. cap. 1. quæst. 9. num. 37.

XIX. Hoc argumentum quoad primam suam partem convincit, sed quoad secundam non placet mihi ut placet multis qui in hâc Sententiâ nobiscum conveniunt dicam enim, & solidissimè quidem, etsi fuisset vivens Divus Josephus & ibi præsens, nihil illi derogatum fuisset per hoc quod Divo Joanni, commendata esset à Christo Deipara : Commendata est enim Divo Joanni, ut ipse pro Christo esset filius & nihil aliud, ut patet : per quod non impediebatur Divus Josephus, quin ut Sponsus & conjux posset erga Beatam Virginem uxorem suam, quod potuit etiam dum ipse Christus ejusdem Deiparæ filius legitimus & naturalis vivebat : nec per hoc ullo modo excludebatur Divus Josephus à qualitate Sponsi Deiparæ, quis contrarium dixerit? Sed dabatur Virgini Joannes filius adoptivus in locum Christi filii naturalis, & ut seni Josepho adjutorio esset, & ut eo moriente tanquam illi suffectus, totam Deiparæ clientelam sibi demandatam sciret.

XX. Probatur ultimò, à convenientiâ; cùm enim Christus Dominus ut privatus homo domi latuisset, adveniente tandem tempore à Deo præordinato manifestationis suæ ad homines, quò operibus admirandis ostensurus erat, & probaturus se filium Dei, non conveniebat ut deinceps Pater ejus terrenus sub hominum oculis versaretur, quare hic è mundo subductus est & sine dubio circa tempus illud, quo Christus se manifestaturus erat hominibus.

XXI. Ad fundamenta primæ Sententiæ, Respondeo ad primum nequaquam verum esse quod D. Josephus fuerit tam senex quando duxit Beatam Deiparam in matrimonium, hocque multis refutavimus in superioribus Part. 2. Tract. 1. cap. 14. per totum. Quoad secundum fundamentum, Respondeo; cùm ab illo Christi anno duodecimo usque ad prædicationem Baptistæ, filum historiæ vitæ Christi abruperint Evangelistæ, nec de Virgine aut Divo Josepho loquantur nisi relativè ad Christum, non mirum cum de illis quæ toto isto tempore, ideſt ab anno 12. usque ad tempus manifestationis suæ ad homines gesserit Christus nihil dixerint, nihil etiam amplius locuti sint de Divo Josepho, ut nec de Virgine.

XXII. Ad fundamenta secundæ sententiæ, Respondeo primò Divum Cyprianum non asserere, nec probare quod Divus Josephus adhuc viveret quando Christus in Cruce Matrem Discipulo commendavit, sed tantùm supponere : cùm ergò hoc punctum non ex professo tractet, consequenter non examinaverit Divus Cyprianus; probetur autem ab aliis Patribus, & Doctoribus, qui rem istam ex professo & seriò examinarunt & tractarunt, nostra in hoc puncto sententia, ideò hanc illi præferendam nemo prudens non judicabit. Respondeo secundò, ideò Divum Cyprianum supponere Divum Josephum tunc vixisse, ut ex eo quod Christus ipso relicto Matrem suam moriens Joanni commendavit judicaremus ipsum non fuisse verè ejus Patrem & Matris Conjugem, sed eò usque tantùm fuisse vocatum Patrem. Sed contrarium constat ex dictis de utraque hâc qualitate supra Parte 2. Tract. 1. & 2. ergo &c. Deindè etsi Divus Josephus tunc vixisset, non ea tamen exinde emergerent contra utramque istam qualitatem, quæ in illo discursu contexuit Divus Cyprianus ob commendatam Ioanni à Christo Matrem, ut patet ex illis quæ mox diximus numer. 19.

XXIII. Quoad Divum Augustinum malè trahitur in istam sententiam : nam etsi ut in Christo Domino somnii Josephini Sacramenta complerentur, illa adoratio fieri debuisset post Resurrectionem, quod non, ut constat, potuit Divus Josephus Christo à mortuis resurgente resuscitatus, unà cum Mariâ & undecim illis stellis spiritualibus, ideſt Sanctis Apostolis, ante IESUM redivivum incurvari & prosterni. Et in hoc nulla difficultas.

XXIV. Nec velificantur Divo Josepho, ut putant, hujus sententiæ Authores Neoterici dum aliam à Divo Cypriano viam ineuntes hoc adstruunt, ut ipsum faciant Calvarii Martyrem, sed econtra. Si enim Divus Josephus supervixisset

set Christo, cùm nullam Evangelistæ faciant ipsius mentionem in totâ historiâ Passionis, fecerint autem tot aliorum, nec appareat cur eum potiùs quàm tot alios tacuissent si adfuisset, videretur potiùs concludendum contrarium contra Divum Iosephum, quod scilicet non adfuerit Christo patienti: sicque sequeretur quod ipse solus inter omnes, Christum tunc deseruisset: quod vel cogitare impium, imò insanum, quomodò enim is qui eo perdito ita anxius fuit, & cum tanto dolore requisivit, postquam tot annis in ejus schola & convictu profeciisse debuerat ad mortem pro suâ omniumque salute properantem deseruisset, quem mulieres in ejus scholâ novitiæ, & ipse Ioannes ejus Discipulus solùm hesternus secuti sunt, & cui in Cruce morienti adstiterunt? Itaque meliùs nos concludimus pro nostrâ sententiâ, quod Cruci cum reliquis non adstiterit, quandoquidem hujus nullam fecerint Evangelistæ mentionem. Atque adeò quod tunc pro certò mortuus erat, aliàs enim adstitisset.

XXV. Nec deerit hic Flos Aureolæ Divi Iosephi, si dicamus ipsum esse mortuum ante Christum Filium suum: non enim ille ut alii, unâ vel alterâ horâ corpore Christo patienti adstitit, & ejus suppliciis, pœnis, ac doloribus participavit, sed à Christo nato usque ad mortem suam, maximè verò à Circumcisione, quando imponendo ei nomen Jesu, cujus significationem ex Dei revelatione penetravit, eum morti, per quam Jesus in effectu futurus erat, idest Salvator Mundi, adjudicavit, & quasi in Cœlestis Decreti executionem cum circumcidendo, primas ipsi sanguinis guttas elicuit, ut diximus supra.

XXVI. Sunt alii flores iique selectissimi qui in nostrâ sententiâ eidem Divi Josephi Serto innectuntur, necessariò ab eo detrahendi in illorum sententiâ qui dicunt Christo supervixisse. Nam si Christo supervixit, ergo non fuit unus ex illis Sanctis, quorum corpora resurgente Christo resurrexerunt, & apparuerunt multis, Matthæi cap. 7. vers. 52. & 53. Ergo absolutè non resurrexit, unde enim hoc probaretur.

## SECTIO II.

### *Quâ Ætate mortuus est Divus Josephus?*

QUo Ætatis suæ anno vitam hanc mortalem finierit Divus Josephus, magnum apud Evangelistas, Sanctos Patres, alioque Historicos, & Authores altumque silentium, hinc difficultas hanc quæstionem dirimendi. Sed res hæc est valdè exigui momenti? Quid enim refert an quis plenus dierum mortuus fuerit, modò fuerit plenus meritorum? *Senectus enim* (inquit Sapiens Sapient. cap. 4. *) venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Tum deinde idem. *Placens Deo factus est dilectus, & consummatus in brevi explevit tempora multa.* Quæ cùm ita sint; paucis rem hanc absolvemus. XXVII.

Qui volunt Divum Josephum quando duxit Virginem fuisse octogenarium, eoque majorem, & mortuum non diu post annum Christi duodecimum, ut Divus Epiphanius Sectione præcedenti, & alii dicunt fuisse nonagenario majorem, alii ferè centenarium quando mortuus est: Qui verò eum fuisse senem dum Virgini conjugatus est ad removendum violatæ inter illos integritatis suspicionem, & tamen vixisse usque ad Christi manifestationem, quæ fuit circa annum ejus trigesimum, necesse est eum faciant centenarium aut eo majorem. XXVIII.

Sed cùm harum exoticarum opinionum fundamentum, sit illa provecta senectus, quam fingunt in Divo Josepho antequam conjungeretur Virgini Deiparæ intemeratæ, ad removendum inter eos labefactatæ virginitatis suspicionem, fundamentum verò illud sit nullum, ut constat ex dictis supra Patre 2. Tractat. 1. cap. 14. ruunt consequenter præfatæ duæ opiniones ei superædificatæ. XXIX.

Sed quid nos in tantâ caligine ob Scripturæ, Patrum, Authorum eâ de XXX.

re silentium? Dico probabile esse mortuum circa annum vitæ suæ septuagesimum, Probatur ex supputatione Augustini Tornielli, qui asserit ipsum natum Imperii Octaviani Augusti anno secundo. Atqui Christus juxta magis receptam in Ecclesia opinionem, & propterea à Gregorio Papa XIII. approbatam, & Martyrio Romano, quo solo utitur in Officio Divino Ecclesiæ inserta, natus est ejusdem Imperii anno quadragesimo secundo: ergo tunc Divus Iosephus erat quadraginta circiter annorum. Iam verò manifestatio Christi ad homines (circa quod tempus ex dictis Sectione præcedenti mortuus est Divus Josephus) cœpit ab ejus Baptismo, & dum baptizatus est JESUS erat incipiens quasi annorum triginta Lucæ cap. 3. Ergo Divus Josephus mortuus est circa annum ætatis suæ septuagesimum.

XXXI. Probatur secundò hoc nostrum assertum ex iis quæ diximus supra Parte 2: Tract. 1. de Ætate Divi Iosephi quando duxit Virginem uxorem, quibus fulcitur opinio Tornielli: Ex dictis enim ibi, & his quæ hoc Capite Sectione præcedenti probavimus de tempore quando mortuus est Divus Iosephus, colligitur satis clarè eum abiisse ex vivis circa septuagesimum vitæ annum, circum circa.

XXXII. Confirmatur, quia cum magnâ probabilitate & valdè rationabiliter dici potest de Divo Iosepho, ut Christi Patre, quod compleverit dies vitæ hominis ordinarios, ut scilicet possit dici plenus dierum & meritorum. Sed dies vitæ hominis ordinarii sunt septuaginta anni, idest circum circa juxta Regium Prophetam Psal. 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor* Nec apparet ratio cur Deus qui ponit vitæ terminos, vel ab illis detraxisset, vel ad illos addidisset pro Patre suo, maximè quod circa eandem etiam ætatem mortua communiter censeatur Deipara; sint autem rationes cur nec citius quia Christo fuit necessarius usque ad trigesimum nec etiam ultrà vivere debuerit. Vide dicta Sectione præced. num. 20. ergo huic potius Sententiæ standum quam aliis.

Ad finem hujus capitis duo monenda habeo: Primùm, mortuus est Divus Iosephus homo tantus, sicut & alii omnes: Consideremus ergo & hoc semel benè apprehendamus nos quoque morituros. Nihil ad vitam christianam rectè peragendam utilius, justius nihil, mortis memoriâ. Propterea & illam nobis Deus frequenter objectat, & è contra dæmon oblivionem ejus maximè curat. Hinc ne Adam peccaret dixit ei Deus Genes. cap. 2. *in quacumque die comederis ex eo, morte morieris*, dæmon verò è contra, *nequaquam morte moriemini*, Genes. cap. 3. XXXIII.

Quod primis parentibus hoc dæmon suadere potuit non adeò mirandum; hi enim necdum mortem viderant. At verò nobis, qui quotidie illam in aliis videmus, & nos ipsos ad illam appropinquare sentimus, defícientibus sensim corporis viribus, quo pacto idem suadere potest? suadet tamen, & quomodo primos parentes, ita filios decipit, sed alio modo: illis enim, qui nullam mortis habebant experientiam, omninò suasit illud, *nequaquam moriemini*. Nobis verò, quibus propter rei evidentiam id suadere non potest, aliter suadet: suadet enim quod hodie non morieris, quod hoc anno vives, sequenti die & anno idem, & sic in posterum, quod simul & semel ingerere nequit, in partes divisim deglutire facit, & sic semper ita vivis, ac si nunquam moriturus. XXXIV.

Secundò, monendi sunt incauti, qui sub prætextu quod dies vitæ hominis ordinarii sunt, ut diximus ex Regio Prophetâ, septuaginta anni (quos ideò dedimus Divo Iosepho) eos sibi promittunt non attendentes quanti sint juvenes qui putabant se diu posse vivere quibus contigit, quod non cogitarunt, citò mori: qui dum adhuc ordirentur succisi sunt, præcisâ scilicet à Deo velut à texente eorum vitâ. XXXV.

CAPUT

## CAPUT II.

### *Quomodò mortuus Divus Josephus?*

I. CAPITE præcedenti explicavimus quantùm fieri potuit in re obscurâ, quando quotove vitæ anno mortuus est Divus Iosephus, hîc videndum quomodò mortuus sit? ideſt quæ mors ipsius mortalitatem absumpserit, exhauserit?

II. Mortem ipsius beatissimam, fuisse in conspectu Dei pretiosissimam, & cum amore divino conjunctissimam, quis nisi impius vel insanus inficias ibit? aut etiam in dubium revocabit? sed nobis hîc inquirendum ulterius quomodò, quâve ratione mors illius cum amore divino conjuncta fuerit?

III. Sanctus Franciscus Salesius Gebennensis Episcopus lib. 7. de Amore Divino cap. 11. 12. & 13. distinguit genera tria mortis cum amore divino conjunctæ: *Primùm*, cùm quis moritur in amore Dei, seu habituali, seu etiam actuali: *Secundùm*, cùm ob amorem Dei: *Tertiùm*, cùm ex amore Dei: & hoc ultimum cæteris præstantius.

IV. Primo modo mori, ideſt in amore Dei frequentissimum est, & omnibus electis commune; in eo mori omninò necessarium, aliàs actum est de nobis in æternum, si de amore habituali sermo est: si verò de actuali amore, multis Sanctorum etiam in eo exspirare contigit, Moysi imprimis, ait enim de illo Scriptura, Deuteron. cap. ult. vers. 6. *Mortuus est Moyses in terrâ Moab jubente Domino*: pro quo alia versio habet, *Mortuus est Moyses in terrâ Moab in osculo Domini*, quasi osculans Dominum, & osculatus à Domino. Divo Oswaldo, qui in istis vocibus, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, expiravit; Divo Ludovico Francorum Regi, qui in illis, *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo*. Ex Clictoveo in ejus vitâ. Divo Francisco Assisinati, qui in illis Psalmi 141. *Educ de custodiâ animam meam ad confitendum nomini tuo, me expectant justi donec retribuas mihi*, ex Divo Bonaventurâ in ejus vitâ. Divo Alberto Carmelitæ qui cum horâ vespertinâ transitum suum imminere cognosceret, è paupere strato suo surgens humi genuflexit, erectisque in Cœlum oculis psalmum *In te Domine speravi*, recitans efflavit animam ad illa verba, *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, ex nostro Baptistâ Mantuano in ejus vitâ: Hi omnes plurimique alii consimiliter vitam in sanctitate exactam, heroico summæ virtutis actu concluserunt.

V. Secundo modo mori, ideſt ob amorem Dei, contigit Sanctis Apostolis qui ob amorem Dei horrenda supplicia constantissimè pertulerunt, & vitam cum sanguine prodegerunt: consimilemque necis causam Divum Ignatium Patriarcham Antiochenum Apostolorum discipulum & coævum; Sanctum Laurentium, omnesque Martyres habuisse plerique existimant.

VI. Tertio modo mori, ideſt ex amore Dei est paucorum: isto mortua est Beata Deipara, ut docent SS. Patres: isto mortuus est Divus Philippus Nerius Congregationis Oratorii fundator Sanctissimus, cœstis diligendo Deo diffractis, ex Cardinali Baronio ipsius spirituali filio: isto mortua Ter Magna Heroina Seraphica Mater Theresia, quæ, ut ait Sac. Rit. Congregatio in Lectionibus secundi Nocturni pro ejus Festo, *Intolerabili divini amoris incendio, potius quam vi morbi, Albæ cum decumberet, sub specie columbæ, purissimum animam Deo reddidit.*

VII. Mortuum Divum Josephum in amore Dei non tantùm habituali, sed etiam actuali clarissimum est: habituali quidem, quia plenissimus gratiâ, ut constat ex dictis in toto hujus Operis decursu: actuali verò, quia longè fœlicius, multoque singularius quam Moyses mortuus est osculans JESUM Filium suum prædilectum sibi tunc cum Mariâ præsentem, vicissimque ab eo osculum recipiens. O mortem beatissimam!

VIII. Mortuum ob amorem in effectu dicere non possumus, certum enim est

licet pro Christo multa pertulerit, vitam tamen cum sanguine pro eo non effudisse: verùm in præparatione animi millies ita mortuum, negare nemo potest, qui benè ea perpenderit quæ in superioribus protulimus ad pondus sanctuarii librata appenderit.

IX. Restat expendendum an etiam ex amore divino obierit. Esto de hoc altum sit apud Patres, & Sacræ Scripturæ Interpretes, aliosque Authores, silentium, & omnes Divi Iosephi Encomiastæ prætereant genus mortis quam obiit præcipuus ille Cultor Amoris Dei, illud profectò indubitatum arbitror nullâ corporis infirmitate præeunte, sed ligato corde amoris incendio defeciisse. Cùm enim ut amantissimus Pater Iesu per vitam omnem arsisset amore divino, quid reliquum fuit exactâ ætate, quàm ut fortis esset in illo ut mors dilectio, & sicut mors ipsũ occideret? Animam illam amore revera decoratam, ut constat ex dictis Parte 2. Tract. 3. cap. 10. & 11. Mors decebat congrua planè vitæ, hoc est ex amore, ergo cum summo vivendi ritu ævum suum exegerit Sanctus ille amore Dei conspicuus, morte cujus amor esset conscius debuit seriem vitæ concludere, ut sic vitæ amore in Deum in paucissimis insignis, exordium, tenor, & exitus concordarent.

X. Et verò, quod genus mortis aliud Divo potuisset contingere Iosepho? Morimur omnes, vel quia vis nobis externa infertur, vel quia morbus ingruit, vel quia naturæ vigor sensim extinguitur, vel quia vehementes passionum motus sanguinem alterant: Passionum inordinatarum motibus D. Iosephus cõcuti nequivit, cui motus omnes erant in pervigili rationis potestate; vide à nobis dicta supra Parte 1. Tract. 3. cap. 11. Temperatissimæ naturæ vigor evanuisse nõ poterat anno vitæ septuagesimo vel circiter, quò mortuum illum cap. præced. probavimus; cùm multò minùs temperatorum corporum vitam, citra defectus externi periculum etiam hoc ipso quo vivimus sæculo extendi videamus: morbos compositissima viri valetudo, & prudentissima conversatio, ac victus ratio non patiebatur. Vim externam tum hominum, tum animalium, tum aliarum rerum in corpora humana incurrentium, arcebat divini cura præsidii, & Angelicæ diligentia custodiæ. Superest igitur ut ad illum undique præclusum morti aditum amor aperuerit: præsertim cum quæ multis Sanctorum prærogativa concessa est, Sanctorum Coryphæo, Christi Patri amantissimo, denegari nonnisi irrationabilissimè possit.

Neque dicas ex Iustiniano *Authen. tica de Triente, § Consideremus.* Rem esse erubescentiâ dignam, sine lege loqui, sequor enim Alciati Tract. *de Præsumpt.* regul. 2. consilium suadentis, *ut ad conjecturas lege tacitâ recurratur.* XI.

Fortè instabis Mariam potiùs eo fato debuisse vitæ pati deliquium, ut potè quæ longè fortiori & ardentiori Deum amore diligebat. Respondeo & ipsam eo funere sublatam è medio. Quod autem non prior obierit Maria cujus amor in Deum erat longè intensior, eo quo Divi Josephi anima conflagrabat: Ratio petenda est à Divinâ voluntate, quæ eam amore languentem fulcivit floribus, stipavit malis, ut esset superstes Passioni suæ ad solamen Ecclesiæ suæ adhùc teneræ & imbecillæ: Ioseph autem expletis Officii sui partibus circa Salvatorem, fœliciter obiit. XII.

Recogitentur hîc ardores, defectus, deliquia, extases Pauli, Francisci, Catharinæ Senensis, Theresiæ, Mariæ Magdalenæ de Pazzi, & aliorum, cum Divi Iosephi amore Parte 2. Tract. 2. cap. 11. Tract. 3. cap. 9. & 10. exposito comparentur, quid sunt illi ad hunc? stellulæ ad solem, scintillulæ ad fornacem. XIII.

Anima Dei amore flagrans patitur deliquium, expertus ait Areopagita Dionysius, & probat ex Hierotheo, quem vocat divina patientem: Resque in confesso est apud omnes, animam Deo intellectu & voluntate intentam extasim pati, ut de Sancto Paulo Apostolo liquet, & innumeris aliis: Atqui dari potest amor intensior eo, quo Hierothæus Divina patiens propè occubuit. Et hic est amor quo Divus Josephus incensus, & extra se raptus occubuit. Quemadmodum ergò bombix XIV.

suo

suo conlusus ergastulo, alarum expers suos patitur cancellos, sed ubi alæ erumpunt, morarum impatiens & captivitatis, breviore suo rostro vellicat clausstrum, unde evolat, alitem ementitus: ita passus est quidem Divus Iosephus carceres importunos corporeæ compaginis, quæ diu compescuit animam ejus ne aliò transmigraret, sed pubescens ille amor in eum adolevit statum, ut Ioseph tandem spiritus amore incandescens quasi aliger evolarit.

XV. Vel si magis placet unicam illam avem, celebratum dico priscis Phœnicem considera. *Qui*, ut loquitur gravissimus Tertullianus lib. de Resurrect. Carnis, *& ipsum lubenter fœnerans renovat: natali fine decedens, atque succedens, iterùm Phœnix ubi jam nemo: iterum ipse, qui non jam: alius, idem.* Hic in aromaticorum congerie lignorum positus, excipit Solis radios, & inde flammâ exortâ, alisque eventilatâ preciosam ipse sibi mortem facit: ita cum Divo Iosepho agitur, inter fidei, spei, fortitudinis, patientiæ, constantiæ, humilitatis, cæterarumque virtutum odores, compositâ mente, ignes concipit à charitate virtutum sole, seu etiam, si mavelis à præsentiâ Filii sui ut Iustitiæ veri Solis adstantis, & à mortali ad immortalem vitam quæstuoso interitu reformatur.

XVI. Ita mortuus est Divus Iosephus. Mori forsan cuperes Christianè ut ille, ex amore Dei, sed hæc mors pauciſſimorum est: Mori saltem velles ob amorem, sed hæc mors non multorum est: At mori in Amore Divino maximè habituali potes quod omnium electorum est. Porrò ut hoc tibi contingat, ut inquam, moriare morte electorum, vive ut electus, congruant tui mores tuæ professioni, tuæ actiones tuo nomini, qualis enim vita finis ita: Tandem ut in Amoris Divini brachiis moriare, vive in devotione Sanctissimi Patris Iesu Iosephi.

## CAPUT III.

### *De Sepulturâ Divi Josephi.*

NOSTRÀ parùm interesse fortè dixeris ubi jaceant corpora animæ & sensus expertia & perinde esse seu humi seu seu sublime putrescant: hocque sensu aiebat Seneca epist. 92. *Neminem de supremo officio rogo, nullis reliquias meas commendo: ne quis insepultus esset rerum natura prospexit, quem sevitia projecerit dies condet: diserte Mœcenas ait, nec tumulum curo, sepelit natura relictos.* Sed hoc Ethnicum suum sapit, idem sapient omnes qui de statu rerum humanarum post mortem incerti, de immortalitate animæ & corporum resurrectione aut nihil parum credunt. I.

Verùm sicut hæc extremitas quæ in defectu consistit, quæque incuriam sepulturæ corporum immortalis animæ quondam sedium, illique aliquando reuniendarum laudat fugienda est. Ita altera quæ in excessus est prorsus damnanda: quam etiam damnat Sacra Scriptura 2. Paralip. cap. 16. vers. ult. dum ait Asæ Regis defuncti corpori unguenta meretricia, quæ erant pigmentariorum arte confecta fuisse affusa *ambitione nimiâ*. II.

Talis quoque fuit Neronis Imperatoris prodigalitas in funere Poppeæ amoribus simul & facinoribus suis parentantis, qui in ejus corpore condiendo plus incendit aromatis, quàm anno toto potest ferre Arabia. Talis Judæorum ævo Iosephi Judæi, quos ipse carpit, quod exequiarum & sepulturæ sumptus apud eos adeò excrevisset, ut plerumque corpora insepulta relinquerentur, eo quod hæredes ferendis expensis pares non essent. III.

Laudanda illorum modestia, qui sibi magnifica potuissent ponere sepulchra, humilitatis Christianæ memores, modesta elegerunt: Celebris est inter illos apud nos Ratherius ex Leodiensi Episcopo & Principe, ad privatam vitam devolutus mirâ fortunæ varietate, qui sepulturam quidem curavit, sed sepulchro suo id unum inscribi voluit, IV.

voluit, *Conculcate pedes hominum fal infatuatum.* Ita Baronius ex Historiis Leodiensibus ad annum 954. apud Hispanos Ferdinandus Nonnius è primariâ Guismannorum familiâ totam vitam cœlebs, qui moriens anno 1552. ne nomen quidem suum sepulchro suo incidi voluit sed hoc solùm: *Maximum vitæ bonũ mors.* Ita quoq; innumeri alii, qui licet decenter, modestissimè tamen tumulari voluerunt: decenter propter fidem immortalitatis & spem Beatæ Resurrectionis, modestissimè verò propter virtutem humilitatis.

V. Medium ergo hoc tenendum, ut sepultura non negligatur more timidorum, nec etiam nimium curetur more tumidorum. Hoc semper caverunt omnes omnium sæculorum fideles, ut constat ex innumeris Scripturæ locis, & repetitis ab Abrahamo exemplis, qui Genes. cap. 23. Siclis 400. locum emit sepeliẽdo Saræ uxoris suę demortuæ corpusculo. Nominatim pro magno ab Iudęis habitum in terrâ promissâ, in sepulchris Patrum, aut propè Sanctorum virorum corpora, sua sepeliri. Ideò Jacob Patriarcha in Ægypto mortuus, adjuravit filium suum Joseph Pro Regem, ne in Ægypto cadaver ejus conderetur, sed in terram Chanaan transferretur, Genes. cap. 47. cujus exemplum & ipse Joseph filius ejus postea imitatus est, Genes. cap. 50. Ideò Prophęta Bethelicus apud ossa alterius Prophetæ cadaver suum reponi voluit 3. Reg. cap. 13. Quare Machabęorum cap. 5. pro insigni Dei ultione Jason Apostata, & refuga Legum dicitur patrio privatus sepulchro.

VI. Mortuo igitur Sanctissimo Patre Jesu Josepho dum ejus anima in Lymbo Sanctorum Patrum recipitur, ibi expectatura cum reliquis Redemptionem à filio suo brevi fiendam (de cujus approximatione boni novi nuncius eos certificavit & lætificavit) corpori conjugis & Patris exangui sepulturaà Virgine Sponsâ & filio deligitur: Quæstio est ibi illa sepultura?

VII. Isidorus, Isolanus relatus à nostro Gratiano lib. 3. vitæ Sancti Josephi citat quandam historiam Orientalem, ex quâ asserit D. Josephum sepultum apud Patrem suum Iacob, ob id fortè quod moris esset apud Hæbreos, ut filii sepelirentur, vel in, vel propè sepulchrum Patrum suorum. Sed tunc potius sepeliri debuisset apud Heli patrem suum legalem, eò quod, ut docuimus suprà, hic magis censebatur Pater ejus, quam ille qui eum genuerat: Secundò, quia hoc non solvit quæstionem, dicendum enim erat ubi erat sepulchrum Patris Divi Josephi, ut sciremus ubi fuerit sepulchrum filii. Quare cum non satisfaciat Responsio Isolani, aliam quæramus.

Communis est opinio esse in Valle VIII.
Iosaphat. Sed Pater Bollandus sive Papebrochius in actis 55. mensis Martii tomo 3. in Sancto Iosepho § 2. disputat de modo quo in Valle Iosaphat sepeliri potuit & ita resolvit. Nec abest à verisimilitudine mortem Divi Iosephi sic fuisse divinitus dispositam, ut in illud inciderit tempus anni, quo secundùm consuetudinem diei festi Hierosolymam adoraturus ascenderat cum uxore & filio, ut, quod Hebræis maximè erat in votis, inferri posset majorum sepulchris, ad quæ aliàs tenuis, imò nullius fortunæ homo, non fuisset facilè ex Galilæâ post mortem advehendus: funus enim more vulgi parum operosè curarum fuisse nobis persuademus. Hæc ibi Bollandus.

Ego verò ex hoc probabilius esse IX.
existimo Divum Iosephum, Mariam & Iesum saltem aliquo tempore antequam inciperet se Jesus manifestare mutasse domicilium, & relictâ civitate Nazareth Ierusalem venisse ut ibi habitaret, maximè verò post mortem vel exilium Archelai, cum ille solus fuerit in causâ, cur redeuntes ex Ægypto ibi sedem non fixerint commodiorem ipsis futuram, maximè propter Religionis exercitium, & Templi frequentationem: tum etiam quia non videtur probabile, quod Iesus è Galilæâ veniens derepente se manifestarit, maximè quod à tempore suæ manifestationis, non amplius fabrilem exercuerit, qui tamen ab Hierosolymitis ut à Galilæis pro fabro notus, Faber & Fabri filius nuncupatur.

Sed quidquid sit de hâc controver- X.
siâ, & sive hoc quod dixit Bollandus volueris, sive nobiscum censueris, sive etiam

etiam Nazareth mortuus inde cum aliquâ expensâ advehi debuerit certum est sepulturam Divi Iosephi esse in Valle Josaphat ut docent Beda & alii communiter.

XI. Sed iterùm P. Bollandus cum sociis suis nec in ipsa Valle Iosaphat, inquit, satis liquet de loco sepulturæ: nam ex Quaresmio Sancti Josephi monumentum juxta scalas per quas ad Virginis sepulchrum descenditur, cum veneratione visitur ex opposito SS. Joachimi & Annæ in peculiari sacello: & tamen Adamnanus ita loquitur: In Valle Iosaphat, non longè ab Ecclesiâ Sanctæ Mariæ, Turris Iosaphat monstratur, in quâ ipsius Josaphati sepulchrum cernitur, cui videlicet Turriculæ quædam lapidea domus ad dexteram cohæret partem de rupe excisa, & separata Montis Oliveti, in quâ intrinsecè ferramentis cavata duo monstrantur sepulchra sine aliquo ornatu, quorum unum illius Simeonis Justi est, qui infantulum Dominum Iesum in Templo ambabus manibus amplexus, de ipso prophetavit: alterum verò æquè justi Ioseph Sponsi Sanctæ Mariæ, & Domini Jesu nutritoris. Hęc Bollandus ex Adamnano.

XII. Sed hîc ingentem valdè passi sunt Authores hallucinationem quam benè obsservavit Pater Bollandus, nam Kalendaria Coptica ad 20. Iulii festum Divi Iosephi referunt, & in eo quidem quod est apud Seldenum libro *de Synedriis Hebræorum*, ad calcem additur *Fabri Lignarii*: & Isidorus Isolanus 4. part. cap. 9. scriptor ante annos 150. testatur Catholicos Orientis consuevisse eum diem ad nostri honorem Iosephi ingenti cum veneratione agere; quos secutę sunt diu aliquæ Ecclesiæ in Italiâ, de quibus Masinus in Boloniâ illustratâ. At verò omnes Martyrologi Latini post Adonem, Romanum etiam Martyrologium isto die, hoc est 20. Iulii festum Iosephi Iusti qui in locum Iudæ proditoris unà cum Matthiâ ad Apostolatum propositus fuit, recolunt: Iosephum autem Virginis Sponsum concorditer ponunt ad decimam nonam Martii. Quare dicendum, quod uti diem, sic & personam confuderunt Orientales illi, & qui eos sequuti sunt: Proindeque Iosephum illum qui cum Simeone Sene in Domo Turriculæ Iosaphat adjacenti sepultus invenitur, esse Josephum Iustum cum Matthiâ ad Apostolatum Iudæ Proditoris obtinendum propositum, nostri verò Iosephi Sepulchrum esse juxta Scalas per quas descenditur ad Virginis Deiparæ monumentum, ut aiebat apud P. Bollandum & Socios suos num. præcedenti Quaresmius.

Confirmatur quia probabilius est XIII. Beatam Virginem dilectissimum suum Conjugem ibi sepeliri voluisse, ubi & ipsa postmodum sepeliri volebat, vel etiam ipsam ibi sepeliri voluisse ubi illum sepelierat, videlicet non longè à charissimis Parentibus suis Sanctis Joachimo & Annâ, ut quomodò in vitâ suâ dilexerant se, ita & in morte non essent separati: At ex omnibus Beata Virgo sepulta fuit in valle Josaphat, non ad Turriculam Josaphat, sed ad Scalas ubi adhuc hodie visitur Sepulchrum ejus, ibi ergo Divus quoque Josephus ejus Sponsus sepultus.

Sed quid rationes quærimus ubi ex- XIV. perientia rem probat. Visitur enim usque hodie ibidē non longè à sepulchro Beatæ Virginis, ac in eâdem Ecclesiâ in Valle Josaphat Sepulchrum hujus Sanctissimi Viri, attestante Venerabili Bedâ de Locis Sanctis tomo 6. Buchardo in Descript. Terræ Sanctæ primâ parte cap. 7. §. 45. quos citat P. Suarez tomo 2. in 3. part. D. Thomæ quæst. 37. art. 4. disp. 21. sect. 2. & Ribadeneira in Florib. Sanctor. 19 Martii in Sancto Josepho. Idemque testatur R. P. Bartholomæus des Champs Leodiensis ex Ordin. PP. Min. Recollectorum nuper à peregrinatione ad sancta Loca reversus, in Itinerario suo Terræ Sanctæ Gallicè conscripto, cap. 17. sect. 4.

Ut porrò rem totam enucleemus XV. juvat eundem P. Bartholomæum des Champs audire. Vallis Josaphat, inquit, aliis vallis Regia, aliis verò vallis Judicii quod in illâ ex Prophetiis Joëlis & Ezechielis ultimum Judicium habendum credatur, non valdè distat ab Jerusalem, fortè trecentis passibus, & ad illam descenditur ab Jerusalem per portam Sancti Stephani versus Septentrionem,

ita nuncupatam, quod per eam Sanctus Proto-Martyr transierit dum ductus est ut lapidaretur à Judæis. Sita est inter duos montes, Oliveti unum ad Orientem, & Moria alterum ad Occidentem, eamque mediam præterfluit torrens Cedron. In ipso vallis limine versus Jerusalem est Ecclesia à Sanctâ Helenâ constructa, nuncupata Ecclesia Sepulchri Beatæ Virginis, in quâ post decem passus ab introitu occurrit scala ex marmore albo quadraginta novem graduum habentium viginti pedes in longitudine, duos in latitudine, per quam scalam descendendo in ejus medio ad dextram versus Orientem, invenitur Oratorium seu Capella duobus Altaribus ornata, sub quibus servantur distinctè ossa Sanctorum Joachimi & Annæ Parentum Virginis Deiparæ: Paulò inferius ad levam versus Occidentem alia item Capella similis priori, nisi quod in eâ unicum tantùm est Altare structum super Sepulchrum Sancti Josephi Beatæ Virginis Sponsi dulcissimi: & inferius, in imo scalæ seu graduum crypta, sub cujus Ara quæ est major istius Ecclesiæ est Sepulchrum Beatæ Virginis. Ita dictus Pater Bartholomæus des Champs sparsim per caput 17. dicti Itinerarii sui Gallicè conscripti.

XVI. Ibi ergo, ubi hodie adhuc visitur Sepulchrum Divi Josephi, scilicet paulò post medium istius marmoreæ scalæ, & inter Sepulchra Sponsæ ejus infernè, & Sanctorum Ioachimi Soceri & Annæ Socrus suæ supernè tumulatus est Divus Iosephus: sed à quo nisi à Iesu dilecto Filio suo? Quis ita unquam honorificè? sed quis ita mirificè? hic enim corpus ejus Sanctissimum in loculum deponens, ei benedictionem suam impertitus est, à quo accepit ut integrum & incorruptum permaneret prout de facto permansit.

XVII. Sactatissimo interim huic Sepulchro quondam exuviarum hujus Sanctissimi Patriatchæ Reconditorio Epitaphium pono non valdè absimile ei quod Rachelis sepulchro. Huic Vir suus Jacob duodecim Tribuum Pater ex Hebræorum relatione superposuit Pyramidem à duodecim lapidibus propter Tribus illas duodecim in eâ infixis conspicuam, licet enim ab hac non descenderēt omnes, omnes tamen ut Matrem quia communis Parentis Conjugem honorabant. Ita nos quoque Divi Iosephi Sepulchro Epitaphium ponamus simile, Pyramidem dico, quæ figura æternitatis est, ad memoriam ejus hîc æternam; Triangularem, quia ut omnium Patronus complectitur Hebræos, Græcos, Latinos, insculpto in angulis ejus, angulari lapide Christo ejus Filio, qui fecit utraque sive tria unum: Esto enim ipse eum non genuerit, honorandus tamen ut ipsius Pater, quia ex Conjuge suâ genitus de tempore Conjugii sui.

## CAPUT IV.

### *De Reliquiis Divi Iosephi.*

I. Sanctorum Reliquias Defunctorum sancta per orbem terrarum veneratur Ecclesia. Harum duo sunt genera. Primum, sunt eorum corpora partesve corporum, Ossa, Sanguis, Crines ipsi, ac Capillorum segmenta, cum ne illorum unum in terram cadere constet, nisi ex Patris Æterni voluntate. Alterum genus in illis rebus consistit quibus ipsi dum viverent usi sunt, vel quæ eorum contactu aliquid venerationis acceperunt, cujusmodi sunt vestes, indusia, instrumenta supplicio-rum Martyribus irrogatorum, Catenæ quibus constricti sunt, strophiola, sudaria corpori vel ossibus Sanctorum admota, flores tumulis aspersi, lapides vel etiam pulvis ipse de eorum sepulchris acceptus: nam ut ait Divus Gregorius Nyssenus orat. de Sancto Theodoro. *Pro munere pulvis accipitur.* De his postremis primò; postea de prioribus.

II. Reliquiarum Divi Josephi hujus secundi generis nonnullæ reperiuntur: Inter illas est Annulus quem dedit Beatæ Virgini Sponsæ suæ dum eam sibi deponsavit, cujus possessione felix se Perusium Civitas Umbriæ in Italiâ credit & servat religiosissimè ac cautissimè in summo Templo Sancto Laurentio

Laurentio sacro, in Capsellâ aureâ sub undecim clavium firmâ custodiâ, quæ à totidem Viris Urbis Primariis servatur.

III. Circumferuntur & alii annuli sponsalitii, de quibus postea, sed hic inter omnes famam obtinet firmam, & toto orbe celeberrimam: veritatē ejus subsecuta revelatio, revelationem illius sublecuta sine numero miracula, & solidæ in populo pietatis fructus magis probant, quàm eorum fides per quos est translatus.

IV. Nam qui primus ipsum in Italiam attulit tempore Hugonis Comitis defuncti sæculo undecimo anno primo, fuit quidam ab Hierosolymis Gemmarius qui Clusino cuidam Raynero nomine (ad rariora in hoc genere cimelia Romæ coëmenda à Judittâ Hugonis uxore talium deliciarum curiosâ destinato) citra pretium obtulit nobile hoc auctarium supellectilis preciosæ ex Oniche lapide in Palestinâ satis communi tornatum.

V. Donum Raynerius cæteris gemmis ex fide ad Comitissam delatis decennio integro neglectum occuluit: cùm unicus filiolus ei moritur, atque in Divæ Musthiolæ Ædem illatus ad tumulum tantisper reviviscit, dum quam ob culpam eripiatur Patri, quanti pretii thesaurus apud eum lateat, coram omnibus aperuerit, & rursum placidè se componit ad mortem postquam annulum prolatum à Patre serò pœnitente obtulisset Curioni, & accurrentem ad sonum pulsatarum, nullo trahente campanarum, multitudinem arcendam monuisset.

VI. Crevit sacro pignori reverentia quando haud ita multò post Waldrada sanguinis Regii mulier temerè illud digito inseruit annulari, cumque incurabiliter arefactum reduxit, quæ res in concursu populi contigit dum adhuc Clusii annulus iste existerer, cujus exemplo superiori sæculo cautior alius cui Arca ad custodiam ejus confecta, cōmittebatur repurganda, Contulus de Cōtulis nomine, profanas ab eo manus abstinuit, & Sacerdotem exoravit qui sacro annulum excepit Calice: nec ausus quamvis rogatus digito explorare magnitudinem, orbiculi figuram molli maluit excipere cerâ: quam deinde ceram coxendici admotam idem Contulus, nunquam non expertus est salutarem ischiadi quâ crebrò laborabat depellendæ.

VII. Sed hæc acta Perusi quo non ante annum 1477. delatum hoc pignus eoque Clusini spoliati sunt per furtum (piumne an impium?) Wintherii cujusdam de Germaniâ Minoritæ, qui statō anni die populo venerabundo annulum exhibiturus ex aureâ catenulâ pendulum, postquam eo officio ritè perfunctus est, simulavit se recondere in arcâ annulum, quem furtivè in manicam demittebat: sed clam subfugiens cum illo fluvio superato, tantâ subitò caligine circumfusus est, ut isthîc ei permanendum fuisset; nisi capto in arenâ consilio lumen ab exoratâ Virgine impetrasset; quo præeunte, & sequente caligine, Perusium ductus cùm eâdem se nebula per dies omninò viginti toti offudisset urbi, tandem protulit quod occultatum volebat, & simul optatam reddidit populo mirabundo Cœli serenitatem. Deinde cùm sacrum annulum in jus Senatus populique Perusini transcripsisset, non modò impunitatem facti, sed & præmia obtinuit, præ quibus facilè contempsit Clusinorum minas: qui ubi neque per suos, neque per Senensium Sociorum Oratores, petitam restitutionem persuaserunt, viderunt que Perusinos tanquam de re suâ decernere, ut ferreæ arcæ duplici sub multiplicis seræ custodiâ reciuderetur, & ter in anno maximâ cum lætitiæ testificatione productus populo ostenderetur, tandem ad arma prosilierunt, sciſſaque est in partes vicina Umbris Hetruscisque Italiâ, donec Sixtus IV. decrevit Romam ut transferretur, quasi dignius in urbe totius Religionis Matre habendus, quam ubi tantas ciebat turbas.

VIII. Sed mortuo Sixto IV. denuò cognita est Perusinorum causa sub Sixti successore Innocentio VIII. & Civitati Perusinæ, quam sibi Pontifex conciliatam volebat, pronubus Virginis annulus adjudicatus anno 1486. tantâ totius populi gratulatione, ut explicari nequeat: quæ omnia uberrimè prosequitur Joannes Baptista Laurus

Perusinus, libellumque de totâ hâc re Romæ excusum anno 1621. in hunc modum concludit.

IX. Cæterùm quo perennaturi apud Perusinos annuli cultus longè latèque propagaretur ab Ædiculâ Palatinâ digniorem in locum Patres transferendum censuerunt, non tam sponte suâ, quam hortatu Patris Bernardini à Monte Feltrio laudatissimi eo tempore Ecclesiastæ, qui cùm annuli istius dignitatem magnis extulisset laudibus, & collapsam retro observantiam multò flagrantius revocandam docuisset, dictis mox obsequentem Senatum habuit: Qui ornatissimum Sacellum in Basilicâ Sancti Laurentii, quâ muro picturato, ac cælatis asseribus conclusum, quâ ferreis polis & cratibus magnificentissimo sumptu extruendum curarunt. In summo hujus hastati propugnaculi ductâ circum fasciâ hi extant descripti versus:

*Hic sociata suo colitur Regina marito:*
*Et facili justas accipit aure preces.*
M. D. XI. Deinde hi
*Hâc sacer intactæ Matris jacet annulus Æde,*
*Qui dedit est Custos muneris ille sui.*

Alludendo ut puto statuę Divi Josephi quam ad aræ annularis dexteram erexit & collocavit Senatus Perusinus ut infrà num. 14.

X. De hoc annulo Sacratissimo sic olim cecinit Urbanus VIII.

*Imbriferis arcus fulgens in nubibus orbem*
*Effera diluvii damna timere vetat,*
*Sic Deus omnipotens voluit: decus annule majus*
*Est tibi, quem supplex urbs Perusina colit.*
*Is gemino constans arcu fœlicior index,*
*Nam peragit Virgo hoc nupta salutis opus.*
*Virgineo terræ conjungens fœdere Cœlum:*
*Hoc Duce non Pelagi non Stygis unda nocet.*

XI. Solent verò Matronæ conflatos ex ebore aliâve materiâ annulos alios illius attactu sacrandos Perusium afferre vel mittere in partu profuturos. Reconciliandis quoque conjugum dissidentium animis, plurimùm valere multoties expertum est domesticæ pacis suavissimo fructu obtento eliminatâ discordiâ. Lignea etiam theca in qua fuerat olim sacra gemma servata, in Jordaniorum Ædibus incendio correptis sola mansit inviolata ab igne: eductum verò ex illâ gossypium ne profanis adhiberetur usibus, digitos id conantis instar ignis sepiusculè adussit.

Denique innumeri à dæmonibus XII.
oppressi, possessi, obsessi, confugientes ad sacrum Altare, ubi hic annulus servatur, liberi redierunt.

Dices hic annulus quamvis aliquando Divi Josephi, ut potè ab eo Virgini datus, ex quo tamen per desponsationem factus est Virginis, potiùs inter reliquias Beatæ Virginis, quàm Divi Josephi accensendus est, & à Virginis attactu & usu habere, quod eâ virtute patrandorum miraculorum præditus sit. Respondeo sit ita, non enim negari potest à solo Virginis contactu virtutem mirificam trahere potuisse; sed cùm annulus iste verè fuerit sponsalitius, à Divo Josepho Virgini Sponsæ in ipsâ ejus desponsatione in spiritu traditus, idest cum protestatione expressâ servandæ inter se inviolabiliter virginalis integritatis (quam etiâipse, ut illa, supra homines inviolatam servavit) eumque eâtenus Virgo Beata acceptarit & gestarit, non apparet quare hic annulus sub hac ratione consideratus, non potuerit movere Deum ad ea miracula per eum facienda, quæ facta fuisse scribuntur. Proinde illa miracula quæ ad annulum istum Perusinum tanquam primarium, deinde ad alios Parisiensem, Aquicinctinum, & Semimurensem, de quibus infra, facta feruntur, non solum annulo isti quia à Divâ Virgine gestatus est, sed etiam quia à Divo Josepho in pignus & arrham virginalis in conjugio fidei datus, & à Divâ Virgine acceptus, attribuenda. XIII.

Adstipulari videtur huic nostræ co- XIV.
gitationi versus hic eidem appositus,

*Hic sociata suo colitur Regina Marito,*

ex duobus à nobis supra relatis quos Senatus Perusinus in dictâ circum annuli conditorum fasciâ describi voluit.

Deinde

Deinde etiam quod idem Senatus voluerit Sanctissimo Patriarchæ ad Aræ annularis dexteram erectam & collocatam elegantem statuam, quæ die Martii vndevigesimâ annuâ cum Supplicatione in forum producitur, institutâ etiam sæcularium Insignium Societate Sancti Josephi nuncupatâ, quæ unà cum Laurentiano Clero perpetuum famulatum annulari Sacello exhibeat. Et hæc de Perusino, ante Clusino annulo: Nunc de aliis.

XV. Gerson Cancellarius Parisiensis in suâ Iosephinâ distinct. 5. littera F. in fine, & in Exhortatione ad Ducem Bituricensem factam anno Domini 1413. eo fine ei factâ ut impenderet se pro obtinenda solemnizatione Festi Sanctissimi Josephi Virginalis Sponsi Beatæ Mariæ quæ extat 4. part. Operum ejusdem, scribit Parisiis in majori Templo servari duplicem annulum sponsaliorum Beatæ Virginis cum Divo Josepho confertâ utrique suâ gemmulâ.

XVI. Matthias Naveus verò Doctor Duacenus lib. cui titulus Sponsus Virginis decoratus coronâ 31. gemmarum, &c. orat. xj. paulo post initium ex Molano in Natalibus Sanctorũ Belgii 16. Octobris, Ferreolo Locrio lib. 5. de Mariâ Augustâ cap. 31. Gazeo, Carthagenâ, P. Antonio Balinghem in Inventario sacrar. Reliquiar. Dominæ nostræ sect. 9. cap. 3. & Carolo Stengelio Benedictino lib 3. de Reliq. D. Deiparę cap. 16. ultra annulum Perusii servatum meminit adhuc duorum aliorum, quorum unum asservatur in Monasterio Aquicinctino Ordinis Sancti Benedicti in Belgio inter Duacum & Valencenas, nominatum etiam Sponsalem, quem tamen, inquit, attentâ ejus magnitudine ac reliquâ formâ difficulter Beatissimæ Virginis annulum credes, & hic est non ex cupro deaurato, ut aliqui voluerunt, sed juxta plurium Aurificum, ejusdemque Monasterii Religiosorum testimonium, ex auro puro quamvis sub-pallido, ad cujus contactum vel præsentiam multa, præsertim ad puerperiorum prosperitatem insignia ac manifesta præstantur beneficia. Et licet Medici aliqui gemmarum quarumdam applicatione quas ejusdem virtutis existimabant, idem operari conati sint, id tamen frustra. Extantque in eodem Monasterio litteræ pervetustæ Philippi Austriaci Comitis Flandriæ vernaculâ linguâ conscriptæ, quibus dictum Monasterium intuitu Annuli Beatæ Virginis in tutelam suam cum omnibus ejus bonis suscipit, sicut & ante illum, ut ibidem ipse commemorat, fecerat Avia ejus Duciſſa Isabella, præciosæ ejusdem Reliquiæ intuitu, ad cujus præsentiam Dux Avus ejus à febre quadrienni relevatus, sanatusque fuerat.

Alterum verò annulum dicit Matthias Naveus servari in Prioratu Semimurensi in Burgundiâ, qui etiam ille dicitur quem Deipara Virgo à Beato Josepho Sponso arrhabonem accepit, miraculis etiam illustratus. XVII.

Extant igitur ex dictis, quinque annuli sponsalitii Beatæ Virginis. Primus illeque mihi certissimus Perusinus, Duo Parisienses; Quartus Aquicinctinus; Quintus Semimurensis, & illi omnes miraculis clari: quamvis omnium clarissimus Perusinus. Quid ergo hic censendum? XVIII.

Divus Isidorus lib 2. de Officiis Ecclesiasticis cap. 19. & Divus Clemens Alexandrinus Pedagogii lib. 3. cap. 11. docent antiquitus non fuisse moris amplius quàm unum annulum dari Sponsæ à Sponso in desponsatione, & ideò annulos reliquos, ut superfluos, vanos, imò incongruos, à muliere nuptâ esse abjiciendos, cùm juxta Sapientem honestas disciplinæ ornamentum potiùs illi esse debeat. XIX.

*Illud verò*, inquit Isidorus, *quod imprimis annulus Sponsæ à Sponso datur, fit hoc nimirum, vel propter mutuæ fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur: unde & quarto digito idem annulus inseritur, quod in e vena quædam (ut fertur) sanguinis ad cor usque perveniat: Antiquitus autem non amplius uno dabatur, ne pluralitatis amorem unicus caperet.* XX.

Divus verò Clemens Alexandrinus cumulando addit gravissimè. *Nobis enim pulcherrimè Divinus præcepit Apostolus ut IESVM Christum induamus, & necarnis curam geramus in desideriis: prohibet autem verbum ne auriculas fau-* XXI.

*ciemus vim naturæ afferentes, cur non enim itidem narem? ut illud etiam impleatur quod dictum est, quemadmodum inauris in aure suis, ita improbæ fœminæ pulchritudo. In summa enim si quis auro ornari existimet, is est auro inferior, qui est autem auro inferior, is non est ejus Dominus. Se autem Lydio ramento, minus esse honestum, & inferiorem fateri, quomodo non est absurdissimum? Quemadmodum ergo polluitur aurum suis immundiciâ cœnum rostro suo conturbantis, ita quæ sunt paulò magis luxui deditæ mulieres, si à nimiis copiis incitentur ad libidinem & impudicitiam, probro ac dedecore veram pulchritudinem afficiunt, eam inquinamentis veneris polluentes. Dat ergo eis annulum aureum, nec eum quidem ad ornamentū, &c.* Quæ ibi acriter prosequitur S. Clemens.

XXII Cùm ergò propter amoris unitatem, ut unicus sponsus sponsam amet unicam, sponsalem annulum unicum esse voluerit tota Antiquitas, quomodo ergò erunt dati à Divo Josepho Sponsæ, quâ nulla purius vel cordialius amata, quinque annuli sponsales? Deinde esto non esset inter illos nisi unus sponsalis, unde quatuor alii Beatæ Virgini modestissimæ, pudicissimæ, ac inter mulieres benedictæ? Ne unum quidem ad ornatum approbat Divus Clemens Alexandrinus in muliere pudicâ, quomodo ergo quatuor reliquos à Perusino in Virgine pudicissimâ admittemus.

XXIII Sed interim quid dicemus de antiqui temporis traditione, de vicinorum populorum communi devotione, præcipuè verò de supernis ac frequentibus quæ ad reliquorum annulorum præsentiam vel contactum præstita sunt beneficiis, quæ non videntur pati negationem? Respondeo potuisse id inde provenire quod cum hi fuerint cusi ad repræsentationem primarii illius idest Perusini, illi admoti, vel inserti, ac per ejus contactum sacrati, ab hoc traxerint, ut potuerunt, ac cedente piorum fidelium fide & devotione permagnâ, Deoque pietati velificante vim faciendi miracula. Et hæc de annulo D. Josephi.

XXIV. Quoad alias secundi generis ejus Reliquias fama fuit extare Aquisgrani (quæ Civitas est Imperialis in Diœcesi nostrâ Leodiensi à Caroli Magni Imperatoris sede ibi fixâ nobilis) ejus caligas. Sed post factas ex ipsâ Ecclesiâ Imperiali Aquisgranensi diligentes perquisitiones nullum de iis authenticum testimonium extare intellexi: sed solùm inter pretiosissimas Reliquias ab eodem Carolo Magno ex Jerusalem illuc allatas, statis exhiberi temporibus, ordinariè de septennio in septennium, pannos aliquos nomine primarum Christi fasciarum, quibus in Stabulo Bethleemitico involutus est, quæ ab antiquo habentur pro caligis Divi Josephi: quosquè pannos qui viderunt, Tibialia potius viatoria, seu Perones, quam Caligas vel Tibialia propriè dicta judicarunt, quibus Beatissima Virgo puerpera, aliis deficientibus, uti coacta est ut Regem Cœli & terræ in terris natum infasciaret: nec incredibile hoc, cum Divus Bonaventura referat ex revelatione fide dignâ in Meditat. vitæ Christi Beatissimam Virginem linteaminibus similiter deficientibus coactam uti velo capitis sui. Nimirùm ut ibidem docet Seraphicus Doctor ex Divo Bernardo: *Hanc paupertatem servavit Beata Virgo Mater & filius Dei. Non sunt stabulum dedignati, non bestias, non fœnum, non cætera vilia: ô pauper! ô inops! ò primus & novissimus! Hospes in diversorio, pauper in præsepio, fugit in Ægyptum, sedet in asinò, cum pauperibus offertur in Templo, & nudus suspenditur in patibulo.* Sicut igitur in Paradiso voluptatis Deus operuerat Adam & Evam, ita in vices reciprocas in stabulo Bethleemitico, seu etiam in hâc valle lachrymarum operiunt ipsum ad istorum miserias devolutum in gradu eorumdem restituti Joseph & Maria: ut & sub jure ac protectione parentali utriusque, ac velut utriusque filium ab utrisq; pariter confovendum se nasci Christus hâc ratione indicaret.

Extat quoque pallium Divi Josephi XXV. oblongum satis & subflavi coloris, cujus una pars religiosissimè asservatur & visitur Romæ in Ecclesiâ Sanctæ Anastasiæ, illudque à se ibidem visum mihi testati sunt viri è nostris fide dignissimi, adstipulaturque Matthias Navæus

væus Doctor Theologus & Librorum Censor Duacenus opere citato titulo 27. & Josephus Geldolphus à Ryckel in suo Philacterio ex Reliquiis Sacris JESU, Mariæ, Joseph. Altera pars itidem Romæ in Ecclesia Sanctæ Ceciliæ trans Tiberim, ut tradit Octavius Pancirolus.

XXVI. Ex hoc Pallio non contemnendam particulam quam Cardinalis Ginettus dono dedit Patribus nostris Excalceatis Antuerpiensibus (cujus laciniam accepere ab his Leodienses) sub tribus clavibus ibi diligentissimè asservatam, quam non sine devotionis excitamento plebi frequenti venerabundæ ostentant in Natalitiis Christi Domini feriis.

XXVII. De Pallio Sancti Martini Turonensis Episcopi scribit Ribadeneira ex aliis in fine vitæ ejus, quod in castris illud ferri præcipiebant olim Galliarum Reges, tunc cœlo plus quam viribus suis confidentes, maximè cum bellum arduum illis incumberet, nec sine effectu & frequenti & miraculoso. Si hoc pallium Sancti Martini, quid pallium D. Josephi? Certè si ad bella nostra maximè contra Ecclesiæ & fidei hostes processuri Divi Josephi pallio tanquam vexillo inimicis Dei terrori futuro uteremur, vel etiam spiritualius loquendo sub ejus patrocinio ad bella nostra procederemus, non absimiles effectus, immò majores, & certius quidem sperare possemus, maximè verò si milites nostri eâdem fide armati, vitiis quibus id hominum genus fœdissimè scatet abstinerent.

XXVIII. Extare Romæ in Ecclesia Sanctæ Ceciliæ trans Tiberim Divi Josephi scipionem seu baculum, quo in itineribus suis usus est, scribit Octavius Pancirolus. *Augeri* verò in suo libro Gallicè conscripto, cui titulus, *L'Epiphanie de Saint Joseph*, eum dicit esse Camberii in Sabaudiâ: nihil vetat fuisse duos quorum unus sit hic, alter ibi. Et hæc de Reliquiis Divi Josephi secundi generis.

XXIX. Reliquiarum primi generis ideſt corporis ejus partes, caput, brachia, ossa, pedes, &c. nullæ reperiuntur extare in terris, quare P. Bartholomæus des Champs, in suo itinerario Terræ Sanctæ loco supra citato, dum loquitur de sepulchris in scalâ illâ marmoreâ, per quam descenditur ad Cryptam, in quâ est monumentum Deiparæ Virginis, extantibus, de sepulchris, inquam, Sanctorum Josephi, Joachimi & Annæ dicit in his duobus postremis sepulchris servari distinctè ossa Sanctorum Ioachimi & Annæ. De Divo Josepho autem, ut & de Deipara dicit tantùm ibidem horum extare sepulchra. Quare cum nullibi reperiantur, signum est ipsum proculdubiò in corpore & animâ ad cœlos ascendisse, de quo uberius capite sequenti.

Quare quod dicit Beyerlinck tom. 5. Magni Theatri Mundi unum digitum Divi Iosephi Beatissimæ Virginis Sponsi servari in Monasterio Andagensi Sancti Montis Diœcesis Augustanæ in Superiori Bavariâ, caret omni probablitate. Tum quia in corpore & anima in cœlum assumptum magni nominis Authores & ineluctabilibus probant argumentis: tum quia si non resurrexisset, non unus solus de toto corpore tam Sancti Viri inveniretur digitus. XXX.

## CAPUT V.

### *De Divi Josephi Incorruptione, Resurrectione & Assumptione in Cœlum.*

PHILOSOPHUS quidam Ethnicus Divi Pachomii multorum millium Monachorum Patris synchronus, Sacræ Scripturæ indagator curiosus non studiosus, ab eodem Sanctissimo Archimandritâ postulavit sibi mitti, qui nonnulla sua dubia circa Scripturam solveret, cui ut satisfaceret Pachomius omnibus se æstimans debitorem, & omnes Christo lucrifacere exoptans, duos misit è monachis suis insignes, in quibus Theodorum quemdam ab annis quatuordecim virtutis & scientiæ sacræ alumnum, & in iis versatissimum: Cui à Philosopho propositæ tres quæstiones: Prima, quis non natus & tamen mortuus? Secunda, quis I.

natus

natus & tamen non mortuus? Tertia, quis natus & mortuus, non tamen corruptus?

II. Ad hæc quæsita licet plus curiosa quàm fructuosa, Respondit tamen Theodorus, nec cum minori acumine, quam proposuerat vanus Philosophus. Ad primum, Adamum non natum (fuit enim à Deo immediatè creatus) mortuum tamen, ut constat, immò a quo in omnes homines mors pertransiit: Ad secundum, Enoch natum ex patre Jared, non tamen mortuum, ut enim dicitur Genes. cap. 5. *Ambulavit Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*, anno scilicet ætatis suæ 365. Ad tertium, Respondit ex Genes. cap. 19. uxorem Loth ex curiositate ei prohibita respexisse retro abominandæ Civitatis incendium & gentis excidium, & ideò in pœnam curiositatis versam in statuam salis, adeoque natam & mortuam sed non corruptam, seu putrefactam.

III. Sed bonâ Theodori veniâ hæc ad tertium Philosophi quæsitum solutio quâ ei satisfecit nobis non satisfaceret urgeo enim, ubi nam modò est illa statua salis? Nunquid demùm corrupta est: nunquid materia ejus in alias & alias formas transiit ab illo tempore? Et si ætate adhuc suâ superfuisset Tertullianus (forsan ex vulgi opinione) scripserit, nonne constat vel de Salvatoris sententiâ Matthæi cap. 5. salem ipsum infatuari & evanescere?

IV. Satisfecerit igitur Theodorus Philosopho per suum responsum, responderem ego verbis Psalmistæ psal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, quo textu D. Petrus Actor. cap. 2. vers. 25. 26. 27. 28. 29. 30. & 31. fortiter ac solidè probat Christi incorruptionem & resurrectionem. *Viri fratres*, inquit, *liceat audacter dicere ad vos de Patriarchâ David, quoniam defunctus est & sepultus: & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem: Propheta igitur cum esset & sciret quia jurejurando juravit illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus: providens locutus est de Resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc resuscitavit Deus cujus omnes nos testes sumus.* Christus ergo est ille tertius in quæsito Philosophi natus & mortuus, & tamen incorruptus.

V. Neque hoc tantùm, sed & aliis, quos corruptio non ausa est invadere, contulit incorruptionem, quantò magis ergo Patri suo dulcissimo ac dilectissimo D. Josepho?

VI. Porrò quatuor potissimum ex causis illi præ cæteris post Sponsam suam debebatur incorruptio: Prima quod post ipsum eminebat præ cæteris in dignitate, utpote verè Pater illius cujus ista Mater, eo modo quo diximus part. 2. tract. 2. Secunda, quod non dignitate tantùm, sed & morum ac carnis integritate illos antecellebat. Si enim de Divo Andreâ Corsino nostri Ordinis & Episcopo Fesulano ab Urbano VIII. solemni ritu anno 1629. Sanctorum fastis adscripto, Ecclesia ex Decreto S. Congreg. Rit. in ejus Officio ad Laudes Antiphona ad tertium psalmum canit: *Integer vivens moribus fuit Beatus Andreas, cujus corpus exangue membrorum dissolutionem non novit.* Et de facto á trecentis & amplius annis mortuus integer perseverat ac tractabilis Florentiæ in Ecclesiâ & Conventu suæ Professionis. An non illo & carne & mente purior Divus Josephus? Tertia, quod Iesus ut piissimus filius Optimo Patri parentans ejusque funeri omni dubio remoto assistens corpori ejus exangui statim ut in sepulchro, ubi alia corrumpuntur, depositum fuit, benedictionem suam impertierit, à quâ utpote potentissimâ incorruptionem, quam ei asserimus, accipere debuit. Quarta, eò vel maximè quod ipsum in Resurrectione suâ cum multis aliis SS. Patribus, qui cum eo surrexerunt, non diu post suscitaturus erat. Si enim aliis quibusdam Sanctis, qui tamen non erant surrecturi nisi in fine mundi, tot sæculorum incorruptionem concessit, quantò magis Patri suo non futuro inter mortuos nisi ad tres circiter annos?

VII. Quantùm ad secundam partem argumenti quæ est de Resurrectione & Assumptione ejus in Cœlum, dico resurrexit cum illis quorum post Christi mortem monumenta aperta sunt & qui surre-

surrexerunt & apparuerunt multis, & ascendit cum filio suo ad cœlos in corpore & anima beatus. Ita D. Bernardinus tom 3. Serm. de Sancto Ioseph art. 3. cap. 2. Joannes Gerson Serm. de Nativ. Virg. Isidorus Isolanus 4. part. cap. 2. Viguerius Granatensis de Myst. Incarn. Fonseca in vitâ Christi cap. 9. Suarez tom. 2. in 3. part. D. Thom. quæst. 29. art. 2. disp. 8. sect. 2. Noster Hieronymus Gratianus lib. 5. de Sancto Ioseph tit. 5. Bernardinus Bustensis in Mariali 4. part. Serm. 12. Andræas Soto lib. 3. Sancti Ioscphi cap. 33. Petrus Morales lib. 5. tract. 11. & infiniti alii, recipiturque hodie ab omnibus.

VIII. Colligunt hoc omnes ex illo Matthæi cap. 27. *Multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt, & exeuntes de monumentis post Resurrectionem ejus, venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* In quæ verba Angelicus Doctor D Thomas in Commentariis: *De istis*, inquit, *solet quæri utrum resurrexerint iterum morituri? constat aliquos resurrexisse, ut iterum postea morerentur, ut Lazarus, &c. Sed de istis potest dici quod surrexerunt non iterum morituri, quia surrexerunt ad manifestationem Resurrectionis Christi.* Atqui ex eodem Angelico Doctore in 4. dist. 43 quæst. 1. art. 3. *Ad hoc ut verum testimonium de vera Christi Resurrectione proferrent, congruum fuit quod verè resurgerent semper in corpore victuri, & in Cœlum cum Christo ascendentes corporaliter. Nec eorum Resurrectio propter ipsos accelerata est, sed propter Resurrectionem Christi testificandam, quod quidem testimonium erat ad fundandam fidem Novi Testamenti: unde decentius factum est per Patres Veteris Testamenti, quam per eos qui jam Novo Testamento fundato decesserunt.*

IX. Idem ante D. Thomam censuerat Remigius in c. 27. Matthæi, ubi sic ille: *Incunctanter credere debemus quia resurgente à mortuis Domino surrexerunt, ascendente eo ad cœlos, & ipsi pariter ascenderunt.*

X. Divum Thomam & Remigium in hac opinione præcesserat antiquissimus Origenes qui lib. 1. in epist. ad Rom. cap. 1. ad illa verba, *Ex Resurrectione Domini nostri IESV Christi*, hæc profert: *Christus habuit aliquos participes in primatu Resurrectionis, sicut illi fuerunt qui cum illo suscitati dicuntur, cum monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt. Et de his fortasse dicit Apostolus esse Ecclesiam primitivorum, quam adscriptam memorat in cœlis.*

Et meritò quidem, nam in illis non XI.
tantùm solidabatur & fulciebatur fides Resurrectionis Christi Domini nostri, sed fundabatur spes nostræ aliquando futuræ; sed si hi iterùm mortui fuissent, quomodò in istiusmodi eorum resurrectione potuisset fundari spes nostræ futuræ, quam credimus & speramus futuram æternam?

Objicies non sunt credenda & in- XII.
vehenda sine necessitate miracula, nec Deus præterit legem à seipso quibusque rebus impositam: Atqui hæc lex est omnibus hominibus imposita, ut non tantùm omnes moriantur, sed etiam in pulverem de quo assumpti sunt revertantur. Ergo depositas hujus corporis mortalis reliquias ante universale orbis excidium cœlo velle inferre videtur aliquo usque temerarium: Respondeo hoc argumentum non esse contemnendum, nec inficior fuisse singulare beneficium illud iis præstitum, quos Christus suis instructos corporibus, sibi in gloriâ redux in cœlum sociare voluit: nihil tamen inde incongruum, immò incongruum maximè, si vitæ redditi ab eâ iterùm cecidissent. Primò enim quomodo illi per talem resurrectionem apti fuissent testes Resurrectionis glorioſæ Christi Domini *qui resurgens ex mortuis jam non moritur.* Igitur constans fuit illorum resurrectio, nec fuerunt ampliùs morti obnoxii, ut veluti spolia opima adessent Christi in cœlum ascendentis triumpho. Secundò, quia si iterùm illi morti fuissent obnoxii, non fuisset illis ista resurrectio gratiosa, sed damnosa: cùm enim essent Animæ Sanctorum, ut patet ex loco citato Matthæi cap. 27: erant ascensuræ cum Christo in cœlum, sed subeuntes iterùm corpora sua, à quibus postliminio iterùm separandæ fuissent reductæ ad miserias & ærumnas corporum moritu-

turorum, ergo talis resurrectio fuisset illis damnosa. Cùm enim ex utraque sententiâ oppositâ exurgant dispares sequelæ, illa proculdubio est amplectenda (tacente Scripturâ quænam sit vera) quæ Deo magis congruit: Ast magis congruit Deo & Christo à se suscitatos consortes gloriæ suæ fecisse, veluti prima redemptionis liba & nostræ gentis primitias, quàm animas beatificandas isto tempore damnasse ad reditum ad corpus denuò moriturum.

XIII. Dices illi non diu post Resurrectionem Christi vixerunt, & sic aut non fuit necesse quod aliquibus corporis molestiis subigerentur: aut si fortè aliquantulam subierunt ob tantum finē, non debet hoc æstimari, maximè cùm omnia contra propriam inclinationem nitantur ob bonum cōmune universi, vel ut famulentur in aliquo Creatori, quia prima inclinatio naturalis cujusque rei est ad bonum universi, vel ad Authorem universi, secunda verò ad proprium & particulare bonum.

XIV. Respondeo primò, cùm potuerit & quidem melius iste finis conjungi cum resurrectione constanti & perpetuâ, ut patet, idcircò ruit omninò hæc objectio in contrarium: Respondeo secundò, si tam citò ad interitum rediissent, daretur occasio dubitandi an talis resurrectio fuisset vera, & è contra arbitrandi quod fuisset tantùm phantastica: propter quam rationem (præter cæteras & ante & infra adducendas) omninò indubitatum mihi videtur, & omnibus qui rem istam maturè examinabunt videri debet quod ii qui cum Christo surrexerunt, non sint ampliùs mortui, sed cum eodem Christo in die Ascensionis in cœlum subvecti, ibique cum Christo in corpore & animâ beati, tanquam primitiæ resurgentium.

XV. Quod si, ut probabilissimè docent quàm plurimi Interpretes & Theologi, Animæ Sanctorum illorum quando resurrexerunt erant beatæ, quantò fortius urget pro præsenti veritate precedens argumentum? Secundò connaturale est Animæ beatæ uniri corpori immortali & glorioso: immò verius illud naturaliter efficere suâ unione immortale & glorioſum non fuit ergo necesse Scripturam expressisse, quod illi Sancti qui cum Christo resurrexerunt, resurrexerint ad vitam glorioſam & immortalem, cùm in hâc suppositione hoc ex illo naturaliter ac necessariò sequatur, nec aliter fieri potuerit sine miraculo.

Et licet ex his hæc sententia sufficienter maneat fundata, confirmatur tamen abundantius primò ex Gaboleno in l. ff. *de constitutionibus Principum*, docentis, *Beneficium Imperatoris quod à divinâ scilicet ejus indulgentiâ proficiscitur, quàm plenissimè interpretari debemus.* Confirmatur secundò, quia omninò decuit ut Christus corpore & animâ constans, in cœlum triumphabundus ascendens, & utriusque partis, corporis & animæ, gloriam meritus pro hominibus, haberet saltem aliquos suæ gloriæ socios secundùm utramque partem, præsertim cum ipsius deliciæ sint esse cum filiis hominum. Confirmatur tertiò quia Deus proclivior est ad benefaciendum, quàm ad puniendum: *Misericordia enim superexaltat judicium.* Jac. cap. 2. Cùm ergò plures inveniamus corpore & animâ ab inferno absorptos, ut Chore, Dathan, & Abiron in Scripturâ Sacrâ Numer. cap. 16. Ut Drahomira Sancti Wenceslai primi Bohemiæ Regis Mater truculenta, quam post enecatum ipsius hortatu ab impio fratre juniore Sanctum Wenceslaum, Deo vindice, terra absorbuit. Ut nefarius Interfector Beati Stanislai Bidigostia Posnanienſis Diœcesis in Polonia, glorioſissimi Martyris ex Ordine nostro apud nostrum Lezanam tomo 4. Annalium ad annum 1420. Ex Biscaretto in palmitibus vineæ Carmeli, ex Catalogo Sanctorum Regni Poloniæ Patronorum Romæ approbato & cōpilato per Varsevicium Canonicum Cracovienſem anno 1602. Et ex Martino Baronio Clerico Jaroslavizch in lib. de Vitâ & Miraculis Beati Stanislai Bidigostia, qui illicò post admissum facinus, Deo ulciscente, seu à dæmone abreptus, seu terræ hiatu imperceptibili absorptus est, cùm nequaquam ampliùs nec vivus, nec mortuus apparuerit, dum interim omnes Idolorum Sacrificuli qui eum incitarant, XVI.

oculorum

oculorum cœcitate percussi omnes miserè perierunt. Ut Comes ille Matisconiensis apud nostrum Matthiam à Sancto Ioanne tomo 2. Histor. Panegyric. Ord. Carm. part. 4. cap. 20. quem secutus fuisset certissimè alius paris nobilitatis & nequitiæ, ni obstitisset satis levis illius devotio ad Beatam Virginem, ut idem Pater Matthias refert ibidem, ex antiquo Authore, cui nomen *Guillelmus de Menda*, aliàs *Saladri*, in lib. cui titulus *Rationale Divini Officii* part. 5. Et alii plurimi apud alios. Ad ostensionem ergò Divinæ misericordiæ & copiosæ apud eum Redemptionis, spectabat ut essent etiam aliqui ante Judicium Universale corpore & animâ Beati, nec in minore numero sed majore: quinam verò illi nisi qui supra, qui resurgente à à mortuis Christo cum eo surrexerunt?

XVII. In his autem Divum Josephum tenuisse principem locum non est ambigendi locus. Primò, quia cùm esset Christo propinquior omnibus illis qui cum eo surrexerunt, ipsi magis quàm illis illud privilegii debebatur. Secundò, quia ejus dignitas & merita extra omnem comparationem: Nulla ergò fuêre aliis Sanctis inferioribus privilegia concessa, quæ non in eum plenissimo cornu pientissimus effuderit Filius, in eoque effulgeant vel formaliter vel eminenter. Tertiò, quia invenitur ejus sepulchrum quod etiam nunc extat, ut constat ex dictis supra hoc Tract. cap. 3. num. 13. 14. 15. & 16. Nullibi autem inveniuntur ejus ossa quæ in eo certissimè deposita fuerunt: Quò ergò illa abierunt, si ipse non resurrexerit cum illis qui resurgente Domino resurrexerunt?

XVIII. Et si illa alicubi terrarum occultata delitescerent (quod tamen sine ratione diceretur) adduci ne posset quisquam sanæ mentis ut crederet Deum qui tot corpora Sanctorum illo longè apud ipsum inferiorum aliquamdiu latentia, adhibitis tandem apparitionibus, signis & prodigiis cœlestibus detexit, quia inhonorata remanere noluit, vellet Patris sui dulcissimi & longè amantissimi Reliquias neglectas in squallore & sine ullo cultu & honore? Ergò resurrexit cum Christo cum eoque ad cœlos ascendit.

Tandem cùm Divus Josephus tantus esset, ut vidimus per totum hoc Opus, merebatur profectò statim à morte frui ejus anima visione beatificâ, quâ statim ab illâ donati sunt ferè omnes alii Sancti qui post Christum decesserunt: Cùm ergò per tantum tempus, tres scilicet annos & ampliùs, gloriâ istâ sibi tam justè & tot titulis ob tanta merita, debitâ privatus sit, quia debuit expectare Christi satisfactionem, & ipsius primò ut Mediatoris omnium universalis & Capitis in Cœlum introitum, debuit hæc dilatio recompensari, quod factum per gloriam corporis anticipatam illi concessam. XIX.

Adstipulatum etiam voluit Deus huic veritati cœlesti prodigio, ut ne vel vecordissimo ipsius dubium restaret: Nam Andræas de Soto lib. 3. Sancti Josephi cap. 33. refert Sanctum Bernardinum Senensem id prædicasse Paduæ coram confertâ hominum multitudine, atque hoc illo prædicante in fidem hujus veritatis super caput ejus auream Crucem fulgentissimam apparuisse, quam omnes viderunt, & ita esse ut Sanctus Bernardinus prædicabat crediderunt. A quo propterea tempore fides hujus asserti apud Fideles adolevit. Voluit nimirùm Deus Divi Josephi Patris sui exuvias non hîc jacere, sed ad Cœlum transferre, quia ampliori honore erant dignæ. XX.

Mente ergo dum intueor Christum Dominum in die Ascensionis cum Divo Josepho redivivo in Cœlum redeuntem, & Patrem Æternum ad introitum eos recipientem existimo Patrem & Filium post mutuos amplexus eadem aut ferè similia inter se de Divo Josepho (quem Filius manu tenebat) miscentes colloquia, qualia uterque Tobias Pater & Filius de Raphaele filii in longo & diuturno itinere comite & defensore, Tobiæ cap. 12. ubi sic senior Tobias Filio suo. *Quid possumus dare viro isti sancto qui venit tecum? Respondensq; Tobias dixit Patri suo, Pater quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum* XXI.

*poterit esse beneficiis ejus? me duxit & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, & dæmonem ab eâ ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, me ipsum à devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen Cœli, & bonis omnibus per eum repleti sumus, quid illi ad hæc poterimus dignum dare? sed peto te Pater mi ut roges eum si fortè dignabitur medietatem de omnibus quæ allata sunt assumere.* Sic Pater Æternus Filio: Sic Filius Patri de Divo Josepho, Comite, Tutelari, Custode, Duce, Benefactore, Nutricio in longo suo super terram incolatu & peregrinatione. Fili, inquit Pater Æternus, quid dabimus Viro isti Sancto qui venit tecum? Pater, inquit Filius, quam mercedem dabimus ei? O qualis in hâc Patris & Filii quasi dubitatione Divi Josephi extasis! Ille (prosequitur Filius) Matrem me habere fecit, ille me & illam à suspicione infamiæ liberavit, in illum ex utero Matris projectus sum, ille de ventre Matris meæ factus est susceptor meus. Ille me portavit in Ægyptum, & inde reportavit. Ille me ab immani Herodis furore eripuit & Archelai præservavit: Ille me triginta annorum spatio in omnibus itineribus meis duxit & reduxit: ille me de sudore vultus sui, Matremque meam pavit in innocentiâ cordis sui, &c. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Nonne utique quod uterque Tobias Raphaeli, hoc utique Pater Æternus & Christus Divo Josepho medietatem omnium bonorum: hoc est ut ea omnia possit D. Josephus pro nobis per authoritatem, quod Deus ipse per potestatem.

## CAPUT VI.

### *De Divi Josephi gloria secundùm utrumque, ideſt secundùm corpus & animam.*

PRIMAM esse Divi Josephi post Beatissimam Deiparam conjugem suam inter cœlites sortem opinio est jam dudum recepta, hodieque communissima fidelium, & meritò: quid enim clarius? quid certius positis illis quæ supra, de ejus singulari prædestinatione, dignitate incomparabili, sanctificatione in utero, usu rationis accelerato, & virtutibus quas ex his fontibus, atque etiam ex consortio, exemplis, & instructionibus filii sui quotidianis, & convictu cum eo & matre necesse est profluxisse? I.

Huc mihi videtur Christus respexisse, dum respondens Matri Jacobi & Joannis Apostolorum suorum & filiorum Zebedæi, petenti ab eo dexteram ejus pro uno è liberis, sinistram pro altero in regno suo, conversus ad liberos dixit. *Sedère ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo,* Matth. cap. 20. vers. 23. Quasi diceret, occupata sunt jam quæ ambitis loca, & aliis data, iis scilicet quibus parata sunt ab æterno à Patre meo: medius sæpè incessi Matrem inter & Patrem, Mariam inter & Josephum, illa jam dudum dexteram meam hic sinistram, quas petitis, occuparûr & tenuerunt viatores in terris, illis paratum est & destinatum, ut eâsdem teneant comprehensores in cœlis. II.

Quemadmodum ergo in ordine entium naturalium nonnulla sunt quæ transcendentalia vocantur, quia scilicet singularum excedunt seriem & perfectionē cathegoriarum; ita in ordine gratiæ nonnullæ reperiuntur creaturæ, quæ propter eminentiam singularissimam & incommunicabilem in gratiâ, sunt extra omnem ordinem aliarum creaturarum: talis est primò Christus homo ratione divinitatis cui natura ejus humana hypostaticæ unita est: III.

est: talis est secundò incomparabilis ejus Mater ratione partus ejusdem Dei hominis: talis est tertiò & ultimò incomparabilis quoque ejus Pater Divus Josephus ratione suæ paternitatis, sub quâ dæmoni absconsus est: quorum dignitates singulatissimæ sunt & incommunicabiles, & ideò constituunt unum ordinem alios omnes supergredientem, quem Theologi vocant ordinem hypostaticæ unionis: in quo ordine Divus Josephus, qui ultimum tenet locum, participavit excellenter plenitudinem Christi, singulariter plenitudinem Virginis, & eminenter plenitudinem aliorum Sanctorum: ut proindè tanquam ultimus primi ordinis alios excellentissimè & incomparabiliter superantis, sit adhuc excellentiori modo verius primus secundi, & ita de aliis quibuscumque aliorum ordinum subsequentium: & sic de aliis.

IV. Legimus, & ita ut legimus constat, specula reperiri in rerum naturâ tam artificiosè elaborata; ut per reflexionem specierum, earumque ab unâ parte speculi ad alteram repercussionem, ter eandem prorsus faciem cui objiciuntur repræsentent, & simul ac semel tres vultus sibi similes, sibi omninò similes exhibeant, qui tamen in re nonnisi unus est; arte hominis hâc in parte naturam imitante, quæ aliàs tres exhibuit in Cœlo, Soles, qui tamen in re unicus erat: alii enim duo non erant nisi hujus imagines in nubibus claris & tersis expressæ, quæ veluti specula talem receperant veri Solis impressionem, ut illum repræsentaverint ita perfectè, ut ipsæ Soles sicut & ille, viderentur.

V. Ista miracula naturæ trium facierum, & trium parcharum, umbra sunt & imago harum trium Sacrarum Personarum, JESUS, Mariæ & Ioseph: namque IESUS solus est verus Sol Justitiæ: Maria & Joseph solùm illius imagines: ambo tamen de splendore virtutum & gratiarum illius veri Solis adeò excellenter & perfectè participantes, ut simul cum ipso faciant pareliam; appareant, inquam, ac si tres essent Justitiæ Soles.

VI. Et verò erant illæ tres personæ omni magnitudine creatâ majores, quippè quæ tam ratione supereminentissimarum qualitatum & perfectionum suarum, quam ratione unionis inter se arctissimæ, & cui nulla unquam similis in creatis, tres cœlestis ac Divinæ Trinitatis Personas cum perfectione mirabili repræsentabant: efficiebant, inquam, aliam Trinitatem in terris, cœlesti illi ac divinæ persimilem, in quâ Maria Patris, Christus suam Filii, Josephus tertiam Spiritus sancti personam gerebat, & similitudinem quantùm per creaturam potuit exhibebat: quam similitudinem multis prosequi possemus, nisi id factum esset à plurimis iisque gravissimis Authoribus, ad quos remittimus, ne toties actum iterùm agamus.

Illud tantùm restat ut huic creatæ Triadi, cui nomen Jesus, Maria, Josephus, cujus Anagramma aptissimum, significatissimum, ac verissimum, SI PERIS, HOS AMA, VIVES: Hos versus appendamus, qui conspiciuntur in Sacello Ecclesiæ Parochialis Oppidi Couvinensis Patriæ ac Diœcesis Leodiensis, sub sacro Carmelitici Scapularis Sodalitio erecto. VII.

*Hîc sociata suo colitur Regina marito:*
*Gaudet cum Ioseph Sponsa Maria coli,*
*Iungitur his IESVS, Triadem nam perficit ipse:*
*Nec Monadem tollit, tres simul unit Amor.*
*Quos Deus æterni conjunxit fœdere Amoris,*
*Dic prece vel cultu cur separaret homo?*
*Trinus & unus Amans, hos tres sociavit in unum,*
*Sic colis hîc Triadem, sic colis & Monadem.*

Objicies 1. Corinth. cap. 12. *Posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos.* Qui propterea Apocalypsis cap. 21. *Fundamenta Ecclesiæ*, vocantur. Item ad Ephes. cap. 1. dicit Apostolus. *Secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis*, ideſt Apostolis: *Ex quo*, inquit S. Thomas Aquinas in illum locum, *apparet temeritas illorum, ut non dicam error, qui aliquos sanctos præsumunt comparare Apostolis in gratiâ & gloriâ, manifestè enim patet ex verbis istis, quod Apostoli habent gratiam* VIII.

*majorem quam alii Sancti post Christum & Virginem Matrem.* Et infrà hoc idem confirmat Doctor Angelicus ex eodem Apostolo dicente ad Roman. cap. 8. *Nos ipsi primitias spiritus habentes*, & Glossa explicante: *Tempore prius, & cæteris abundantius*, ex quibus iterùm concludit. *Temerarium est ergo aliquem Sanctum Apostolis comparare.*

IX. Confirmatur, quia gratia novi Testamenti major est gratiâ veteris, ut constat, & ideò maximos, medios, & infimos unius, cum maximo, medio, & infimo alterius comparando, videntur, & omninò verum est, Sanctos novi Testamenti eos qui sunt antiqui excedere: Sed Apostoli sunt Principes & primi inter Sanctos novi Testamenti: excedunt ergò illi in perfectione & sanctitate Principes Sanctos veteris. Et ideò expresè Divus Thomas illos anteponit Moysi quæst. 12. de verit. art. 4. ad 5. & Abrahæ, Isaac & Jacob lect. 3. super epist. ad Rom. cap. 11. Sed Sanctus Joseph pertinet ad vetus Testamentum, cùm ante Christum mortuus sit, ergò Apostoli sunt majores illo.

X. Respondeo cum Gabriele de Sanctâ Mariâ Archiepiscopo & Duce Rhemensi in Concion. Adventual. super Missus est, serm. 7. & cum Patre Suarezin 3. part. quæst. 29. artic. 1. & 2. disp. 8. sect. 1. & 2. in hac comparatione probabiliter posse dici munus Apostolicum supremum quidem esse novi Testamenti, superari tamen multùm à munere & ministerio Sancti Josephi, quod est altioris ordinis & perfectioris, cùm ministerium ipsius spectet ad unionem hypostaticam, ut dignitas Matris Dei: Apostolos itaque in ordine gratiæ gratis datæ, majoribus gratiis fuisse præditos, quia indiguerunt ad exercendum suum munus. Officium autem Divi Josephi non pertinuit ad novum Testamentum, nec etiam propriè ad vetus, sed ad utriusque Authorem & Consummatorem Christum Dominum, lapidem utriusque angularem, qui fecit utraque unum.

XI. Et certè inquit idem Gabriel ibidem, munus ejus eum extulit supra omnes in actionibus vitæ activæ, quid enim totâ vitâ gessit quod non proximè attingeret personam Christi Domini. Quemadmodum ergo peccatum eorum qui Christum crucifixerunt, ob Christi dignitatem in se immediatè læsam, fuit in suo genere maximum, utpote Deicidium, quo nihil horribilius, sic & pietas & beneficentia circa eundem fuerunt summi valoris, præsertim in Divo Josepho, ut in Deiparâ, cum perfectissimam haberet cognitionem & fidem personæ Christi cui inserviebat, & pro quo laborabat, ac consequenter amorem consimilem, ex quo illi ea præstitit, quæ præstitisse diximus & omnibus nota sunt.

XII. Neque solùm in vitâ activâ excelluit D. Josephus, sed & status ejus accommodatissimus fuit ad contemplationem: nam in matrimonio vovit virginitatem, & societas perfectissima sanctissimæ Conjugis maximè serviebat ad perfectionem Religionis & pietis erga Deum: quibus adde diuturnam ac continuam cum Christo conversationem, ex cujus ore toties audivit divina mysteria, & verba vitæ: & quam frequenter cum Christo filio suo oravit? Hæc ille Archiepiscopus Doctissimus, nec minus Religiosus & pius.

XIII. Roboratur nostra & hujus Archiepiscopi Doctissimi responsio: Nam lib. 8. Constitut. Apostolic. cap. 46. aliàs 52. dicunt omnes Apostoli se elegisse septem Diaconos. *Ex quibus*, inquiunt, *est Beatus Martyr Stephanus, qui non minùs quàm nos Deum dilexit.* Faciunt ergo hîc Apostoli Divum Stephanum sibi æqualem in verâ Sanctitate, quæ in Dei dilectione consistit, quamvis esset inæqualis in munere: ergò non esset temerarium aut improbabile Stephanum Apostolis æquare in sanctitate: sed non esset præter rationem Divum Josephum Sancto Stephano parificare, immò præferre, ergo &c. Nec quidquam vel in Scripturâ, vel in Sanctis Patribus invenio, quod huic asserto nostro repugnet: Generales enim locutiones Scripturæ aut Patrum, vel intelliguntur de totâ Ecclesiâ novi Testamenti, cujus gratiâ certo certius fuit major & amplior gratiâ veteris Testamenti; vel comparant

Apostolos

Apostolos cum aliis Sanctis ordinariis: generalis autem modus loquendi non excludit speciale privilegium ob rationes speciales, quæ in Divo Josepho tales sunt quales nullæ in alio Sancto quantumvis magno.

XIV. Respondeo secundò, comparationem fieri cum illis solis qui eo tempore erant vel post futuri erant, ut ita sicut Apostoli acceperunt gratiam prius respectu istorum, ita etiam acceperint abundantius, non verò respectu aliorum, qui eos præcessêre. Confirmatur hæc responsio, quia Apostoli prius per respectum ad illos qui eo tempore vivebant & post futuri erant, receperunt gratiam, & hi dependenter ab illis, non verò prius D. Iosepho, prius Mariâ, prius Joâne Baptistâ, prius Eliâ, &c. nec hi dependenter ab Apostolis: Ergo non cum his facta est comparatio, sed cum illis sui temporis, vel postea futuris, qui dependenter ab illis acceperunt, scilicet per eorum orationes, merita, prædicationem, zelum, exempla, constantiam, ministerium, & miracula.

XV. Quoad censuram verò Divi Thomę in objectione, Respondet Suarez loco citato non posse illam intelligi universaliter, tùm propter verba illa Christi Domini de Joanne Baptista, *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptistâ*, & alia multa præclarissima quæ de illo habentur in Scripturâ, & apud Patres & Doctores; tum quia Ecclesia in Canone Missæ post Consecrationem ponit Divum Stephanum ante Divum Matthiam Apostolum. Tum denique etiam ex ipsius Divi Thomæ doctrinâ: ipse enim in cap. 3. Matthæi exponens verba illa: *Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti*; interrogat, *nunquid ergo majores Apostoli Ioanne?* & Respondet, *non meritò, sed officio novi Testamenti*, quod sumpsit ex Divo Anselmo in eundem locum, qui expressè dicit Joannem non esse minorem in Cœlo quàm sint Apostoli, imò esse illis majorem: Ergo non potest D. Thomæ censura generaliter accipi: quod si aliquam admittant loca illa pro Apostolis allata restrictionem, non est cur temerarium aut improbabile sit Sanctum Josephum excipere, quia probabile est illum perfectiorem gratiam assecutum Joanne Baptistâ, quia constat munus Patris & nutricii Christi esse excellentius munere Præcursoris, majoremque ex convictu cum illo & sanctissimâ sponsâ habuisse opportunitatem, ac plures occasiones crescendi in gratiâ.

Sed instabis de Joanne Baptistâ asserit Christus disertè, quod inter natos mulierum non surrexit major illo, ergo Divus Josephus natus de muliere, est minor Joanne. Confirmatur ex D. Ambrosio serm. 64. ubi hæc habet: *Præcellit cunctis, eminet universis, antecedit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere est, inferior est Ioanne.* Respondeo primò, ex verbis Christi non sequi Divum Joannem Baptistam esse omnibus majorem, negat enim hic textus tantùm dari aliquem Joanne majorem, non posse assignari aliquem illi parem, ut observarunt SS. Patres. *Non cæteris*, inquit D Hieronymus in cum locum, *Prophetis & Patriarchis, cunctisque hominibus Ioannem prætulit sed cuicumque de cæteris coæquavit*: & Divus Augustinus de quæstion. vet. ac novi Testam. quæst. 26. *Non dixit Christus omnibus major est Ioannes, sed nemo Prophetarum illo major est, hoc est æqualem habet, majorem non habet: Elias ergo par illi est, &c.* Et lib. 2. contra Adversarios legis & Propher. cap. 7. *Potuerunt esse Prophetæ aliqui Ioanni æquales, aliqui minores, nullus major propter sententiam Domini*, Divus Hilarius Arelatensis homil. 1. *Dicens Christus inter natos mulierum non surrexit major Ioanne*, inquit, *non summis priorem, sed primis pronunciavit æqualem: comparavit itaque perfectis, non prætulit.* Et Venerabilis Beda in Luc. cap. 7. *Non cæteris Prophetis & Patriarchis cunctisq; hominibus Ioannem prætulit, sed Ioannem cæteris exæquavit.*

XVI.

Respondeo secundò, hanc Christi assertionem, *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptistâ*, limitari per Lucam dicentem, *inter natos mulierum non surrexit major Propheta Ioanne Baptistâ*: unde ex hoc non sequitur Divum Ioannem Baptistam omnibus omninò Sanctis esse sanctiorem aut etiam æqualem, sed tantùm, Propheram

XVII.

tam esse cunctis Prophetis perspicaciorem : namque

*Cæteri tantum cecinêre vatum*
*Corde præsago jubar effaturum,*
*Tu quidem mundi scelus auferentem*
*Indice prodis.*

XVIII. Dices Ecclesia in eodem Hymno præcedenti metro sequens assuit.

*Non fuit vasti spatium per orbis*
*Sanctior quisquam genitus Ioanne,*
*Qui nefas sæcli meruit lavantem*
*Tingere lymphis.*

Propter hoc argumentum quod à priori nihil differt, Respondeo tertiò, comparationem Sancti Præcursoris ut & præcedentem Beatorum Apostolorum cum cæteris Sanctis ; intelligi de illis qui non sunt extra omnem Ordinem Sanctorum : at Divus Iosephus cum Sponsâ suâ est extra omnem ordinem aliorum, & constitutus cum illâ in ordine unionis hypotasticæ cum Christo ; ergo non potest fieri comparatio cæterorum qui sunt in inferioribus ordinibus cum illo.

XIX. Illustratur hæc Responsio exemplo: verbi gratiâ si de Principe primæ Familiæ alicujus regni quis diceret, illum esse omnium istius regni Principum primum, & nullum illo illustriorem : per hoc non deberet intelligi aut inferri ipsum esse Rege, Reginâ, aut Delphino aut Infantẽ Regio Nobiliorem, quia in similibus comparationibus Rex & proles ejusque Pater & Mater ac conjux non veniunt in comparationem cum illis : sed intelligetur esse major totius regni per comparationem ad alios Principes & nobiles cum quibus benè potest comparari. Ita in hoc casu Divus Ioannes Baptista ( idem dic de Sanctis Apostolis) per comparationem ad omnes alios Sanctos, de quorum ipse classe est, major omnibus esse potest, aut saltem tantus ut nemo illo major : sed ad Christũ, B. Virginem, & D. Iosephũ qui sunt extra omnem comparationem, cùm sint extra omnem aliorum ordinem, & constituant ordinẽ seorsim, qui dicitur unionis hypostaticę; non ita est, nec sic prudenter explicari comparatio potest, cum non sit cõparatio nisi inter res quę sunt ejusdẽ ordinis.

XX. Potest iterùm probari magnitudo Divi Iosephi in gloriâ supra omnes cœlites eo argumento quo Pater Deaponte Ord. Cleric. Regul. Minor. in sapient. Salomon, cap. 10. num. 13. hom. 22. ubi sic ille : Et meritò quidem « supra cæteros D. Iosephum elevat Deus « in cœlis, qui in terris plus ei dedit « quàm omnes simul : Petrus ait Christo, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti « sumus te quid ergo erit nobis?* Matth. cap. « 19. num. 27. sed quid reliquerat Petrus? « Certè pauca, verùm cum maximo af- « fectu : *Hunc*, inquit Origenes Tract. 9. « in Matth. *Deus ponderavit non censum, « etsi enim minima cum fratre reliquit, sed « non minima æstimata sunt apud Deum « considerantem quoniam ex tantâ plenitu- « dine dilectionis illa minima reliquerunt, « ut etiam si multas habuissent possessiones « omnia reliquissent.* Ita Origenes. Affectũ « ergo Domino obtulit Petrus, & quia « hic magnus, etiam si illa minima in « se, maxima apud Deum ; sic maxima, « ut propter illa principatum his in cœlis « contulerit, juramento firmans quod in « regeneratione, cum sederit filius homi- « nis in sede majestatis suæ, & illi sessuri « sint cùm eo in thronis : per quod ineffabilem intellexit honorem, ineffabilẽ « gloriam ; honorem enim & gloriam « ineffabilem significavit per Thrones « ait Chrysostomus sanctus homil. 6. in « Matthæum : Cùm ergo minima dans, « si cum magno affectu Dei, sunt « maxima, & remunerantur ut maxima : « Et quia sic Petrus dedit sua quamvis « minima, Principatum meruit in terris, « & Thronum in Cœlis : Ergò si aliquis « esset qui cum majori effectu non mini- « ma, sed maxima, sed propè infinitum « daret, nonne ex ratione is supra Pe- « trum ? Atqui Divus Josephus non navigium, non rete, ut Petrus & Apo- « stoli, sed Virginem Sanctissimam, sed « Mariam Dei Genitricem, jure Divino « per matrimonium suum, sibique dilectissimam Deo dedit : Pende Mariam « si potes, & meritum scire poteris Divi « Josephi ea se privantis propter Deum, « simul & gloriam : Sed quid plus ultra? « Theologorum est axioma, Deum pu- « nire citra, remunerari ultra condignum : *Mensuram bonam, confertam, « coagitatam, & superefluentem dabunt in « sinum vestrum.* Luc. cap. 6. num. 38. « Quod si hic est Dei mos, audi nunc « mirabile

„ mirabile: id quod Divus Josephus de-
„ dit Deo, fuit Maria, Deus retribuit ul-
„ tra condignum, ultra datum abun-
„ danter, superfluenter; qualis ergo erit
„ hujus Sanctissimi Viri gloria? Profectò
„ si ultra datum sit pensitanda, erit uti-
„ que immensa. Hîc sisto, quia quid ul-
„ tra addam non habeo. Hæc est istius
„ Authoris argumentatio.

XXI. Ultimum argumentum excessus gloriæ Divi Josephi supra cæteros Beatos sumitur ex eo quod probavimus Capite præcedenti, quod scilicet ipse resurrexerit & cum Christo Filio suo ascenderit ad cœlos, ibique sit in corpore & animâ cum illo & Sponsâ suâ, non verò Joachim aut Anna, non Petrus, non Paulus, non ipse Joannes Baptista, cùm horum Reliquiæ extent, & reperiantur in terris, argumentum est enim istud evidentissimum ipsum pluris apud Filium esse quàm illi.

XXII. Dices alii etiam Sancti surrexerunt, & corpore ac animâ cum Christo ascendente ascenderunt ad Cœlos, ergo sequeretur etiam ipsum Divum Joannem Baptistam esse istis minorem: sed hoc est falsum propter dictum Christi, *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ.* Ergo & illud unde sequitur. Respondeo objectionem habere aliquid apparentiæ: verumtamen eâ ad trutinam adductâ dico etiam per illam nostrum assertum fulciri. Etenim nec noti sunt, nec Deus voluit esse notos illos alios, qui etiam surrexerunt, & cum eo ascenderunt in cœlos, in quibus nulla erat ratio dubitandi contra majoritatem notissimam Divi Joannis Baptistæ supra illos: Sed cùm potuisset formari dubium pro eâdem majoritate Sancti Joannis Baptistæ supra Divum Josephum, ideò noluit Deus Joannem resurgere sicut ille resurrexit, ut per hanc distinctionem omninò evidentem tolleretur istud dubium, & maneret certum, Divum Josephum in gloriâ omnes Beatos solâ Virgine uxore suâ exceptâ superare.

XXIII. Itaque de illo dicendum verificari quòd de Joseph Antiquo, qui illius figura fuit, in typo dictum est Genes. cap. 41. *Tulit Rex annulum de manu suâ & dedit eum in manu ejus, & vestivit stolâ byssinâ, & collo torquem auream circumposuit, & fecit ascendere super currum suum, clamante præcone ut ei omnes genuflecterent.* Hæc fecit Rex Pharao Josepho filio Jacob & Rachelis: idem Deum fecisse Josepho nostro Patri Jesu & Mariæ Sponso quis inficiabitur? Stola byssina cum torque aureâ, quâ donatus est antiquus Joseph à Pharaone, designat specialem gloriam quâ donatus est ab æterno Cœli Rege noster Joseph. Annulus aureus quem Rex tulit de manu suâ, & dedit in manu Josephi Pro-Regis Ægypti, annulus signatorius erat, ut quæ ipse vellet decerneret & obsignaret authoritate Pharaonis. Sic Rex Æternus annulum suum signatorium in potestate Divi Josephi posuit, ut quæcumque voluerit suis Clientibus concedat & obsignet authoritate Dei. Fecit Denique Rex Pharao Josephum Pro-Regem Ægypti ascendere super currum suum, clamante præcone, ut ei omnes genuflecterent: Hoc significabat Divum Josephum per antiquum illum figuratum, elevandum ad ordinem hypostaticæ unionis in quo Deus ipse est: & in quo constitutus, non ab uno, sed à tot præconibus, quot sunt hodie Doctores, Interpretes, Predicatores, tantus proclamatur, ut ei omnes quotquot sunt de Regno Dei, tanquam illi inferiores genuflectere debeant. Sic respondet umbra corpori, figura veritati.

XXIV. Quare hoc argumentum concludo cum his versibus devoti cujusdam Poëtæ apud Isidorum Isolanum in fronte sui Operis de Sancto Josepho.

*Cùm similis simili deceat, nutuq; superno*
*Virgo Parensq; Dei nupserit Alma Joseph:*
*Collige quantus erat, merito quo vicerit omnes?*
*Et fuerit tantùm dignus habere decus,*
*Ac natum curare Dei, Genitorq; vocari,*
*Complecti, & sacro sæpius ore peti:*
*Et facile accipies ut primum Sponsa, sequentem*
*In superis Sponsus sic habet ille locis.*

XXV. Quibus similia pangit alius recens Poëta Gallus suo naturali cothurno hoc modo.

*Que le iour est heureux, celebre à l'univers,*
*Auquel la Vierge Mere en la gloire enlevée,*
*Des Celestes passant tous les Ordres divers*
*Au degré le plus haut des Cieux est arrivée:*
*C'est là je crois Joseph: si nous avons icy*
*Des choses de là haut quelque apparente trace*
*Que vôtre Nourrisson, & vôtre Epouse aussi,*
*En un thrône aupres d'eux vous ont fait prendre place.*

## CAPUT VII.

### *An Aureolæ Divo Josepho tribuendæ?*

I. AUREOLAS tres communiter statuunt Theologi, nec plures nec pauciores: quarum prima est pro Martyribus; secunda pro Virginibus; tertia pro Doctoribus: Sunt enim tres pugnæ insignes, sicut sunt tres præcipui salutis nostræ hostes; Caro, Mundus, Diabolus: & Aureola est singulare præmium singulari contra prænominatos hostes respondens victoriæ. Et quamvis omnes contra eos pugnare debeant legitimè si velint coronari, tamen ubi est præcellens ratio victoriæ, ibi debetur specialis corona, quam Aureolam vocamus.

II. In pugna quæ est contra cárnem, ille potissimam victoriam obtinet qui à delectationibus veneris, quæ sunt præcipuæ inter voluptates carnis, omninò abstinet: Atque adeò qui perpetuò virgines permanent, Aureolâ donantur: ut colligitur ex Apocalyps. cap. 14. ubi dicitur quod centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra, quia non sunt cum mulieribus coinquinati (Virgines enim permanserunt,) cantabant Canticum Deo, quod nemo alius cantare poterat.

III. Objicies, ubi est major difficultas in opere, ibi debetur majus præmium, & Aureola est propter majorem victoriam, quæ sequitur ex majori pugnâ: Sed majorem sentiunt viduæ difficultatem in abstinendo à voluptatibus venereis, quàm virgines, ergo viduis potiùs quàm virginibus assignandum esset istud aureolæ genus. Probatur minor ex Aristotele lib. 7. de Animalib. cap. 1. tit. 4. ubi docet quod juvenes corruptę magis appetunt coitum propter rememorationem delectationis; & Divus Hieronymus in epist. ad Geruntiam de Monogamiâ dicit, quod quanto major est difficultas quorundam à voluptatis illecebris abstinere, si abstinent, tantò majus est illorum præmium, & loquitur ibi in commendationem viduarum.

IV. Respondeo cum Divo Thomâ in Supplemento quæst. 96. art. 5. ad 1. quod in continendo secundùm aliquid majorem pugnam sustinent Virgines, & secundùm aliquid Viduæ: Virginibus enim concupiscentiam inflammat experiendi desiderium, quod ex quadam quasi curiositate procedit, quâ etiam fit, ut homo libentiùs videat quæ nunquam vidit: Et etiam quandoque ejus concupiscentiam auget æstimatio majoris delectationis quàm sit secundùm veritatem, & inconsideratio eorum incommodorum quæ delectationem hujusmodi sequuntur: Et quantùm ad hoc Viduæ minorem sustinent pugnam: majorem autem propter delectationis memoriam.

V. Sed quidquid sit de quantitate & difficultate pugnæ, hoc tamen certissimum est, quod perfectior est victoria Virginum quàm Viduarum; perfectissimum enim genus victoriæ est, & pulcherrimum nunquam hosti cessisse: Corona autem non debetur pugnæ, sed victoriæ.

VI. In pugnâ verò quæ est contra Mundum, illa est præcipua victoria, cùm à mundo persecutionem usque ad mortem quis sustinet: unde & Martyribus, qui in istâ pugnâ victoriam obtinent, hæc aureola retribuitur: Nam Apoc. cap. 7. dicuntur *Amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum*: Quod de Martyribus intelligendum: Nam additur, *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas*

*stolas suas in sanguine Agni.*

VII. Tandem in pugnâ quæ est contra Diabolum, illa est præcipua victoria, cùm aliquis hostem istum non solùm à se, sed etiam à cordibus aliorum removet, quod fit per doctrinam, exhortationes, & Prædicationem: & ideò Doctoribus tertia Aureola assignatur. De his enim dicitur Danielis cap. 7. *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Et Matthæi cap. 5. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.* Dices omne præmium quod in futuro dabitur, alicui actui virtutis respõder, sed prędicare vel docere non est actus alicujus virtutis, ergo &c. Respondeo quod prædicare & docere eo modo quo de illis hîc, sunt actus alicujus virtutis, scilicet misericordiæ & charitatis, unde & inter spirituales eleëmosynas computatur.

VIII. Quidam verò, inquit Divus Thomas in Supplem. ad 3. partem quæst. 96 art. 11. in corp. distinguunt illas tres aureolas secundùm tres animæ partes, Rationalem, Irascibilem, & Concupiscibilem, ut dicantur tres Aureolæ respondere præcipuis trium animæ virium actibus. Potissimus enim actus Rationalis, est veritatem fidei etiam in alios diffundere: & huic actui debetur aureola Doctorum. Irascibilis verò, virtutis actus potissimus, est mortem propter Christum superare, & huic Actui debetur aureola Martyrii: Concupiscibilis verò actus potissimus est à maximis delectationibus carnis abstinere penitus, & huic debetur aureola Virginum.

IX. Alii vero illas tres aureolas distinguunt secundùm ea quibus Christo nobilissimè conformamur. Ipse enim veritatem quam à Patre acceperat mundo manifestavit, & sic fuit Doctor: ipse à Judæis persecutionem & mortem in Cruce propter Prædicationem veritatis pertulit, & sic fuit Martyr: Ipse puritatem in seipso consecravit, & sic fuit Virgo: Et ideò Doctores, Martyres & Virgines ei perfectissimè conformantur, unde talibus aureola debetur.

X. Porrò illis tantum Virginibus propriè aureola debetur, quæ propositum habuerunt virginitatis perpetuò servandæ, sive hoc propositum voto firmaverint, sive non: quod etiam intellige etsi propositum illud fuisset interruptum, dummodò tamen integritas carnis remanserit, & illa interruptio non inveniatur in fine vitæ, quia Virginitas mentis reparari potest, non item carnis. Ita Divus Thomas 3. part. quæst 96. artic. 5. in corp. Poncius Curs. Theol. tractat. 5. disput. 19. quæst. 19. & alii.

XI. Martyrii verò aureola illis solis datur, qui pro Deo, sive fidei tuendæ, sive virtutis alicujus, aut conservandę in se, aut defendendæ in aliis gratiâ mortem subeunt, aut vulnus, pœnamve aliquam ex naturâ suâ mortalem patiuntur, aut in carcere ob eandem causam ex inediæ aliarumve ærumnarum incommodis moriuntur. Requiritur tamen communiter in eo qui debet censeri Martyr animus illa quæ supra ob eum finem sustinendi: Licet non negem si in odium fidei abejus hostibus aliquis Orthodoxus dormiens interficiatur, esto antea nihil adverterit, aut cogitaverit de istâ morte, non minùs hanc aureolam consecuturum, quàm Sancti Innocentes, qui supponuntur communiter eam adepti, modò tamen non habuerit ante animum non patiendi pro tali causa mortem.

XII. Doctores tandem quibus tertia debetur aureola, non sunt tantùm Prælati Ecclesiarum quibus competit ex Officio prædicare & docere, sed omnes qui licitè hunc actum exercent: Prælatis autem non debetur quamvis incumbat officium prædicandi, nisi actu prædicent, quia corona non debetur ei qui potest pugnare, sed actualiter pugnanti, juxta illud 2. ad Tim. cap. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Ita Divus Thomas citatus art. 7. in corpore. Itaque hujusmodi Doctores in cœlo laureandi sunt, qui excellenter, generosè, infatigabiliter sive verbo, sive scripto, sive utroque modo erudiunt alios ad justitiam; si propter Deum, non propter lucrum, aut vanam ostentationem id faciunt: ita Poncius loco citato.

XIII. Ex his autem majorem esse Martyrum Aureolam omninò fatendum est:

Primò, quia si vitam ipsam pro Deo exponunt & de facto ponunt, alii nonnisi aliquem laborem. Secundò, quia eminentia quæ attenditur ex parte pugnæ est Aureolæ essentialior, quia Aureola secundùm propriam rationem respicit pugnam & victoriam: Difficultas etiam pœnæ, quæ attenditur ex parte ipsius pugnæ, est potior quàm illa quæ attenditur ex parte nostri: Atqui Martyrium pugnâ est fortior secundùm seipsam; ergo simpliciter & absolutè loquendo Aureola Martyrum est inter omnes potior: & ideò dicit Glossa Ordin. in Matth. cap. 5. quod in octavâ Beatitudine, (*Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum,*) quæ ad Martyres spectat, omnes aliæ perficiuntur, & propter hoc etiam Ecclesia in Commemorationibus Sanctorum Martyres Doctoribus & Virginibus anteponit. Ita D. Thomas citatus.

XIV. Hanc triplicem Aureolam dant plurimi Divo Josepho: Et primò quidem quod spectat Aureolam virginum res videtur per se clarissima part. 2. ubi ipsum mente & corpore perpetuò virginem probavimus, ac quanta fuerit corporis & animi ejus puritas ostendimus, & præterea fuit Custos Virginis eo mirabilius, quò formosior fuit super omnes mulieres Virgo superbenedicta ei in matrimonium & Custodiam tradita, & ab eo immaculatissimè custodita.

XV. Secundò, nec Doctorum Aureola videtur ei neganda, asserunt quippe illorum nonnulli etiam ipsum Apostolum, qui quâ licuit apud Ægyptios & Judæos fontem quem apud se habebat manifestavit, & publicavit. Videndi hâc super re Sanctus Hilarius apud D. Thomam in Catenâ. S. Hieronymus & Venerabilis Beda in cap. 2. Matthæi, & Noster Dorothæus à Sancto Renato in suis Comment. in lib. Reg. & Apocalyps. tom. 1. lib. 3. quæst. 15. sect. 2.

XVI. Tertiò, & Martyrii Aureolam illi quoque concedendam hoc modo probat inter illos qui suprà scriptores Doctor Matthias Navæus lib. cui titulus Sponsus Virginis tit. 13. paulò post med. Instante Christi Passione, inquit, turbati dispersique sunt Apostoli, qui & Domini de Passione suâ præloquentis in Jerusalē comitatum formidare solebant. At ubi timiditatis vel incōstantię notam Christi nutricius incurrit? qui & furente Herode Christum adhuc infantem, neque adhuc miracula facientem in Ægyptum, longo, aspertimoque itinere portandum suscepit, & ante perceptâ Herodis post Magorum reditum ferociâ, Jerusalem tamen venire, puerumque in templum ipsum Jerosolymitanum ad Purificationis legem peragendam comportare non trepidavit, verùm mortis timoribus, morteque ipsa fortior Beati Josephi dilectio fuit, quandoquidem tam sævi draconis furibundâ contemptâ ferociâ, puerum ad legalia circa eum observanda in Ierusalem conferre non prætermitteret. De quo & Beatus Thomas in Catenâ in cap. 2. Matthæi: *Et quamvis*, inquit, post Rabanum, *timerent Herodem, tamen non sunt ausi transgredi legem qui ad templum puerum deferrent.* Quare si non effectu, animo tamen paratissimo affectuque zelosissimo Martyr Christi, immò & affectu isto Proto-Martyr fuit ex tunc cum Virgine: sæpius etiam varieque operibus ipsis in corpore & animo suo durissima perpessus, fuit certè Confessor intrepidus, qui Christi causâ extorris per plures annos apud Barbaros alienigenas vixit: fuit Martyr cui dulce fuisset mortem pro Christo inter Herodianorum Satellitum, potius carnificum manus opperere.

XVII. Verùm enimverò, Dico primò, cum P. Arriagâ & P. Poncio mox citato satis parvum esse fundamentum illas Aureolas particulares asserendi, & præsertim illas reducendi ad ternarium numerum, nec majorem: nam ut Theologi hunc præcisè numerum Aureolarum statuentes, illū colligunt ex allatis pro Martyribus, Virginibus, & Doctoribus, Scripturæ locis: Cur non posset etiam colligi ex remuneratione particulari quam promisit Christus relinquentibus pro se Patrem & Matrem, & se sequentibus sub Religiosæ vitæ vexillo Aureola particularis? Et cur virginibus perpetuis tribueretur

retur Aureola particularis; & non iis, qui innocentiâ ſervatâ, totam vitam in arctiſſimâ tamen pœnitentiâ traduxerunt? & ſic de aliis.

XVIII. Dico ſecundò, ſed etſi cum communi Theologorum choro ſentientes, admitteremus dari illas Aureolas particulares, nonniſi tamen valdè impropriè eſſent in D. Ioſepho: de duabus, ſcilicet Martyrum & Doctorum, conſtat: de Aureolâ verò Virginum, etſi propriiſſimè & ſublimiſſimè inter omnes homines poſt Sponſam ſuam Virgo permanſerit, quia tamen de illis Virginibus, qui illâ Aureolâ inſigniuntur dicitur, quod Agnum ſequuntur, ideſt Jesum, quocumq; ierit, Divus autem Ioſephus Agnum iſtū portavit, non de illarum Virginum numero eſt, ſed tranſcendit, quare valdè impropriè, nec ad Theologorum iſtorum mentem hæ tres Aureolæ Divo Ioſepho competunt.

Dico ergo tertiò, nec etiam neceſſarium eſt ad Divi Joſephi gloriam eas illi vindicare: quia etſi Aureolæ iſtæ dantur ad ornamentum particulare & diſtinctum Sanctorum hujus & illius claſſis ab aliis; Divus tamen Ioſephus ad hoc illis nequaquam indiget, quia ſuâ gloriâ incomparabili ſatis ab aliis Sanctis quantumvis magnis diſtinctus eſt: Cùm enim ſit, ut diximus extra omnem comparationem, ita ut unum ordinem cum Sponsâ ſuâ, & Chriſto filio ſuo conſtituat, non eget alio ornamento diſtinctivo: ipſius enim gloria tota quanta eſt, cum ſit extra omnem comparationem, & ponat eum extra ordinem aliarum creaturarum, eum ſufficienter ab omnibus aliis diſcernit & ſeparat, & ſic tota ipſius gloria, ſingulariſſima ipſi Aureola eſt. XIX.

# TRACTATVS SECUNDUS.

## DE CULTU SEU Invocatione Divi Joſephi.

HIC à gloriâ internâ Divi Joſephi quam in ſe habet, ſenſim dilabimur ad externam, quæ illi debetur & à nobis ei defertur ratione iſtius prioris, quâ in ſe Beatus eſt: de quâ ejus gloriâ externâ, ideſt Cultu, ſuppoſitis illis quæ de Invocatione Sanctorum in genere docent ſolidiſſimè noſter Thomas Waldenſis, Cardinalis Bellarminus & alii ſine numero: Tria illi ſpecialia hîc tractatum imus. Primùm, de ipſo Cultu, ideſt de illius ortu, progreſſu, & ſtatu. Secundùm, de modo eum colendi. Tertiùm, de motivis. Igitur ſit

### CAPUT PRIMUM.

*Quid cauſæ eſt quod cùm Divus Joſephus ſit tantus, tamdiu tamen latuit, eique debitus ex meritorum culmine honos tam tardè delatus?*

QUALE fuerit præteritis retrò ſæculis in Eccleſiâ de Divi Joſephi vitâ beatâ ſilentium, quis ignorat? egregia illius facinora denſo velamine opertâ fuêre, alto preſſa ſecreto ejus magnalia I.

summa: an non meritò hoc plures tenet attonitos?

II. Quod vita ejus hîc fuerit abscondita cum Christo in Deo transeat, amât Sancti hîc sub humilitatis latêre sipario: sed quod illa fœlix & Beata Cœlo clausa fuerit, & tot retrò sæculis terris fermè incognita, quis non vehementer miretur? nam si ut hactenus fusè ostendimus, ille fuit supra cœlites omnes à Christo prædilecto filio suo electus & dilectus, nempè ut Pater, ergo ex justitiæ dictamine nobis etiam debet esse præ illis amabilis. Cur ergo non in eo pretio ab illis qui nos præcesserunt habitus?

III. Abiêre tot sæcula cùm Magdalenæ, Augustini, Pelagiæ, Mariæ Ægyptiacæ, Cypriani, ex peccatoribus Sancti, ex magis Martyres effecti, in Ecclesiâ colebantur, de illis festi dies, sacrique fiebant cantus, extabant memoriæ, Templa, Basilicæ, Statuæ, votiva anathemata, &c. de Divo Iosepho vix ulla mentio, vix unum tribus aut quatuor sæculis antiquius Cultus externi monumentum. Quot Sanctis statim à morte delati divorum honores volente & promovente Deo? nonne Divo Alberto Carmelitæ necdum tumulato, jacentibus adhuc in feretro & in medio Templi Choro Sacri Corporis exuviis, duo Angeli summo tenuem per auram æthere lapsi, Missam *Os Justi* pro Missa *Requiem*, coram Archiepiscopo Messanensi & Clero, Rege Siciliæ & Curiâ, Magistratu & Plebe intonantes, Cultum Sancti protinus ei adhibendum indicarunt? Si ergo D. Josephus tantus est, quantum fecimus illum in præcedentibus, cur non idem huic quod illi vel istis præstitum? cur non ejus merita citò ut illorum detecta?

IV. Si respondeamus alia multa similia inveniri in historiâ Ecclesiasticâ inter illa nostrâ ætate idest circa annum 1625 Beatæ Rosaliæ Virginis Panormitanæ corporis exuvias nonnisi post 500. annorum latebras Deus Opt. Max. patefecit, & miraculorum multitudine & gloriâ ad salutem Siciliæ totiusque Italiæ coruscare fecit, dum per eadem communem pestis luem omnia populantem stitit & sustulit: quibus sexcenta alia similia addere possem, sed supersedeo, tunc quia unicuique sunt obvia & possunt esse facilè nota; tum quia brevitati studens causam non paginam implere ambio: nullum tamen tale ut D. Josephi qui omnibus major diutius tamen omnibus ignotus in obscuro delituit. Quid ad hoc?

V. Respondeo primò, certum est Ecclesiam tunc non ignorasse aut Deum ignorari voluisse magna hujus Sanctissimi inter omnes Viri merita, sed voluit tunc tantùm tegi: ex quo nihil amplius ei de suâ magnitudine decessit quam Deo qui per tot annorum millia fuit majori orbis parti incognitus, immò vilissimus creaturis qui pro ipso colebantur posthabitus. Quomodò enim illa ejus merita & quam clarè patefecit tunc Divo Augustino & aliis? quomodò & quam clarè Divus Augustinus ea nobis in scriptis suis manifestata reliquit? sed noluit tunc Deus ut nunc ad ista attendi, quare hoc? certè cum Deus ita tunc detexerit, non tamen tunc ita attendi voluerit, non est dubitandum quin hoc ex particulari Divinæ Providentiæ ordine processerit: Porrò ex tunc ita detexit ut videremus non fuisse tunc ab eo neglectum, sed noluit tunc ut nunc ejus merita à se detecta attendi, ut si non videamus, saltem palparemus ipsum habuisse justissimas causas ita faciendi: & hoc nobis sufficere debet, *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit?* Rom. c. 11. vers. 34. verumtamen post subjugatum & captivatum in obsequium fidei intellectum, ei aliquid concedendum quo certo modo in hoc dubio quietari possit. Quare

VI. Respondeo secundò, Deus homo factus per 30. annos totos ita latuit, ut nesciatur quid toto illo tempore egerit: & postea ita divinitatis suę radios cohibuit, ut nonnisi pauciissimi eum cognoverint, & Joannes Baptista, qui non erat dignus ei corrigiam calceamenti, solvere, ipsi tamen prælatus fuerit, quandoquidem adhuc non ad istum miserunt Judæi Sacerdotes & Levitas, ut ex ejus ore acciperent an Messias esset? Et 2. Reg. cap. 23. vers. 8. dicitur non de Davide, ut voluerunt aliqui,

aliqui, sed de primo Davidis Duce, & qui primus in fortitudine habebatur, ut vult Glossa Interlin. Vatablus, noster Sylveira in Apocalypsim tomo 1. cap. 3. quæst. 17. numer. 138. & alii. *Sedens in cathedra sapientissimus Princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno: post hunc Eleazar filius Patrui ejus Ahohites, inter tres fortes, qui erant cum David quando exprobraverunt Philistiim, &c. Et post hunc Semma filius Agæ de Arari, &c.* Ecce cùm Ducum quos habuit David nomina exprimantur, ille solus qui inter illos erat primus sine nomine refertur & ignoratur. Eadem ratione latuit Divus Josephus qui tamen est primus, ut hinc seriò discamus præstare esse Illustrem virtute quàm nomine, mereri laudem, quàm accipere, quodque verè ille magnus est, qui coram Deo talis est, etsi ignotus sit omnibus hominibus. In Divo ergo Iosepho præparavit nobis Deus summum exemplum, ex quo disceremus laudes, existimationem, etiam quæ à viris probis & spiritualiter examinantibus proficiscuntur, non esse magnificiendas, curari non debere judicia & gloriam quæ cum tempore volvitur, sed eam quæ perstat cum Ævo sempiterno: Vita nostra abscondatur cum Christo cum Mariâ cum Josepho & lateat in Deo, nisi Deus voluerit illam manifestari, contenti videri, contenti cognosci à Patre, à Deo, qui videt in abscondito, & cui nullum secretum latet.

VII. Dico tertiò, quod in naturâ non ita pridem (ut tamen ait *Balzac* in suo Socrate Christiano Gallicè conscripto disc. 10.) inventum esse genus aromatis omnium præstantissimum, cui nomen apud Gallos *Ambre gris*, cujus, inquit Scriptor ille, nullum apud Græcos nisi recentiores reperies vestigium; pigmenti genus toti Antiquitati, Romanæ etiam quamvis Judaicæ longè posteriori omninò ignotum, non quod non existeret tunc in rerum naturâ: sed quia nondum in cognitionem & cõmercium hominum venerat: fœtus erat quem per millena annorum lustra natura in suo sinu absconditum tenuit, quodq; & Græcorum & Romanorũ luxui ac deliciis defuit, cùm nec his, nec illis vocabulum supperat quo thesaurum illum exprimant. Delicium itaque fuit posteritati reservatum, ultimum fortè munus quod orbi natura habebat offerendum. Quidni gratiam dicam eodem fermè modo Divum Josephum meritis adeò sublimẽ, ut nullus illi æqualis, tamdiu nobis occuluisse, rarum ex eo munus nostris factura temporibus? An hoc ita contemnendum?

Dico quartò, Ecclesia in modo colendi Sanctos non semper nititur majori Sanctitati, ut notat Suarez in 3. part. Divi Thomæ quæst. 29. art. 1. & 2. disput. 8. sect. 2. Nec quod ille sit semper Sanctior, de quo Ecclesia majorem facit solemnitatem, minùs Sanctos de quo minorem, ut patet primò in Divis Stephano & Laurentio, quorum Festa majori ritu celebrat, quàm plurium Apostolorum. Secundò, ex Divo Augustino serm. 20. de Sanctis, ubi docet. *Post illum Sacrosanctum Domini Natalis Diem, nullius hominis nativitatem legimus celebrari, nisi solius Ioannis Baptistæ.* Et Serm. 21. *Natalem Sancti Ioannis, Fratres Charissimi, hodie celebramus, quod nulli unquam Sanctorum legimus fuisse concessum: solius enim Domini & Beati Ioannis dies nativitatis in universo mundo celebratur & colitur.* Non ergo tunc Divæ Virginis Dies Natalis celebrabatur: an propterea Divus Joannes Baptista major Beatâ Virgine? aut ejus Nativitas Sanctior Beatæ Virginis Nativitate, quia illa primis sæculis celebrabatur, non verò hæc? Tertiò, quid comparandum Sanctissimæ Trinitati? an ipsius Festum tantâ pompâ & solemnitate celebratur quâ alia etiam nonnullorum Sanctorum? Quot deindè sæcula transierunt antequam hoc Festum celebraretur, cùm interim Sanctorum memoria ageretur? quibus addo quod quemadmodum *Campanilla*) quæ teste Plinio genus est floris campestris) *est rudimentum naturæ lilia facere addiscentis*, ita tot millium Sanctorum cultus, Deo volente, præcedere debuerunt, ut in illis disceremus quem Divo Josepho adhibere debebamus. VIII.

Dico quintò, Resolutio hujus dubii sumitur IX.

sumitur ex ipsâ ratione dubitandi: cur dubitatur quare tamdiù latuerit Divus Josephus, nisi ob ejus supereminentem excellentiam? Sed hæc ejus excellentia, quæ in hoc est quod sit Sponsus Deiparæ & Pater JESU, est ipsissima ratio cur debuit latêre: Nempè periculosum videbatur rudibus ad Fidei Mysteria Gentibus, Divum Josephum magnopere prędicare, cujus commendatio Virginei partus fidem obfuscare & talibus difficilem reddere potuisset. Secundò, cùm priorum Ecclesiæ sæculorum Hæretici non pauci prętractè negaverint Virginis Matris integritatem, & Filii ejus Divinitatem; alii ejusdem Virginis Maternitatem; alii aliis multiplicibus modis suggillarint Dominicæ Incarnationis Mysterium, sub quorum dogmatibus tamdiu Sancta gemuit Ecclesia: Quid quæso contigisset si illis temporibus tam apertè de Divi Josephi cum Deiparâ Conjugio ut nunc disputatum fuisset & resolutum? Quid dixissent tenebriones illi qui asseruerunt Divum Josephum esse Christi Patrem naturalem? Cùm veri Martyres tunc pro defensione novæ Legis & nascentis Religionis mortem constanter oppeterent, utilius tunc illi videbantur proponi honorandi ad excitamentum Fidelium in medio persecutionum constitutorum. Sed fide jam satis roboratâ & Ecclesiastici honore cultus ad eos laudabiliter traducto qui citra sanguinis effusionem egregiis præluxêre virtutum exemplis, cessantibusque aut potiùs profligatis omnibus contra Verbi Incarnationem & Virginis integritatem hæresibus, cessavit & causa de eo tacendi, videturque fuisse rationi consentaneum, ut non amplius prætermitteretur ille cujus tanta laus est in Evangelio. *Certè*, inquit Divus Bernardinus Senensis serm. 3. de Sancto Josepho, *velo olim in Ecclesia tegebatur quantæ dignitatis & sanctitatis esset Joseph Sponsus Virginis, & Pater Christi putativus: sed scissum est velum Templi à summo usque deorsum, & per fidem Christi sacrosancta Mysteria Orbi universo patuerunt: & in hoc Cœlorum regno, idest Ecclesiâ apertum est Dei Templum, & facta sunt fulgura & voces Concionatorum, & secutæ sunt voces Doctorum, quæ de tanto & Sanctissimo Josepho tonuerunt, &c.*

X. Dico sextò, cùm Deus Ecclesiam suam gradatim & sensim perficiat ut docet Divus Gregorius Magnus in Ezechiel. homil. 16. & notare est ex eventis quotidianis, novis Conciliorum Oecumenicorum successu temporum habitorum decretis & Sanctionibus, nonne oportuit quod necessaria præirent utilibus? Ergo sicut fuit tempus quando debuit permitti ut Divus Josephus putaretur Pater JESU generatione, ne ipse spurius, Mater infamis haberetur: ita fuit tempus quando debuit tantùm Pater Putaticius dici & haberi, ut Matris Virginitas, Filii Divinitas melius stabiliretur: quibus demùm perfectè constitutis tanquam Fidei & Religionis nostræ primariis fundamentis, submotisque omnibus adversum hæc dubiis & periculis, fuit tempus quo debitus ei honos redderetur, talisque ab omnibus haberetur qualis revera est, idest nec ampliùs Pater generatione, quod nimium est, nec putaticius tantùm, quod nimis parùm est, sed modo medio inter utrumque, eo scilicet quo supra Parte 2. Tract. 2. explicuimus.

## CAPUT II.

### *Figuris etiam hic Divi Josephi præposterus cultus repræsentatus est.*

I. IN principio in quo tantùm erat Verbum, in immensis illis incogitabilium sæculorum initiis, prædestinavit Deus Pater Divum Josephum Verbi sui ac Filii Patrem aliquando futurum, & idem ipsi quod sibi competeret nomen, ut quemadmodum ipse est Pater Verbi Increati, ita ille ejusdem Verbi Incarnati Pater diceretur, idque ex vero & ex merito. Hinc fit quod sicut in Augustissimâ Trinitate Increatâ Pater Æternus est prima Persona primitate originis & ordinis non dignitatis aut temporis, nam secundùm hoc; In hâc Trinitate nihil prius aut posteriùs, nihil majus aut minus, sed

sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt & coæquales, ex Divo Athanasio in Symbolo, ita in sublimissimâ Trinitate creatâ Divus Josephus primus est non dignitate, sed origine & etiam ordine: Origine quidē quia ut habilior esset & aptior ferendo oneri familiæ, custodiendæ Virgini, educando Salvatori prior ortus est: Ordine verò, quia Vir caput est Mulieris, & Pater Filii: Undè erat subditus D. Josepho Jesus, Lucæ cap. 2. vers. 51. Subdita Maria, ut patet ex ejus loquendi modo ad Filium suum, ibid. vers. 48. *Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te:* Et uterque Deo ita volente; propterea enim Angeli non ad Mariam aut ad Christum, sed ad Josephum tanquam utriusque in familiâ caput mandata Dei in iis quæ hunc & illam tangebant, detulerunt. *Surge & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, &c.* Matth. cap. 2. vers. 13. *Surge accipe Puerum & Matrem ejus & vade in terram Israel, &c.* Ibid. vers. 20. *Et admonitus in somnis secessit in partes Galileæ.* Ibidem vers. 22. ut Dei Divus Josephus verbum faceret, Jesus & Maria Josephi.

II. Ut in magnis illis Patris æterni communicavit Divus Josephus, ita & in humilibus: absconsus ille absconsus & Divus Josephus. Enim verò habent Filius & Spiritus Sanctus suos dies in Ecclesia festos, eosque solemnissimos, nullum Pater Æternus: sic obscura fuit usque ad novissima tempora Divi Josephi in Ecclesiâ memoria, celebris interim plurium aliorum Sanctorum. Et ut hoc ex alto Dei consilio processisse non dubites, accipe hic nonnullas figuras quas Deus præcessisse voluit ut suæ circa hoc voluntatis & dispositionis testes locupletissimos.

III. Prima extat Genes. cap. 41. in Josepho illo antiquo Ægypti Pro-Rege quem nullus ambigit fuisse nostri Sanctissimi Josephi omnium expressissimam & nobilissimam figuram: Hic cùm propter insignem sapientiam suam placuisset Pharaoni Ægypti Regi, elevatus est ab eo super omnes Principes & Regni Dynastas, ita ut Rex uno tantum Regni solio eum præcederet, constituitque eum Pharao non tantùm super domum suam, sed etiam super cunctum populum, ut illis honoris gradu, his præesset prærogativâ potestatis, ac universi ad eum pro annonâ recurrerent: Hæc est umbra futurorum, & figura electionis Sancti Josephi supra Cœlites Ætheris omnes, propter insignem magnamque justitiam suam, meritaque singularissima.

IV. Sed observandum ad præsens propositum nostrum quod primus ille Joseph Ægypti Pro-Rex durantibus fertilitatis annis non fuerit in honore habitus nisi in Regiâ Pharaonis, aut Regno in quo erat exaltatus, sed annis sterilitatis fuit etiam ab extraneis pro remedio famis requisitus: ex quo intelge id quod hîc de Divo Josepho nostro asserimus quod hoc modo explico. Anni fertilitatis in Regno Dei quod est Ecclesia fuêre prima sæcula illa, in quibus tot ferè Sancti quot Christiani, in quibus teste antiquissimo Tertulliano: *Sanguis Martyrum, semen erat Christianorum*, in quibus quo plures demetebat gladius eò plures repullulabant. Anni sterilitatis sunt ultima sæcula, de quibus dicitur. *Cùm venerit Filius Hominis*, ideſt in fine mundi judicaturus eos quos in primo adventu suo redemit, *putas ne inveniet fidem in terrâ?* quanta sterilitas ista? Prioribus sæculis Divus Josephus in Cœli Curiâ à solis Cœlitibus, quibus ejus magnitudo cognita erat honorabatur; sed posterioribus etiam ab extraneis, qui ad ejus patrocinium confluentes opem ejus in necessitatibus suis efficacissimam implorant.

V. Pro secundâ hujus rei figurâ adduco illud ex cap. 48. Geneſis, ubi Jacob aliàs Israel ægrotans à filio suo Joseph invisitur, cujus filios Manassem & Ephraim ad se adductos sibi adoptat, ac ita benedicit, ut manus in formam Crucis cancellatas super eos extendens dexterâ caput minoris, sinistrâ verò majoris tangat, sicque minorem majori præponat. Rem accipe ex ipsâ Sacrâ Scripturâ loco citato. *Cùmq; tulisset eos* (ideſt Manassem & Ephraim) *Ioseph de gremio Patris sui, adoravit pronus in terram, & posuit Ephraim ad dexteram suam, ideſt ad sinistram Israel, Manassem*

*Manassem verò in sinistrâ suâ ad dexteram scilicet Patris, amplexuitq; ambos ad eum, qui extendens manum dextram posuit super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manassæ, qui major natu erat commutans manus, benedixitq; Iacob filiis Ioseph, &c.* Cùmque Joseph apprehensam Patris manum levare vellet de capite Ephraim junioris, & transferre super caput Manassæ senioris, Jacob restitit dicens: *Scio, fili mi scio, & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur; sed frater ejus minor major erit illo..... constituitq; Ephraim ante Manassem.* Ad eundem modum Deus Pater benedicens filiis, idest devotis & clientibus Divi Josephi manus cancellatas extendit, idest benedictiones & fructus Crucis Christi effundit, præferendo in illis eos qui sunt posteriorum seu recentiorum sæculorum illis qui erant priorum seu antiquiorum.

VI. Tertia figura habetur Exodi cap. 25. ubi Moyses dicitur fecisse duos Cherubinos ex utraque parte Oraculi seu Propitiatorii, qui utrumque latus ejus expansis alis tegebant, respiciebantque se mutuò versis vultibus in Propitiatorium. Quid enim Propitiatorium? nonne Ecclesia, in quâ sola remissio peccatorum per Christum? Duo illi Cherubini quid? Cùm ut observavit Arias Montan[us] suo Apparatu, unus illorum C[he]rubinorum fuerit in formâ mulieris, alter in formâ viri: utique duo illi Cherubini fuerunt Maria & Joseph. Quid utrumque latus hujus Propitiatorii nisi utraque Ecclesiæ extremitas, initium & finis. Ergo illi duo Cherubini hinc & hinc ad Propitiatorium constituti, & alis expansis illud tegentes sunt Maria & Joseph Ecclesiæ à Deo Protectores dati, quorum illa ipsi ejus initio, hic verò fini præsidio futuri per hoc præsignificati sunt.

VII. Quarta & ultima. Si Ecclesia est Cœlum, quemadmodum Geneseos cap. 1. vers. 16. Deus in Cœlo fecit duo luminaria magna, luminare majus ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti: ita in Ecclesia sua quæ Cœlum est, posuit Mariam & Josephum: Mariam ut præesset diei idest Ecclesiæ exorienti, in quibus justitia & abundantia pacis; & Josephum ut præesset nocti, idest Ecclesiæ labenti & ultimorum sæculorum, in quibus refrigescente charitate abundavit iniquitas.

## CAPUT III.

### *De Ortu devotionis seu Cultus Divi Josephi.*

DUPLEX à Theologis nostris distinguitur Sanctorum Cultus, unus qui dicitur privatus & particularis, quia non exhibetur tanquam institutus ab Ecclesiâ, neque nomine Ecclesiæ, sed ex particulari devotione & instinctu illius vel illorum qui illum cultum Sanctis adhibent, sive id fiat privatim, sive coram aliis. Alter Cultus dicitur publicus & solemnis, non quod coram aliis, vel à pluribus exhibeatur (hoc enim potest etiam in Cultu privato & particulari reperiri) sed ex eo quod defertur Sancto tanquam institutus authoritate publicâ, idest ab Ecclesiâ, & nomine Ecclesiæ. Ita noster Lezana tom. 1. quæstion. Regular. cap. 12. & tom. 4. verbo, *Reliquiæ Sanctorum*: & verbo *Sanctorum Cultus* & alii, de hoc utroque Cultu hîc, ac primò de particulari & privato, deinde sequenti Sectione de publico. I.

## SECTIO PRIMA.

### *Initium Cultus privati Divi Josephi.*

IN hujus Cultus privati & particularis initio assignando variant Authores. Sunt qui illam revocant ad Sanctam Gertrudem Germanam quæ devixit ab hinc annis circiter quadringentis, cui Deus per revelationem ostendit gloriam Divi Josephi, & præcepit ut ei esset devota; ipsâmet attestante lib. 4. Insinuat. suar. ad Divin. piet. cap. 12. Alii ad S. Brigittam cui idem Deus quod præcedenti jussit videnda quæ ipsa habet lib. 6. Revelat. cap. II.

cap. 59. lib. 7. cap. 25. lib. 9. cap. 58.

III. P. Fullonius è Societate JESU Leodiensis in Commentariis suis ad lib. Machab. 2. cap. 24. sect. 3. num. 14. videtur illum revocare ad D. Bernardum: dicit enim ibi quod olim de Divo Josepho colendo nulla fiebat mentio donec Bernardo Deus eam mentem immisit ut verbis ipsum & scriptis frumenti Electorum Custodem anteferret Josepho alteri qui frumenta Ægyptiacæ genti servavit & partitus est; mox inquit Brigitta, miram in eventis omnibus voluntatis ipsius ad divinam conformationem deprædicavit, tum Divi Bernardinus Senensis & Vincentius Ferrerius Sanctimoniam illius ac gloriam concionibus ac scriptis promulgarunt, idemque præstitit ex Ævi sui doctissimus Cãcellarius Gerson. Ita P. Fullonnius ubi suprà: Sed cùm iste doctissimus Pater hanc materiam non tractet ex professo, sed excurrendo, ut ex ipsomet patet, excusandus est quod veritatem non attigerit.

IV. Altius ergo repetenda est hujus devotionis & Cultus origo: Enimverò de Divi Josephi virtutibus, meritis, sanctimoniâ, excellentiâ & dignitate incomparabili ante D. Bernardum senserunt, dixerunt, scripserunt SS. Patres quàm plurimi, immò ferè omnes à nobis per totum hujus operis decursum relati, & quidem meo videri non inferius D. Bernardo, maximè verò Rupertus ex Monacho Leodiensi Abbas Tuitiensis ad Rhenum ex opposito Coloniæ, D. Paschasius, Theophylactus, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Ephrem Syrus, quem Divus Hieronymus lib. de Script. Eccles. scribit è vitâ discessisse sub Valente Imperatore anno 380. & ante illum D. Justinus Philosophus & Martyr, qui in Apologiâ quam obtulit Antonino Pio pro Christianis supputat annum Christi 150. Nec dubitandum ante Divum Justinum fuisse alios qui nos latent quod eorum scripta propter injuriam illorum temporum perierint: ergo & hi ut D. Bernardus Sancto Josepho devoti.

V. Et verò si D. Bernardum, quia verbis & scriptis eum extulit existimamus ei fuisse devotum, quod non sit credibile ipsum tam sublimiter de eo sensisse, ut constat ex ejus scriptis, & non eum honorasse aliosque ad idem faciendum per eadem induxisse: quare non idem censeremus de aliis SS. Patribus qui tot retrò sæculis ante D. Bernardum, virtutes ejus & magnalia tam eximiè, tam sublimiter, tam magnificè publicarunt?

VI. Inter quos Patres palmas meritò præripiunt illi qui paternitatem ejus ad Christum (ex quâ omnes ejus excellentiæ & magnalia) illustrarunt, quos inter eminent Abbas Rupertus in Matth. lib. 1. cap. 1. D. Chrysostomus homil. 4. in Matth. D. Ephrem, tom. 3. in Margaritam preciosam circa fin. D. Justinus in responsionibus ad Orthod. ad quæst. 66 & ad quæst. 133. alibi à nobis citati. Sed quis in hâc arenâ ita triumphavit ut Augustissimus Augustinus? recolantur ea quę ex ipso adduximus supra part. 2. Tract. 2. cap. 16. & 17. ubi tam copiosè, tam solidè tam mirabiliter hanc Divi Josephi ad Christum Paternitatem explicat & veritatem defendit ut nullus alius sicut ille.

VII. Cùm ergo suppositâ paternitate illâ, prout eam illi ex dictis SS. Patribus asseruimus nihil sit quod non ei debeatur, ut qui eam benè intellexerit consequenter intellecturus sit nihil, excogitari posse, modò non sit contra rationem, quod ei à Deo denegatum sit: quis dubitabit Patres istos qui tam clarè illam intellexerunt, tam subtiliter explicarunt, tam nervosè defenderunt, fuisse ei affectos & devotos? quo pacto enim illi talia & tam sublimiter de eo sentire potuissent, & non ei affici, ex quibus nos licet frigidissimi, & ad pietatem adeò languidi ita accendimur?

VIII. Quod ergo Propheta Regius psalm. 75. vers. 11. de Deo, ego de Sanctis servatâ proportione dixerim. *Cogitatio hominis*, inquit, *confitebitur tibi, & Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi*, hoc est meo sensu, cogitationem Sanctam de Deo, & de Divis qui sunt Deo proximi subsequetur confessio & laus, ita ut impressio quam cogitatio relinquit in animâ hominis (quam impressionem vocat reliquias cogitationis)

tionis) efficiat ut anima illa ei diem festum agat, cujus magnalia per cogitationem agnovit: Quare cùm Sancti Patres tot retrò sæculis tam sublimiter de Divo Josepho senserint omni dubio remoto ei festum Diem in animâ suâ egerunt, & nobis reliquias suarum cogitationnm transmiserunt, ut nos his accensi, ei quoque diem festum ageremus.

IX. Cùm ergò nullum extiterit tempus in quo non fuerint semper aliqui Divo Josepho devoti, quàm antiqua, quàm solida est hæc devotio! nullum certius vetustatis argumentum est, quàm ubi rerum principia parum lucida, ratioque temporum quasi victa videtur. Quare etsi præcisa hujusce devotionis seu cultus privati origo obscurior sit, non ideò tamen ejus antitiquitas ignobilior, quin potiùs è contra ut de hâc usurpare possim quod Lucanus Poëta lib. 10. dixit de Nili origine.

*Arcanum natura caput non prodidit ulli,*
*Nec licuit populis parvum te Nile videre,*
*Amovitq; sinus, & gentes maluit ortus*
*Mirari, quàm nosse tuos.*

X. Sicut ergo fluviorum primi, dum de suo fonte dubios relinquunt investigatores, suam amplitudinem probant maximè, ita etiam hæc Divi Josephi devotio, cùm non sit de numero hesternarum, quas supercilioſi in suspicionem vocare solent, & novitatis arguere Novatores, atque risu excipere Libertini, sed adeò antiqua, ut nullum sit assignabile tempus, in quo non fuerint semper aliqui Divo Josepho benè affecti, proculdubio non potest non ex hoc capite excellêre. Et licet initio videantur fuisse pauci, quia tamen insignes & sanctissimi, non ideò minùs commendabilis: sicut Deus qui initio sibi gloriosum satis judicavit dici Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, cum debuisset dici Deus omnis creaturæ.

## SECTIO II.

### *Initium Cultus publici Divi Josephi.*

COnstat ex dictis superiùs hoc Tractatu cap. 1. non à multis sæculis hoc genus cultus Divo Josepho fuisse exhibitum, nisi in valdè paucis locis, cujus & causas ibi dedimus, hîc conabimur deprehendere quandonam ille sit ei exhibitus. XI.

Nonnulli hujus publici cultus initium revocant ad tempora Gersonis Cancellarii Parisiensis, maximè ab habito per illum sermone in Concilio Constantiensi de Nativitate Beatæ Virginis in quo digrediens ad Divum Josephum Patres Concilii hortatur, ut *Laudis aliquid ei & honoris decernatur ad Ecclesiæ pacem adipiscendam.* Declaratque ibi se agere non pro festo in populo, sed tantùm pro festo in Clero universaliter seu Officio Ecclesiastico. XII.

Confirmant aliqui hanc opinionem ex Jacobo Perez de Valentiâ Ordin. Eremit. Sancti Augustini Episcopo Christopolitano in suis Commentariis in Canticum *Magnificat*, ad illa verba *Fecit mihi magna qui potens est*, ubi ad finem sextæ dignitatis Beatæ Virginis hæc habet: *Vidi sermonem quem Venerabilis ac famosissimus Dominus Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis habuit & fecit in Concilio Constantiensi coram toto Senatu Ecclesiastico, in quo ponit istam positionem*, scilicet de Paternitate Divi Josephi, *quasi ad litteram, qui quidem sermo fuit pergratus & acceptus tota faciei Ecclesiæ ibidem congregatæ: Propter quod jam publicè celebratur Officium Beati Iosephi in pluribus Ecclesiis Galliarum, & specialiter solemnizatur in Ecclesia nostra Valentina Hispaniæ.* XIII.

Verumtamen non rectè: Primò enim in verbis citatis Jacobi Perez non habetur relativum propter quem, ut referatur celebratio Officii B. Iosephi ad sermonem à Gersone habitum in Cõcilio Constantieñ. & significet illud Officium ab isto sermone cœpisse celebrari in Ecclesiis Galliarum: sed est relativum *propter quod*, quod non potest XIV.

referre

referre aliud quàm objectum positionis ipsius Iacobi Perez, quam confirmat per sermonem istum Ioannis Gersonis idest Divi Iosephi Paternitatem, & significat manifestè quod ista Paternitas ex quâ ejus Magnalia cætera, fuerit motivum propter quod ab Ecclesiis Galliarum publicè Officium Beati Iosephi celebratum sit, ex quo nihil sequitur omninò de tempore quo illud incœpit.

XV. Secundò adhuc efficacius, quia ipse Ioannes Gerson à Iacobo Perez citatus in eo sermone quem habuit in Concilio citat Officium antiquum Ecclesiæ Hierosolymitanæ de Sancto Iosepho: unde manifestissimè sequitur ante istud Concilium & Ioannem Gersonem cultum publicum Divi Iosephi extitisse in Ecclesia Hierosolymitanâ.

XVI. Immò cultum aliquem publicum ejusdem Sancti in Cismontanis Provinciis extitisse longè ante istud Concilium ex pluribus antiquis Capellis ei dicatis in Italia & Germaniâ constat: & P. Barry in suo libro Gallicè conscripto cui titulus *La Devotion de Saint Ioseph*, chap. 4. meminit unius antiquissimæ in majori Ecclesia Urbis Papalis Avenionensis, & Confraternitatis ibidem erectæ & perseverantis, ac in dies semper magis florentis, ad quam confluere solent Virgines in die festo Sancti Iosephi ad Missam & Vesperas pro Indulgentiis eidem Confraternitati & Capellæ ab antiquo concessis: cujus devotionis initia idem Pater Barry revocat ad Gregorium XI. hocque conjicit ex aliâ pulcherrimâ ejusdé S. Josephi Capellâ in Ecclesia Sancti Agricolai in eâdem Urbe Avenionensi ab eodem Pontifice erectâ, ut patet ex ejus Gentilitiis insignibus in ipsis lapidibus pluries incisis. Atqui Gregorius ille XI. ascendit ad Pontificatum anno 1371. & è vivis excessit anno 1378. Cùm ergò idem Gregorius XI. Sedem Apostolicam à Clemente V. anno 1305. Româ propter factiones Italiæ Avenionem translatam restituerit Romæ anno 1376. (vide pro his Onuphrium ad istos annos, Genebrardum in Chronico, Ciaconium in Gregorio XI. Bzovium anno 1370. num. 17. & anno 1378. num. 1. Du Pleix in Carolo VI. & alios,) probabile fit omninò Capellam istam fuisse erectam antequam Gregorius XI. Avenione excederet, hoc est ante annum reductionis Sedis Papalis Romam qui fuit annus 1376.

XVII. Hinc idem P. Barry & alii ad hoc tempus initium Cultus publici Divi Josephi revocant. Potestque hæc sententia hoc modo probari, quia ex dictis initio hujus Sectionis, ille solus Cultus est publicus & solemnis qui Ecclesiæ authoritate quæ residet penes Summum Pontificem defertur: sed ante hunc Cultum nullus potest assignari ex authoritate Summi Pontificis Divo Josepho exhibitus, hic ergo erit omninò primus. Respondeo ante istud tempus cultum publicum fuisse adhibitum Divo Josepho ex consuetudine, sciente nec improbante Pontifice, quare hæc consuetudo habuit vim legis ex tacito consensu Principis.

XVIII. Illustratur hæc Responsio nam ante Sanctum Swibertum Episcopum quem ad devotam Caroli Magni Imperatoris, & Hildebaldi Colonienſis Archiepiscopi instantiam canonizavit Leo Papa III. anno 804. pridie nonas Septembris, ut refert S. Ludgerus in Epistolâ de miraculis Sancti Swiberti c. 9. apud Surium Tomo 2. & apud Baronium Tomo. 9. Annal. ad istum annum nullus legitur à Summis Pontificibus solemniter canonizatus: Et certum est ex historiâ Ecclesiasticâ antiquitus homines Dei, voce populi fuisse canonizatos & pro talibus à fidelibus habitos & honoratos: imò usque ad Alexandrum III saltem usque ad Innocentium III. licuisse Episcopis in suâ Diœcesi canonizare Sanctos, & proponere illos colendos docet noster Thomas Waldensis tomo 3. de Sacrament. tit. 14. cap. 122. & Cardinalis Bellarminus lib. [illegible] de Sanct. Beatit. cap 8. & patet ex Divo Cypriano lib. 3. Epistolar. Epist. 6. & ex multis Sanctis qui coluntur in certis Provinciis ab immemorabili tempore qui sunt omninò ignoti in aliis: quemadmodum de Simeone Metaphraste patet ex Concilio Florentino Sess. 7. ubi Patres Latini asserunt dictum Simeonem Metaphrastem in Ecclesiis Græcorum

coli pro Sancto, cujus nulla usquam apud Latinos extat memoria.

XIX. Porrò ab Alexandro III. & Innocentio similiter III. non amplius licuisse, docet noster Lezana, quia hi Pontifices propter abusus notabiles qui irrepserant circa hanc cultus Sanctorum materiam pro quibus vide Sulpitium in vitâ Sancti Martini Turonensis Episcopi & alios & c. *Audivimus* extra de reliquiis & Sanctorum veneratione, prohibuerunt ne quis deinceps publicè coleretur ut Sãctus nisi de expresso consensu & approbatione Summi Pontificis, ut constat ex eodem c. *Audivimus*, & optimè quidem quia in aliis quibuscumque præterquam in Summo Pontifice Petri Successore non est illa infallibilitas, quæ necessariò requiritur in hâc materiâ.

XX. Instabis ante Alexandrum III. non constat D. Josepho fuisse adhibitum cultum publicum, cum ergo iste Pontifex ascenderit Cathedram, anno 1159. & sederit annos 22. non licuit postea Divo Josepho cultum publicum adhibere sine Summi Pontificis authoritate, & omnis qui fuit ei ab eo tempore sine illâ adhibitus, si quis fuerit non debuit censeri publicus & solemnis, atqui ante Gregorium XI. nullum legimus & de Summi Pontificis consensu adhibitum, ergo standum in Sententia Patris Barry: Respondeo dato & non concesso antecedente, pro quo vide infrà dicenda maximè cap. 4. Nego consequentiam, quia etsi Alexander III. & Innocentius III. reservarint sibi potestatem Sanctos in posterùm canonizandi, non tamen adhibendi cultum publicum illis qui jam ante ipsos habebantur ab Ecclesia pro Sanctis, cum fuerit liberum Episcopis & Capitulis Generalibus Ordinum etiã illis qui ab ipsis Pontificibus eorum successoribus semel canonizati fuissent decernere illis officium, vel sub hoc aut illo ritu usque ad tempora nostra quibus jam & officium & officii ritum sibi sancta Sedes reservavit: quare cum Divus Josephus cui tanta laus est in ipso Dei Evangelio nunquam non fuerit habitus Sanctus ab Ecclesiâ, potuit jure mertio ab Ecclesia Hierosolymitanâ & aliis coli, & hic cultus fuit verè publicus.

Dico ergo hujus cultus publici palmas videtur omninò sibi vindicare Sancta Ecclesia Hierosolymitana, nec immeritò, cum enim in omnibus aliis Sanctis eorum cultus ut plurimùm cœperit à loco ubi aut nati, aut educati & mortui sunt: æquum omninò fuit ut cùm tempus advenit quo Deus voluit Divum Josephum veneratione esse, ibi cultus illius inciperet ubi natus, educatus & mortuus est: præter hanc congruentiam adduco quod habet Joannes Gerson Serm. de Nativitate B. V. ad Patres Concilii Constantiensis ubi probat Divi Josephi sanctificationem in utero ex antiquo officio Hierosolymitanæ Ecclesiæ, ergo ante Concilium Constantiense Ecclesia Hierosolymitana ei cultum publicum adhibuit, ergo etiam ante Gregorium XI. inter quem & dictum Concilium mediant tantùm 36. vel 38. anni, quandoquidem Gerson in isto sermone habito in Concilio Constantiensi probans Divi Josephi in utero sanctificationem probet illam non ex officio Hierosolymitano tantùm sed antiquo: quale non posset dici si non præcessit istud Concilium plusquam 36. vel 38. annis. XXI.

Ad hoc quoque evincendum adduco frequentes observationes. Prima, quod in Ordine nostro quâcumque per orbem diffuso, Officium de Sancto Iosepho tamdiu factum est, quamdiu ab Ecclesiâ Hierosolymitanâ, cùm nunquam alio Breviario usus fuerit Ordo quàm Breviario Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ideò proculdubio quia in ejus sinu hæc Alma Religio sumpsit suum exordium, ibique prima Sedes mansit, & illius caput sedit usque ad tempora Beati Alani Generalis inter Latinos ordine quinti, ideſt usque ad annum 1289. quo trucidatis à Sarracenis in Monte Carmelo Religiosis nostris, reliqui ad has partes Europeas migrare coacti sunt: propter quod etiam nunc nonobstante Bullâ Pii V. de anno 1558. quæ incipit, *Quod à nobis*, de accipiendo ab omnibus Breviario Romano ab ipso approbato idem retinent Breviarium: quia cum Ordo usus esset Hierosolymitano plusquam ducentis annis ante Pianam istam constitutionem, XXII.

stitutionem, per eandem ab illius observatione manstit omninò exempta.

XXIII. Secunda observatio, quod in Breviario hujus Ordinis Parisiis anno 1517. typis de Marneff impressio (in quo ad 19. Martii Festum & Officium D. Josephi sub ritu duplici) ponitur in ejus limine Rubrica una de particularibus Ordinis Officiis ab Ordine isti Hierosolymitano Breviario adjectis, prout sequitur de verbo ad verbum.

XXIV. *Capitulum Generale in Monte Pessulano celebratum, & aliud Bononiæ celebratum, & aliud Bruxellæ celebratum, & aliud Aureliaci celebratum, & aliud Nemausi celebratum, & aliud Neapoli celebratum; hæc, inquam Capitula multa ordinaverunt seu statuerunt circa divinum Officium, quæ breviter sequuntur. Primò, quod Commemoratio Beatæ Virginis fiat semel in Hebdomada per Adventum extra ultimam Septimanam, fiat etiam feriâ tertiâ in Rogationibus. Secundò quod Gloria in Excelsis dicatur in Missâ solemni de Beatâ Virgine. Tertiò quod Antiphona Salve Regina &c. Versus, Ora pro nobis, &c. Et Oratio Protege Domine, &c. dicantur in fine omnium horarum ante fidelium animæ, & in fine Missæ excepto triduo ante Pascha. Quartò, quod fiat Officium de Sanctis quorum corpora requiescunt in Conventibus nostris, & de Sanctis quorum in Villis ubi Fratres morantur solemne festum celebratur, & de Sanctis quorum Capella vel Altare infra proprium Conventum habetur, & de Sanctis quorum sunt nomina, Apollonia, Barbara, Martialis, xj. mille Virgines, Saturninus, Sorores B. Mariæ, Basilius, Cyrillus, Angelus, Baudelius, Erasmus, Eliseus, Albertus, Ianuarius, Geraldus, Hilarion, Papias & Maurus, Faustinus & Iovita & Honorius. Quintò, quod parvæ Horæ nostræ Dominæ mutentur pro parte per Adventum, & à Nativitate Domini usque ad peractam Octavam Purificationis. Sextò, quod in die animarum, & omnibus Feriis secundis fiat Processio pro defunctis. Septimò, quod fiant Octavæ solemnes de Epiphaniâ, de Ascensione, de Corpore Christi: de Angelis, de omnibus Sanctis, & de Dedicatione, & de Beatâ Mariâ Magdalenâ. Octavò, quod fiat Festum totum duplex, vel duplex de omnibus illis Sanctis, & Octavæ, in quorum diebus & octavis Indulgentiæ in Mari Magno concessæ sunt. Et sunt hæc festa Nativitas Domini, dies Parasceves, Pascha, Pentecostes, Conceptio, Nativitas, Præsentatio, Annuntiatio, Visitatio, Purificatio & Assumptio Beatissimæ Virginis; Sancti Martyres Fabianus & Sebastianus, duo Festa Sanctæ Crucis, Nativitas Sancti Ioannis, Festum Apostolorum Petri & Pauli, Michael Archangelus, omnes Sancti, & Vocabula Ecclesiarum nostrarum. In his omnibus solemnitatibus & per earum octavas maximæ Indulgentiæ in nostris Ecclesiis habentur, &c. Hæc breviter recollecta quando & quomodo fieri debeant in suis locis declaratur.* Hæc Rubrica illa.

XXV. Cùm ergo omnia festa Breviario Hierosolymitano ab Ordine adjecta incipiendo à Capitulo Montis-Pessulano de anno 1321. usque ad Capitulum Neapolitanum de anno 1510. inveniantur in hâc Rubricâ Breviarii nostri Parisiis anni 1517. apud Marneff impressi, in eâ verò non reperiatur Festum Sancti Josephi, nec etiam in aliis præcedentibus Capitulis Generalibus usque ad Tholosanum de anno 1306. inclusivè, quorum acta seorsim ad cujusque illorum annum referuntur à Patre nostro Lezanâ Tom. 4. Annal. Ordinis (nam de anterioribus nihil dicere possum cum de illis nihil extet eodem P. Lezanâ assentente) signum est manifestissimum quod ante omnia illa Capitula, erat jam Festum Sancti Josephi in Breviario Hierosolymitano, propter quod non fuit necesse illud cum aliis per acta illorum Capitulorum ordinari adjiciendum dicto Breviario quo Ordo utebatur: vel dicatur per quam rimam intraverit Divus Josephus in Breviaria Ordinis illo anni 1517. ex quo Rubrica illa hîc sub num. 24. relata antiquiora, quale inter illa est illud quod extat in Bibliothecâ nostrâ Leodiensi, quod Bruxellis anno 1480. 16. Maii absolutum est operâ Fratris Valentini Colonienſis.

XXVI. Objicio ego ut nihil videtur voluisse occultare, licet in Rubricâ istâ non fiat adjectio Divi Josephi ut aliorum, ad Breviarium Ordinis, invenitur tamen in actis Capituli Generalis Nemausensis anno 1498. ordinatum ut fiat Officium de illo. Probatur ex

nostro

nostro Lezanâ Tom. 4. Annal. ordin. qui ad istum annum 1498. hæc refert: ex libro Ordinis fol. 75. *Quoad Decreta hujus Capituli Nemausensis hæc sunt præcipua. Primum circa divinum Officium, quod per totum Ordinem fieret quotidie in Vesperis & Matutinis, nisi impedimentum evenisset memoria de Sanctis Alberto & Angelo. Item quod de Beatâ Mariâ Magdalena fierent Octavæ solemnes. Præterea quod de Sancto Ioachimo fieret festum duplex decimâ Septembris, sicut de S. Iosepho.*

XXVII. Respondeo hæc objectio plus habet apparentiæ quàm virium, nam præterquam quod invenitur festũ D. Josephi & Officium in Breviario præfato de anno 1480. hæc ultima verba: *Præterea quod de Sancto Ioachimo fieret festum duplex 16. Septembris sicut de Sancto Iosepho.* Non significant simultatem institutionis utriusque Festi, scilicet Sancti Joachimi primò, & secundò Divi Josephi, ut vult objectio; sed significant institutionem Festi Sancti Joachimi ad normam & similitudinem Festi Sancti Josephi, idest ut fiat Festum Sancti Joachimi sub ritu duplici *sicut* fiebat Festum Sancti Iosephi.

XXVIII Confirmatur primò, hæc responsio ex dictis, constitit enim ex Gersone citato longè ante Concilium Constantiense quod absolutum fuit anno 1418. idest octoginta annis totis ante istud Capitulum Generale Nemausense, Festum Divi Josephi relatum fuisse in Breviarium Ecclesiæ Hierosolymitanæ, consequenter & in Breviarium Carmelitarum, ergo non loquitur hoc Capitulum Nemausense de primâ institutione Festi S. Josephi.

XXIX. Confirmatur secundò, hæc responsio ex Breviario illo anni 1480. de quo suprà num. 25. isto Capitulo antiquiore in quo reperitur officium proprium Divi Josephi idque sub ritu duplici, nihil verò de Sancto Joachimo, ergo verba illa Capituli Nemausensis: (*De Sancto Ioachimo fiat Festum duplex 16. Septembris sicut de sancto Iosepho,*) posterioris tempore isto Breviario, non possunt significare simultatem institutionis utriusque festi, sed rectè explicantur dicendo significare institutionem Festi S. Ioachimi ad normam festi quod fiebat de Sancto Iosepho, scilicet sub ritu duplici.

Addo etiam hoc posse confirmari evidentissimè ex eo quod in verbis illis Capituli Nemausensis non assignatur Divo Iosepho dies pro ejus Festo seu Officio, sicut assignatur Divo Joachimo: nimirùm quia ante Divus Josephus habebat suum diem non Divus Ioachimus, nempè decimamnonam Martii, prout de facto invenitur habere in isto Breviario anni 1480. quem diem semper retinuit Ordo, & tandem tota Ecclesia, rejectis aliis assignavit pro eodem Divi Iosephi Festo. XXX.

Constat ergo ex his omnibus Ecclesiam Hierosolymitanam etiam ante annum 1306. coluisse Divum Iosephum cultu publico, quanto verò tempore ante, nihil certi dicere possum, quia nulla istius Ecclesiæ monumenta vel Breviaria supratactis antiquiora ad manus meas pervenerunt ut hanc rem ulteriùs scrutari possem. Vide tamen ea quæ infra ad finem Sectionis sequentis num. 38. & 39. ex P. Bollando & Sociis. XXXI.

## CAPUT IV.

### *Corollaria ex dictis.*

REVOCANDUM hîc quod diximus Capite præcedenti, Carmelitas nullo unquam alio quàm Ecclesiæ Hierosolymitanæ Breviario usos, cùm nec nunc ab alia mundi plagâ in hanc transplantati, & per orbem quâcumque diffusi, alio utantur quàm compacto juxta istius Ecclesiæ antiquam consuetudinem, quam constanter retinuerunt, & retinent annuentibus summis Pontificibus. Ex quo sequitur manifestè Carmelitas quâcumque per orbem diffusos, si non ante, saltem ab eodem tempore quo Ecclesia Hierosolymitana cultu publico & solemni coluisse Divum Iosephum. I.

Secundò revocandum ex dictis Capite præcedenti præcipuè num. 25. cultum hunc publicum & solemnem Divi Iosephi apud Carmelitas præcessisse annum 1306. qui fuit decimus-septimus transmigrationis eorum è II.

Terrâ

Terrâ Sanctâ in Europam propter persecutionem Saracenorum, quodque ex tunc ideſt anno 1306. Ordo ultra Provinciam Terræ Sanctæ numerabat in his Partibus decem alias Provincias ut patet ex libro Ordinis apud noſtrum Lezana in Annalibus ad iſtum annũ. Tempore verò Concilii Conſtantienſis ultra dictam Provinciam Terræ Sanctæ fuiſſe numeratas in Capitulo Generali habito anno 1416. in Conventu Balneo-larum in Provinciâ Narbonenſi, viginti unam Provincias: nempè primam Siciliæ, ſecundam Angliæ, tertiam Narbonæ, quartam Romæ, quintam Franciæ, ſextam Alemaniæ inferioris, ſeptimam Lombardiæ, octavam Aquitaniæ, nonam Hiſpaniæ, poſtea dictam Caſtellæ, decimam Hiberniæ, undecimam Provincię. duodecimam Scotiæ, decimam-tertiã Tuſciæ, decimam-quartam Bononiæ, decimam-quintam Tholoſæ, decimam-ſextam Cathaloniæ, decimam-ſeptimam Alemaniæ Superioris, decimam-octavam Vaſconiæ, decimam-nonam Turonię, vigeſimam Bohemię, vigeſimam-primam Aragoniæ: ita noſter Lezana tomo 4. Annalium Ordin. ad annum 1416. Ex quo ſequitur cùm iſtæ Provinciæ eſſent ante Concilium Conſtantienſe quando Gerſon cœpit agere apud Patres iſtius Concilii pro introducendo in his partibus univerſaliter Sancti Ioſephi Feſto in Clero, Carmelitas in iſtis Provinciis ante omnes alios Divum Ioſephum cultu publico coluiſſe & in ſuis Eccleſiis Officio Eccleſiaſtico honoraſſe.

II. Tertium Corollarium: ex quibus vide an non cum maximo fundamento dici poſſit, non enim audeo aſſerere etiam quod tam clarum videtur propter æmulos quibus hodie non caremus, ab hoc Ordine tanquam à fonte primario devotionem Divi Ioſephi ſaltem in Europeis Partibus fluxiſſe ac derivaſſe; maximè cùm & per illos eam Deum promoviſſe conſtet, ut infra dicemus.

III. Certè cùm Divus Ioſephus tamdiu latuerit, & cùm eſſet tantus, tot ſæculis tamen honore ſibi ex meritorum ſuorum culmine debito caruerit propter Beatam Virginem Deiparam, ut patet ex dictis ſupra hoc Tractatu cap. 1. Nonne propter hoc videbatur illa teneri ut tempore præordinato ipſamet illum ei procuraret: in hoc autem quos rectius impendere potuiſſet quàm illos qui toti ſui ſunt, ideſt Carmelitas.

IV. Hoc ut & alia multa per probationes quas vocant probatas, inſtrumenta ſcilicet ipſius Ordinis authentica, ſine dubio confirmare poſſemus, niſi illa ut alia multa periiſſent in illâ deſolatione Terræ Sanctæ generali, quæ contigit anno 1289. quando Patres noſtri avitâ ſuâ Sede pulſi ſunt, exuſtâ funditùs in ipſo Carmeli Monte primariâ Ordinis Domo, & rerum ad Ordinem pertinentium nobili Archæo.

V. Illas porrò quas ſupra adduximus, non eſſe leves aut parvi pendendas, ſuadent regulæ juris ſequentes: Prima, *In antiquis non requiruntur exactæ probationes, ſed deficientes etiam admittuntur*, c. in cauſam de probationibus. Menoch. Conſultat. 147. Barboſa, & alii. Secunda, Probatio evidens etiam dicitur quæ reſultat ex bonis conjecturis, l. *Si quis locuples*, c. de manu teſtam. Nota in l. *Licet Imperator de leg.* Et eſt communis & uſitata inter Doctores. Tertia, *Præſumptio probat plenè in iis quæ ſunt conſonæ veritati.* Bartol. in l. 2. in princip. in 2. col. verſ. *Quærit*, Gloſſa 1, in lect. Nicolai de Neapol. ff. de excuſ. tutor. Bertachinus in Repert. 4. p. verbo *Præſumptio.* Quarta, *Præſumptiones duæ ſimul junctæ plenam faciunt probationem.* Gloſſa l. *Inſtrumenta*, c. *de probationibus*, & alibi.

VI. His adjicio quæ eâ de re ſcribit Pater Bollandus cum ſociis in Actis Sanctorum menſe Martii tomo 3. ad 19. diem in Sancto Ioſepho §. 3. ubi hæc leguntur. Feſtum Sancti Ioſephi circa « tempora Sancti Hieronymi, vel ante « apud Hieroſolymitanarum Laurarum « Monachos, cum ingenti veneratione « celebrari cœpit. Latini verò intra nu- « dam commemorationem ſtetiſſe vi- « dentur uſque dum Chriſtianorum re- « bus in Oriente collabentibus Carme- « litana Religio ſæculo undecimo & « duodecimo fœliciter ſub uno Capite « in quandam Europæi Monachatus «

„ formam coalita, tandem etiam ipsa
„ in Europam migravit, ubi Hierosoly-
„ mitanæ Ecclesiæ ritus & officium
„ Græcum, quo primitus utebantur in
„ Latinæ Lyturgiæ atque Psalmodiæ for-
„ mam paulatim commutarunt, servatis
„ tamen præcipuis quibusdam antiquo-
„ rum Ordinis Patronorum festis, inter
„ quæ credibile est hoc ipsum Sancti
„ Josephi fuisse.

VII. „ Etenim in Ecclesiastico Officio ad
„ honorem Sancti Josephi ordinando
„ primos fuisse, & cum Ecclesiis aliis
„ tum ipsi Romanæ præviisse Ordines
„ mendicantes ex ipsorum Breviariis
„ constat: quinam autem priores quam
„ qui in Oriente jam pridem consueve-
„ rant illud annuè celebrare?

## CAPUT V.

### *De progressu devotionis Divi Josephi.*

I. NOMEN Joseph quo non sine divino nutu insignitus est Virgineus Virginis Matris Sponsus significare apud Hebræos idem quod incrementum sive augmentum apud Latinos, omnibus compertum est: Quare dum de Joseph ex Jacob & Rachele Patriarchâ è duodecim uno dicitur Genesis cap. 49. vers. 22. *Filius accrescens, Joseph filius accrescens*, voluit per hoc Scriptura significare quod juxta sui præsagium nominis futurum erat, ut etiam contra nitentibus fratribus ex Dei Providentiâ in dies magis semper & magis crescceret, prout de facto crevit, atque adeò ut in Regno Ægypti esset primus à Rege: Cùm igitur hic esset figura nostri Sancti Josephi ut toties diximus, proculdubiò in eo tanquam in typo ostendere voluit Deus quid aliquando in nostro Divo Josepho per istum præfigurato in veritate complendum erat.

II. Nonne enim postrema sæcula viderunt hunc nostrum Sanctum semper magis ac magis crescere? nonne viderunt, inquam, gloriam ejus accidentalem, ideſt honorem, cultum & invocationem inter fideles non Orientis nostri tantùm sed etiam Occidentis incrementa semper in dies capessere majora? & videbunt futura, Deo afflante (ita suadent præsagia) semper & semper majora.

Porrò ut hujus devotionis progressus & incrementorum aliquam tibi Lector ob oculos imaginem ponam familiarem, considera aquæ tramitem: hic quantumvis in suo fonte exiguus, dum tamen per longa spatia decurrit, confluentibus hinc inde, quâ transit, in ejus alveum frequentissimis aliis rivulis magis & magis intumescit, & tandem in fluvium magnum excrescit: ita planè hujus Sanctissimi Patriarchæ devotio, initio quidem ad paucos, ita volente ad tempus Deo restricta fuit, sed dum per sæcula decurrit, crebris Sanctorum Patrum laudibus, & encomiorum accessibus exundavit: quod ita verum est, ut quo longius per tempora diffunditur, eò amplius & amplius exuberare conspiciatur, ut proinde dicere possim, & ut quidem reor satis aptè quod quemadmodum ille ignis sacer qui in imo putei absconditus diu delituit cum abducerentur in Persidem Judæi, inde tandem multis annis de post sub Nehemiâ eductus in aquâ crassâ, cum tempus affuit, quo Sol refulsit qui prius erat in nubilo, repentino miraculo excitatus est, adeò ut ex modico aquæ crassæ accensus sit ignis magnus lib. 2. Machab. cap. 1. Ita omninò Divus Josephus olim ex amore divino eum inflammmante totus ignis, tot retro actis sæculis ob heterodoxorum perfidiam in latebris positus, & à paucis agnitus, Sole justitiæ Christo qui prius erat in nubilo tàdem refulgente, dissipatis, inquam, hæresum nebulis prodiens, tam gloriosè magnificatus est & exaltatus, in tantam laudum, votorum, encomiorum, communium toto Orbe solemnitatum copiam exurrexit, ut verè juxta sui præsagium nominis sit, *filius accrescens Joseph filius accrescens*, ideſt nullus sit accrementi terminus, ut proinde quod ei laudis & honoris per præterita decesserat sæcula, abundè per exuberantiam præsentium compensetur.

III.

IV. Cœpit ergo ab initio nascentis Ecclesiæ hujus Sanctissimi Patris JESU devotio,

devotio, & ab inde per SS. Justinum Martyrem, Ephrem Syrum, Irenæum, Gregorios Nazianzenum & Nyssenum, Chrysostomum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Joannem XLIV. Patriarcham Jerosolymitanum, Paschasium, Chrysologum, Euthymium, Theophylactum, Rupertum, Bernardum, & mille alios decurrens, nec amplius in tam angusto alveo arctari sustinens, exuberavit & in publicum Cultum erupit ac deinde primum suum alveum, suum Hierosolymitanæ in quam Ecclesiæ sinum excedens, expandit se ad omnes Europæ Provinvias, & ab his ad totius orbis Ecclesias.

V. Ejus rei figura fuit Josephus Antiquus de quo in Genesi legitur, quod cum adhuc puer esset, prætereuntibus Ismaelitis traditus ab iis in Ægyptum adductus est ita disponente Deo, per quem orbis sterilitati provisum esse volebat: datis enim ibi virtutis ac sapientiæ suæ incomparabilis signis, tandem agnitus exaltatur ac tandem primus in Regno Pharaonis Princeps salutatur. Habes figuram, accipe veritatem. Vix erat natus Divus Josephus in cordibus fidelium Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quin ille cum eâ propter ejusdem sterilitatem in bonis operibus videbatur exscindendus: sed Carmelitis sub idem tempus ab illis oris ad has partes transeuntibus ab eis hic adducitur, ubi agnitus, & in grandi pretio habitus, tandem usque adeò crevit, ut primus Regni Cœlestis Princeps habeatur.

VI. Viam illis præstruxerat Deus per apparitiones & revelationes factas personis Sanctis in eundem finem, quarum unam vide apud Laurentium Surium ad septimam Aprilis in Sancto Hermanno Divi Norberti Candidi Ordinis Præmonstratensis Fundatoris & Patris Filio non degeneri circa annum 1235. ideò deinceps Joseph nuncupatus.

VII. Alia sub idem tempus contigit Sanctæ Gertrudi Germanæ quæ devixit circa annum 1280. scribit lib. 4. Insinuat. ad Divin. Pietat. cap. 12. quâdam die Annuntiationis Beatæ Virginis, qui & Dominicæ Incarnationis sibi, dum Horis Matutinis operam daret, apparuisse B. Virginem cum amantissimo Sponso suo Divo Josepho, & innumerabili SS. multitudine, vidisseque omnes Sanctos ad prolationem venerabilis nominis Joseph ad ipsum se convertere eique reverentissimè caput inclinare, congaudentes ei & applaudentes de ejus summa elevatione. Ex quo proculdubio dabatur Gertrudi intelligere, quandoquidem omnes Sancti ei inclinarent, cum etiam omnes in gloria præcedere: secundò quandoquidem hoc in festo Dominicæ Incarnationis ei exhiberetur, significabatur quod etsi Christum actione propriâ non genuerit, ipse tamen suam partem haberet in hoc divinissimo Mysterio isto die in castissimâ conjuge suâ Spiritu sancto ei pro se obumbrante mirabiliter operato, & ideò Sanctorum coronam ei inclinare.

VIII. Successit illis non diu post ex Sueciæ Regno fœmina primaria, sancta inquam Brigitta Principissa vidua à revelationibus famosissima, cui Deus uti & præmemoratæ Sanctæ Gertrudi Germanæ planè jussit ut esset huic Sanctissimo Patri suo, & Matris suæ Sponso castissimo devota: videnda ipsamet Brigitta lib. 6. Revelat. cap. 59. lib. 7. cap. 25. & lib. 9. cap. 58.

IX. Aliam refert Pater Bollandus cum Sociis in Actis Sanctorum tomo 2. Mensis Martii in vitâ Beatæ Catharinæ Bononiensis cap. 6. num. 59. sub his verbis. Dum autem Catharina in " dispertiendis ad januam Monasterii " eleëmosynis assiduitate & sollicitudine " pari versatur, accidit ut ad portam " Monatterii aliquoties eleëmosynæ pe- " tendæ causâ sisteret sese venerabili " gravitate Senex, cui illam Beata Ca- " tharina hoc quoque nomine impertie- " batur libentius, quod intellexisset bo- " num illum Virum ad omnia Palestinæ " loca Incarnati Verbi Mysteriis conse- " crata peregrinâdum accessisse, amabat " enim ab eo quærere & discere varia " pietati suæ alendæ oportuna circa situ " naturamq; locorum istorũ. Hic quodam " die eâdem ex causâ ad portam accessit " Monasterii, acceptâque eleëmosynâ " tradidit ei scutellam parvulam, non ex " terra Pozzelanâ, aut Majolanâ, sed " misturæ incognitæ ac transparentis, "

„ quam dicebat eam ipsam esse, ex quâ „ Puerulo JESU potum porrigere solita „ fuerat Virgo Mater Sanctissima, ro- „ gabatque ut servare penes se vellet, „ dum eam redux requireret. Implevit „ ea oblatio miro gaudio Catharinam: „ Peregrinus autem reversus deinde „ nunquam est, neque de hoc facto „ amplius aliquid sciri potuit ex Catha- „ rinâ, nisi hoc solùm, quod Virum „ illum minimè crediderit fuisse è mor- „ talibus unum, sed Sanctum Josephum „ Christi Nutricium, per quem Deus „ hanc sibi gratiam voluerit facere: Quo „ autem fundamento id crederet nun- „ quam patefecit. Divinâ Revelatione „ edoctam fuisse probabilis foret conje- „ ctura. Ex hinc certè castissimo Mariæ „ Sponso devotissima fuit, Bononiam- „ que abitura Scutellam prædictam Ab- „ batissæ tradidit eâ conditione, ut die „ Festo ipsius Sancti in Altari ad Populi „ Fidelis solatium exponeretur, redde- „ retur autem Peregrino qui dederat, si „ eam aliquando petiturus rediisset. Ser- „ vatur igitur, exponiturque hoc modo „ in Ferrariensis Ecclesiæ Monasterio, „ admoveturque infirmis, istud cum fi- „ de postulantibus, qui si sanandi sint, „ odorem ex se suavissimum illa reddit: „ morituri creduntur si absque odore „ permaneat.

X. Sunt & aliæ multæ similes Apparitiones & Revelationes quibus Deus accreturæ velificatus est Devotioni. Finio per illam quam refert Sanctus Vincentius Ferrerius serm. de Nativit. Domini de quodam Mercatore Hispano ex Urbe Valentinâ, qui quolibet anno in Festo Nativitatis Domini invitabat ad prandium pauperem senem & mulierem aliquam similiter egenam gestantem in sinu pusiolum, in memoriam quod isto die non fuit Christo, Mariæ & Josepho locus in diversorio: qui cùm post multos annos expletæ constanter istius devotionis, mortuus esset, fuit revelatum quod in ipsius morte apparuerunt ei Sanctissima Virgo cum Filio suo & Sancto Josepho cum sic affati: *Quia tu vivens recepisti nos in domum tuam, ideò te morientem recipiemus in domum nostram.* Hæc Divus Vincentius Ferrerius qui obiit anno 1418. Ex quibus omnibus evidèter patet cultum Divi Josephi cœpisse validari seu incrementa capere ante tempora Concilii Constantiensis.

Immò Joannes Gerson in suâ Josephinâ quam certissimè scripsit ante sermonem habitum in isto Concilio, meminit variorum dierum in quibus tunc à variis ejus festum celebrabatur: sic enim ille ibi. XI.

*Nec tamen est obitus certa dies quam signant*
*Hanc varii, vàriè pro religione colendum.*
*Est Februarius, est & Martius, est & December:*
*Primi nona dies, cum deno nona secundi,*
*Alterius decima, per quosdam & nona notatur,*
*Sit quæcumque dies, sua nobis est mors honoranda.*

Idem Ioannes Gerson anno Domini 1413. hoc est ante Concilium Constantiense quod incœpit anno 1414. in Exhortatione ad Ducem Bituricensem pro Solemnizatione festi Sancti Josephi part. 4. Oper. hæc habet in fine, *Scriptum anno Gratiæ 1413. die Sancti Clementis Papæ cui successit magnus tuus & bonus Amicus sanctæ memoriæ Papa Clemens VII. qui (ut dignâ fidere-velatione cognovi) in veneratione & devotione singulari habebat Sanctum Joseph, sicut etiam nostri temporis magnæ scientiæ & probitatis viri habent & habuerunt: quemadmodum Cardinalis Cameracensis Præceptor meus, & bonæ memoriæ Frater Petrus Burgundio Cœlestinus, cui (ut dicere solitus erat) singularis erat Patronus & refugium, cujus sæpius expertus fuerat auxilium in suis & aliorum necessitatibus tanquam per miraculum. Et postremò Magister Henricus (hic quotplurimùm famatus & antiquus in Universitate Parisiensi Clericus, Theologiæ Doctor, paulò ante in obitu suo & suprema voluntate reditus misit in Ecclesia Carnotensi, ut loco obitus sui fiat commemoratio Sancti Josephi, &c. & omnes hi super hâc reliquerunt scripta quidem plena scientiæ & devotionis, &c.* Hæc Gerson. Ex quibus manifestum evadit quod cultus & devotio D. Josephi ante Concilium Constantiæ non tantùm apud particulares, sed etiam apud plures Ecclesias incrementa capere incœperat. XII.

Audiendus

XIII. Audiendus eâ super re Sanctus Bernardinus Senensis qui ab hominibus demigravit anno 1443. cùm vixisset annos sex & sexaginta juxta Chronologiam P. Iacobi Gaultier sæculo 15. Hic tomo 3. serm. de Sancto Iosepho artic. 2. cap. 2. præfata sic confirmat. *Certè velo olim in Ecclesia tegebatur quanta dignitatis & sanctitatis esset Ioseph Sponsus Virginis, & Pater Christi putativus; sed scissum est velum templi à summo usque deorsum, & per fidem Christi sacrosancta Mysteria orbi universo pervenerunt, & in hoc cœlorum Regno, ideò Ecclesia, apertum est Dei templum, & facta sunt fulgura & voces Concionatorum secutæ sunt voces Doctorum, quæ de tanto & Sanctissimo Iosepho tonuerunt concionibus, & scriptis celebrarunt.*

XIV. In quibus verbis advertenda ista particula *olim*, quæ significat aliquod tempus notabile, quod præcesit illud quo hoc dixit Divus Bernardinus, & quo *velum templi scissum est.* Et certè omninò necessarium est quod intercesserit aliquod notabile tempus inter illud, quo verum fuit dicere velo adhuc objectum fuisse, & illud in quo tot potuerint voces Concionatorum ita tonuisse, & scripta Doctorum ita illis succesisse, ut possit dici velum templi scissum, ut notitia illius tunc pervenerit ad orbem universum: fatendum tamen est statum Devotionis & Cultus Divi Iosephi annis ab ejus ortu usque ad Concilium Constantiense fuisse exiguum si comparetur cum eo ad quem assurrexit ab indè. Nec mirum.

XV. Hoc enim meo videri exinde contigit quod maxima pars Prælatorum tam Diœcesum quàm Ordinum Religiosorum totius Europæ essent ibi congregati in Concilio, qui cùm ex hujus cultus incrementis quotidianis ab aliquot annorum lustris ipsis non omninò ignotis, & notitiâ meritorum Divi Iosephi propriâ & particulari essent ad illum valde dispositi, accedente demùm efficaci illâ Gersonis Viri tunc summæ authoritatis exhortatione, Patrum Concilii, & omnium Patrum Patris Martini V. Summi Pontificis ibidem electi & præsentis applausu, afflante etiam Divino Numine, dum ad propria reversi, pro zelo quisque suo in Ecclesiis vel Ordinibus suis invexerunt; eo ferè modo quo dum tempus advenit divinitùs præordinatum propagandæ per totum orbem fidei Christianæ: Rem ita moderata est Divina Providentia (quæ attingit à fine usque ad finem fortiter & suaviter) quod ad illius promulgationem per Apostolos in die Pentecostes, adessent Parthi, Medi, & Elamithæ, & qui habitât Mesopotamiam, Iudæam, Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum, & Partes Lybiæ quæ est circa Cyrenem, & Advenæ Romani, Iudæi quoque & Proselyti, Cretes & Arabes, Actorum cap. 2. ut per illos deinde ipsa ad omnes illas mundi plagas deportaretur.

Addunt nonnulli Moderni cultum XVI.
Divi Iosephi universalem fuisse in isto Concilio institutum, & ab inde in omnibus Ecclesiis receptum, licet ab aliis citiùs, ab aliis verò tardiùs. Nec referre quod hæc institutio non reperiatur interacta istius Concilii: id enim provenire indè, vel quod illa jam non extent integra, vel quod cùm inter Acta Conciliorum non soleant referri nisi fidei dogmata, potuit fieri quod hoc utpotè meræ Politiæ externæ inter illa non fuerit relatum, vel denique si ista non placent quod hæc institutio fuerit tantùm vivæ vocis oraculo, vel per applausum omnium Patrum Concilii facta.

Sed hoc non placet, tum quia om- XVII.
ninò certum est extare illius Acta Concilii, tum quia constat inter illa relata fuisse alia quàm dogmata fidei, & aliqua minoris considerationis quàm sit istud de institutione Festi alicujus. Quod autem dicitur de vivæ vocis oraculo tam facilè negatur quàm facilè asseritur, cùm nullus Author synchronus, aut illorum temporũ vicinus istius oraculi meminerit, imò nec ipse Gerson, cujus tamẽ maximè intererat, cùm ipse pro isto festo tam zelosus esset & pro eo obtinẽdo ad Concilium istud peroraſſet. Quod verò de applausu Patrum Concilii dicitur facilè crediderim, si ab illis decretum fuisse non

addatur, si enim hoc decretum adjeceris, oppono semper Gersonem tacentem & peto probari.

XVIII. Accedit quod si hoc Festum in Clero fuisset institutum à Patribus istius Concilii, ex tunc fuisset Officium Divi Josephi insertum Breviario & Missali Romano, quod tamen non contigit nisi post plurimorum annorum de post lapsum ut constat: quod sanè argumentum est invincibile non existentiæ istiusmodi institutionis.

XIX. Voluit nimirùm Deus ut suspicor hunc Patris sui cultum esse ultroneum & ex affectu ac devotione populorum, meritisque Divi Josephi in dies magis ac magis se manifestantibus non ex necessitate procedere, ut ille cordis in tabulis non in lapideis inscriptus nullâ unquam oblivione deleretur.

XX. Quare licet cultus & devotio Divi Josephi fuerit in isto Concilio commendatus, multumque Patribus dicti Concilii placuerit, ita ut ab inde cœperit valdè augeri, non tamen tam citò ubique receptus, sed ab his prius, ab ab istis posteriùs; in quibus primum locum sibi vendicarunt pleræque Ecclesiæ Galliarum & Valentina Hispaniarum ex dictis suprâ cap. 3. sect. 2. num. 14.

## CAPUT VI.

### *Incrementa hujus Devotionis potiora à Sanctissimâ & Seraphicâ Theresiâ Carmeli filiâ, & Carmelitarum Sorore & Matre Amplissimâ.*

I. QUOD ab illâ Seraphicâ *Teresâ* hoc est ex Græco sonó juxta P. nostrum Leonem à S. Joanno in Conc. de ipsâ. *Admirabili, miraculosâ, prodigiosâ, seu ter ipsa*, Divi Josephi devotio & cultus incrementa fecerit potiora, ut in argumento, vix ullus est qui de devotionis istius nostro Ævo progressibus scripsit qui id non asserat, nullus qui contrarium.

II. Audiendus inter illos P. Bollandus cum sociis suis in actis SS. mensis Martii Tomo 3. ad 19. Martii de S. Josepho §. 9. qui de Sodalitiis Divo Josepho dicatis loquens hæc habet: Carmeliticus Ordo uti fuit in hoc genere primus, quantum quidem verisimili conjecturâ assequimur, sic ubi ad primævum disciplinæ spiritusque rigorem cœpit per Sanctam Theresiam à Jesu renovari, languentem quoque erga sanctum Domini Nutricium devotionis affectum tantoperè inflamavit, unàque cum Monasteriis suis toto Orbe Christiano propagavit, ut qui ex vitâ & scriptis sanctæ Reformationis cognoverunt quàm ardenter erga ejus honorem cultumque raperetur, neque satis noverant quamdiu ante ejus tempora Ecclesiæ Orientales seu Latinæ eundem recepissent, existimaverint huic Sanctæ gloriam illam reservatam fuisse divinitus, ut per eam ignotum obscurumque eatenus Sancti Josephi nomen & meritum fidelibus inciperet innotescere, atque in pretio & deliciis esse. Multùmq; profectò ipsa hùc contulit, solita hunc Dominum & & Patrem vocare suum, primum inter cœlites post uxorem filiumque eidem honoris locum tribuere, habère advocatum & intercessorem pro suis necessitatibus ordinarium; per quem cùm multa Deum orasse se diceret, nunquam meminerat tulisse repulsam, &c. quæ pluribus ipsamet prosequitur cap. 6. vitæ suæ. Hæc Bollandus citatus.

III. Devotionem hanc quam aliis erat aliquando tam largiter per se & per suos fidelibus inspiratura Teresia, unde hausit? nonne ex Ordinis Spiritu in quo illa fuit ab antiquo ut vidimus? eam in ipsâ magis accendit Beatissima Deipara, dum ei præcepit ut esset ipsi devota: flammas ejus etiam auxit dum aliquando ei cum eodem Sponso suo apparens manifestavit ejus venerationem & cultum sibi summoperè placere, & vehementer commendatum esse: ex quibus quid mirum quod adeò in illius amores exarserit, ut vix ullum alium Patronum aut intercessorem apud Deum habere videretur? nulla enim erat necessitas, nulla difficultas, in quâ non ad ipsum recurreret Theresia, nulla in quâ ab ipso opem

opem non referret hinc ipsa citato capite sexto vitæ suæ sic ait: *Non recordor me quidquam ab eo petiisse quod non obtinuerim.* Ac rursus ibidem? *Mirabile est*, inquit, *quot quantisq. gratiarum ac subsidiorum beneficiis, per hunc Sanctum me Deus cumulavit, & ex quantis cùm animæ tum corporis periculis eripuerit. Videntur Sanctis aliis ad particularia aliqua beneficia gratiæ speciales collatæ: At Sanctus Ioseph, ut ipsa in me aliisq. multis devotis ei personis experimento dedici ad cujusvis generis auxilia efficaciter probatur invocari, ut indicare velle videatur Deus se quemadmodum dum in terris existeret ei subditus fuit, ita & in Cœlis ad omnes illius nutus condescendere, & velle ipsum ab omnibus honorari quandoquidem ipsemet eum honoravit.*

IV. Porrò ut appareat nostram Theresiam à Deo electã ut hujus Sanctissimi Proto-Patriarchæ cultum promoveret, quod argumẽtum illo fortius, quod scilicet Christus Dominus ei apparens visibiliter jusserit ut ipsa quantùm posset & per se & per suos illius honorem amplificare studeret: In quo præcepto cùm sit valdè singulare & honorificum tres partes sunt considerandæ: Prima, ut cultum Divi Josephi amplificet: Secunda, ut quantùm posset amplificet: Tertia, ut per se & per suos hoc modo amplificet.

V. Quantùm ad primum: Cùm jàm de facto illius cultum multi etiam Sancti conati fuissent promovere ex instinctu, devotione, & affectu particulari, & de facto promovissent, tuncque promovere continuarent, imò & ipsa Theresia hactenus in illius augmẽtum non segniter incubuisset; tunc ei additur præceptum, quo ipsa inter omnes eligitur & destinatur à Deo ut ad eum quantùm per se & per suos potuerit amplificandum incumbat, ad quod confortatur illâ cœlesti apparitione & pleriisque aliis.

VI. Quantùm ad secundum: Quandoquidem ei præcipitur ut quantùm posset illum amplificaret, ex hoc colligo Deum tunc efficacissimè voluisse ut cultus ille amplificaretur quantùm amplificari poterat. Certè ad hoc Theresiæ nostræ electio congruentissima apparet, nam qua ratione melius amplificari potuisset quàm per tantam Heroinam, & suos tot & tantos, toto terrarum orbe diffusos & diffundẽdos, jubente Deo, ac cõsequenter illis dante ut amplificare possent modo quo volebat?

VII. Quantùm ad tertium patet admirandam illam Viraginem & Matrem amplissimam primariò & suos à Deo specialissimè electos ad illius cultus amplificationem: & hoc est horum & illius non modica gloria. Nimirùm ut Deus Carmelitici Instituti Professoribus est usus ut huic cultui saltem ut est publicus, initium daret, quemadmodum supra insinuavimus, ita videbatur æquum, ut eam toto orbe universalem & celebrem facturus iisdem hanc provinciam committeret: ut proinde Carmelitarum Cœtui candido inter alia illud debeat orbis quod tanti Tutelaris merita plenè agnoverit, ejusque potentissimo præsidio usus sit.

VIII. Ex his tribus unum restat enucleandum, qui sint illi qui veniunt intelligendi in isto Dei ad S. Theresiam præcepto sub nomine *suorũ*, per quos sicut & per se præcipitur cultum istum amplificare quantùm posset? Respondeo breviter intelligi omnes omninò Carmelitas. Ratio est, quia tunc Sancta Theresia non erat separata à nobis, quia ipsa Sanctissima Mater suam Reformationem instituit sub eodem habitu, colore, forma, sub eâdem regulâ ac sub obedientiâ ejusdem Capitis quo cæteri; ab eâ nunquam se separavit dum vixit, atque sub eâ eandem Reformationem suam tenuit in quâ & mansit usque ad Capitulum Generale Cremonæ celebratum anno 1593. circiter undecim annis post mortem Seraphicæ Matris, in quo propter eorum stupendam in tam exiguo tempore multiplicationem, & ob id necessitate exigente fuit eis ibidem præsentibus & in eo Capitulo vocem & locum habentibus permissum sub certis conditionibus habere proprium Generalem, à quo secundùm sua particularia Statuta regerentur. Secundò, quia & ipsa Excalceatorum nostrorum Reformatio propter certas causas divisa est in duas, scilicet Congregationem Hispaniæ, quæ est primaria; & Congregationem Italiæ, quæ ei accessit, & hæ sub

sub duobus Generalibus: si ergo illæ duæ Congregationes propter dualitatem Generalium, non faciunt duos Ordines: quare propter diversitatem Generalium Congregationes illæ in Ordine facerent alium Ordinem ab antiquo distinctum? Quare nostri Excalceati non aliud vocabulum assumunt quàm istud, *Frater N. N. Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, Congregationis Excalceatorum, &c.* & prudentissimè: attendunt enim ad petram undè excisi sunt, & ad cavernam laci de quâ præcisi sunt: attendunt ad Eliam Patrem suum & nostrum, & ad Theresiam quæ peperit eos, & quæ unum nos vocavit & eos. Tandem quia post obtentum Generalem pro suâ Congregatione, Clemens VIII. in litteris suis Apostolicis expeditis die 23. Martii 1594. & die 20. Augusti 1603. (quas postea confirmavit Paulus V.) ad favorem nostrorum Excalceatorum, declaravit illorũ Congregationem esse unum de quatuor Ordinibus Mendicantibus, scilicet Carmelitarum, eique ob identitatẽ illius cum Ordine primario, competere omnia omninò privilegia quę Ordini: & reciprocè Clemens X. in Bullâ datâ Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 31. Octobris 1670. Pontificatus sui anno primo, quæ incipit, *Ad uberes bonorum operum fructus*, omnia & singula quæ Congregationi Excalceatorum concessa fuerunt Ordini Carmelitano competere propter eandem rationem. Ultimam hanc Bullam dare, ad calcem hujus Capitis non pigebit aliis relictis, quia in hâc illud quod in aliis exprimitur.

IX. Cùm ergò unus sit Ordo ex Calceatis Patribus & Discalceatis, ergò omnes Carmelitæ sunt unius corporis membra, seu, ut ait Apostolus, membra de membro, & consequenter omnes intelliguntur sub isto præcepto facto divinitùs Sanctæ Theresiæ: alii ut Fratres, alii ut Filii. Nec ubi jura nihil distinguunt, nos quidquam distinguere debemus.

X. Non etiam aliter Patres nostri sub Generali Antiqui Ordinis senserunt: Hi enim eandem sibi Provinciam demandatam existimantes in idem non impigram navarunt operam: Cùm in toto Ordine quâcumque per orbem diffuso, passim Festum Sancti Josephi unum sit ex primariis, in quo eædem propositæ ubique Indulgentiæ, quæ apud Excalceatos nostros, Conciones à celebrioribus habitæ, & in eo promovendo semper desudatum à nostris celebrioribus Doctoribus & Concionatoribus, ut patet ex eorum de illo Libris, Tractatibus, Concionibus: inter quos eminuerunt præcipuè Patres *Hieronymus Gratianus* libris quinque de Sancto Josepho. *Thomas Beauxamis* Ecclesiastes ordinarius Christianissimi Regis, tum in suis Concionibus, tum in suis Commentariis in Evangelia præclarissimis. *Petrus Petrini*, & *Leo à Sancto Ioanne*, ejusdem Christianissimi Regis post præfatum Thomam Beauxamis, successivè Concionatores Ordinarii. *Christophorus Avendano* Catholici Regis Ecclesiastes summus, & totâ Hispaniâ, imò toto orbe famosissimus: cujus Conciones adhuc ipso vivente 14. vicibus in omni linguâ recusæ. *Anastasius Cocheletius* Hæreticorũ Belgii malleus, *Ioannes Cheron*, *Daniel à Sancto Iosepho* in Concionibus de illo impressis. *Ioannes à Sylveira* Lusitanus in suis doctissimis in Evangelia Commentariis passim per quinque tomos. Reverendissimus *Franciscus Suarez* Magni Cairi Episcopus, Christianissimæ Reginæ Annæ Austriacæ à Concionibus & Consiliis. *Matthias à Sancto Ioanne* Provincialis Turoniæ tomo 2. part. 4. suæ Hyst. Panegyr. de Ord. Carm. & alii sine numero.

XI. Emicuit præcipuè in hoc antiquo Ordine, & sub illius Generali nostra Reformatio, quæ incœpit à Conventu Rhedonensi in Armoricâ anno 1604. antequam Reformatio S. Theresiæ ad Provincias Galliarum transisset: Cujus Primarii Patres se totos Sanctissimo Proto-Patriarchæ devovêre: Et meritò quidem, Primò, quia certum illis est Sanctissimam Virginem, quæ Ordinis est (ut etiam pronunciavit Romæ Sacra Rituum Congregatio in suo Decreto de 29. Junii anni 1670.) *Singularissima Patrona*, ardentissimè percupere, ut castissimo Sponso suo honos pro meritis reddatur, idcòque id imprimis

primis expectare ab illis, utpotè qui sunt Filii, Fratres, & Domestici sui. Secundò, quia certum est etiam, & illis notum extitit, quod, ut tales, speciali quodam jure pertineant ad Divum Josephum, utpotè Sanctissimæ Virginis verum Conjugem: qui proindè legitimè præsumere potuerunt se vicissim à Divo Iosepho, ut Domesticos, ut Fratres, ut Filios, aspici & haberi: quemadmodum enim ille titulo matrimonii jus Patris acquisivit in Christum ut suæ Conjugis filium, quem proindè ut filium suum adspexit, amavit, curavit, tractavit: sic credibile est eodem titulo Carmelitas ad illum pertinere, & in ejus possessionem transisse, atque ab ipso tanquam rem propriam haberi, tractari, amari, curari. Cùm ergo hæc illi probè scirent, nec ignorarent se ad hanc suam Reformationē fulciendam potenti auxilio indigere, non aliud duxerunt requirendum, quàm Divi Iosephi, quod non ignorarunt esse omnium potentissimum, & propter rationes mox tactas futurum promptissimum.

XII. Quare à præfato Conventu Rhedonensi incipientes, primò ipsum sicut & Reformationem, quam ab eo auspicabantur, ejus clientelæ subjecerunt, atque solemni promissione voverunt se ejus honorem quantùm in ipsis foret zelaturos, quam promissionem mox ibidem cœperunt exequi tanto fervore, ut Festivitas Sancti Josephi in isto Conventu, sit una ex primariis totius illius nobilissimæ & inclytæ Civitatis, in quâ unum est ex septem Regni Parlamentis: moxque eâdem Reformatione sub ejus potenti & efficaci Patrocinio, non sine amabili stupore, radices agente: cùm eis à Familiâ illustrissimâ novum Monasterium oblatum esset, non alium illius Titularem & Tutelarem voluerunt quàm Divum Josephum. Quod exemplum postea imitatæ sunt aliæ Ordinis Provinciæ in Galliâ, Germaniâ, Belgio, Poloniâ, Italiâ, & Hispaniâ, apud quas hæc Reformatio dimanavit, in quibus & nova Cœnobia ejus honori condita sunt, & antiqua ejus Festum cum maximâ solemnitate, Indulgentiis, Encomis, Concionibus in ejus laudem celebrant: ac omni die in Precibus Vespertinis, ante Benedictionem Superioris post examen Conscientiæ totius diei in Choro vel Oratorio domestico, post Beatam Virginem, & ante Sanctum Patrem nostrum Eliam, Responsorio, Versu, & Oratione salutatur.

Hæc porrò observare volui, tum ut XIII.
nostri instituti Professores suorum vestigia Patrum præmentes, nunquam obliviscantur, hoc divinum ad Theresiam suam præceptum illos tangere, seque, tanquam in id cœlitus destinatos, cum eâ collaborare debere, ut quantum fieri per eos poterit, hic cultus semper magis ac magis crescat & augeatur; primò, in nobis ipsis, deinde in aliis: tum etiam ut ex hoc candidus Lector percipiat studii & conatuum meorū in hoc opere rationem: videatque quo impulsu illud aggressus sim, ut si minus dignè pro argumenti merito locutus sum, excusset imperitiam, qui videt voluntatem.

Porrò ut ad rem nostram à quâ non XIV.
inutiliter, quantùm quidem reor, nonnihil sumus digressi redeamus, his cœlestibus monitis obtemperans Seraphica Mater, Primò, ipsam suam congregationem ipsius Clientelæ subjecit, quæ & ipsum à cunis suis ut patronum suum singularissimum agnoscit, quem & ipsa Congregationis Fundatorem appellare solebat, & Congregatio mirandorum progressum suorum in tam exiguo tempore promotorem veneratur: de quo sub nomine & titulo Patroni fecit semper officium & solemnitatem ubique gentium primariam, ut patet ex Manuali Divinorum Officiorum istius Congregationis, quod fuit primum ab istâ Congregatione ordinatum in Conventu Sancti Hermenegildi Madritensi idibus Augusti anno 1590. undecim annis post obitum S. Theresiæ, Reverendis Patribus Nicolao à Jesu Maria Vicario Generali Congregationis (necdum enim tunc habebant Generalem) Ambrosio Mariano, Joanne Baptistâ, Antonio à Jesu, Joanne à Cruce nunc Beatorum Catalogo à Summo Pontifice adscripto, & Gregorio à sancto Angelo ejusdem Congregationis Con-

filiariis seu Diffinitoribus: ubi & in Officio, & in Missâ Festi Sancti Josephi ponitur sic, *In Festo sancti Ioseph Confessoris, Genitricis Dei Sponsi, & nostræ Congregationis Patroni.*

XV. Quare & ipsa Seraphica Mater ex hoc, non tantùm primum ejusdem suæ novæ Congregationis Monasterium, prout Christus ipse ei jusserat, ejusdem nomini & honori nuncupatum esse voluit, sed & omnia penè quæ vivens ipsa extruxit (extruxit autem licet inops Virgo duo supra triginta, omnibus humanis auxiliis destituta, immò adversantibus plerumque Sæculi Principibus) promovente utique abs dubiè unico Patre suo (sic Divum Josephum vocitare solebat pia filia Theresia) & Patrono potentissimo æquè ac benignissimo.

XVI. Quàm Sanctissimæ Matris pietatem pii filii incitati, ipsâ mortuâ vix ullum per totum orbem terrarum excitarunt Monasterium, quod non ei etiam consecrarint, & ejus nomine insignitum esse voluerint: ut proinde Sanctissimus Joseph, non tantùm istius Congregationis nostri Ordinis toto Orbe diffusæ, sit tutelaris à Christo filio & Sanctissimâ Virgine conjuge ejus datus, & à Seraphicâ Theresiâ adlectus, sed etiam singulorum ejus Monasteriorum titularis: propter hoc verò quantis fuerit cœlestibus cumulata benedictionibus quis edicat? Quoties illa Sanctissima Mater illius modò solius, modò cum Conjuge suâ Deiparâ, modò cum hâc & Christo Domino visitationibus consolata est? Quoties ab illo evidenter miraculosè in suis necessitatibus adjuta? quoties in morbis periculosis, & discriminibus mirabiliter ab eo erepta? & quantis ô Deus Immortalis! in his omnibus perfusa gaudiis? quàm divinis incensa amoribus, ut patronum illum suum tam sibi præsentem, potentem, benignum, providum, faventem, amabilem, magis & magis deperiret?

XVII. Zelum verò illius ad extra pro ejus honore propagando quis exprimere possit? experta quippe ipsa tam mirabiliter in se hujus devotionis uberes fructus, quomodò charitate incensa non optasset ad omnes tam divitem dimanare fontem? Et à Deo jussa, quomodò illa non obsecuta fuisset, quæ sibi etiam ex non præceptis, sed cognitis tantùm melioribus, tam arduam ex voto legem fecerat?

XVIII. Cœpit ergò illa cum suis, idest Fratribus & Filiis huic sibi cœlitus injuncto strenuè incumbere operi; cœpitque Deus eorum piis conatibus per infinita miracula velificari, quorum nonnulla suo loco dabimus, idest sequenti Tractatu: eoque affectu, zelo, & fervore rem istam undique per se & suos prosecuta est, ut cùm ante Theresiam necdum relatus esset Divus Josephus in Breviarium Romanum, & nec dum à plurimis veneraretur Ecclesiis, brevi temporis spatio, benedicente Sanctis ejus & suorum Carmelitarum conatibus Deo, ita profecerit, ut non tantùm ab omnibus totius orbis Ecclesiis receptus sit, sed etiam ut vix ullus reperiretur pius & fidelis, qui non ipsum in Patronum & in præcipuis, quidem adlegisset; vix ulla esset Civitas, in quâ non aliqua illi ædificaretur Ecclesia, vel Capella; vix ulla Ecclesia, in quâ non esset saltem aliqua ipsius Statua; vix ulla domus, in quâ non aliqua ejus inveniretur imago.

XIX. Hinc omnes quotquot ab inde fuerunt hoc ævo omnium Statuum & Ordinum magni nominis Viri, magnanimæ hujus Viraginis & suorum præclarissimis excitati exemplis efficacissimis, victi rationibus, conatuum attoniti successibus, certatim & quasi per æmulationem sese eis adjunxerunt, atque in idem, in quod ipsa & illi incubuerunt, ingentibus dico animis, quâ votis, quâ encomiis, quâ scriptis, quâ concionibus, tam sanctum & tam evidens ex Deo opus promovere: hincque laudes ejus solemnius semper, semperque solemnius celebrari perrexerunt, ac tandem conspirantibus in singularem ejus venerationem concordi animo, omnibus, pusillis & magnis, nobilibus & plebeis, Principibus & subditis, Ecclesiasticis & Religiosis, Clero & Populo, factum est, ut Fidelium pietas Ecclesiæ Decreta prævenerit, diesque ejus debita (ut meritò illis persuasum fuit) gratitudine,

gratitudine, beneficiorumque ejus novorum religiosâ præstolatione ultrò sanctificatus sit, teste Matthia Navæo Doctore & librorum Censore Duaceno in Encomiis Sancti Josephi orat. 1. habitâ Duaci anno 1626. ad finem. Meritò justissimèque id sibi persuadentibus omnibus, quod quem Conditor ac Redemptor noster filiali, ut Patrem amantissimum, atque ut Sponsum lectissimum Conjugali Virgo Deipara honore & amore prosecuti sunt, hoc est singulari, & cui nullus similis; speciali etiam ac præcipuo quodam Religionis cultu ab omnibus esse suspiciendum & celebrandum: Ut proinde à tempore Theresiæ Sanctissimæ impletum cernamus, quod Isidorus Isolanus 3. parte, cap. 6, quasi prophetico prænunciavit spiritu abhinc annis 160. circiter. *Spiritus sanctus non deficiet à movendis cordibus fidelium, donec omne Imperium militantis Ecclesia exultans, divinum Iosephum nova prosequatur veneratione, condat cœnobia, Ecclesias ac Altaria in ejus erigat honorem. Festa celebrabuntur, & ei vota vovent, & solvent cuncti populi: aperiet Dominus aures præcordiorum intellectus, & viri magni scrutabuntur interiora Dei dona vbscondita in sancto Iosepho, & invenient thesaurum optimum, qualem apud Sanctos Patres veteris Testamenti non invenerunt: Pinguedo enim & abundantia donorum spiritualium in sancto Iosepho spiritualiter micuerunt, ita ut similis ei non inveniatur: Sancti enim novi Testamenti à Christo dicti sunt amici, Ioseph verò Pater ab eo vocatus est, &c.*

XX. Neque ex his tantùm patet Sanctam Theresiam & Carmelitas, ut Authores hujus devotionis, sic illius & præcipuos esse promotores: sed etiam ex hoc quod huic Ordini toti, non alteri, & omnibus ac singulis illius Ecclesiis Pontifices plenarias ac perpetuas Indulgentias pro ejusdem Sanctissimi Proto-Patriarchæ festo concesserint, ut scilicet eorum in illum Sanctum merita hoc speciali favore prosequerentur, & ut quod tam fœliciter ad Dei gloriam & Ecclesiæ bonum cœperant, fœlicissimè prosequerentur: Fidelium nempè ad suas Ecclesias concurrentium devotionem erga Sanctissimum Patrem Jesu, & Virginis Conjugem, magis & magis augere: quas Indulgentias ad calcem hujus Capitis commodius remittens, finio hanc materiam per verba Matthiæ Navæi citati.

Utinam, ô utinam Beatissima Mater Theresia hunc novi luminis & aroris solem fulgentissimum citiùs nobis enubilasses, hunc nobis contra Herodianas, aliasque persecutiones omnes Protectorem potentissimum citiùs commonstrasses, hoc nobis Divini Amoris, Angelicæ puritatis, Christianæ mansuetudinis, aliarumque virtutum exemplar præclarissimum, citiùs exhibuisses, hunc, inquam, benignissimum, propensissimum, ac potentissimum mortalium in Cœlis Patronum citiùs nobis proposuisses; ut tantâ quæ nunc est, quæque major semper futura est, sanctitatis ac patrociniorum ejus gloriâ citiùs lætificati fuissemus. « XXI.

Sed illam nimirùm Virgo Angelica, Mater pientissima, Christi Amatrix ferventissima, Ecclesieque ejus columna firmissima, illam glorioſi honoris prærogativam, communisque fœlicitatis gratiam amplissimam, in tua tibi tempora, nobisque per te omnibus Deus reservarat, ut cum tibi, Familiæque Reformationis tuæ in sanctitatis ejus testimonium, notamque fulgentissimam, Instructorem, Patronum ac Tutelarē daret; ac per te præsertim, tuosque pariter gloriā ejus amplius quam unquam toto orbe propalaret. Titulus profectò ad mortales omnes, tibi de tanto per te hujus manifestationis beneficio eis præstito vehementer obstringendos, vel solus sufficiens, idemque maximus. « XXII.

Atque utinam & nos ita Christi Domini, Genitricisque ejus hortatu, ac jussu, atque Viraginis hujus Sanctissimæ monitis & exemplis, eum honoremus, glorificemus, imitemur, invocemus, atque omninò colamus, ut apud Dominum ac Filium ejus, Deum, Judicem nostrum Patronali Paternoque ejus favore gaudere, atque in Dei gratiâ usque ad contuendam ejus gloriam in dies crescere possimus. Amen. « XXIII.

§. 1.

## *Sequitur Bulla perpetua Urbani Papæ VIII. pro Indulgentiis Plenariis in Festo Sancti Josephi in omnibus Ecclesiis Carmelitarum.*

URBANUS Papa VIII. Servus servorum Dei, ad Perpetuam rei memoriam: *Splendor paternæ gloriæ, qui suâ mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de Clementissimâ ejus Majestate sperantium, tunc præcipuè benigno favore prosequitur, cum devota eorum pietas, Sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Volentes igitur omnes, & singulas Ecclesias, tam Fratrum, quàm Montalium Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiæ, ubicumque existentium, aliquo speciali munere illustrare; de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex dictis Ecclesiis die Festo sancti Iosephi à primis Vesperis, usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam: iis verò qui orationi Quadraginta Horarum, de licentiâ Ordinariorum locorum in Ecclesiis dictorum Fratrum, tantùm semel in anno instituendæ, per aliquod temporis spatium devotè interfuerint, & ut præfertur oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus, perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ veloştensa. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 10. Maii 1624. Pontificatus nostri anno primo.* Erat Signatum

V. THEATINUS.

§. 2.

## *Sequitur Bulla Clementis Papæ X. promissa hìc suprà num. 8. quâ præcedentem Indulgentiam, aliaq; Privilegia nostris Excalceatis nominatim à Sancta Sede concessa, Carmelitis antiquis propria esse, & vicissim illa quæ antiquis Carmelitis concessa sunt, Excalceatis competere declarat & statuit.*

CLEMENS Papâ X. Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam: *Ad uberes bonorum operum fructus, quos dilecti filii Fratres Calceati nuncupati Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, adspirante superni favoris auxilio in Ecclesiâ Dei proferre assiduè satagunt, paternæ dirigentes considerationis intuitum, rationi consentaneum reputamus, ut religiosa eorum studia, fœlices, progressus, spiritualium gratiarum atque Privilegiorum muneribus confoveamus, atque decoremus. Cùm itaque sicut dilectus filius Matthæus Orlandus Prior Generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, dudum fœlicis Recordationis Clemens Papa VIII. Prædecessor noster, per quasdam suas die 23. Martii 1594. & die 20. Augusti 1603. expeditas litteras, quæ subinde à fœl. mem. Paulo Papa V. Prædecessore pariter nostro confirmatæ fuerunt, Congregationem Fratrum Discalceatorum nuncupatorum ejusdem Beatæ Mariæ de Monte Carmelo esse unum ex quatuor Ordinibus Mendicantibus, Ordinem scilicet Carmelitarum, ipsiq; Congregationi, & Fratribus Discalceatis, omnia ad prædictum Ordinem tam de jure, quam ex Privilegio attinentia, tanquam propria competere, ac ejusdem Congregationis Præpositum Generalem, Fratres & Moniales, Domos, Conventus*

*Conventus, & Collegia, cæteraq; eisdem pertinētia respectivè Privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, & gratiis dicto Ordini concessis, & concedendis uti, potiri, & gaudere debere declaverit, & aliàs prout in prædictis litteris uberius continetur: Licet autem Fratres Carmelitæ Calceati omnibus Privilegiis, Indulgentiis, & gratiis prædictæ Congregationi Fratrum Discalceatorum concessis hactenus fruiti sint, in vim dictæ declarationis, quâ ob identitatem ejusdem Congregationis cum Ordine Carmelitano, decernitur id quod uni est concessum, alteri quoque tanquam proprium competere: nonnulli tamen circa hoc scrupulum subinde patiuntur, eo quod non adsit expressa declaratio pro FF. Carmelitis Calceatis, sicuti est pro Discalceatis: nobis propterea dictus Matthæus Prior Generalis humillimè supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de Benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur ipsius Matthæi Prioris Generalis votis hâc in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac tam dictarum, quàm aliarum quarumcumque litterarum Apostolicarum, ad favorem memoratorum FF. Discalceatorum, eorumq; Congregationis quomodolibet, & quandocumque emanatarum tenores, præsentibus, pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædicto Ordini ejusq; FF. Calceatis, & Monialibus, ac Domibus, Conventibus, Collegiis, cæterisq; ad eosdem quomodolibet pertinentibus respectivè, ut omnibus & singulis privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, & gratiis, quæ dictæ Congregationi FF. Discalceatorum, ejusq; Fratribus, Monialibus, Domibus, Collegiis, cæterisq; ad ipsam Congregationem quomodolibet pertinentibus, hactenus per Sedem Apostolicam quomodolibet, etiam cum clausulâ prohibitivâ communicationis, concessa fuerunt, & in futurum quandocumque concedentur, dummodò tamen sint in usu, nec revocata, aut sub aliquâ revocatione comprehensa, pariformiter & absque ullâ prorsus differentiâ, uti, frui, potiri, & gaudere liberè & licitè possint, & valeant in omnibus, & per omnia perinde ac si eidem Ordini ejusq; Fratribus Calceatis, Monialibus, ac Domibus, Conventibus, Collegiis, cæterisq; ad ipsum Ordinem pertinentibus, hujusmodi nominatim & expresse cōcessa fuissent, & in futurum concederentur, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium, concedimus & indulgemus. Decernentes eadem præsentes litteras semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosq; plenarios integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandoq; spectabit, in omnibus & per omnia pleniſſimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumq; Iudices Ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quâvis Authoritate, scienter vel ignoranter cōtigerit attentari. Nonobstantibus præmissis, ac nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ, de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisq; Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus & singulis illis, quæ in prædictis litteris Apostolicis concessa sunt nonobstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut ipsarum præsentium litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si exhibitæ vel ostensæ forent. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 31 Octobris 1670. Pontificatus nostri anno primo.* Erat signatum.

J. G. SLUSIUS.

## CAPUT VII.

### *De Statu Devotionis, seu Cultus S. Josephi.*

I. POSTQUAM hujusce Cultus & Devotionis Sancti Josephi originem ostendimus & progressus, restat nunc ut de ejus statu paucis disseramus: Cùm autem de statu hujus Devotionis post ortum & progressum ejus loqui intendo, non ipsius consistentiam intelligo, ut fortè alicui d e primo aspectu videri posset, quasi ista devotio eum nunc attigerit magnitudinis vel augmenti terminum, in quo stabit, & ultra quem non sit deinceps progressura; absit: Etsi enim sit hodie inter omnes Catholicos universalissima, & inter Festivitates Sanctorum toto orbe Christiano celeberrima; quia tamen non ubique terrarum Fides floret Catholica, potest adhuc ejus cultus, ut & fides, & universaliter & particulariter extendi. Et quia Catholici ipsi qui ejus merita agnoscunt, possunt ei magis affici, & plura pro illo quàm hactenus præstare, potest etiam ille cultus intendi, ac sic potest & intensivè & extensivè crescere, & utroque modo tam in communi quàm in particulari, idest & quoad cultum publicum, & quoad particularem: Cùmque ille, ob summam suam post Deiparam dignitatem, ac merita ei proportionata, piè credatur summam etiam post Deiparam invenisse gratiam, & obtinuisse potestatem apud filium suum Christum Dominum; ideò sperandum fore quod hæc devotio hoc utroque modo, idest & extensivè & intensivè, & publicè & in particulari, magis semper & magis augebitur & crescet.

II. Non ergo hîc aliud intendo nisi statum præsentem hujus cultus & devotionis, quæ novos semper in dies facit progressus, ostendere, ut exinde ejus magnitudo, ad quam promovente principaliter Seraphicâ Matre Theresiâ pervenit, colligi possit: & quia, ut distinximus adhuc supra, alius est cultus publicus, alius privatus ideò hîc de utriusque præfati statu sigillatim.

## SECTIO PRIMA.

### *De statu præsenti Cultus Divi Josephi, ut est publicus.*

III. CUltus publicus, qui & solemnis, est proprius Sanctorum Canonizatorum: Nomine autem Sanctorum Canonizatorum, non illos solos intellige qui sunt in Canone Missæ (à quo fortè hujusmodi primitùs appellatio) inscripti, aut qui per Summum Pontificem cum solemnitatibus & ceremoniis, quæ jam sunt in usu, canonizati sunt: quàm pauci enim essent Sancti quibus cultus publicus deberetur, sed etiam illos omnes qui ex antiquâ traditione, seu Ecclesiæ consuetudine, tales habentur. Ita noster Lezana in summâ quæst. regul. tomo 4. verbo *Reliquiæ Sanctorum*, num. 7. & alii ab eo citati.

IV. Porrò honores publici qui Sanctis Canonizatis ab Ecclesiâ decernuntur & deferuntur, & in quo consistit publicus illorum cultus, ex Bellarmino tomo 1. controvers. 7. generali lib. 1. cap. 7. quem sequuntur noster Lezana tomo 4. quæst. regul. verbo *Sanctorum Cultus* & alii. Sunt septem: Primò, quod scribantur in Catalogo Sanctorum, idest quod jubetur & statuitur ut ab omnibus habeantur Sancti. Secundò, quod invocantur in publicis Ecclesiæ precibus. Tertiò, quod Templa & Aræ eorum nomine dicantur Deo. Quartò, quod Sacrificium tam Eucharistiæ, quàm laudum & precum (quod vulgò Divinum Officium, seu Horæ Canonicæ nuncupantur) in honorem eorum Deo publicè offeratur. Quintò, quod dies festi in eorum memoriam celebrantur. Sextò, quod eorum Imagines depingantur caput cincti quodam lumine in signum gloriæ quam possident eorum animæ. Septimò, quod eorum Reliquiæ publicè exponuntur honorandæ. His positis.

V. Dico, constat Sanctum Josephum esse de numero Canonizatorum modo mox

mox explicato, cùm nullum unquam extiterit tempus, in quo non fuerit ab Ecclesiâ, & à Sanctis Patribus habitus & dictus Sanctus. Sed cùm & ejus Sanctitatem ipse Spiritus Dei revelaverit, & digitus Dei scripserit in Evangelio, atque etiam ejus super omnes Sanctos eminentiam idem Spiritus ibidem in ejus eminenti super omnes Sanctos dignitate, cui gratię & merita commensurata sunt, signaverit, quis non videt quantùm superemineat hęcillius Canonizatio omnibus aliis?

VI. Verùm cùm primus honor, qui est inscriptio in Catalogo Sanctorum, parùm differre videatur ab ipsius canonizatione: secundus verò, qui est de Invocatione ejus in publicis Ecclesiæ precibus, videatur includi in quarto, qui est de sacrificio tam Eucharistiæ, quàm laudum, seu Officii Divini, & Horarum Canonicarum. Septimus qui est de Reliquiis ejus sit res jam acta Tractatu præcedenti cap. 4. Sextus qui est de Imaginibus ejus, sit minoris momenti, de quibus in genere controversiam edidi Leodii anno 1655. typis Balduini Bronckart; ideò his prætermissis, de tribus reliquis breviter.

VII. Ac primo quidem de Templis & Aris sub ejus celebri Nomine Deo dicatis, dico quod licet ex dictis, ante Sanctam Theresiam coleretur & publicè & privatim Divus Josephus, & cultus ejus non esset mediocris, vix tamen unum ante ipsam posse reperiri Templum quod fuerit sub ipsius Nomine Deo cõsecratum. Capellæ etiam seu Aræ rarę. Extabant tamen nonnullæ in Italiâ, Germaniâ, Galliâ, ex quibus celebriores fuerunt illæ, quibus certæ Sodalitates seu Confraternitates affixæ, inter quas illæ quæ Avenione, quarum una à Gregorio Papa XI. in Basilica Sancti Agricolai, altera in majori Ecclesiâ. Vide dicta de his supra hoc Tractatu cap. 3. num. 16. Item illa quæ apud Patres nostros extat Coloniæ Agrippinæ erecta anno 1495. 25. Aprilis, & à Cardinale Raymundo Legato Sanctæ Sedis circa annum 1550. confirmata. De quâ Ægidius Gelenus lib. 3. de magnitudine Coloniæ Agrippinæ Syntagm. 43. §. 7.

Voluit quippè Deus hujusce initia honoris, Magnæ Sancti Josephi Zelatrici Sanctæ Theresiæ reservare, quâ fœliciter auspicante per primum suæ novæ Congregationis Templum Abulæ in Hispaniâ, & tot alia quæ vivens ædificavit, & ei dicavit; prosecuti sunt ad ejus exemplum, & juxta ejus monita, ejus filii & filiæ in eâ Congregatione ubique terrarum, ita ut nulla sit istius Congregationis Ecclesia, quæ non sit vel illius Nomini dicata, vel (si ob certas rationes ab aliquo alio Sancto nomen sortiatur seu vocabulum) in quo non teneat primas D. Josephus, uti earum primus Dominus, ex priori & irrevocabili titulo consecrationis per Sanctam eorum Matrem Theresiam uti Parentem ipsi factæ: qui tamen alios Sanctos uti Amicos suos in Domum suam cum honore recipi consentiens, primi tamen Titularis & Tutelaris prærogativã non amittit. Itaque quot Ecclesiæ in toto orbe terrarum Carmelitarum & Carmelitissarum Sanctæ Theresiæ, tot Ecclesiæ S. Josephi. VIII.

Idem fecere primi Patres nostrę minimę Reformationis à Cõventu Rhedonensi ortæ, qui primum quod à Reformatione eis datum est Monasterium & Templum, eidem Sanctissimo Patri Jesu, ab ipsis in Tutelarem suæ Reformationis electo, dedicarunt: quos secuti sunt in Galliâ, Italiâ, Germaniâ, Poloniâ, Belgio, & alibi, qui Reformationem istam amplexati sunt, cum tanto zelo, ut in Templis jam conditis ubi potuerunt, Capellam seu Aram ei erigere magni duxerint. IX.

Taceo alios aliorum Ordinum noviter institutorum Professores ut Patrum Minorum Sancti Francisci de Paulâ, Patrum Societatis Jesu, Patrum Theatinorum, Patrum Capucinorum, Patrum Oratorii, &c. Monialium Visitationis Sanctæ Mariæ, Fundatore Sancto Francisco Salesio Episcopo Gebennensi; Ursulinarum, Sepulchrinarum, & Filiarum Verbi Incarnati in Galliâ, qui & quæ certatim Templa seu Oratoria sua Divo Josepho consecrarunt: venio ad PP. Recollectos, qui Duce eorum præcurrente Sancto Petro de Alcantarâ ejusdem Sanctæ Matris X.

Matris Theresiæ amico & familiari, ex quâ ille (sicut illa alia ex ipso) eam devotionem in Sanctum Josephum hauserat, vel certè auxerat, quâ factum, ut primam ille suæ Observantiæ Provinciam à se erectam, illius nomini & honori consecrarit, & clientelæ subjecerit, quam Sanctissimi Patris piissimi filii, ejus Spiritus Religiosissimi hæredes imitati, & Ecclesias plures sui instituti, quas noviter acquisierunt, & Provincias integras ab eodem appellationem suam sortiri voluerunt: ex quibus omnibus factum, ut Templa & Aræ sub Divi Josephi invocatione brevi tempore in Europâ ad miraculum excreverint in multitudine: an non enim miraculum quod cum ante Teresiam vix unum Templum, vix ullæ reperirentur illius Capellæ vel Aræ, ipsâ incipiente & præeunte, nunc nulla ferè sit in hoc Christiano orbe civitas in qua non sit aliqua illius Ecclesia? & quam multæ ubi plures? quid quod jam nulla ferè sit Ecclesia notabilis in quâ non incipiat videri aliqua ipsius Ara?

XI. Et hæc quidem de titulis ipsius in Europâ: quid verò de illis qui in aliis mundi partibus? scribit P. Fullonius Jesuita Leodiensis, ad primum librum Machabæorum Indice 1. Concion. in Quadrag. & Festo incurrentia in die Sanct Josephi: *Apostoli Franciæ novæ nomine ejus invocato mira patravêre: In Oriente nomen ejus ubique celebratur: In Americâ urbes & Regiones ab ipso appellationem sortiêre.* Quantò magis ergo Ecclesiæ quæ ibi ædificantur? Quis ergo his nostris diebus in hoc genere honoris post Deiparam ei æquandus?

XII. Quod spectat Sacrificium & Officium divinum, seu Horas Canonicas & preces publicas, licet hoc genus honoris publici ab Ecclesiâ Hierosolymitanâ cœpti, à Carmelitis ab illis partibus ad has oras transmeantibus, cum Breviario istius Ecclesiæ, quo semper usi sunt, traductum fuisset, & usitatum in eorum Ecclesiis, ac deinde ab aliquâ Ecclesiâ Italiæ, Germaniæ, Sueciæ, Galliarum, & Hispaniarum pervenisset ante Sanctam Theresiam nostram; quàm paucæ tamen illæ? Sed à tempore hujus Seraphicæ Matris, crescente in dies mirabiliter ubique gentium affectu & amore erga hunc Sanctissimum Patrem JESU: tandem authoritate Summi Pontificis hic ei cultus publicus in toto orbe Christiano delatus est, relato in Breviarium & Missale Romanum ejus Officio.

XIII. Dices in Missali ad usum Ecclesiæ Romanæ Parisiis impresso apud Desiderium Maheu anno 1532. cum tunc Teresia vix decimum septimum annum attigisset (mortua est enim anno 1582 annos nata 67.) invenitur Festum & Missa de Sancto Josepho: Respondeo id inde contigisse, non quod tunc esset in Missale Romanum authoritate Summi Pontificis de facto relatum Officium Divi Josephi, sed quod cùm Missale Romanum imprimeretur in istâ Regni Gallici Metropoli, in cujus pluribus Ecclesiis, ac præcipuè in ipsâ Parisiensi, Officium publicum de Divo Josepho tunc fiebat, accomodatum fuit illud Missale ad usum Regni pro quo maximè imprimebatur, consequenter additis ad illud propriis Regni istius officiis, ut fieri assolet.

XIV. Quod spectat ad Festum diem, qui unus est ex honoribus publicis Sanctis canonizatis decerni solitis: Duplex est ejusmodi festum: unum in Clero: alterum in populo. Festum in Clero, est illa dies, in quâ à Clero fit Officium & Missa de Sancto, sive de cætero id fiat à toto Clero universaliter, sive ab aliquâ vel ab aliquibus Ecclesiis in particulari. Festum in populo, est illud, quod non rantùm, sicut præfertur, celebratur à Clero, sed etiam quod populus tenetur sanctificare, vacando Deo, & abstinendo ab omni opere servili: de utroque sigillatim.

XV. Quantùm ad primum, olim varii à variis assignati fuêre dies pro celebrando Divi Josephi Officio, ab aliis nonâ Februarii: ab aliis decimâ nonâ Martii: ab aliis decimâ ejusdem mensis; secundùm, quod hi & illi, in illum vel in illum diem, mortem ejus incidisse credebant. Ita Ioannes Gerson in suâ Josephinâ distinct. 12. statim ab initio, ubi sic ille:

*Nec tamen est obitus sat certa dies:*
*quare signant*
*Hanc varii variè pro religione colendâ:*
*Est*

*Est Februarius, est & Martius, est & December.*
*Primi nona dies: cum deno nona secundi:*
*Alterius decima per quosdam & nona notatur.*

Alii verò 26. Junii, quia Historia Orientalis apud Isidor. Isolanum lib. de S. Joseph. cap. 14. affirmat illum isto die esse mortuum.

XVI. Sed rejectis aliis diebus Ecclesia universalis assignavit 19. Martii juxta usum ab immemorabili tẽpore in nostro Ordine observatum: quo etiam die festum hoc ponunt omnes Martyrologi post Adonem Episcopum Viennensem, qui florebat circa annum 880. de quo Cardin. Baronius ad ann. 878. legendus Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus lib. 3. c. 209. ubi ille enarratâ breviter pro suo instituto Sancti Josephi vitâ, sic concludit. In quodam antiquissimo Kalendario, in cujus exordio Rubrica ponebatur (quod ex vetustis Eusebii Cæsariensis exemplaribus sumptum fuerat) scriptum reperi. Festum Ioseph Sponsi Dominæ nostræ XIV. Kalendas Aprilis: cui ex antiquitate, & exemplaris origine satis fidem adhibui: sanè in vetustissimo Martyrologio, quod ex Monasterio S. Maximini Treviris descriptum habemus, iisdem propemodum verbis ad dictum diem habetur memoria, & quidem unicè Sancti Joseph Sponsi S. Mariæ: quod Martyrologium cum sit ejusmodi, ut abbreviatum videtur ex aliquo Hieronymiano Martyrologio, (quod sæpè sub Eusebii nomine citari etiam solet) exemplari penè inducimur in suspicionem, quod Joseph ille qui in aliis omnibus vetustissimis exemplaribus, & in multis quidem solus nominatur ad XIII. Kalend. April. Noster hic Sanctissimus Patriarcha sit, qui in Antiochenâ Ecclesiâ (nam in Antiochiâ habent tam Maximianum prædictum ad XIV. Kalend. quem cætera omnia ad XIII.) cultum habuerit antiquissimum: quique variantibus per Amanuensium socordiam exemplaribus, primùm inter duos dies vagus, deinde etiam utrique diei adscritus fuerit, atque ita in duas personas distractus, eò facilius quò Codices qui ad XIV. diem S. Josephum exhibebant hâc ferè formulâ uterentur: in Bethleem Sancti Joseph nutritoris Domini. Ita præcipuè vetustatis, & ante annos ferè octingentos exarata Martyrum Sanctorum Richenovienſe propè Constantiam: Patricianum Neapoli apud PP. Theatinos, inter Caraccioli Schedas asservatum: Cardinalis Barbari fragmentum insertum Codici 1852. Fuldense Reginæ Sueciæ: item Trevirense Sancti Martini, & aliud S. Mariæ ad gradus, inferioris aliquantum ætatis: quibus accedit Ecclesiæ Aquilegiensis Kalendarium, quod in Vallicellanâ Bibliot. Romæ transcriptũ extat tam vetus, ut minimè nobis putaverimus negligendum. Ex quibus patet quàm meritò Ecclesia dimissis aliis diebus hunc pro celebrando Divi Josephi Festo cæteris prætulerit.

Quæres ob quam rationem hic dies assignatus sit pro Festo Sancti Josephi? XVII. Respondet Antonius Balinghem in Kalendario Sanctissimæ Virginis Mariæ ad 19. Martii, ideò Festum D. Josephi hoc die in Ecclesiâ celebrari, quod verisimile sit hoc die istud contigisse, quod de eo dicitur in antiquo ejus Officio parvo ad Completorium.

*Fælix quem in Vnis IESVS cum Mariâ*
*Tenuit cubantem dum in agoniâ*
*Spiritum efflaret, ut directâ viâ*
*Tenderet ad Patres functus vitâ piâ.*

Alii verò dicunt hoc non esse satis firmum, cùm nec tempus nec dies sciri XVIII. queat quo mortuus est: quare volunt hunc diem Festo ejus celebrando assignatum, quod illo vel alio non longè ab illo B. Virginem duxerit in matrimoniũ & ratio illorum est, quia cùm istud matrimonium, saltem ex parte Dei, fuerit ordinatum à Deo, ad protegendum Virginis honorem, & occultandum dæmoni Divinæ dispensationis consilium, non videtur fuisse necessarium longius ante Virginis imprægnationem (quæ contigit 25. Martii Annuntiationi Sacrâ) illius cum Divo Josepho desponsationem retrotrahere: ab hoc verò die potiùs peti motivum celebrandi ejus Festum, eo quod ab hâc cum Virgine desponsatione petatur omnis ejus magnitudo, ob quam ipsius festum celebratur: sed standum est

præcedenti sententiæ propter ea quæ diximus supra part. 2. tract. 1. c. 15. sect. 4.

XIX. Notandum tamen quod Græci non hoc die, sed 26. Decembris solebant facere Cõmemorationem illius: Nam 25. Decembris tota impenditur in celebrandâ Christi Domini nostri Nativitate, quemadmodum & apud nos: ita ut illo die tota eorum devotio ferretur in Christum nascentem, sequenti verò die ideſt 26. in Matrem qui divinum illum fructum nobis protulit, addita eodemmet die Cõmemoratione Sancti Josephi, ut constat ex eorum Menologio, idque ita ab iis factum suspicor, quod etsi Generatio Christi tunc nascentis non fuerit à Divo Josepho effectivè, illam tamen ipsius esse, & ad ipsum spectare censuerunt: quia nimirùm per Spiritum Sanctum nomine ejus posita est: Quo fit, ut cùm non tantùm jus in fructum istum, sed etiam ipsa ejus productio nomine ipsius facta ad ipsum spectet, junxerint Græci Matri (quam hoc die colunt) Josephum ejus individuum Sponsum, quod scilicet ille qui pridie natus est, utriusque sit Filius & verè, licet alio modo hujus, & alio illius.

XX. Sed hîc non stetit Ecclesiæ Devotio, cujus flammas succendit Seraphica Theresia, ita enim in illius amores exardescere cœperunt cuncti Fideles, ut ab eis non multò post ultrò hic dies non sanctificari tantùm, sed & speciali quodam pietatis studio coli ac venerari cœperit, ut observavit Matthias Navęus in Encom. Divi Josephi orat. 1. ad finem. Tantùm abest verò ut hoc propter multitudinem aliorum festorum quâ populus gravabatur impeditum sit, quin potiùs è contra Sacra Congregatio Rituum Decretum suum de octavâ Maii 1621. addidit quod Gregorius Papa XV. qui Sanctam Theresiam duobus circiter mensibus ante canonizaverat (sine dubio ad gloriæ ipsius complementum) approbavit. Vide Bullarium magnum Cherubini tomo 3. in Proëmio quod ponitur ante constitut. 24. ejusdem Pontificis.

XXI. Tandem Urbanus Papa ejus nominis VIII. in eodem Bullario tomo 4. Constitut. 164. quæ est pro observatione festorum in populo, & incipit *Universa per orbem novit Ecclesia*. Data Romæ apud Sanctum Petrum Incarnationis Dominicæ anno 1642. Idibus Septembris inter dies festos à populo solemnizandos ponit festum Sancti Josephi Deiparæ Sponsi.

Præter hoc festum celebratur etiam XXII. in Galliâ 22. Januarii, & in aliis Ecclesiis, ut Atrebatensi 23. ejusdem mensis Festum Desponsationis ejus cum Beatâ Virgine Deiparâ: Ita Antonius Balinghem in Kalendario Sanctissimæ Virginis Mariæ ad 22. Januarii, qui addit videri Paulum Papam III. anno 1546. ad postulationem Petri Aurati permisisse celebrari in Galliâ cum officio ab eodem Petro sibi porrecto.

Sed hic error est: Constat enim fe- XXIII. stum hoc Desponsationis Sancti Josephi in Ecclesiis Galliarum esse antiquius Paulo III. & receptum in illis plus centum annis ante: patet ex Joanne Gersone qui illius Author esse dicitur & Promotor, connivente sine dubio Ecclesiâ in Concilio Constantiensi, ubi pro eo peroravit octavâ Septembris anni 1416. quandoquidem ipse Parte 4. Operum suorum pro eo introducendo epist. ad D. Parvi Carnotensis Ecclesiæ Cantorem scribat ex Urbe Constantię; ubi erat in Concilio, septimâ Septembris anni 1416. Vide iterùm eundem Gersonem parte 3. Oper. Serm. de Nativit. Beatæ Virg. circa finem, & part. 4. epist. quæ incipit: *Ecclesiis universis, præsertim dedicatis Beatissimæ & Glorioſissimæ Virgini Mariæ*, scriptâ Parisiis anno Domini 1413. 17. Augusti. Denique in Exhortat. ad Ducem Bituricensem in eundem finem anno Domini 1413. in Festo Sancti Clementis Papæ; de quo festo intelligendus Jacobus Perez de Valentia in Cantic. *Magnificat*, à nobis supracitatus, ubi ante annum 1500. scribens, ait in pluribus Ecclesiis Galliarum celebrari Festum Sancti Josephi.

Aliud præterea fiebat Officium an- XXIV. tiquitùs præter illa duo in Suecià, in memoriam laborum, quos pro Salvatore in ejus infantiâ pertulit Divus Josephus: quod officium incœpit ab Ecclesiâ Lyncopensi, occasione

sione alicujus revelationis factæ per Beatam Virginem cuidam Venerabili Matronæ in eum finem: quod Officium fiebat immediatè post octavam Epiphaniæ, hoc est decimâ quintâ Januarii, quo tempore in Ecclesiâ recoluntur mysteria Infantiæ Salvatoris: Ita ex vetusto Codice manuscripto nostræ Bibliothecæ Leodiensis qui sequitur post Mariale Jacobi de Voragine Archiepiscopi Januensis, qui Codex etiam continet Sermonem Joannis Gerson de Nativit. Beatæ Virgnis habitum in Concilio Constantiensi, ex quo suspicor dictum Codicem manuscriptum esse antiquiorem typis non in usu in his partibus ante annum 1452. vel saltem ante annum 1441. ad quas dicuntur (nescio an verè) ex Indiâ circa illud tempus adducti. Vide Genebrardum in Eugenio IV.

XXV. Tandem Festum Eductionis Jesu & Mariæ à Divo Josepho ex Ægypto, & Reditus in terram Israel, olim à Benedictinis celebratum fuisse undecimâ Januarii colligit Schultingius in suâ Bibliothecâ Ecclesiasticâ ex manuscripto Missali Anglicano antiquissimo istius Ordinis, quem tamen Reditum Martyrologium Adonis & Venerabilis Bedæ tomo 3. Operum suorum referunt in septimam ejusdem mensis.

XXVI. Spero denique futurum ut Deus inspiret Antistitum Antistitem Romanum Pontificem Ecclesiæ Catholicæ visibile Caput, ut secundum Festum illi pro totâ Ecclesiâ Catholicâ decernat in memoriam fœlicissimæ ejus cum Deiparâ Desponsationis, cùm ab hâc omnis ejus magnitudo, quam tam multis prosecuti sumus petatur eumque in assignando die huic Festo habiturum rationem eorum quę diximus supra Parte 2. Tractatu 1. cap. 15. sect. 4. de tempore, in quo ea Desponsatio probabilissimè contigisse videtur.

## SECTIO II.

### *De statu præsentis Cultus Divi Josephi ut est privatus & particularis.*

EX hoc maximè Capite considerandа est & metienda Divi Josephi devotio, nam etsi quidam sint Sancti, qui in cultu publico & solemni adhuc eum in aliquibus præcedere videntur, tamen quia à cultu privato fit gradus ad publicum & solemnem, & hic privatus Divi Josephi, ita sensim in dies crescit, ut ex nunc omnes omninò alios solâ Deiparâ demptâ superet: Spes mihi magna suboritur aliquando futurum ut Ecclesia, hâc singulari omnium populorum, nationum, conditionum, erga Divum Josephum devotione (quę ab dubio ex Deo est) permota, additura sit ad pompam solemnitatis ejus aliquid, quo ut in cultu particulari alios nunc antecellit, ita in publico & solemni nulli cedat. XXVII.

Excellentia porrò alicujus devotionis, seu cultus unius Sancti, ut est particularis & privatus, attenditur penes tria: Primò, penes subjectum ipsius devotionis: Secundò, penes materiam ejus: Tertiò, penes modum: in primo attenditur numerus & qualitas personatum in quibus est devotio erga istum Sanctum: In secundo attenditur quid illi faciant ex motivo istius devotionis, & ad honorandum istum Sanctum: In tertio attenditur affectus, zelus, teneritudo, fiducia, &c. quâ in illum feruntur: In his omnibus primas inter omnes Sanctos tenet Divus Josephus. XXVIII

Nam primò quis hodie illorum ita communiter & frequenter ab omnibus piis & Catholicis colitur & invocatur ut ille? Cæteri quidem, præcipuè insigniores, ab omnibus & singulis in eorum festis & solemnitatibus honorantur: sed extra illas, hic ab istis, ille ab illis, secundùm cujusque particularem devotionem & instinctum, nullus ab omnibus: sed quoad D. Josephum, vix ullum hodie reperies verè Catholicum, id est pium, qui non eum inter XXIX.

Patronos, & è primariis quidem post Beatam Virginem habeat, qui non ipsum ore & corde singulis diebus, aut saltem frequenter invocet, qui non se ejus patrocinio commendet: Nullam ferè fidelium domum ingressurus sis in quâ non invenias aliquam illius imaginem: adeò ut postquam toto terrarum orbe ei ab Ecclesiâ ex cultu publico ædificata sunt singulis in locis Cœnobia, dicata Templa, consecrata Altaria, erectæ solemnes statuæ: ita à particularibus ex affectu & cultu privato singulæ ferè domus conversæ sint in Oratoria Jesu, Mariæ, & Josephi.

XXX. Quemadmodum verò ex communi sensu Doctorum inter cætera quæ nobis magis manifestant, quantùm Sanctissima Virgo Deipara digna sit ut ab omnibus speciali ac præcipuâ devotione honoretur & colatur, non ultimum tenet locum provisio illa Dei, quâ factum ut personas magni nominis & altioris meriti seligeret ad cultum istum, & honorem ei procurandum: ita eodem modo nihil omninò est ex quo melius specialem cultum, qui Divo debetur Josepho, ejusdem Sanctissimæ Virginis Sponso intemerato, arguere possimus, quam electio earum personarum, quas in hoc destinavit Deus, ut & ei cultum adhiberent, & adhibitum propagarent: tùm magnificis suis exemplis, tùm authoritate illâ quâ cæteris præstabant. Quod cùm ita sit consequenter dico, quod magnitudo cultus Divi Josephi, ut est privatus, non in eo solùm sita sit, quod plures habeat Cultores in particulari quàm alii, sed insuper illud addendum, quod qui insigniores olim fuerunt & modò sunt, ei inter cæteros semper maximè devoti extiterint, quod hic probatum imus.

XXXI. Ac primò quidem ut à principio nascentis Ecclesiæ rem exordiar, etsi tunc non fuerit pro meritis publicè ac promiscuè veneratus in Ecclesiâ ob rationes Deo cognitas, quibus addidimus aliquas conjecturas nostras hâc Parte Tractatu 1. cap. 1. Cùm tamen fuerit semper summo honore dignus, ob summam ipsius dignitatem, verissimam dico ipsius, respectu Christi Domini Paternitatem. Quis dubitat illam tunc fuisse aliquibus insignioribus & sanctioribus, hoc est Sanctis Apostolis, aliisque Apostolicis Viris cognitam? Unde cõsectarium videtur quod etiam fuerit ab illis secundùm istam cognitionem veneratus.

Confirmatur primò ex Evangelistis XXII. maximè Lucâ, qui Evangelium suum (ut ipse in illius ait initio) compilavit ex his quæ tradiderunt illi qui ab initio viderunt ipsi, & ministri fuerunt sermonis: cùm enim ex his quæ ab ipsis tradita acceperunt Evangelistæ, maximè Lucas, nos licet ad illarum aquilarum comparationem vilissimæ tantùm noctuæ, Paternitatem tamen ejus tam sublimem cognoverimus, virtutes & merita quæ ad illam dignitatem sequuntur ita perceperimus ut supra, & ex hâc cognitione ad illius venerationem inducamur: Quid amabo de illis cogitabimus, à quibus nos & hanc & illam hausimus & accepimus?

Confirmatur secundò, ex Genes. XXIII. cap. 37. ubi de Ioseph antiquo, qui hujus figura fuit, ut toties diximus, dicitur, quod viderit per somnium Solem, Lunam, & Stellas adorare se, hoc est Patrem, Matrem, & fratres suos. At hi nimis impropriè Sol, Luna & Stellæ: Ergo hoc propriè in illum quem ipse figurabat, Divo scilicet Josepho, implendum intelligi debet: verè enim Sol Justitiæ Christus, verè Luna Maria, verè Stellæ Apostoli Sancti in ordine gratiæ: Cùm ergo hi à Sole & Lunâ Jesu & Maria Josephum tantoperè honoratum probè scirent, qũomodo eum ipsi non magnificere, colere, & honorare potuissent?

Ab Apostolis & Apostolicis viris ad XXIV. antiquiores Ecclesiæ Patres si descendimus, nonne & in illis eundem, quem in istis, erga illum affectum deprehendemus? Quam sublimiter de eo senserunt & scripserunt S. Justinus Martyr cognomento Philosophus Apostolorum temporibus vicinissimus? S. Ephrem Syrus, Africanus, Origenes, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianz. Basilius Magnus, Athanasius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Joannes XLIV. Patriarcha Jerosolymitanus vulgò Imperfectus in Matthæum

Matthæum & alibi, Cyrillus Alexandrinus, Joannes Damascenus, Eusebius, Emissenus, Iræneus, Chrysologus, Paschasius, Beda, Rupertus, Theophilactus, Haymo, Euthymius, Bernardus? quorum alii paternitatem ejus explicarunt, alii mirandas ejus virtutes collaudarunt, alii patrocinii ejus virtutem & energiam extulerunt? Quanti eum æstimarunt illi, qui tam sublimiter de eo senserunt & scripserunt? Quomodò illi potuissent non ei affici impensè, cum nos licet frigidissimi ex eorum dictis adeò accendamur, & in ejus amores exardescamus?

XXXV. Sed ut ad tempora nostris viciniora accedamus qualis Sanctus Thomas Aquinas Doctor Angelicus & Theologorum vertex summus? quid verò ille de Sancto Josepho? ex Carthagenâ Tom. 4 qui est de Sacr. Arcan. Deip. & Joseph. lib. 18. hom. 14. ante med. & Iacobo Marcantio in vit. florig. lect. de S. Joseph, ita sentit & ait in quart. sentent. dist. 45. quæst. 3. art. 2. ad secundum. *Quibusdam Sanctis datum est in aliquibus specialibus causis præcipuè patrocinari, sicut Sancto Antonio ad ignem, &c. At Sanctissimo Josepho in omni necessitate & negotio concessum est opitulari, & omnes ad se piè confugientes defendere, fovere, & paterno affectu prosequi.* Hæc ex Carthagenâ, Jacobo Marcantio, & aliis S. Thomas Aquinas: an non hic ei devotus?

XXXVI. Post hos quid Sanctum Hermannum Candidi Ordinis Præmonstratensis referam, cui cœlitus & Sponsa Iosephi, & nomen Josephi donatum? quid Divam Gertrudem Germanam quæ vidit in spiritu ut supra diximus omnes Cœlites in præsentiâ Christi & Mariæ Divo Josepho acclinari? Quid Sanctam Brigittam cui à Deo, ut præcedenti, seriò mandatum, ut Divi Josephi devotionem excoleret? Quid denique S. Vincentium Ferrerium? quid Sanctum Bernardinum Senensem? Sanctam Matrem Teresiam? S. Petrum de Alcantara? B. Joannem à Cruce? S. Franciscum de Sales? quid Joannem Gersonem? Jacobum Perez de Valentia, Franciscum Suarez quem Eminentissimus Cardinalis Bona vocat primæ notæ Theologum? quid Joannem Carthagena? quid infinitos alios?

Non possum tamen quin adhuc XXXVII. duos non valdè notos attexam Illustres Divi Josephi amatores & zelatores, primùm ex Reverendi Domini *Atichi* Historiâ Ordinis Minimor. S. Francisci de Paulâ, Beatum *Gasparum Bon*, cui post Iesum & Mariam nihil magis cordi quam Sanctissimus Joseph: quapropter ut frequentissimè Jesum, Mariam & Joseph corde versabat, sic etiam illorum sanctissima nomina sæpissimè habebat in ore: si alicui locuturus erat, prius Jesus, Maria, Joseph in ejus ore ex corde resonabat, si respondendum erat, pariter eadem dulcissima nomina repetebat; verbo uno eadem semper ad singula ingeminabat. Quare ut cum istâ devotione semper vixit, sic in eâ mori peroptavit, & ut peroptavit, ita contigit: nam cum læthali morbo decumberet, infirmarios suos rogitavit, ut cum ad mortem viderent vergentem, nihil aliud ei inclamarent nisi Jesus, Maria, Joseph: sciebat enim verum esse, quod non inelegantèr quispiam,

*Hæc tria nomina,*
*Bona sunt omina,*
*Et Mundi lumina,*
*Et cœli limina.*

Quod autem tam piè postulaverat, hoc ei à Deo concessum, nam in ultimis singultibus hæc verba distinctè protulit, Bone Jesu miserere mei, Jesus, Maria, Joseph, quibus dictis expiravit. Facias ô summe & misericors Deus! ut mihi contingat similiter expirare.

Post istum Beatum produco Mar- XXXVIII. garetam de Castro ex Ordine S. Dominici, de quâ Antonius de Pennâ in ejus vitâ refert, quod cum hæc sæpissimè durante vitâ in has voces, *O si sciretis vos quæ ego in corde meo gesto, & retineo*: erumpere audita fuisset, incessit ab ipsius morte sorores, memores horum verborum toties ab eâ repetitorum, Deo etiam inspirante, sancta cupido petitâ Chirurgi manu pectus illius aperiendi, & cor ipsum scrutandi: ut cogitatum ita factum; aperit pectus Chirurgus, cor scrutatur, nec sine stupore amabili in eo repertæ tres gemmæ prægrandes & miri splendoris, quales nec antiquus unquam orbis

tulit, nec novus. Neque hæ imaginariæ tantùm, sed reales, cum eas etiamnum servari in templo Dominicanorũ scribat Antonius Balinghem loco citato, in quarum primâ visebatur imago expressa Virginis longe pulcherrimæ, cinctæ caput aureo diademate: in secundâ infantulus specie suprà modum decorus in medio duorum animalium: in tertiâ verò Vir formâ spectabilis, ac majestate verendus, aureâ chlamyde indutus, ad cujus pedes erat strata Virgo in habitu Sancti Dominici. Et hę cordi illius expressę erant imagines, non aliâ manu, quam Dei: ex quibus prima, utique Deiparam, secunda, Infantnlum IESUM, tertia denique Divum Iosephum referebat, quos nimirùm dum viveret in corde habuerat, hoc est in amoribus: hujus quoque cœlestis prodigii meminêre, Petrus Morales in Matthæum cap. 1. lib. 1. tit. 1. num. 23. Antonius Balinghem in Calendario Sanctissimæ Virginis Mariæ ad 13. Aprilis, & Henricus Engelgrave in Cœlo novo Part. 1. in Festo Sancti Iosephi §. 3.

XXXIX. Possem & alia multa similia adjicere, sed sufficiat audire Divum Bernardinum Senensem laudum Divi Josephi Preconem zelantissimum, à ducentis & quadraginta circiter annis dicentem, *Scissum est velum templi*, (sub quo nimirùm olim Divus tegebatur Josephus,) *à Summo usque deorsum, & per fidem Christi Sacrosancta Mysteria orbi universo pervenerunt, & in hoc cælorum Regno, ideſt Ecclesiâ, apertum est Dei Templum, & facta sunt fulgura & voces concionatorum, sequutæ sunt voces Doctorum, quæ de sanctò & Sanctissimo Iosepho tonuerunt, & scriptis celebrarunt.* Sufficiat dixisse à temporibus Sanctissimæ nostræ Theresiæ impletum quod à 150. annis circiter quasi prophetico spiritu Isidorus Isolanus 3. part. cap. 6. *Aperiet Dominus aures præcordiorum intellectus, & Viri magni scrutabuntur interiora Dei dona abscondita in Sancto Iosepho, & invenient thesaurum, &c.* Nam ab inde non solùm omnes Ordines Religiosi quotquot sunt in Ecclesiâ Dei, cœperunt in communi ei vehementer affici, eum speciali cultu prosequi, ejusque patrocinium ambire, sed tot fuêre Alvearia ex quibus quot Viri doctrinâ & pietate eximii, tot fuêre laudum Divi Iosephi Precones, & cultus ejus toto orbe Propagatores strenui: neque hi soli, sed & Pontifices Summi, Cardinales & Episcopi, aliique omnis conditionis Clerici & Catholici, ejusdem Seraphicæ Matris & suorum zelo & exemplo accensi: quorum omnium cum numerus sit sine numero, quid mirum quod devotio illius in immensum excreverit, eosque progressus fecerit, quales nulla alia, si solam Deiparam excipias.

XL. Quantùm ad secundum: Quid scilicet faciant hodie fideles ex motivo istius devotionis ad honorandum Divum Iosephum: in hoc quis etiam ei similis? nam si de precibus est sermo, præter illa servitia quæ in hoc genere ei cum aliis Sanctis sunt communia (in quibus tamen adhuc illos excedit) communicat insuper in multis, quæ videntur Beatissimæ Virgini sponsæ suæ singularia. Colitur enim etiam Officio parvulo, ut illa, in septenas horas ad normam Canonici distributo, quod ei dietim à suis clientibus & devotis, ab aliis semel septimanatim recitatur: colitur Litaniis, ut illa, continuâ Encomiorum ejus serie contextis: Colitur etiam Rosario, de quibus omnibus alibi: quæ omnia nulli post Beatissimam Sponsam & Conjugem suam nisi ipsi competere dignoscuntur.

XLI. Licet verò priora duo aliquibus aliis accommodata inveniantur, quam quæso hoc paucis! & qualis quoad illorum frequentationem inter hos & illum differentia? quare nec ista ulli competunt, ut illi: sin verò de aliis loquendum, quis ea per ordinem attexere valeat? Quis Missas, Communiones, Jejunia, Mortificationes, Eleëmosynas, Fundationes, Vota, Donaria, Statuas? prætereo enim Cœnobia, Ordines, Congregationes integras, Xenodochia, Templa, Altaria, &c. quæ licet à particularibus erigantur, spectant tamen, & ea superius reduximus ad cultum publicum: Quis numerum illorum ineat qui ejus modestiam, qui in adversis constantiam & tranquillitatem, qui in desperatissimis spem erectam

erectam qui in arduis obedientiam, & mentis ad divinam voluntatem conformitatem, qui altissimam spiritus paupertatem, qui sublimem rerum omnium caducarum contemptum, aliasque ejus virtutes admirandas, in quibus summè emicuit, sibi proponunt imitandas, & imitantur de facto, hic unam, iste alteram pro modulo suo: sed quàm rara virtus, quàm admiranda etiam Superis inter conjuges benè consentientes continentia? & tamen quàm multi illius & Conjugis suæ exemplo eam servarunt à nobis supra relati, & alii soli Deo cogniti, quàm multi etiamnum servant, alii perpetuam, temporariam alii, & ex his alii breviorem, virtuosam tamen & meritoriam, alii diuturniorem.

XLII. Addamus ad hæc omnia & zelum tot eximiorum Virorum omnis conditionis, status, & dignitatis; qui omnes eloquentiæ ac doctrinæ suæ vires intenderunt, ut gloriam ejus in gentes proveherent: & pro quo tam animosè? tam accuratè? tam frequenter, tam fœliciter? Quodque magis mirère, necdum piis illorum votis satisfactum, nec dum immensum illud quod hodie cernitur eis sufficit, crescit in dies illorum & omnium in eum zelus, affectus, amor, ardor, ut ex hoc manifestissimum fiat tertium quod restabat probandum, statum scilicet præsentem hujus Devotionis in particulari, talem esse, quæ uti omnes alias: Primò in numero & qualitate subjectorum: secundò, in materiâ ipsius devotionis superat, ita & in modo: quandoquidem zelus & affectus quo à fidelibus cunctis nunc colitur, non tantùm superet nunc omnes, sed etiam in dies semper crescat, & majora semper incrementa capiat.

## CAPUT VIII.

### *De modo illum colendi.*

NOTANDUM primò tot esse I.
species honoris & cultus, quot sunt species excellentiæ, ut docent Theologi 2. 2. ad quæstionem 103. Honor enim, sivè cultus debetur personæ eique defertur propter ipsius excellentiam: Cùm ergò tres sint omninò species excellentiæ in genere, totidem erunt & species cultus seu venerationis.

Prima species excellentiæ, est II.
excellentia infinita & divina quæ est ex summis, infinitis & divinis perfectionibus, & attributis, cui respondet prima species cultus, scilicet summus, & dicitur à Theologis nostris cultus latriæ, qui soli Deo debitus, ita ut si alteri præterquàm ipsi redderetur, injuria fieret Deo omnium atrocissima.

Secunda species excellentiæ, est III.
excellentia infima, humana, & civilis, quæ est ex perfectionibus merè humanis & naturalibus, ut dignitate, nobilitate, scientiâ, gradibus, & officiis; cui respondet secunda species cultus & honoris, qui potest dici humanus, civilis & politicus; quem in plures alias subdividit Aristoteles 9. Ethicor. cap. 2. Nam alius est honor qui debetur Regi; alius qui Principibus; alius qui Nobili; alius qui Patri; & alius qui alteri Viro gravi & honesto; alius qui Præceptori; & alius qui alteri Viro erudito.

Tertia species excellentiæ, est IV.
excellentia quædam media inter illas duas, qualis est excellentia ex gratiâ & gloriâ, donisque divinis, quæ Sanctis competit: Gratia enim & gloria sunt dona supernaturalia & excellentissima, ac in alio prorsus ordine quàm sint humana & naturalia quantumvis magna & rara: & huic excellentiæ respondet tertia species cultus, quæ à Scholasticis vocatur Dulia.

Et quia ex Evangelio alia terra fert V.
fructum centesimum, alia sexagesimum, alia trigesimum, quod significat

ficat differentiam excellentiæ & meritorum, ideò alia est & alia hujus & illius in hoc ordine excellentia: *Sicut enim stella differt à stella in claritate, ita & resurrectio mortuorum.* 1. Corinth. cap. 15. vers. 41. Hincque etiam à Theologis conceditur communiter Aureola una Martyribus, una Virginibus, una Doctoribus qui ad justitiam erudiunt multos, quæ non conceduntur aliis: quare etiam alius est cultus, alia Dulia quæ debetur ei qui centesimo fructu abundat, alia ei qui sexagesimo, alia ei qui trigesimo, sivè tandem differant illæ duliæ penes speciem, sivè penes gradum tantùm.

VI. Ex quo illud imprimis statuendum pro totâ hâc materiâ, modum colendi Divum Josephum esse, ut colatur super omnes Sanctos quantumvis sint magni post Beatissimam Deiparam Sponsam suam: Ratio est, quia ipsius excellentia, ut tam multis probatum est, est super omnes post Beatissimam Virginem, ergo colendus est super omnes illos post ipsam: In id etiam incumbunt hodie quotquot sunt magni nominis Viri, Concionatores eximii, Scriptores præclari, ut primas teneat in cordibus omnium fidelium, qui primatum tenet in culmine meritorum.

VII. Notandum secundò Sanctos post Deum à nobis tripliciter honorari: Primò, corde: Secundò, ore: Tertiò, opere. Veneratio cordis, dicitur cultus seu religio: Oris, dicitur laus: Operis, dicitur honor seu adoratio. Ita noster Joannes Beetz in Decalog. primo præcept. exposit. 2. cap. 6. paulò post medium, qui Doctor fuit è primis Discipulis Patris Magistri Godefridi de Loë ex Ordine nostro unius è tribus qui fundamenta Academiæ Lovaniensis jecerunt, de quo hæc Nicolaus Vernuleus in Descript. Academ. Lovanien. lib. 2. cap. 1. Et venerunt Coloniâ Joannes Winninghen „Prædicator, Heymericus de Campo „Sacræ Theologiæ Doctor, & Godefridus Loë Carmelita, indè evocati „Lovanium authoritate Summi Pontificis, & Philippi Boni Burgundiæ & „Brabantiæ Ducis, ut Theologicum studium ibi inchoarent, &c.

VIII. Non quod hæ Venerationes ita ab invicem distinguantur, ut omnes se invicem excludant. Certum enim est venerationem oris & operis ita requirere conjunctionem illius quæ est cordis, ut si hæc non adsit, illæ non sint cultus, sed tantùm vanum illius simulachrum, ut notat Bellarminus tomo 1. controvers. 7. General. de Eccles. Triumph. de Sanct. Beatitud. lib. 1. cap. 12. num. 1. Et ratio est evidens, quia ut peccata oris & operis, initium sumunt à corde, non tantùm physicè ut sunt actus vitales, sed etiam moraliter ut sunt peccata, juxta illud Christi Domini Matth. cap. 15. *De corde exeunt cogitationes, homicidia, furta, falsa testimonia, blasphemiæ:* Ita & veneratio oris & operis, & quælibet aliæ actiones bonæ ob paritatem rationis: quare cùm venerationis oris & operis principium, vita, & totalis forma, sit veneratio cordis, hâc deficiente, quid illæ nisi cadaver, aut vanum venerationis simulachrum?

IX. Ergo illi tres modi Cultus & Venerationis ex hoc inter se distinguuntur, quod primus præcisè consummatur in corde: Secundus in ore: Tertius in opere: ita communiter omnes Theologi: De his tribus hîc quantùm spectant ad D. Josephum & nostrum intentum.

## SECTIO PRIMA.

### *Quomodò Divus Josephus corde colendus?*

X. NOtandum tres illas cultus species de quibus in præsenti Capite, notando primò, quantùm spectat actus interiores sic distingui inter se quod prima species, idest Latria, est quædam summa voluntatis seu cordis prostratio ante Deum ex apprehensione superexcellentiæ ejus ut primi principii à nullo dependentis, & à quo omnia dependent, & ultimi finis nostri, atque adeò Summi Boni nostri, qualis prostratio soli Deo competit.

Secunda

XI. Secunda ſpecies, ideſt cultus ſeu honor civilis eſt longè minor inclinatio voluntatis ex apprehenſione certæ cujuſdam excellentiæ, ſed humanæ valdeque circumſcriptæ & limitatæ.

XII. Tertia ſpecies eſt media quædam inclinatio voluntatis, major ſecundâ, ſed primâ quàm maximè minor ex apprehenſione excellentiæ mediæ inter hanc & illam, ideſt minoris infinitè quam ſic divina, ſed tamen incomparabiliter majoris quam ſit purè humana.

XIII. Ex his duo adverto, ex quibus tertium infero. Adverto primò, ad cultum interiorem duos actus requiri, unum præſuppoſitivè & quaſi materialiter, ſcilicet actum intellectus, quo excellentia vel divina, vel humana, vel media inter utramque, apprehenditur: Alterum formaliter, ſcilicet actum voluntatis, quo ipſa ſe vel Deo, vel Sancto, vel homini mero in proteſtationem & recognitionem excellentiæ eorum, & ſuæ ſubjectionis inclinat & proſternit.

XIV. Adverto ſecundò, quod quò excellentia eſt major ſpecificè, eo cultus, præſuppoſitâ illius cognitione, eſt nobilior & perfectior ſpecificè. Ex quibus infero pro tertio à pari quod quò excellentia eſt intenſior in eâdem ſpeciè, eò etiam cultus interior, ſi illa excellentia cùm ſuâ intenſione cognoſcatur, erit intra eandem ſpeciem major. Quare cùm Divi Joſephi excellentia in genere mediarum, ideſt illarum quæ majores ſunt quam humanæ, & minores quam divina, omnes omninò ſuperet demptâ unâ ſolâ, quæ eſt Virginis Deiparæ, & illa jam ex dictis & nulli ignotis perſpecta ſit, conſequens eſt ut omnis voluntas humana ei magis quàm ulli alteri curvari debeat: & hic eſt primus modus quo colitur Divus Joſephus à ſuis clientibus, & quo ab omnibus coli debet per actus interiores.

XV. Secundus modus eum colendi corde eſt per complacentiam & gaudium de ejus ſupereminenti gratiâ & gloriâ, jubilatio & gratiarum actio Deo in interiori corde, quod eum ad iſtam ſummam & incomparabilem ſublimaverit excellentiam.

XVI. Tertius modus eum colendi corde conſiſtit in deſideriis & affectibus incenſis eum quem Deus ita glorioſum reddidit, etiam quantum in nobis erit glorificandi & honorandi: inſuper & efficiendi ac procurandi ut ab aliis eodem modo honoretur, ideſt ſuper omnes poſt Virginem Deiparam conjugem ſuam.

XVII. Quartus modus eſt adlectio illius inter omnes Sanctos in ſingularem Patronum & Advocatum noſtrum apud Dominum Deum; quæ ſit hodie à pluribus ad eum modum, quo Beatiſſima Virgo ejus Sponſa eligitur ab iis qui nomen dant alicui ejus Confraternitati, vel Sodalitio in ejus ingreſſu: vel etiam ſub hâc aut aliâ ſimili formulâ. *Sancte Ioſeph Pater Domini mei IESV & Sanctiſſimæ Matris ejus Sponſe virginee. Ego N. te hodie in Patronum meum ſingularem & Advocatum apud Deum eligo: obſecro te igitur ô Patronorum meorum dilectiſſime! ſuſcipe me hodie in clientem & ſervum tuum perpetuum, adſis mihi in omnibus neceſſitatibus meis, & ne me deſeras in horâ mortis meæ Amen.* Quæ oratio cum ſit brevis, poterit non tantùm in initio adlectionis, ſed etiam ſingulis annis in die Feſti ipſius, immò ſingulis menſibus, quin & ſingulis ſeptimanis, quidni & diebus in eorum principio, utiliter & cum fructu uſurpari & repeti.

XVIII. Quintus modus conſiſtit in votis illis omnis generis, & in omni materiâ, quibus ex divino inſtinctu ejus clientes & devoti in dies ſe ei adſtringunt, quoties agitur de re quâcumque per ipſum à Deo obtinendâ.

## SECTIO II.

### *Quomodò Divus Joſephus ore colendus?*

XIX. QUemadmodum præcedenti Sectione, in cultu ſeu veneratione interiori Deo & Sanctis ejus proprio, diverſitatem offendimus & oſtendimus, ſic & in hoc cultu oris, differentiam invenio: nam Deum oramus in hâc formulâ vel aliâ ejuſdem cenſus. *Sancte Deus, ſancte fortis, ſancte & immortalis,*

*mortalis, miserere nobis.* Sanctos verò sub hâc vel simili: *Sancta Maria, Ora pro nobis: Sancte Ioseph, Ora pro nobis:* Nec quisquam fidelium auditus est aliter unquam orasse: quis namque auditus est unquam dixisse, *Sancte Deus, Ora pro nobis?*

XX. Licet verò aliquando Sanctis dicamus Sancta Maria, Sancte Joseph, Sancte Michael, Sancte Joannes Baptista, Sancte Petre, &c. Miserere mei salva me, aperi mihi aditum cœli, fac ut à peccatis resurgam, da mihi patientiam, fortitudinem, corporis sanitatem, &c. ejusmodi: hoc non ita dicimus, quod Sanctos existimemus istorum beneficiorum primarios fontes & independentes Authores: hæc enim beneficia superant omnes vires naturæ creatæ: sed harum & aliarum similis formæ precum hic est sensus, Sancta Maria, Sancte Joseph miserere mei, habe compassionem miseriarum mearum, salva me, &c. orando pro me, & obtinendo mihi à Deo precibus tuis gratiam quâ salver, à peccatis resurgam, &c.

XXI. Neque hoc valdè difficilè intellectu, cùm eodem sensu Apostolus ad Roman. cap. 11. vers. 13. & 14. dicat: *Quandoquidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo: si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam,* (idest Judæos ex quibus sum secundùm carnem) *& salvos faciam aliquos ex illis*: non ut Deus in virtute suâ erigendo; sed juvando orationibus, precibus, doctrinâ, exhortationibus, exemplis, &c. ut erigantur à Deo.

XXII. In hoc cultu præter illa, quæ sunt Divo Josepho cum aliis Sanctis communia, in quibus etiam illos multis parasangis antecedit; habet tria quæ illi cum Beatissimâ Virgine sponsa suâ singularia sunt: Videlicet primò, Officium parvum in septem horas ad normam Ecclesiastici & Canonici distributum. Secundò, Litanias ex ejus privilegiis & prærogativis concinnatas. Tertiò, tandem parvum Rosarium: ut in his & litterati, & simplices, quantumvis occupati, habeant pensum diurnum, quod commodè quotidie in in ejus honorem recitare possint, seque illius clientes testari.

XXIII. Parvum Officium & Litaniæ passim inveniuntur in libris piis, nisi in his magis placeant quæ in parvulo libello cui nomen, *La Devotion de sept Mercredys à l'honneur des sept principaux Privileges & Prerogatives de Saint Ioseph,* à me typis Leodii dato anno 1676. ratione erectionis Confraternitatis Sancti Iosephi in Conventu nostro Leodiensi, à Serenissimo Principe Electore Colonienſi, Episcopo & Principe nostro Leodiensi, quam idem Princeps approbat, & approbavit & commendavit per suas datas Coloniæ Agrippinæ decimâ Octobris anni 1675.

XXIV. Quoad Rosarium etiam in eodem libello ut supra commendato ejus formulam & explicationem ibidem dedi, quam hîc repetere non pigebit, propterea quod maximè perplacuit personis doctis, devotis, & Religiosis, & quia etiam video illud jam sub eâ formâ mysticâ frequentari à plurimis.

XXV. Componitur illud ex unâ Cruce & triginta parvis globulis, qui per alios tres istis majores distinguuntur in tres Decades: in quibus tres globuli majores positi sunt in honorem Trinitatis Increatæ PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI. Simul & Trinitatis creatæ JESU, MARIÆ, & JOSEPH, quæ in tertis cœlestem illam repræsentabat. Tres verò Decades ex ter decem globulis parvis, qui conficiunt triginta, sunt in memoriam triginta annorum, quibus Divus Iosephus Christo & Mariæ convixit pro iis alendis sudavit, in eorum convictu profecit, & de exemplis ac instructionibus filii sui animam suam ædificavit.

XXVI. Modus illud recitandi hic est: Primò, ad Crucem elevatâ mente & directâ ad Deum intentione (ut fieri debet in principio quarumlibet actionum bonarum) eâ Cruce seipsum signat Rosarium recitaturus, pronuntiando devotè, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.* Secundò, ad tres majores globulos dicitur pro Trinitate Increatâ. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Additurque pro Trinitate creata. *IESVS, Maria, Ioseph.*

Tertiò,

Tertiò, ad triginta minores globulos, ex quibus conficiuntur tres Decades, dicitur ad singulos: *Ave Ioseph Fili David, Iuste, Vir Mariæ, de qua natus est IESVS. Sancte Ioseph, Pater IESV, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in horâ mortis nostræ. Amen.* Hæc de veneratione Oris.

## SECTIO III.

### *Quomodò Divus Josephus Opere colendus?*

XXVII. SAcrificium, & ea quæ ad illud referuntur (Templa, Altaria, Sacerdotes) cùm sit actus latriæ soli Deo debitæ primus & summus, ei etiam soli debetur, ut constat primò ex Scripturâ Exodi cap. 22. *Qui sacrificat Diis eradicabitur præterquam Domino soli.* Secundò, ex doctrinâ Sancti Augustini lib. 10. de Civit. Dei cap. 4. & omnibus Patribus. Tertiò, ex praxi Ecclesiæ, non enim Sanctis Sacrificium offerimus, sed soli Deo, licet *in commemoratione omnium Sanctorum, qui ei placuerunt ab initio mundi.*

XXVIII. Præter hunc autem actum exteriorem in hac cultus latriæ specie, vix ullam in aliis diversitatem reperies, quâ secernere possis, hunc cultum esse Dei, vel istum esse Sancti: Nam incurvamur v. c. & genuflectimus coram Deo & coram Sanctis, immò etiam coram Regibus & Principibus, quemadmodũ & Abraham fecit coram Deo Genes. cap. 17. coram Angelis Genes. cap. 18. & coram Populo terræ, ibid.

XXIX Differentia tamen est inter illos actus exteriores quatenùs tendunt in Deum, & quatenùs tendunt in Sanctos, puta Deiparam, & Divum Josephum: sed differentia illa in his, est ex parte actus interioris, à quo proficiscuntur: Nam cæteri actus, excepto Sacrificio, v. c. genuflexiones, incurvationes, cameuniæ, jejunia, eleëmosynæ, communiones, peregrinationes, ceræi, qui omnes sunt Deo, & Sanctis communes, dicuntur actus latriæ ut tendunt in Deum, quia procedunt ex apprehensione summæ & infinitæ excellentiæ Dei, & ex summâ voluntatis nostræ in illius conspectu inclinatione? Dicuntur verò actus duliæ quando procedunt ex apprehensione excellentiæ minoris illâ, majoris tamen quàm sit simpliciter & merè humana.

Quare de hâc veneratione, seu cultu per actus exteriores, in quantùm D. spectat Josephum, vix quidquã habemus dicendum præter illa quæ de aliis Sanctis in universum: Cùm enim non possit assignari diversitas inter cultum Dei & Sanctorum ejus (qui tamen sunt essentialiter & specie distincti) ex parte istorum actuum exterius, & secundùm se consideratorum, demptò (ut dictum est) Sacrificio, quantò minùs poterit assignari inter cultum Sancti & Sancti, qui sunt in eadem specie. XXX.

Quia tamen & hi possunt procedere ex intensiori & majori inclinatione voluntatis quàm illi, ob majorem videlicet hujus quàm illius Sancti excellentiam, ejusque apprehensionem, ideò possunt etiam cultus externi Sanctorum inter se diversificari ratione actuum interiorum diversorum à quibus procedunt: quæ quidem diversitas poterit etiam dupliciter notari in ipsis actibus externis: primò quidem fient plures & perfectiori modo, quia nimirùm ex majori & extensiori affectu & zelo: Secundò, quod frequentius repetentur & multiplicabuntur ex eodem principio, quia ubi major affectus & zelus, ibi minus tædium & major dispositio ad agendum: & his modis debet prævalere cultus exterior, seu per opera, quem Divo debemus Josepho, ut scilicet plura fiant in illius honorem, & perfectius, ac etiam frequentius, ex majori & intensiori affectu, ob majorem ipsius excellentiam, quàm per totum hoc Opus satis fecimus manifestam. XXXI.

## SECTIO IV.

*Sequuntur aliquot modi speciales quibus Divus Josephus poterit coli & honorari à suis Clientibus.*

XXXII. DUo includit Cultus Sanctis in Cœlo cum Deo regnantibus debitus : Honorem & Imitationem. Honor est in affectu, laude & veneratione : Imitatio est in opere. Honorem illis debemus, quia illorum exigit dignitas, ut sunt Amici Dei, dicente Regio Prophetâ : *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Psalm. 138, vers. 16. & quia Deo placitum, nobisque expediens, venerari oportet fidei Principes, Advocatos, Universi, Præcones cœlestes Christi, Hostium Propulsatores, Semina Christianorum, Flores Paradisi, Ecclesiæ Ornamenta, Religionis Columnas, Turres & Propugnacula Civitatum & Regnorum.

XXXIII. Imitationem debemus illis quia sunt Sancti : Sancti enim esse debemus, si ad illorum aliquando societatem, quò tendimus, pervenire velimus. Qui tantùm laudat nec imitatur, nugax est, & dubiam facit laudationem suam. Cur enim non prosequitur opere, quod extollit ore, cùm facta verbis præstare omnibus notum sit ? Qui imitatur & sequitur aliquem factis, etsi non laudet verbis, opere ipso magnificat.

XXXIV. Hinc Sanctus Joannes Chrysostomus tomo 4. Operum suorum sermonem habet egregium de Martyribus, quo hoc vult evincere, vel non esse laudandos, vel esse imitandos. *Quoniam* (inquit) *quem delectat Sancti alicujus meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium : Quare aut imitari debet si laudat, aut laudare non debet si imitari detrectat.*

XXXV. Sed potissima ratio est, quod Sancti in Cœlo regnantes in obsequiis nostris, & cultu quem eis deferimus, magis spectant Dei gloriam, & nostram utilitatem, quàm suam venerationem. Est autem Deo gloriosius, & nobis utilius eos imitari, quàm laudare, ut constat : undè Sanctus Bernardus serm. 5. de Festo Omnium Sanctorum. *Ad quid Sanctis laus nostra ? quò eis præconia nostra ? pleni sunt, bonorum nostrorum non egent, nec quidquam eis nostrâ devotione præstatur. Planè quod eorum memoriam veneramur, nostrâ interest, non ipsorum.* Melius ergo coletur Divus Josephus virtutum imitatione, quàm laude, vel prece : eâque ratione efficacius multò ipsius intercessionem & opem, quam exquirimus, obtinebimus.

XXXVI. Virtutes illius quas imitari debemus, sunt illæ in quibus maximè excelluit : Has autem habes Parte 2. Tractatu 3. Sed tùm præcipuè eorum aliquem actum tibi præfiges exercendum, cùm eum adire desiderabis, ut per ipsum aliquid tibi necessarium seu temporale, seu spirituale à Deo obtineas. O quàm efficax est hoc medium ad impetrandum à Deo per Divum Josephum ! verbi gratiâ, Cùm conjuges aliquid à Deo per eum petere volentes, dum ut illud obtineant, simul oraturi proponunt, simul per aliquod saltem tempus continere, ad aliqualem imitationem ejus, quam usque ad mortem per triginta annos cum Conjuge suâ coluit continentiæ : vel dum Opifices, Mercatores, & alii totum lucrum aut quæstum unius diei per mensem Christo in pauperibus suis alendo devovent, & erogant, ad exemplum illius qui laboravit pro Christo, & de laboribus suis eum per tot annos aluit. Aliaque his similia, quæ ad præfatorum normam cuique erit facile ex vitâ & actionibus Divi Josephi ad praxim deducere. Restat jam ut de honore dicamus.

XXXVI Modos aliquos ipsum honorandi tetigimus in superioribus : hi cum aliis qui restant in universum ad tres reduci possunt.

XXXVII Ad primam classem pertinent illi qui sunt Divinitùs revelati, qualis est ille, qui eruitur ex historiâ Sacri & Seraphici Ordinis S. Francisci, quam edidit Pater Joannes de Fano, ubi meminit, prout & noster Hieronymus Gratianus lib. 5. de Sancto Josepho cap. 4. & Doctor

Doctor Petrus Morales in Matthæum, duorum ejusdem Ordinis Religiosorum & Sancti Josephi devotorum, qui Flandriam versus navigantes naufragium passi, vectoribus, reliquisque undâ mersis, soli emersêre: Etenim arreptâ tabulâ, cùm tribus continuò diebus ac noctibus ab aquis jactati, in extremo vitæ discrimine egissent, implorato ferventiùs Divi Iosephi auxilio, ejusdem statim apparentis ope, salvi & incolumes ad littus enatarunt: A quo in mandatis acceperunt, ut in ejus honorem, septemque ipsius laborum ac septem gaudiorum memoriam, totidem quotidie Pater & Ave recitarent, hinc enim futurum, ut tam ipsi, quàm quilibet alii, qui hoc pietatis exercitium susciperent, suum haud dubiè patrocinium in cunctis experirentur necessitatibus. A quâ apparitione & revelatione sumpsit originem devotio quindecim dierum Mercurii consecutivorum apud Patres nostros Discalceatos, saltem in Belgio, frequentata ut docet Pater Antonius à Matre Dei, ex eâdem Discalceatorum Congregatione, in Libello cui titulus *Abregé des quinze Mysteres, &c.* Componitur enim ex septem laboribus, & septem gaudiis illis Divi Josephi invicem junctis qui faciunt quatuordecim: quibus addunt pro decimoquinto ejus Mortem in conspectu Domini preciosam, ex quâ ejus beatitudo.

XXXIX. Ad secundam classem pertinent illi modi qui à Sanctis sunt practicati, ad normam illorum quo alii Sancti jam ante honorabantur: in quo genere est v. c. devotio Sanctæ ac Seraphicæ Matris nostræ Theresiæ, quæ nunquam inventa fuit seu in Monasterio, seu in itinere sine aliquâ Divi Josephi Imagine, quam sæpissimè extrahebat & identidem adspectabat, ut in illam sæpiculè contuens, nunquam ab illo mente abesset, ab ipsâ Deiparâ edocta, ipsius recordationem, pium ad ipsum recursum, patrociniumque ejus apud Deum ipsi semper summopere profuturum, ut etiam ipsa experiebatur.

XL. Ad tertiam Classem pertinet devotio eorum, qui ad memoriam suam revocantes aliquam notabilem vitæ Divi Josephi circumstantiam, aliquid comminiscuntur, quo illam honorant actu aliquo, qui habet aliquam cum tali circumstantiâ affinitatem: v. c. qui in memoriam quod Divo Josepho Mariæ & Christo in Bethleem ad censum profectis, non fuerit locus in diversorio, excipiunt aliquando ad hospitium vel prandium hominem cum muliere pusiolum gestante, exemplo illius mercatoris Hispani Valentini, de quo Divus Vincentius Ferrerius in serm. de Nativit. Domini: qui quolibet anno in die Nativitatis Domini hoc piè, ac religiosè practicabat: de quo fuit revelatum, inquit D. Vincentius Ferrerius, *Quod in morte apparuerunt ipsi Virgo cum filio & Sancto Josepho dicentes, quia recepisti nos in domo tuâ, ideò recipiemus te in domo nostrâ.*

Inter hujus ultimæ Classis devotiones non ultimum apud Divi Josephi devotos, etiam litteratos, hodie tenet locum illa quæ ad sanctuarii trutinam appensa inventa est esse justi ponderis & approbata specialiter ac commendata à Serenissimo Principe Electore Colonienſi, Episcopo & Principe Leodienſi: in suis litteris de datâ 10. Octobris 1675. quæ Devotio est septem dierum continuorum, si res urget, aliàs septem dierum Mercurii successivorum, quia ille dies apud fideles est Divo Josepho Sacer, sicut Sabbathum ejus Sponsæ castissimæ: & hoc in honorem septem Privilegiorum præcipuorum, ac singularium ejus prærogativarum, quibus supra omnes Cœlites post Sponsam suam emicat. XLI.

Ac primo quidem die, propter primam ejus prærogativam, prædestinationem scilicet ejus tam extraordinariam, quam illam esse ostendimus esse in superioribus, Part. 1. Tract. 1. Prolud. 5. & seqq. Istam prædestinationem primam ejus prærogativam dico, non tantùm, quia prima est tempore, sed etiam quia fons est & origo omnium aliarum. XLII.

Secundo die, propter gratias electissimas ei à Deo in vim hujus prædestinationis collatas, quibus eum disposuit & præparavit ad illud, ad quod eum prædestinaverat, quas prosecuti sumus XLIII.

Parte primâ Tractatu 3.

XLIV. Tertio die, propter eminentissimam illam, & incomparabilem dignitatem Patris JESU, de quâ Part. 2. Tract. 2. ad quam primariò & directè electus est & prædestinatus, & cujus intuitu gratias quas suprà accepit, aliasque quæ sequuntur prærogativas.

XLV. Quarto die, propter aliam eminentissimam quoque licet Beatissimæ Virginis Deiparentis, de quâ part 2. tract. 2. quâ mediante, Deus magnum illud intentum ad finem perduxit, per quam, inquam, illum effecit filii sui Patrem.

XLVI. Quinto die, propter gratias illas singulariſſimas, quibus eum Deus largissimè & abundantissimè cumulavit, ut dignè ornaretur ad congruè sustinendas illas duas eminentissimas dignitates: de quibus gratiis superius, Part. 2. Tract. 3.

XLVII. Sexto die, propter eminentem gloriam, quam per usum exactum istarum gratiarum meruit, ad quam Deus illum evexit, & per quam illum consummavit, omnesque præmemoratas illius prærogativas coronavit: de quâ gloriâ hâc Part. 3. Tract. 1.

XLVIII. Septimo & ultimo die, propterea quod in illo eminentissimo gloriæ statu est Proto-Patronus omnium, eorumque in vitâ & in morte Proto-Protector, pro quo vide quæ part. seq.

XLIX. Hâc porrò devotione, si eam ex objecto consideremus, quid quæso purius? quid solidius? nihil enim aliud præ oculis habet quàm Dei dona, eorumque ubertatem, quæ in illo Viro Sanctissimo suspicemus & honoremus, & in quibus partem accipimus per sanctam quandam complacentiam, per affectum sinceræ benevolentiæ, & cordiale congaudium & adgratulationem: persuasi firmiter nihil illi gratius accidere posse, quam ut cum ipso gratias reddamus Deo, quod eum in tantùm dilexerit: nihil enim adeò placet Sanctis, qui cum Deo regnant in Cœlo, immò etiam illis qui pugnant adhuc nobiscum in terris, quàm dum vident plurium ora & corda sibi uniri, & secum aperiri in gratiarum actionem Deo pro favoribus, quibus ab illo cumulati sunt tam copiosè.

L. Hinc Apostolus ex infinitis periculis & discriminibus singulari Dei protectione ereptus, scribens ad Corinthios, illorum adjunctionem implorat: *Ut*, inquit, *ex multorum personis ejus, quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.*

LI. Hanc sanctam praxim proponit hæc devotio septemdialis in honorē septem præcipuarum Divi Iosephi prærogativarum: unde fieri nequit quin ex inde magnam capiat ipse delectationem, seque iis qui illam frequentant sentiat obstrictum, ut qui probè sciat, quod gratiæ quas à Deo tam copiosè & largiter recepit, non possint sat dignè recognosci, etsi omnes Angeli & homines omnes simul unirentur in eum finem.

LII. Tandem eminentissima illa dignitas Patris JESU, quâ iste Vir Sanctissimus insignitus est, usque adeò eminet, ut ipse eam ut par est recognoscere non valens, vellet centum millies millium millionum hominum corda & linguas habere, ut aliquâ saltem ratione posset tantæ gratiæ respondere, unde non potest fieri quin ingenti gaudio afficiatur & rapiatur, dum alii se ei adjungunt ad supplendum defectum suum, & exaltandam secum infinitam in se Dei misericordiam, maximè verò gratiam istam suæ paternitatis, quæ fuit in eo origo omnium meritorum & magnalium suorum, immò & existentiæ suæ ut docuimus suprà Part. 1. Tract. 1. Prolud.

LIII. His addo quod per hanc devotionem rem etiam pergratam faciemus homini Deo, qui eum inter mortales omnes elegit in Patrem suum: amat enim eum honorari propter dona sua quibus ipse eum honorare voluit, & quæ ei eo fine contulit ut à nobis honoraretur.

LIV. Hæc verò devotio est septenaria tripliciter. Primò, ex objecto, quia in eâ septem Divi Josephi prærogativas suspicimus. Secundò, ex subjecto seu materiâ, quia per septem exercitia pia, orationes septem ad illas septenas prærogativas aptatas, per Horas Canonicas septem, Communiones septem, & alia similia illas honoramus. Tertiò in duratione, quia septem diebus vel continuis, vel Mercuriorum per

per alios interpolatis perficitur: & ex hoc inter omnes quæ fiunt in numero, ut sunt Octavæ, Novenæ, Quindenæ, optimi augurii, quia numerus septenarius inter omnes est maximè mysticus, plus omnibus & Religioni & Mysteriis serviens Divinis, ut patet ex Sacrâ Scripturâ.

LV. Hinc ab initio mundi septimus dies à Deo fuit sanctificationi & Divino Cultui designatus. Hinc in Tabernaculo fœderis erant septem lucernæ, Exodi cap. 25. Hinc in solemnitate septimi mensis præcepit Deus offerri sibi in holocaustum agnos anniculos immaculatos septem, Numer. cap 29. Item ibidem decimâ ejusdem septimi mensis agnos itidem septem: & decimâ-quintâ die duplum, idest agnos bis septem, sive quatuordecim: sex diebus sequentibus totidem: Octavâ autem illius dici, qui erat celeberrimus, agnos anniculos immaculatos septem. Et Job cap. 42. Eliphaz Themanites cum duobus sociis, Baldad Suhite, & Sophar Naamathite contra quos iratus erat Dominus, jubentur ire ad Job, & cum illo offerre pro se in holocaustum & propitiationem septem tauros, & septem arietes, quo facto placatus est Dominus: Hinc Psaltes Regius septies in die laudem dicebat Domino super judicia justitiæ suę, Psalmo 118. vers. 164. Hinc sunt septem Spiritus, seu Angeli qui adstant ante thronum Dei: Hinc in Dedicatione Templi Salomonici 2. Paralip. cap. 7. Fecit Salomon solemnitatem septem diebus, & omnis Israel cum eo, & dedicavit Altare totidem diebus: Hinc Sanctus Pater noster Elias oscitavit super puerum mortuum septies, & septimâ vice spiritum vitæ recepit: Hinc Sanctus Eliseus primus ejus Discipulus Naaman Syro præcipit, ut se lavet septies in Jordane, & septimâ vice à leprâ mundatus est: Hinc fortitudo Sampsonis consistebat in septem crinibus capitis ejus. Hinc sunt septem dona Spiritus Sancti, septem Sacramenta novæ legis, septem petiones in Oratione Dominicâ, septem stellæ in dexterâ Dei, septem sigillis clausus est & obsignatus liber mysteriorum Dei: & sexcenta alia similia per totam Scripturâ. Vide alia ex Philone Judæo & Pithagoricis de sanctitate, perfectione, & excellentiâ hujus Numeri Septenarii supra alios apud Cornelium à Lapide in cap. 5 Deuteron. ad vers. 12. & Andræam Masium in librum Josue cap. 6. vers. 11.

Ex quibus patet hanc Devotionem, LVI.
ad hunc septenarium numerum redactam, non posse dici aut ullo modo haberi de superstitione suspectam, cùm illius tot exempla habeamus in Scripturâ. Deindè etiam quia iste numerus hic non est arbitrarius ut evenire solet in superstitiosis: nam regulatur à Privilegiis seu Prærogativis Divi Josephi numero septenario comprehensis: Omnia enim quæ de Sancto illo magna & excelsa dici possunt aut excogitari, aut Dei dona quæcumque quæ in illum congessit plenissimo cornu Deus, & ob quæ Deus vult in illo honorari, ad unum ex septem illis privilegiis omninò reducuntur, ut facilè patebit consideranti. Et ideò hæc Devotio ad hanc amussim formata per se limitata est ad septenarium numerum, nec minorem nec majorem, & in eà Deum sequimur, qui cùm omnia in numero, ut in pondere & mensurâ faciat, Magnitudinem sui amantissimi Patris ex magnis illis septem Privilegiis constituere voluit.

Hujus virtutem & efficaciam De- LVII.
votionis plurimi omnis conditionis & in animâ & in corpore experti sunt, qui eam à tempore quo publicata fuit & instituta in Ecclesiâ nostrâ Leodiensi authoritate Serenissimi Principis Electoris Colonensis, Episcopi & Principis Leodiensis per Litteras suas, quarum mentionem fecimus hîc supra num. 41. & quas in calce hujus Capitis subnectemus frequentarunt: experientur etiam, hoc mihi spondeo, omnes quotquot illam frequentabunt, si eâ devotione, spe, & fiduciâ, quâ par est illam suscipiant & prosequantur, agnoscentque proprio suo experimento, quam grata sit Divo Josepho, & Deo, qui eum amat, eosque, qui eum colunt & honorant suis prosequitur favoribus & beneficiis.

Bis ego ipse virtutem & efficaciam LVIII.
hujus Devotionis expertum me credo:

Primâ

Primâ vice anno 1672. postquam enim obstinatâ defluxione in raucitudinem incidissem talem, ut per totos sedecim menses nedum canere in Choro cum aliis possem, sed nec psallere seu legere, cùm neq; ferè audirer in colloquio familiari nisi ab attentè auscultante, & aures porrigente, ut per centum testes constat, tentatis per illud tempus omnibus Medicorum remediis in vanum: frustraneis etiam, Deo ita volente, in eundem finem ad alios Sanctos votis & devotionibus, venerunt tandem mihi in mentem septem præmemorata, eo ordine quo supra, Divi Josephi Privilegia: tum deinde subiit cogitatio & voluntas implendæ hujus devotionis septenariæ, quam spe plenus aggressus sum circa finem Februarii ejus anni: nec spem fefellit eventus, perductâ enim ad tertium diem Mercurii devotione, quarto (qui est medius septenarii) cùm essem Huii apud Moniales nostri Ordinis, ubi pro fœlici successu oneris mihi ibidem cõmissi Missa de Spiritu Sancto cantanda erat, eam ipse cantavi voce plenâ & clarâ ut ante, eliminatâ omni raucitudine non amplius rediturâ, quamvis (quod valdè notandum censeo) pridie illius quarti Mercurii navigio ascendens Leodio ad dictum oppidum Huyense, hesissem in navi ad novem & amplius horas, idque mense Martio eo anno satis humido & frigido.

LIX. Secundâ vice eandem virtutem hujus devotionis expertus sum anno 1681. Passus enim per totam hyemem satis rigidam insomnia, ut sæpissimè vix mediâ per longissimas noctes horâ somnum caperem, imò nec propter astma in lecto manere possem, adhibitis pro hâc tædiosissimâ infirmitate trium expertissimorum Medicorum pluribus remediis, quæ nihil mihi profuerunt, ad Auxiliatorem meum pristinum recurri, eandem devotionem, rogatis etiam aliis ut se mihi adjungerent, repetii, statimque ut eam cœpi, somnus qui fugerat ab oculis meis rediit.

LX. His autem opitulationibus à me hîc allatis non aliam fidem, quam quæ humanæ Historiæ tribui solet, ullatenus haberi volo: memor Decreti Summi Pontificis Urbani VIII. cui me, & à me dicta hîc submitto, à quo ejusque in Petri Cathedrâ Romanâ Successoribus nunquam recedere volo: Moneo tamen æquum Lectorem meum, me non ignorare quod mendacium, fraus, & deceptio in hujusmodi materiâ, impostura sit omni mendacio in aliâ materiâ gravior, quam nullus prætextus excusare potest.

## *Sequitur Diploma Serenissimi Episcopi & Principis nostri Leodiensis.*

MAXIMILIANUS HENRICUS, Dei Gratiâ Archiepiscopus Colonienſis, Sacri Romani Imperii, Princeps Elector, per Italiam Archicancellarius & S. Sedis Apostolicæ Legatus natus, Episcopus ac Princeps Leodiensis & Hildesiensis, Administrator Berghtesgadensis, utriusque Bavariæ, Superioris Palatinatus, Westphaliæ, Angariæ, & Bullionii Dux, Comes Palatinus Rheni, Landgravius Leuchtenbergensis, Marchio Franchimontensis, Comes Lossensis & Hornensis, &c.

*Universis & singulis præsentes nostras litteras visuris, lecturis, seu legi audituris; Salutem in Domino. Ex injuncto nobis cœlitus Pastoralis sollicitudinis officio, ad ea libenter animum intendimus quæ ad divini cultus augmentum, Sanctorum in cœlis regnantium honorem & animarum à Supremo nobis Pastore commissarum salutem conducere arbitramur. Itaque præclara Sanctissimi Patriarchæ Josephi IESV Christi Domini nostri Tutoris ac Nutritii, necnon Deiparæ Virginis Mariæ Sponsi merita animo revolventes, eò libentius ad promovendum in animarum nobis subditarum cordibus ejus cultum & honorem cooperamur, quo efficatiorem ejus intercessionem gratiæ frequentissimæ potentissimum in omnibus necessitatibus patrocinium miracula crebriora in dies attestantur. Dudum quidem in diversis Civitatis & Diœcesis nostræ Leod. Ecclesiis ejus festivitas solemniori ritu annua devotione recolitur, nunc verò exposito nobis quod sicut in universali Ecclesia, ita & ibidem crescente devotorum erga sanctissimum illum Patriarcham*

*triarcham numero, in Ecclesia dilectorum nobis filiorum RR. PP. Carmelitarũ Reformatorum in Insula Civitatis nostræ Leodiensis instituta sit vel instituenda existat, una pia & devota utriusque sexus Christi fidelium Confraternitas sub invocatione ejusdem Sanctissimi Iosephi eidemque sic erectæ seu aliàs erigendæ Sanctissimus D. N. Clemens PP. X. per literas suas in forma Brevis de & sub data 27. Aprilis anni currentis sub Annulo Piscatoris expeditas per nos visas & recognitas varias Indulgentias tam Plenarias quàm non Plenarias prout in dictis litteris latius continetur concesserit: Ideoq. Prior & Conventus dictorum PP. Carm. supplicari nobis humiliter fecerunt quatenus ad Canonicam dictæ Confraternitatis erectionem Pontificiæ authoritatis robur adjicere & alias ut infra indulgere dignaremur: ejusmodi supplicationibus benignè inclinati, authoritate qua fungimur, præfatam Confraternitatem in dicta Ecclesia perpetuò erigimus & instituimus pro principali ejus Festo & aliis diebus juxta Breve Apostolicum per nos determinandis, illum vel illos dies assignantes qui per dictos Patres pro semel tantùm eligentur.*

*Insuper ut dicta Confraternitas majora in dies suscipiat incrementa permittimus ut dicta Confraternitas unà cum Indulgentiis eidem concessis publicetur, atque ut Devotio septem consequentium dierum Mercurii in honorem septem præcipuarum Prærogativarum dicti Sanctissimi Iosephi, juxta formam mysticam ad nos transmissam in dicta Ecclesia institui ac typis evulgari possit & valeat, Authoritate nostrâ tenore præsentium indulgemus & facultatem in Domino concedimus. Datum in Civitate nostra Coloniæ, die decimâ Octobris, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto.* Et erat signatum. MAXIMILIANUS HENRICUS. *Inferius.* Locus (†) Sigilli. *Deinde* F. W. Schoenheym.

## CAPUT IX.

### *Motiva Divum Iosephum præcipuo honore & devotione prosequendi.*

TRIA sunt motiva, Sanctos qui cum Deo regnant in Cælis, honorandi: Primum, quia hoc exigit illorum dignitas, & amicitia Dei quâ perfruuntur, juxta illud psalm. 138. vers. 16. *Nimis honorati sunt amici tui Deus:* Secundum, quia Deo placitum. *Sic honorabitur quemcumq. voluerit Rex honorari:* Tertium, quia expendit nobis, *Nimis enim confortatus est Principatus eorum*, & potestas apud Deum. I.

Sed hæc motiva sunt generalia, quæ respiciunt omnes Sanctos in universum, ut constat, omnibusque in communi conveniunt: Hîc autem quæstio procedit de motivis, quæ sunt specialia Divo Josepho. Reducuntur autem hæc ad tria, quorum alia se tenent ex parte Dei, alia verò ex parte Divi Josephi, alia denique ex parte nostri: de quibus sigillatim & eodem ordine sequentibus Sectionibus. II.

## SECTIO PRIMA.

### *Motiva hoc modo honorandi Divum Iosephum sumpta ex parte Dei.*

DIvus Iosephus Pater est Christi in quantùm homo, ut toties repetiimus: Filius sapiens non tantùm ipse Patrem suum honorat, sed etiam gaudet & avet illum ab aliis honorari, & quantò plus videt eum honorari, tantò magis gaudet: An ergo dubitandum ullo modo Christum Dominum velle Patrem suum Divum Josephum, quem tantopere ipse extulit, à nobis etiam honorari? vult amicos, vult servos suos honorari, & ut honorentur ab aliis, eos ipse primus honorat, immò eorum ossa & cineres miraculis, prodigiis, portentis cohonestat, possetne ergo non velle honorari? III.

amantissimum Patrem suum, cui tot nominibus adstringi voluit?

IV. Quod si propter justissimas rationes à nobis suprà hoc Tract. cap. 1. allatas, oportuit Divum Josephum aliquamdiu latère, & manere sine cultu, saltem meritis suis tam magnis proportionato, ut de facto mansit; an cessantibus his causis non volet tot annorum damnum ob suum & Matris suæ honorē passim resarciri, quis credet?

V. At nonne satis est dicere Deum aliquid à nobis velle, vel (etsi non vellet nos ad hoc obligare) scire hoc vel istud ei placiturum, gratum ipsi futurum si faciamus, ut illa ultro & animo volenti amplectamur? mirum est quâ solertia Gentiles olim Deorum suorum, licet falsorum & fictorum tantùm, voluntatem per oracula, per auguria, perque alia signa exquisierint, & exploraverint, ut ei se in omnibus, & per omnia conformarent: nec tantùm ne displicerent, sed etiam ut eis placerent: an ergo patiemur ut illi prudentiores fuerint in generatione suâ respectu Deorum inanium, quam nos filii lucis in nostrâ, respectu Dei veri & unici?

VI. Nec signa tantùm & conjecturas habemus, ut illi, Deum nostrum velle ut Divum Josephum honoremus, non tantùm ex bonis rationibus hoc ei gratum futurum certò & infallibiliter concludere possumus, prout de facto concluſimus in superioribus: sed insuper hâc super re voluntatem suam manifestè aperuit Deus tripliciter; Primò quidem, voce Revelationis: Secundò, voce populorum: Tertiò, voce signorum: an ergo hoc prætermittendum?

VII. Primò, hoc manifestavit, voce Revelationis: & hoc iterùm tripliciter. Primò, per Christum. Secundò, per Beatam Virginem. Tertiò, per ipsum D. Josephum: quod quidem ut doctis notum est, est ei satis particulare, manifestumque signum Deum velle, & cupere nobis per ipsum benefacere.

VIII. Per Christum quidem primò, Divæ Gertrudi Germanæ quæ, ut ipsamet scribit lib. 4. Insinuat. ad Divin. piet. cap. 12. quodam die Annunciationi B. Virginis Sacro, dum in choro cum cæteris Monialibus horis matutinis operam daret, vidit omnes Cœlites Divo Josepho in præsentiâ Christi, & Sanctissimæ Matris ejus acclinari quàm reverentissimè, eique congaudere & applaudere de summâ ejus dignitate & gloriâ: quorsum verò hoc, nisi ut ipsa intelligeret, quid sibi exemplo Cœlitum agendum esset? quin etiam adjecit Christus monitum, ut si sibi benè consultum vellet, eum deinceps assiduè coleret, quod & fecit. Secundò, Divæ Brigittæ Suecicæ Ord. Sancti Salvatoris Fundatrici, à Revelationibus divinis commendatissimæ; cui Deus, uti præmemoratæ S. Gertrudi, commendavit ut esset huic Sancto devota, quemadmodum ipsa testatur. Videnda ipsa lib. 6. Revelat. suar. cap. 59. lib. 7. cap. 25. & lib. 9. cap. 58. &c. Tandem & maximè Seraphicæ Matri Sanctæ Theresiæ specialiter ad gloriam Divi Josephi per universum mundum propagandam electæ: Ipse enim Christus Dominus ei visibiliter apparens, expressè injunxit, Primò, ut primum suæ novæ Congregationis Monasterium, quod Abulæ extruxit, Divo Josepho nuncuparet, quod & fecit, & deinceps alia tredecim quæ ipso auxiliatore, licet pauper, ædificavit. Secundò, ut deinceps ipsa per se & per suos ejus cultui & honori amplificando pro posse incumberet, quod etiam implevit: hinc enim & ipsius Sanctæ Matris, & suorum in hunc potentissimum Patronum tantus extitit affectus, tamque ardens zelus, ut eorum votis, preconiis, ministeriis, velificante Deo, mirum sit quantum ubique terrarum ignis amoris in Divum Josephum excreverit: Propter quod sicut Ordo primævus, Ordo B. Virginis speciali ac singulari titulo nuncupabatur, ita nova Congregatio Excalceatorum & Excalceatarum in eodem Ordine Congregatio, Divi Josephi Sponsi ejus jure nuncupari possit.

IX. Secundò, hoc manifestavit Deus per Deiparam inter alios Venerabili Patri Balthazari Alvarez è Societate Jesu viro in scientiâ mysticâ admodum profundo, cum quo sæpè de suo interiori communicavit eadem Sancta Theresia nostra, qui obiit anno 1580. duobus

duobus annis ante ipsam in opinione sanctitatis: De quo ita Pater Antonius Balinghem ejusdem instituti in Calendario Sanctissimæ Virginis Mariæ 25. Julii ex ejus vitâ cap. 26. Laureti exi-
„ stens, inquit, in itinere Romano à
„ Deipara singularia accepit dona, quæ
„ & eum docuit, quæ ad ejus salutem &
„ perfectionem multùm referrent, as in
„ cæteris commendavit ei devotione ad
„ Sanctissimum Josephum Sponsum suum
„ ita præfatus Antonius Balinghem.

X. Maximè verò Seraphicæ Matri Sanctæ Theresiæ nostræ, uti ipsius honori amplificando specialissimè electæ & destinatæ: Cùm enim aliquando ipsa attentius ac profundius introversa contemplaretur Divi Josephi rara magnalia, ei se visibilem Beatissima Virgo exhibuit, ei significans sibi gratissimam esse, summopereque placere devotionem ejus erga Sponsum suum dilectissimum: neque hîc stitit, sed insuper ipsi gratias egit de zelo ac sollicitudine quâ ejus honorem promovere satagebat: ac in ejus recognitionem, torquem auream circumposuit collo ejus ex diversi generis contextam gemmis, lapillisque preciosissimis tanti fulgoris, ut ipsa asserat nihil unquam simile in terrâ visum fuisse ex quo tali gaudio, tantaque spirituali consolatione perfusa est, ut nisi Deus cor illius dilatasset ferre minimè potuisset, ipsaque Sancta Mater testetur sibi non supperetere quibus illum explicare possit.

XI. Ista porrò torques aurea, meo videri manifestum erat duorum argumentum: Primum, quod sicut Sancta ac ac Seraphica Mater laborabat, ut in terris gloriam augeret Divi Josephi, ita etiam per hoc ipsum, ornamenta non modica addebat ad coronam Gloriæ quæ ipsam in cœlis manebat. Secundum, quod sicut ipsa à Deo electa erat ut inter alia Divi Josephi honorem & cultum in hominibus promoveret, ita istâ torque tam preciosâ donabatur tanquam charactere & insigni hujusce sui oneris & honoris, ut sic animaretur, ut in id amplius & amplius incumberet, quod & exactissimè perfecit, & per se, & per suæ Congregationis Alumnos utriusque sexus, quibus id commendavit, ut patet ex ejus Vitâ, Actis, & Historiâ nostrorum Excalceatorum.

Tertiò, idipsum revelatum per Divum ipsum Josephum, patet ex eo quod retulimus superiùs ex Historiâ Seraphici Ordinis Sancti Francisci de duobus istius Ordinis Religiosis nautragis. Vide cap. præceden. sect. 4. num. 38. XII.

Secundò, principaliter manifestavit Deus velle se Divum Josephum ab hominibus honorari voce populi, quæ communi adagio dicitur vox Dei: quia nimirum est ex instinctu Dei illos interius ad id efficaciter moventis: videmus enim omnes, sapientes & simplices, magnos & pusillos, ex omni ordine & omni mundi plagâ (non enim hîc per vocem populi intelligimus vocem inconditæ turbæ, quæ ex Seneca est potiùs *argumentum pessimi*) seipsis & suâpte, seu ut christianius loquar, ex particulari Dei motione, eâque efficaci, ita nunc ei unanimiter affici, ut nihil simile visum fuerit nec præsenti, nec præteritis retro sæculis in aliis Sanctis quantumvis præcellentibus: pro quo vide hucque revoca quæ supra habes hoc Tractatu cap. 4. de progressu hujus devotionis, & cap. 6. de Statu præsenti hujus devotionis sect. 2. XIII.

Denique idipsum tertiò Deus manifestavit voce signorum, seu miraculorum, quæ à Theologis dicuntur linguæ Cœlorum, juxta illud Marci capite ultimo. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Pro quâ re videntur facere omnia miracula quæ ad invocationem Divi Josephi inveniuntur ubique gentium patrata: Sed hæc sunt illi & aliis Sanctis communia, ad quorum piam invocationem Deus ingentia præstitit Beneficia: nec illa primariò & directè fiunt à Deo, ut cognoscamus illi gratum esse honorem quem illis deferimus, sed tantùm indirectè & secundariò, quatenus scilicet, cùm directè probent sanctitatem & potestatem talis vel talis Sancti apud Deum, consequenter invitamur ad illorum cultum & invocationem. XIV.

Sed cùm in aliis Sanctis alia non inveniantur miracula quæ directè pro- XV.

bent Deo placere, eiq́ue gratum esse, ut illis cultum adhibeamus: inveniuntur tamen pro devotione & cultu Sancti Josephi, aliqua nimirùm quibus singulari & extraordinario modo, ut pro singulari & extraordinario Sancto, ac directè probatur cultum illius esse Deo placitum.

XVI. Ad signa autem hujusmodi, illud, inquam, directè probantia, revoco torquem illam auream gemmis lapillisq́ue preciosissimis intertextam, quã purissima Deipara in præsentiâ Filii sui appendit collo nostræ Theresiæ Seraphicæ in recognitionem suæ erga sponsum suum devotionis, simul etiam in signum suæ electionis & inaugurationis ad officium ei singulariter à Filio suo commissum, Sponsi, inquam, sui honorem promovendi.

XVII. Alterum est hoc mirabilius quod retulimus supra cap. 6. sect. 2. num. 36. de Beatâ Margaretâ à Castro Ordinis Sancti Patris Dominici ex Antonio Pennâ in vitâ ejus, Petro Morales in Matthæum cap. 1. lib. 1. tit. 1. num. 23. Balinghem in Calendar. Beatæ Virginis Mariæ 13. Aprilis. Engelgrave in Cœlo novo part. 1. in festo Sancti Josephi §. 3. in cujus corde post mortem inventæ tres gemmæ, & in his imagines JESU, MARIÆ, & JOSEPHI. O utinam! si non gemmas similes, aut illis insculptas imagines, nomen saltem amoremq́ue effigiatorum in illis cordi profundius nostro imprimamus, quorum aliquando in cœlis contubernio per immensas æternitates perfrui speramus.

XVIII. Sed heu si hodie corda majoris partis Christianorum aperirentur, nonne in illis loco istarum Sanctissimarum Personarum JESUS, MARIÆ, JOSEPHI, inspicerentur indita altè profana illa & enormia monstra putidæ Veneris, vel Bacchi solutioris, vel avari Plutonis? sed ne his chartam deturpemus, ad Divum revertamur Josephum Virginis Sponsum, & in Virginitate suppares, consideremusq́ue, ac diligentius observemus hoc cœleste & mirandum prodigium.

XIX. Cordi Sanctissimæ Virginis Claræ de Monte-Falco erga augustissimam Trinitatem impensissimè in paucis affectæ, eadem ipsa Trinitas augustissima sui vestigium inauditum & mirabile impressit: Nam ex Boëtio Eugubino lib. 15. & Chronico Sancti Francisci lib. 4. cap. 42. in eo post ejus mortem in conspectu Domini preciosissimam, inventæ sunt tres glandes oblongæ, seu carneæ pillulæ, magnitudinis olivarum, quæ & singulæ divisim, & omnes simul ad bilancem appositæ inventæ sunt esse ponderis ejusdẽ: quas ibidem extra urbem, in Patrum Augustinianorum Monasterio adhuc asservari, & sibi ostensas fuisse scribit Franciscus Costerus in Concion. Festi Sanctissimæ Trinitatis.

XX. Cordi ignito Ignatii Sanctissimi, Martyris invictissimi, Patroni mei longè amantissimi, post mortem interdentes Leonum pro Christo obitam, inventum JESU Nomen litteris aureis non aliâ quàm divinâ manu exaratum. Cordi purissimo Sancti Petri Thomæ, Patriarchæ Constantinopolitani Ordinis nostri, Legati Apostolici pro recuperatione Terræ Sanctæ, Martyris quoque in eo munere strenuissimi, nomen Mariæ cui supra modum afficiebatur, appressum legimus, istud apud Baronium, hoc apud Patrem nostrum Lezanam in Annalibus nostri Ordinis, & alios: Pedibus, manibus & lateri Seraphici Patris Sancti Francisci inusta sacra misericordissimi Salvatoris nostri Crucifixi Stigmata: Iisdem membris Sanctarum Virginum Catharinæ Senensis Ordinis Prædicatorum, & Mariæ Magdalenæ de Pazzi nostri Instituti, eadem quoque Stigmata, infixam insuper utriusque Capiti spineam ejusdem Salvatoris Coronam, sed illi visibiliter, his solùm invisibiliter: his tamen, ut illi, verè & realiter. Hujus devotissimæ Virginis Dominicanæ cordi harum trium Cœlestium Personarum JESU, MARIÆ, JOSEPHI, inveniuntur insitæ Imagines. Quid quæso hoc?

XXI. Certè nihil simile legimus nec de Sancto Michaële, nec de Sancto Joanne Baptistâ, nec de Sanctis Apostolis, aut quolibet alio Sancto quantumvis magno, etsi multos inveniamus certis quibusdam vehementer ac mirè affectos: Solus Divus Josephus inter omnes Cœlites huic prærogativæ reperitur

tur communicare cum Sanctissimâ Trinitate Cœlesti & Æternâ, & cum Jesu & Maria, cum quibus ipse fecit aliam Trinitatem in terris, facitque & nunc in Cœlis. Quale hoc signum? quidve inde concludendum? Nimirùm ipsum verè esse extra ordinem cæterorum Sanctorum, ut diximus: Ipsum cum Jesu & Maria repræsentasse in terris Imaginem Æternæ Trinitatis quæ est in cœlis expressissimam, & cum iisdem constituere unam Hierarchiam in Cœlestibus. Denique Devotionem erga Divum Josephum placere Deo, plusque illi esse cordi quâcumque aliâ: sicque impletur illud quod legimus Proverb. cap. 27. *Qui custos est Domini sui glorificabitur.*

## SECTIO II.

### *Motiva hoc modo honorandi Divum Josephum sumpta ex parte ipsius Divi Josephi.*

XXII. Quia hoc Tractatu, in quo agimus de Cultu Divi Josephi, non disputamus de cultu quocumque, & omnibus Sanctis cum Deo in Cœlo regnantibus in communi debito, & exhiberi solito: sed de cultu illi proprio, idest singulari & præcipuo: ideò hic dum motiva proponimus, seu rationes ob quas illum cultum singularem & præcipuum Divo Josepho debemus: sivè illa motiva sumantur ex parte Dei, sive ex parte Divi Josephi, sive ex parte nostri, non illa congerimus quæ ipsi & cæteris Sanctis sunt communia: hæc enim sunt satis unicuique vel tenuiter instructo obvia. Sed illa seligimus, quæ isti cultui singulari & præcipuo respondent, idest quæ sunt illi singularia, & nulli alteri propria.

XXIII. Sancta ac Seraphica Mater nostra Theresia sub finem libri quem ipsa cõposuit de viâ ad perfectionem, post alia saluberrima monita quæ toto illo libro proponit suis Lectoribus, maximè Filiis & Filiabus ad comparandam perfectionem, non præterit hanc Divi Josephi devotionem, sed vehementer commendat his verbis. *Quamvis multos Sanctos pro Patronis & Advocatis habeamus apud Deum, particularem tamen erga Beatum Iosephum habetote devotionem, qui à Deo multa obtinet pro suis clientibus.*

XXIV. Ubi animadvertendum motivum quo utitur sancta ista Mater Theologiæ mysticæ Doctrix Angelica, seu melius Seraphica ut Divi Josephi devotionem suadeat, & ad eam inducat: *Particularem tamen*, inquit, *erga Beatum Iosephum habetote devotionem: qui à Deo multa obtinet pro suis Clientibus*, ut intelligamus eam, in hâc quam proponit Divi Josephi devotione, non moveri ex aliquo particulari affectu, & ut ita dicam quasi humano studio, quemadmodum nos ut plurimùm, aut saltem frequenter, moveri solemus erga Sanctos qui nobiscum aliquam habent vel tantillam conjunctionem, ut quia sunt ex familiâ nostrâ vel Fundatores aut Patroni, aut Alumni Ordinis nostri, vel quia sunt ejusdem nobiscum Patriæ, Urbis, Domus, stirpis, status, conditionis, artis, nominis, quæ sunt motiva satis particularia, & quorum ratione solent Sancti etiam à Viris doctis, illis quibus cum in istis communicant, specialiter commendari, ut notum est: sed purè respexisse ipsum patrocinium, ejusque efficaciam in se, & eorum utilitatem quibus illam devotionem volebat commendatam.

XXV. Non deerant Sanctæ Matri suis inter alia ad comparandam perfectionem media hanc D. Josephi devotionẽ proponenti, alia motiva particularia mox allatis similia, imò majora, quæ potuisset ad hunc finem consequendum illis proponere: ut quod ipse jure matrimonii cum Beatissimâ Virgine Ordinis Patronâ singularissimâ, esset quoque ipse ejus Patronus singularissimus: quod non posset non amare Carmelum, quem eadem Conjux sua semper dilexit uti primum peculium suum & primam hæreditatem suam, sibi etiam antequam esset dicatum: Quod omnes & singuli istius Ordinis essent ipsius toti, sicut & Beatæ Virginis Conjugis

suæ: Quod Deus & Beata Virgo ei revelassent placere sibi plurimùm istius Sancti cultum & devotionem: Quod ipsam solemniter inauguràssent & illos cum eâ elegissent ad id muneris, cultus, inquam, & honoris Divi Josephi promovendi.

XXVI. Sed missis illis particularibus, quamvis maximè allicientibus motivis, ad alia solidiora & certiora se convertit, aut saltem ad unum virtute multiplex: suadet, inquam, suis particularem erga Sanctum Josephum devotionem ad comparandam perfectionem, & alia quævis beneficia à Deo efficaciter promerenda, & certò obtinenda, ob patrocinii ejus supra cætera omnia excellentiam; ob majorem, dico, ampliorem, & certiorem erga omnes, maximè verò potissimum erga eos qui sibi devoti existunt, ejus opitulationem.

XXVII. Ideò ergò vult Seraphica Mater nos Divo Josepho singulariter affici, & æquum est nos eum majori quàm cæteros Sanctos devotione prosequi, quia plus potest apud Deum pro nobis, & plus vult quàm illi. Plus potest quàm illi, primò quia sanctior est; secundò, quia Pater est Jesu. Plus autem vult, quio propensior est: Notum est quippe quod quò sublimior est magnitudo, & quò proprius ad Divinæ Majestatis similitudinem adnota est generosæ mentis excelsitas, eò propensius & benignius quoslibet quantumvis infra se positos intuetur; nihilque ab ullo sibi oblatum aspernatur quamvis exiguum: assectari enim affectat imitando quantùm homini fas est quotidianum Dei exemplum, qui cùm nullius egeat, vel minima tamen, etiam postremorum hominum, non admittit modò; sed inter nomina reponit, & creditor licet, in ære nostro esse, ac debitor teneri vult, tantùm abest ut respuat, dedigneturve tanquam incongrua, aut indecora magnitudinis suæ immensitati.

XXVIII. Atqui ex toties repetitis tamque luculenter hactenus probatis, nulla post Deiparam Magnitudo propius accedit ad Divinam, quàm Sanctissimi Josephi nostri: Nulla ergò propensius, nulla benignius nos intuebitur: sed quia hæc videntur potiùs spectare patrocinium ejus, ejusque efficaciam, quod est negotium sequentis Tractatus, ideò hæc tantùm libasse contenti simus, ut appareat Lectori etiam esse hujus loci: & Lectorem fastidire nolentes, eò remittimus, ut si fortè de hâc materiâ dicendum contingeret, inveniat undè plenè auditoribus in hoc puncto satisfacere possit.

Tua igitur eminentia ô Sanctis- XXIX.
sime Pater Jesu! in sublimi Cœlestium fastigio dignitatum collocata, sese tamen ad nostra benevolentius aspicienda demittet, nostraque obsequia humanius suscipiet, non quia munera & oblationes nostræ magnæ esse possint, sed quia tu magnus es, nec quia te dignæ esse queant, sed quia generosa & excelsa est dignatio tua: hanc unicam habet rationem vota nostra respiciendi & recipiendi Sanctitas tua, nos verò offerendi plurimas: de specialibus sequenti Sectione.

## SECTIO III.

### *Motiva hoc modo colendi Divum Josephum sumpta ex parte nostri.*

OStendimus motiva colendi Di- XXX.
vum Josephum quæ se tenent ex parte Dei esse præcipua, & talia qualia nulla similia in cæteris Sanctis, & ideò præ cæteris omnibus à nobis colendum: idem quoque ostendimus ex motivis quæ se tenent ex parte Divi Josephi, quod adhuc magis patebit ex dicendis Tractatu sequenti: Atqui motiva illum colendi quæ se tenent ex parte nostri, sunt etiam ejusmodi, idest præcipua, ita ut nulla inveniantur in aliis Sanctis similiter moventia, ergo & ex hoc capite (consequenter undequaque) Divus Josephus præcipuo honore colendus.

Prima ergo ratio Divum Josephum XXXI.
præcipuè colendi sumpta ex parte nostri, est quia plus ei debemus quàm cæteris Sanctis. Plus autem nos ei debere quàm cæteris ex hoc constat, quod ipse plus nobis profuit, magisque ad salutem nostram contribuit, quàm quivis alius post Sponsam suam. Probatur quia obsequia quæ præstitit Christo

Christo Domino Salvatori nostro etiam in ordine ad officium Salvatoris, consequenter in ordine ad salutem nostram, præstantiora sunt eis, quæ præstiterunt quivis alii Sancti: ipsum enim Salvatorem velavit dæmoni ut mysterii Cooperator, ipsum curavit ut Tutor, ipsum aluit ut Pater, ipsum liberavit ut Salvator. Quare etsi nobis nihil amplius ab eodem Sancto accipiendum, restaret tamen pro istis quæ prærogavit, ex quibus totum bonum nostrum, & majora omnibus quæ accipere possemus, nisi ingratis benefecit, præ omnibus adhuc honorandus erit.

XXXII. Secunda ratio Divum Josephum præcipuè colendi sumpta ex parte nostri, est quia ipsius patrocinium est nobis addictissimum, & super omnia alia cæterorum Sanctorum acquisitum, ex quo nimirùm in nobis ipsis est, & inveniri rationem potentissimam cur nobis plus quàm cæteri Sancti affici debeat, & propter quam moveatur ut nobis succurrat, nosque de facto plus illis juvet. Quænam verò illa? hæc scilicet, quod quemadmodum Beatissima Deipara nobis aliquo modo tenetur de Maternitate suâ, ita Divus Josephus de suâ Paternitate & magnitudine. Et quidem illæ & illæ miseriæ nostræ, illa & illa peccata nostra, ob quæ illius patrocinio indigemus, illiusque opem imploramus, illa inquam, superbia mea, illa luxuria mea, illa avaritia mea, quâ liberari per ipsius intercessionem exopto, & efflagito, fuerunt causa fœlicitatis ejus: sine enim illâ superbiâ meâ, luxuriâ, avaritiâ, &c. Filius Dei in carne non venisset: si Filius Dei in carne non venisset, non fuisset Divus Josephus illius Pater; si non fuisset Pater, non fuisset tantus qualis est. Atque adeò quod Pater est, quod tantus est, id nobis aliquo modo debet, & ideò, exinde movebitur potentissimè ut nobis succurrat.

XXXIII. Alio adhuc modo potest explicari hæc secunda ratio Divum Josephum præcipuè colendi sumpta ex parte nostri: quod scilicet ipsius patrocinium causæ nostræ sit addictissimum, & super omnia alia cæterorum Sanctorum nobis acquisitum: nempè quia patrocinium ejus fundatur in magnitudine dignitatis & meritorum ejus: Magnitudo verò illa, & sublimis ejus assumptio, est quod præ omnibus Sanctis post amantissimam Sponsam suam Virginem Matrem, summam obtineat elevationem in executione super-mirabili Mysterii Sanctissimæ Incarnationis: cumque in hâc oculus æternæ misericordiæ infigatur in miserabili peccatorum ruinâ, & ad ipsos salvandos se exportigat summæ bonitatis affectus, Sanctus Josephus executioni tanti Mysterii proximè involutus, non potest non intentum in peccatores oculum & effectũ habere, non modò quia divinæ miserationis inclinationi, quam de proximo cognoscit, se cõformat, sed etiam quia peccata nostra, Superbia v. g. Gula, Luxuria, Avaritia, &c. licet in se prægrandia mala sint, & summè detestanda, tamen per omnipotentis Dei misericordiam, maximum inde in peccatorum gratiam bonum elicitum est, propter quod canit Ecclesia, *O fœlix culpa quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.* Juxta quem & modum Sanctus Josephus in tantam dignitatem, augustissimamque meritorum copiam assurrexit, & patrocinandi vim potentissimam acquisivit.

XXXIV. Ut ergo de Dnâ Deiparâ ad nostram consolationem sancta canit Ecclesia, *Virgo proculdubiò peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores, tanto digna filio*: sic etiam & nos de Sanctissimo Proto patrono nostro Divo Josepho dicere possumus, & omninò debemus propter paritatem rationis: *Ioseph proculdubiò peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores, tanto dignus filio*: Quare meritò ei appendo hos versus, quos ei cecinit nescio quis Poëta Gallus.

*Quand au plus fort de vos bonheurs,*
*Vous contemplez nostre misere,*
*Souvenez-vous que nos malheurs*
*Sont cause que vous estes Pere*
*Du Dieu Pere de l'Univers:*
*Je crois que cette connoissance,*
*Obligera vostre Clemence,*
*De recevoir à bras ouverts,*
*Ceux à qui elle est redevable*
*Des graces qui vous font le Pere incomparable.*

Tertia

XXXV. Tertia ratio præcipui cultus quem Divo debemus Josepho ex parte nostri, est quia ipse fuit omnis conditionis, seu quia in suâ personâ omnium conditiones mortalium collegit, summorum, infimorum, & mediorum, & ideò omnibus aliquid sui inveniens, omnium necessitates curabit & sublevabit corde & animo volenti.

XXXVI. Sanctus Eligius est Aurifabrorum Patronus, SS. Crispinus & Crispinianus Sutorum, S. Isidorus Agricolarum, S. Homobonus Mercatorum, S. Ivo Causidicorum, S. Lucas Pictorum, SS. Cosmas & Damianus Medicorum, Sancta Catharina Martyr Philosophorum, SS. Augustinus & Thomas Aquinas Theologorum, S. Cecilia & S. Gregorius Magnus Musicorum & Cantorum, quia ipsi tales fuerunt: si ergo illi Sancti propter tam levem similitudinem creduntur affici illis, qui talium sunt actuum professores, ut ideò illorum Patroni existimari, & ab illis pro talibus haberi debeant, quantò magis Divus Josephus erit universorum, propter expressionem uniuscujusque illorum majorem?

XXXVII. Ergo ad eum recurrant Sacerdotes & Ecclesiastici, quia eandem in Templo quam ipsi victimam, Christum scilicet obtulit æterno Patri: Principes & Nobiles, quia erat de Domo & de Familiâ Davidis Regis: Plebeii & Artifices, quia de labore manuum suarum se & familiam suam aluit: Reges, quia fuit verus ac legitimus hæres Davidici Sceptri: Vasalli seu subditi, quia ad Cæsaris edictum ascendit in Bethleem, ut profiteretur cum Mariâ sibi desponsatâ uxore prægnante: Conjuges, quia fuit Vir Mariæ: Cœlibes, quia etiam in conjugio virginitatem servavit: Patres, quia JESUM habuit filium. Pauperes quia non erat ei locus in diversorio, & quia manus ejus non invenit unde aliud offerret pro filio quàm par Turturum aut duos pullos Columbarum. Viatores, quia peregrè profectus est in Ægyptum, ut fugeret Herodem: Exules, quia ibi mansit usque ad obitum Herodis Regis, qui quærebat puerum ad perdendum eum: Activi, quia laboravit pro JESU & Maria: Contemplativi, quia in silentio & recessu vitam duxit quietam: Afflicti, quia tota ejus vera Crux fuit & molestia: quæ omnia constant ex dictis.

Quarta denique & ultima ratio, Divum Josephum præcipuè colendi ex parte nostrâ est, quia vergente mundo ad finem, refrigescit amplius & amplius Charitas & Fides hominum, & ideò amplius & amplius abundat illorum necessitas, ut potentiori proinde egeant auxiliatore: & hæc fuit una è causis ut diximus cap. primo hujus Tractatus cur Deus eum expressè reservarit ut esset Patronus ultimorum sæculorum. XXXVIII.

Sed, inquies, si ut credimus, & verum est, Beata Virgo Deipara est omnibus Sanctis sanctior: immò si, ut ut docent plerique Sancti Patres, omnium collectivè Sanctorum gratiam excessit, ergo consequenter sola potest apud Deum quod omnes & plus quàm omnes Sancti simul: Quare ad quid aliorum Sanctorum devotionem proponere aut velle suadere? sufficiat nobis Beata Virgo, quæ sola plus potest propter excellentiam suam, & vult propter misericordiam & affectum erga Deum & nos majorem, quàm omnes simul. XXXIX.

Fateor libentissimè Beatissimam Dei Matrem: plus posse pro nobis apud Deum quàm omnes alii Sancti simul: sed tamen non inde sequitur quod omnia per ipsam solam à Deo impetraturi simus; non defectu potestatis in ipsâ, sed quia Deus vult omnibus Sanctis suis, suum deferri honorem, & ideò per hos hæc, per illos illa, per alios alia & alia præstat beneficia, aliaque in certis casibus miracula fecit, quæ non voluit facere ad invocationem Matris. XL.

Simile quid, immò adhuc mirabilius videmus, ut docet D. Anselmus lib. de Excell. Virg. in Christo Domino: Licet enim ipse omnia possit authoritativè, quia est Dominus universorum: & licet misericordissimus sit tanquam mediator universalissimus qui nos reconciliavit Deo in sanguine suo, nonnunquam tamen velociorem in memorato nomine Mariæ esse salutem experti sumus aut opem, quam invocato nomine JESU: quomodò verò XLI.

hoc

hoc cum non sit aliud nomen in quo nos oporteat salvos fieri? quia scilicet cùm matrem suam honoret, vult etiam ipsâ à nobis honorari, & ideò vult nos ad ipsam recurrere, & ad ipsius intercessionem nobis dare; quæ aliàs non erat daturus.

XLII. Ad eundem planè modum, & à fortiori, licet Beata Virgo omnia possit quia est Mater Dei, & bonitate superabundet, quia est Mater misericordiæ: attamen aliquando ad alterius Sancti invocationem obtinebimus, quæ non obtineremus per Virginem, non quod hæc non possit, aut ille hâc potentior sit in hoc casu: sed quia Deus, apud quē nimis honorati sunt amici ejus, vult etiam Sanctos alios à nobis honorari. Et inde est quod Deus in pluribus casibus certas personas, etiam Beatissimæ Virgini devotissimas, movet & inspirat recurrere ad istum Sanctum vel istum, non verò ad Beatissimam Virginem, quamvis apud se omnia potentem, quia vult omnibus & singulis Sanctis à nobis honorem deferri; Matri quidem supra omnes, cæteris verò in ordine suo, in quo jam debetur primus Divo Josepho locus, ut qui post Virginem primus sit in prædestinatione, Gratiâ, Dignitate, merito, Gloriâ & Potestate.

XLIII. Deinde non se semper Deipara Virgo saltem sola interponit pro nobis apud Deum: ut nos tenerrimè amat, ita aliis Sanctis gloriæ suę consortibus plurimùm defert, & idcircò vult ipsa sicut Deus aliquid illis dari: cùi verò plus quàm Divo Josepho prædilecto Sponso suo, ad cooperandum secum Mysterio Incarnationis & Redemptionis consorti à Deo assumpto? & hæc est perfectio amicitiæ Beatorum, quod sociorum suorum quisque gloriâ & honore sicut de suo gaudeat: Æmulatio enim livor & invidia non potest habere locum in illis, in quibus Deus perfectè regnat, & quos accendit consummata charitas.

XLIV. Concludendum ergo omninò Divum Josephum præcipuo ac primo post Deiparam Sponsam suam inter cœlites honore dignum: Cùm enim omnes excedat in prędestinatione, gratiâ, dignitate, merito, gloriâ & potestate, cum motiva eum colendi ex parte Dei, ex parte Divi Josephi, & ex parte nostri sint majora omnibus, & talia ut nihil simile sit in aliis Sanctis quantumlibet magnis, quid aliud sequi potest nisi ipsum esse præcipuo ac primo inter Cœlites honore prosequendum? Accipe hujus rei divitem figuram.

Quamprimùm antiquus Joseph filius Patriarchæ Jacob, divinâ disponente Providentiâ, à Pharaone Ægypti Rege ad primam post ipsum istius Regni dignitatem sublimatus est, factus illius Pro-Rex, & Regii Ærarii, imò Annonæ totius Regni Præfectus; nullus omninò fuit aut tam parvus, aut tam magnus, qui non ad eum accurreret, eum poplite flexo non adoraret, ab eo remedium fami, quâ premebatur, impetraturus: imò & fratres ejus de terrâ Chanaan exeuntes, eique adgeniculantes, supplices, ut alii, ad eum manus protendere coacti sunt, ut ab eo obtinerent unde & suam, & Patris, ac parvulorum suorum vitam sustentarent. Quid hæc historia? umbra est, attestante Divo Bernardo Homil. 2. super missus est, & figura, ac leve specimen admirabilis elevationis & potestatis alterius Patriarchæ ejusdem cum illo nominis, Divi, inquam, Josephi filii alterius Jacob in Regno Dei, qui quàm primum plenè agnitus est, quod scilicet sit verè Pater Jesu, depositarius humanitatis Verbo unitæ, collocatus super omnia bona ejus, tantò eum cœperunt homines per universum mundum prosequi honore, tantâ reverentiâ ejus merita suspicere & complecti, ut certatim omnes & singuli, particulares & communitates, Urbes & Oppida, Provinciæ & Regna, ejus Clientelam & protectionem præ omnibus exambiant: Et ipsi fratres ejus ideò Sancti etiam ipsi, primi fuerint qui ejus patrocinium exambierunt. XLV.

Tandem ut totam hanc materiam semel finiam, omnia per hunc Tractatum à nobis asserta hoc brevi claro & efficaci argumento confirmo: eo gradu à nobis honorandus est Divus Josephus, quo ipse à XLVI.

Deo honoratus est: Optima ista Regula : Atqui fuit supra omnes à Deo honoratus , ut patet ex ejus dignitatibus , gratiis illis commensuratis , & gloriâ utrisque correspondente ; Ergo similiter à nobis supra omnes honorandus.

# TRACTATVS TERTIUS ET ULTIMUS totius Operis.

## DE PATROCINIO DIVI JOSEPHI.

I. PATRONALEM Divi Josephi apud Deum potentiam exprimere tam difficile est, quàm meritorum ejus excellentiam, & dignitatis prærogativam: Cùm enim patrocinandi authoritas ex meritis atque dignitate, ut rivus ex fonte profluat, vel effectus ex causâ, istam his commensurari oportet. Quare quanta Divi Josephi apud Deum dignitatis ac meritorum magnitudo fuisse dignoscitur, tanta quoque sit apud ipsum patrocinalis ejus potestas necesse est: Ut ergo omnibus Sanctis, exceptâ Deiparâ Virgine, ipsum merito & prædestinatione seu dignitate præeminere tot tantisque palam fecimus, ita omninò consequens est ut omnes potestate antecedat.

II. Hæc ratiocinatio sola cordatis plenè satisfacit ad evincendum quod intendimus, nec pluribus fatigari vellent ut adducantur ad credendum quod ex illâ concluſimus, Patrocinium scilicet Divi Josephi esse primarium, & super omnia post Deiparæ patrocinium eminere: sed quia non illis tantùm, verùm etiam simplicibus scribo, & suave est recolere Magnalia Dei in tanto Patrono, & meæ omniumque satisfactioni scribo, distinctè hoc ipsum ex tribus Capitibus ostendo. Primò, ex eo quod ipsius Patrocinium sit omnium potentissimum: Secundò, ex eo quod sit omnium certissimum: Tertiò, ex eo quod sit omnium universalissimum: His tribus absolvitur quidquid dici potest de excellentiâ Patrocinii ejus. Quid enim excogitari potest quod ad Patrocinii cujuscumque excellentiam conferre possit, quod non vel in illis tribus contineatur Capitibus, vel ad illorum alterum reduci queat?

III. Ergo hæc tria singillatim hoc Tractatu de Patrocinio Divi Josephi demonstrabimus , tum deindè ad effectus ejusdem excellentissimi Patrocinii descendentes, Miracula quæ fecit in suorum gratiam Clientum, non omnia , quis enim illa excolligere posset? & si posset quando? & quis esset illorum finis? Sed nonnulla solùm de quolibet genere ex probatis Auctoribus adducemus, & ad vitandum chaos, ut in aliis fecimus, ea ad certas classes reducemus: Sit itaque

CAPUT

## CAPUT PRIMUM.

### *Patrocinium Divi Iosephi omnium potentißimum.*

I. QUOD Joseph antiquus filius Jacob ex Rachele, Pro-Rex Ægypti, fuerit figura incomparabilis Divi Josephi Davidis Regis Filii & Patris JESU, usque ad nauseam repetiimus, nullusque est ambigendi locus, quandoquidem in illud Sancti Patres consentiant, & omnes quotquot sunt Sapientes: Unde factum ut eodem ille antiquus vocatus sit nomine quo hic noster, sic imago vel pictura repræsentans Petrum vel Joannem, vocatur Petrus vel Joannes, ut ille ipse homo quem repræsentat.

II. De illo autem antiquo gloriosè & magnificè pronunciat Scriptura Ecclesiasticus cap. 49. hæc verba. *Nemo natus est in terris ut Ioseph, qui natus est homo, Princeps Fratrum, Firmamentum plebis.* Cùm ergo totum esse figuræ, imaginis, ac picturæ sit relativum, & ad aliud, ideſt ad repræsentandam rem cujus est figura, imago, vel pictura, illaque sit magis completa & perfecta (intellige in ratione figuræ, imaginis & picturæ) quæ melius repræsentat rem cujus est figura, imago, & pictura: & necessarium sit ut omne illud quod reperitur in figurâ, reperiatur etiam in figurato, ac tantò excellentiori modo, quantò corpus superat umbram aut figuratum suam figuram: sequitur omninò quod illud quod loco mox citato dicebat Ecclesiasticus de illo antiquo, verificari debeat in Divo Josepho Patre JESU ab isto antiquo figurato, idque tantò excellentius, quantò veritas figuræ prævalet, corpusque superat umbram. Itaque *nemo natus est in terris ut Ioseph noster*: Primò, *quia natus est homo*: Secundò, *quia Princeps Fratrum*: Tertiò, *quia Firmamentum plebis.*

III. Quod nemo natus sit in terris ut Joseph noster, primò, *quia natus est homo*, ideſt in gratiâ, & cum pleno rationis usu, ut ex tunc eâ uti posset, & in eâ crescere. Secundò, ex eo quod ut Pater JESU sit *Princeps Fratrum*, ideſt Sanctorum & Prædestinatorum, quorum unio & concordia est fraternitas summa, explicavimus in superioribus, ac primum quidem Parte primâ Tract. 3. Secundùm verò per totum Opus. Restat ut hic videamus quomodò etiam nemo natus sit in terris ut ille, ex hoc quod sit *Firmamentum plebis*, quod omninò sequitur ex istis.

IV. Nam quemadmodum Joseph antiquus fuit *Firmamentum plebis*, quia cùm esset natus homo, ideſt tantâ prudentiâ & sapientiâ præditus etiam à puero, ac si eam ex ventre Matris attulisset in mundum in eâque semper in dies crevisset, ut propterea factus Princeps Ægypti & frattrum suorum, servavit frumentum, quo populus servatus est in annis sterilitatis, quibus procul dubio aliàs consumendus erat fame: Ita planè noster Sanctus Josephus Mariæ Conjux seu Sponsus, cùm natus esset homo verius quàm ille antiquus, quia gratiâ instructus, & usu pleno rationis, tanta in dies fecit incrementa, ut assurrexerit in Principem Fratrum, ideſt Prædestinatorum: Nonne ergo in eo constitutus culmine, erit *Firmamentum plebis?* Sed cùm ut Pater JESU frumentum electorum servaverit, & sub eâ qualitate Mysterium Incarnationis velando, dæmonem eluserit, nonne per hoc meruit accipere à Deo in Cœlis potestatem in illum, ut dissipet technas & dolos ejus, sicque populos suam protectionem exquirentes juvet & illos ab eo liberet.

V. Itaque juxta hanc figuram Divus Josephus est *Firmamentum plebis*, & quidem omnium potentissimum, duplici ex capite: Primo, quia cum natus sit homo, acceptâ scilicet in ipso Matris utero gratiâ, & usu rationis, ut ex tunc eâ uti posset, & in illâ in dies crescere, prout fecit ex dictis, est omnibus sanctior. Secundo, quia ut Pater JESU, qui est fons omnis Prædestinationis, est Princeps Fratrum, ideſt Prædestinatorum, ut diximus supra num. 3.

VI. Quantum ad primum, quod scilicet ejus Patrocinium sit omnium potentissimum, quia est sanctior cunctis: hæc ratio est evidentissima, quia

potestas omnium Sanctorum apud Deum fundatur in eorum sanctitate, eique commensuratur, ut quantùm Sancti participant de sanctitate Dei, tantùm etiam participent de ejus potestate. Si ergò est Sanctior universis, consequens est ut sit etiam potentior.

VII. Revolvamus Historiam Ecclesiasticam ab exordio legis Gratiæ usque ad nostra tempora, & videbimus non sine stupore, nisi stupidi simus, quàm prodigiosa, quàm stupenda ad favorem fidelium in particulari, & totius Ecclesiæ in universum Deus operatus est miracula. O quàm majora, quàm frequentiora, quàm in retroactis sub antiquâ lege sæculis! sed si penitùs omnia perscrutemur & inspiciamus, nonne inveniemus ferè omnia ad intercessionem Sanctorum fuisse patrata? voluit nempe Deus ostendere hâc ratione quid possint apud se Sancti, ut ex inde animaremur ad sanctitatem: sed in his quis Sanctior Divo Josepho? Nullus ex dictis: nullus ergo plus illo poterit: immò cùm sit sanctior universis, plus poterit quàm ullus: hoc est clarum.

VIII. Quantùm ad secundum, quod scilicet Divi Josephi Patrocinium pro nobis apud Deum sit omnium potentissimum ex hoc quod sit Pater illius à quo omne bonum patet. Quid enim non potest apud Deum Pater suus ex omnibus illis quæ possunt alii Sancti, qui sunt solùm ejus servi vel amici? Vel melius, potest ne ullus alius Sanctus, aut plures simul apud Deum quæ potest ejus amantissimus Pater? Inter homines Pater Regis, si filius est cordatus, nonne plus poterit quàm ullus Principum? Quis dubitat? & non poterit Divus Josephus Pater Jesu apud Jesum plusquam ullus Cœlitum? non credam.

IX. Pharao ut Josephum sublimaret antiquum, inter alia ei suum tradidit annulum signatorium. Dixitque ei Genes. cap. 41. vers. 41. & 42. *Ecce constitui te super universam terram Ægypti, tulitq; annulum de manu suâ, & dedit eum in manu ejus.* Ad facienda scilicet decreta quæcumque voluisset, ut quidquid ipse jussisset, Rex ipse jussisse censeretur, *vertitq; nomen ejus & vocavit eum Salvatorem Ægypti.* Poteratne Pharao sublimius istum Josephum evehere.

Annulus ergo iste non solùm dignitatis & honoris insigne extitit, sed etiam authoritatis & potestatis, ut quæcumque à Josepho eo obsignarentur, rata & firma haberentur, nullusque eis contradiceret, fors nec ipse Rex, Josephi authoritatem, quam ei contulerat, reveritus: Si tanta Rex infidelis ac gentilis in Josephum alienæ gentis hominem præstitit, observatum frumentum ad populi conservationem. Nunquid Deus potest ab homine vinci? An non hæc magnificentia Pharaonis erga Josephum antiquum, scintilla est illius quæ in Deo est? Nonne ptimus ille Iosephus hujus secundi umbra & figura? quoties id repetiimus? Ergo ille ideò in Ægypto ita evectus est, ut colligere possemus quo loco sit Divus Iosephus in Regno Dei: Sed annulo præcipuè signatorio donatur à Deo, ut ille antiquus à Pharaone; ut intelligamus, quod quidquid ille in nostram gratiam & utilitatem subsignaverit (subsignabit autem quæ volet, quia potest, annulo Dei instructus) rata & firma habeantur, ut, inquam, intelligamus quod si petitionibus nostris annulum appresserit Ioseph, suum robur, vires suas etiam apud Deum obtinebunt, ut rejici nequeant. X.

Diceres ergo non orare, sed jubere, non impetrare, sed imperare, in cujus rei figuram vide quomodò Jacob Patriarcha filium suum præfatum antiquum Josephum Ægypti Pro-Regem deprecetur, & quid deprecanti Patri respondeat Ioseph, Genes. cap. 47. vers. 29. & 30. *Cùm*, inquit, *appropinquare cerneret Iacob diem mortis suæ, vocavit filium suum Ioseph, & dixit ad eum, si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo, & facies mihi misericordiam & veritatem, ut non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum Patribus meis, & auferas me de terra hâc, condasq; in sepulchro majorum meorum, cui respondit Ioseph, ego faciam quod jussisti.* Ubi adverte quod Jacob deprecatur Joseph ut Pro-Regem, XI.

gem, & potestatem habentem, & tamen Joseph dicit Jacobo, quia Pater, *faciam quod jussisti*, sic deprecationem Patris vocat jussionem.

XII. Absit ut in cœlis arbitrer adhuc vigere illud imperium, quod D. Josephus in terris exercuit in Dominum JESUM, qui erat subditus illi: Etenim cessante illic causâ subjectionis, nequit stare effectus. Nimirum Christus in statu viatoris sese composuit in typum, in quem respicere, & cui se conformare debebant sequaces ejus: atque adeò tunc formulæ omnes humilis animi eum decebant uti Mystagogum. Sed salutis humanæ expleto mysterio, & homine Cœlis asserto, Christus non subditur, sed eam agit personam quæ decet caput Ecclesiæ, nefas tamen est arbitrari eum esse immemorem tituli Patris quo dignatus est Josephum honorare: Hinc Sancta Theresia nostra, lib. vit. suæ cap. 6. *Sicut*, inquit, *ipse Deus in hoc mundo vivens factus homo, voluit esse subditus Divo Josepho, & ejus obedire mandatis: ita etiam in Cœlis ad dexteram Patris gloriosus existens, nihil ei pro nobis interpellanti negat: quin immò libentissimè omnia concedit, illius piæ semper petitioni velut adhuc ei subditus obtemperat.*

XIII. Redeamus ad antiquum Josephum Ægypti Pro-Regem, videamusque in eo quomodò Divus Josephus ab eo figuratus suos post mortem protegat & juvet. Ille antiquus suæ finem vitæ imminere sentiens: *Locutus est Fratribus suis, post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terrâ istâ, ad terram quam juravit Abraham, Isaac & Jacob: asportate ossa mea vobiscum de loco isto: mortuus est, & conditus Aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto*, Genes. cap. 50. vers. 23. 24. & 25. Vides in Ægypto sepeliri Josephum ibique recondi, sed cur non adjuravit ut defunctus statim in Chanaam ad Patrum suorum sepulchra deportaretur ut fecerat Pater suus Jacob ex mox dictis num. 11. Cur tamdiu distulit, donec Israëlitæ sub Moyse Exodi c. 13. vers. 19. ab Ægypto ascenderent in terram istam? Audiendus hâc super re Nicolaus de Lyrâ ad istum locum: „ Non adjuravit, inquit, ut statim post mortem ejus portarent illuc corpus „ suum sicut portaverant corpus Patris „ sui, & sicut portata sunt corpora fra- „ trum suorum, ut dicit Josephus Ju- „ dæus, sed tantùm dum ascensuri erant „ de terrâ istâ ad terram quam juraverat „ Abrahæ se illi & semini ejus daturum, „ ut remanentibus in Ægypto ossibus & „ cineribus Joseph, memoria ejus apud „ Ægyptios remaneret, & beneficio- „ rum ejus, ut sic suavius tractarent filios „ Israël captivos suos inter ipsos com- „ morantes. Atque ita vides quod ille „ Joseph antiquus etiam mortuus suorum fuerit protectio & scutum.

Transferri hæc ad Divum Josephum XIV. nullus verè pius aversabitur. Si ergo tantùm soli cineres prioris illius Josephi potuerunt, idque apud impios, ut instar aggeris essent, ne filii Israël ab Ægyptiis opprimerentur; quantùm apud Deum Clementissimum poterit Josephi Patris sui longè dilectissimi pro nobis intercessio & Patrocinium? quàm ab hostium nostrorum sevitiâ securi erimus sub Divi Josephi umbrâ? qui non nudos cineres pro nobis objiciet, sed ingentia merita, singularem sanctitatem, multos labores ob Christum exantlatos.

Joseph ille antiquus tantùm prodesse vel mortuus, putabatur, quia XV. Ægyptum nutrierat suâque providentiâ ac solertiâ fecerat, ne fame periret: at noster Josephus ipsum mundi conditorem pavit, pavit per tot annos, pavit de labore manuum suarum, pavit de sudore vultus sui, cur ergo apud eum factus hominum Proparronus non obtineat quidquid pro illis postulaverit? quid illi ille negabit, si ipse illa producat quæ in Christum præstitit?

Ludovicus XI. Galliarum Rex, Ca- XVI. roli VII. filius & hæres apud Burgundiæ Ducem in Belgio posterâ ætate diversatus; ubi audivit Patrem suum cessisse fatis, nihil cunctatus ad propria repedavit stipatus multo agmine nobilium, immo & ipso suo hospite Duce Burgundo, qui ejus adfuit in Regem inaugurationi. Mysteriis ritè peractis adsistere Principes epulis instructis apparatu congruo: sub finem convivii stupente universâ procerum

coronâ surrexit Philippus Dux Burgundus, & humili corporis habitu quasi supplicabundus Regem sic affatus est: si quid merui ô Rex! eo ævo toto quod egisti in Belgio, ubi hospitii obsequia præstiti quæ potui; in gratiam exhibiti famulatus enixè rogo, ut excidant animo tuo acceptæ à subditis tuis injuriæ, qui si adeò injurii extiterunt ut procul à venia sint, da mihi Rex hospiti tuo gratiam cujus eos impotes fecerunt crimina perpetrata: Rex etsi orationis hujus exordio dubius audierit hospitem suum reis providentem, dedit tamen manus memor beneficii accepti, & irritam voluit esse vindictam eam quam animo conceperat.

XVII. Pluribus annis Christus diversatus est apud Divum Iosephum, & quantò gratius quam Ludovicus Princeps extorris apud Ducem Burgundum? Dux Burgundus satis invitus, & ægrè Ludovico refugæ fuit obsecutus, animadvertens Regem Gallum Carolum VII. iniquo animo ferre filii sui indolem peregrinam: Tamen illud quod præstitit Ludovico fronte tenus obsequium, ita menti hospitis insedit, ut animo versantem præteritas injurias perculerit ad veniam dandam immeritis. Si ergo exoratus Divus Iosephus à famulis & clientibus suis Christum Regem compellarit in gratiam illorum, poteritne Christus memor multiplicis obsequii hospitem hunc non dignari gratiis exoratis?

XVIII. 4. Reg. cap. 13. dixit Elisæus ad Joas Regem, *Affer arcum & sagittas & pone manum tuam super arcũ*, quo à Ioa facto superposuit Elisæus manus suas manibus regis, & cum tres sagittas emisisset, & quievisset Ioas, ait ei Elisæus, *ter percuties Syriam, & si plures sagittas emisisses, pluries percussisses.* Quid proportionis obsecro habet tres sagittas jacere in Syriam ut casu ter percutiat & vincat? Ex se profectò nullam, sed quia manus Prophetæ manui istius Regis juncta erat, ibique aderat, propterea eam vincere potuit ter in tribus sagittis, & de facto vicit. Sic opus tuum ex se, ut assequaris victoriam inimicorum tuorum, ut rapias Regnum Cœlorum, quod vim patitur, nullum est, sed junctâ manu Sancti Iosephi manui tuæ, juncto ipsius auxilio & ope operi tuo, nihil est quod non poteris & efficies.

## CAPUT II.

### *Idem aliis iterùm fulcitur rationibus.*

POTESTAS Patrocinii Divi Iosephi fundatur præterea in jure particulari, & particulariter ei competenti in salutem, quam Christus operatus est, idque multiplici titulo. I

Et primo quidem, quia sub ipsius umbrâ mysterium Incarnationis, seu Christus Dominus Salvator venit in mundum & latuit, sicque dæmon ludificatus, supplantatus est. Pro cujus rei intelligentiâ dicunt Sancti Patres, quod quemadmodum dæmon in paradiso terrestri hominem sub suâ potestate redegerat per fraudem, nullatenus vim ejus libertati inferendo: sic Deus ut eundem hominem liberaret, & prædam, quam ille subdolè & fraudulenter rapuerat, è manibus ejus congruè eriperet, noluit uti potestate suâ ut dæmoni vim inferret, sed magis expedire judicavit veteratoris dolos piâ fraude eludere & elidere. Quapropter quemadmodum dæmon insidiosè abdiderat se sub serpente ut hominem seduceret, sic Deus ut jus suum revindicaret dæmonem seductorem circumvenire voluit occultando se sub homine. II

Divinitas ergo, inquit Sanctus Gregorius Nazianz. hamus fuit quo dæmon fataliter capiendus erat & exspoliandus: sed necesse erat hamum istum abscondere: eâ propter primò Deus fit homo: Secundò, nascitur de muliere ut homines cæteri: Tertiò, nihil præ se fert Divinitatis: Ecce hamum ter absconditum: sed an sufficienter? Non, inquit Divus Augustinus, quia cùm mulier illa ex quâ natus est, futura esset Virgo in partu & post partum ut ante partum, dæmon statim subodoratsset subesse ibi mysterium, ideòque quartum velum fuit necessarium: quodnam verò illud? Divus Iosephus III.

Josephus: hic enim factus Conjux Matris dum eum concepit, dæmoni aliis intento omnimodè hoc divinum eripit arcanum, efficit enim ut dæmon dum de uxore videt natum non putet de Virgine generatum, inquit Sanctus Martyr Ignatius apud D. Hieronymum in cap. 1. Matthæi.

IV. Cùm ergò Divus Josephus eò usque Divino Incarnationis Dominicæ mysterio, quod est fons totius salutis, admotus sit & cooperatus: cùm mysterium hoc dæmoni operiendo, fontem hunc gratiæ perennem aperuerit, quis poterit ut ille ex eo fonte & pro se tam copiosè haurire, & aliis tam largiter communicare?

V. Secundò jus istud particulare Divi Josephi in salutem quam operatus est Christus Dominus, ei competit, ex eo quod sanguis Christi, per cujus effusionem salus perfecta est, ex ejus sudoribus quodammodo coagmentatus sit.

VI. Narrat Sanctus Vincentius Ferrerius Conc. 5. in Dominic. Septuagesimæ, Constantinopoli magnificum Templum impensis Divitum ædificatum fuisse: cùmque eo perfecto, dedicationis ejus ritus peragerentur, subitò in eminentiori loco Templi supra portam hanc inscriptionem litteris aureis exaratam subitò apparuisse *Sophia me fecit*. Mirantibus omnibus rei novitatem, quænam esset illa Sophia exquiritur: Inventa tandem mulier pauperula, cui tale nomen erat: interrogatur quidnam ipsa in Templi istius fabricam contulisset: Nihil, inquit illa, nisi quod cùm boves ex vecturâ lapidum, cœmenti & lignorum, defatigati essent & famelici: ego nihil aliud valens fasciculos fœni eis porrigebam, ut refocillati materiam pro Templo vehere possent. Quid nobis ex hoc? Audi, cùm ædificandum esset Templum Corporis Christi, de quo ipse Ioannis cap. 2. vers. 19. *Solvite Templum hoc, & in triduo reædificabo illud: hoc autem dicebat de Templo corporis sui*. Patriarchæ, Reges, Sacerdotes, quos in Genealogiâ Salvatoris Divus recensuit Matthæus, impensas ex sanguine suo contulerunt: Joseph solùm fœcundæ Mariæ ex cujus sanguine perficiendum erat sacrum illud Templum alimenta præbuit: nonne ergo sicut Sophia illa Templi Constantinopolitani ædificatrix præ divitibus à Deo denuntiata est; ita Divus Josephus istius, hoc est Corporis Christi ædificator, & consequenter salutis humanæ per illud sacrum Corpus perficiendæ Cooperator dici meruit.

VII. Quod si salutis humanæ Cooperator dici meruit ex hoc quod alimenta præbuit Mariæ, ex cujus sanguine exstructum est Corpus Christi, quantò magis ex eo quod ipsimet Christo alimenta præbuerit, sicque ex sudoribus D. Josephi Sanguis Christi, qui pro salute hominum effusus est, concretus sit?

VIII. Sanctus Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus post Divum Augustinum serm. de Assumpt. meditatur, quod quando intemerata Virgo uberum labris pusionis sui Iesu ingerebat, actualiter cogitabat & intendebat venas ejus tunc implere eo sanguine, quem aliquando pro hominibus effusurus erat in Ara Crucis: ex quo Theologi aliqui apud Patrem Salazar lib. de Immacul. Concept. cap. 4. circa med. inferunt quod ipsa per hoc habuit partem in remedio Passionis & Redemptionis quæ per istius effusionem sanguinis impleta est: Cur ergo idem cum aliquâ proportione dicere non possim de Divo Josepho ipsum nutriente ex laboribus & sudoribus suis? in hoc, inquam, respexisse & intendisse dum ei cibum & potum de suis sudoribus comparatum ministraret, ut venas ejus eo cruore quem pro nobis in passione sua effusurus erat repleret, ac consequenter habere partem, &c.

IX. Tertiò, Divo Josepho competit jus particulare in salutem quam Christus operatus est per mortem suam in Cruce obitam: quia Christo præstitit ut eam ibi perficere posset. Etenim quamvis certum sit unicam Cruoris Christi stillam, fuisse plusquam sufficientem ad salutem multitudinis centies millies majoris, quàm sit numerus omnium hominum & Angelorum simul, ratione valoris infiniti istius cruoris, uti cruoris Personæ Divinæ & infinitæ: atque adeò certum sit etiam, quod in Circumcisione, quam Divus

Josephus

Josephus ex Paternâ exercuit authoritate plus effuderit quàm necesse erat pro nostrâ Redemptione consummandâ: Nihilominus dicendum etiam cum omni certitudine & firmitate, quod per istam effusionem non fuerit consummata, quia eam Deus morti in Cruce subeundæ affixerat. Ratio hujus est voluntas Dei quam Christus acceptavit, *Factus* ei *obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*, ad Philipp. cap. 2. *Delens quod adversum nos erat chirographum Decreti, & affigens illud Cruci, expolians Principatus & Potestates, palam triumphans illos in semetipso*, ad Colossens. c. 2.

X. Porro ita voluit Deus, quia non minus indigebamus vitâ Christi, quam ejus morte: vitâ ad nostrum exemplum & documentum, & hoc utrumque ad morum nostrorum ædificationem: morte ad Redemptionem & debiti exsolutionem: tandem morte crudelissimâ & turpissimâ, qualis est mors Crucis, ad peccatorum terrorem, ut apud se cogitent seriò, si Deus hæc in viridi fecit quid faciet in arido? si istam satisfactionem pro peccato reposcit ex filio unicè dilecto, qui illud non commiserat, sed tantùm in se ut fidejussor susceperat, quam reposcet ex Reo Rebelli & invisо, nisi iram ejus per salutarem prævenerit pœnitentiam?

IX. Atqui nemo est qui non sciat primò, Herodem tyrannum voluisse, & dirissimè tentasse Christum Dominum in ipsis cunis extinguere: hoc testatur mors crudelis tot millium innocentium, ut ipse evadere non posset. Secundò, nemo est etiam qui non sciat Divum Josephum eum ipsi eripuisse, Cœlo hoc per eum volente, cùm ergo Christum ab hâc morte intempestivâ liberaverit, ut ad eam illum servarer, cui Deus salutem nostram appenderat, nonne evidenter sequitur quod ei debitores sumus, & istius vitæ preciosæ, à quâ instructionem & mortis necessariæ à quâ copiosam habuimus Redemptionem: Atque ita cum eo usque fuerit protector Salvatoris, protector quoque salvationum Christi sui dicendus est, & consequenter protector omnium salvandorum.

Quartus & ultimus titulus juris particularis competentis Divo Josepho in salutem, quam Christus Filius ejus operatus est, in eo consistit quod ipse Salvatorem authoritate ut ita dicam ordinariâ ut Pater, & extraordinariâ, per commissionem ei desuper commissam & traditam, adjudicavit & addixit morti illi, cui nostra erat affixa salus: pro cujus intelligentiâ supponendæ sunt tres veritates infallibiles & certissimæ. XII.

Prima, quod cum Divus Josephus esset factus Pater Christi Domini, modo à nobis explicato Part. 2. Tract. 2. Deus consequenter ut id manifestum faceret, jus suum ei servans, per Angelum ad eum expresè destinatum ei significavit, ut eidem Christo Domino nomen imponeret, declarando illud nomen quod ipsi volebat imponi: patet hoc ex Matth. cap. 1. vers. 20. & vers. 21. *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: pariet autem filium, & vocabis nomen ejus IESVM.* XIII.

Secunda veritas quam suppono, est quod Deus istam illi committendo Provinciam, simul ei indicavit illius nominis imponendi significationem & energiam, in his verbis: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*: quæ præcedentibus assuit. XIV.

Tertia veritas quam suppono, est quod tunc etiam intellexerit Divus Josephus quomodo Christus erat salvaturus populum suum à peccatis eorum, nimirùm per mortem suam, & hanc non aliam quàm Crucis, juxta Dei Decretum ei compertum ex scripturis apertissimis, in quibus non potuit esse peregrinus Vir tantus, ab utero Matris cœlesti lumine perfusus. XV.

Ex quibus infero quod Divus Josephus his cognitionibus præditus, quando Christo, suo æternique Patris filio, istud nomen IESUS dedit, dedit utique ut pronuncians in eum Decretum Patris Æterni, ut pronuncians, inquam, in eum sententiam, & adjudicans illum morti Crucis, ad quam in hunc mundum venerat, & à Patre Æterno destinatus erat pro hominum salute: XVI.

salute: ita quod & ut Pater Christi, in quem ut talis habebat jus paternum & ut Interpres Patris Æterni, utensque simultaneè potestate quam ei dabat in illum & qualitas Patris, & actualis commissio Dei, prævenerit Decretum Pilati: quare consequenter, & ex hoc intuitu, eo ipso tempore quo in eum istam mortis sententiam proferebat, imponendo ei istud nomen, quod salutem per mortem importabat, ille ipse in ejusdem sententiæ, executionem, cœpit primus primum ei sanguinem per Circumcisionem elicere, paratus consummare si decreta Dei hoc tunc, ut illud, tulissent. Quid ad hæc dicemus?

XVII. Mirantur omnes, & meritò certè Abraham Patrem fidei eo usque dispositum sacrificare ex voluntate Dei prædilectum in visceribus filium suum Isaacum, ut non tantùm gladium suum exemerit, sed etiam levarit jam jam eo icturus ipsum, nisi Angelus eum stitisset. Sed quàm mirabilior Divus Iosephus Pater Salvatoris, qui non tantùm cultrum eduxit, & manum ad feriendum extendit, sed etiam de facto feriit, licet non amplius quam Deus tunc volebat: Certè tantò mirabilior, quantò illi charior Filius suus, & Deus, suus simul, ex sponsâ suâ à Spiritu sancto sibi productus, quam Abrahamo Isaacus. Vide à nobis dicta de hoc Divi Iosephi amore supra Part. 2. Tract. 2. cap. 21. & cap. 25.

XVIII. Cæterùm qualia sunt ista quæ hactenus diximus? quanti isti tituli juris Divi Iosephi in salutem à Christo filio suo operatam? possetne aliquid amplius dici ad manifestandam potestatem quam habet in Sanguinẽ & Christi mortem? Cùm ergo patrocinium Sanctorum apud Deum à nobis exquiratur in ordine ad salutem, quis non videat Divi Iosephi, patrocinium eum in finem esse omnium potentissimum?

## CAPUT III.

### *Patrocinium Divi Josephi omnium certissimum.*

VT certum dici possit patroni cujusvis patrocinium, duo omninò requiruntur: Primum respicit eum apud quem patrocinandum est: Secundum respicit eum pro quo patrocinandum. I.

Itaque primum quod requiritur in patrocinante & mediatore ad certitudinem patrocinii est potestas seu authoritas apud eum, apud quem patrocinari debet, seu à quo gratia, vel beneficium obtinendum est: Secundum quod eum respicit pro quo patrocinandum; est voluntas benè affecta & prona in eum qui ejus implorat Patrocinium: posset enim facilè fieri, ut in aliquo esset satis potestatis ad beneficium à Principe obtinendum, pro eo qui suum implorat patrocinium, & non esset voluntas: & è contra, quodcumque horum duorum desideretur in Patrono, irritus erit supplicabundi recursus ad ipsum: si enim ille quem rogas tibi esse Patronum, habeat voluntatem tibi benè affectam, & non habeat authoritatem apud eum, à quo beneficium quod exquiris obtinendum est, quid obtinebit? si verò non habeat pro te voluntatem istam, quid imploras nunquam pro te rogaturum? Utrumque ergo requiritur in Patrono, ut certò tibi promittere possis per ipsum gratiam seu beneficium ad quod anhelas. II.

Tertium addo quod etiam confert plurimùm ad reddendum Patrocinium certum: In hâc Classe sunt media quæ impendit Patrocinans seu mediator apud potentem, ut eum efficacius moveat, & flectat ad concessionem rei desideratæ ad favorem Clientis pro quo intercedit: & hæc respiciunt ipsam patrocinationem seu actum ipsum patrocinandi. Certum est quippe quo hæc fortiora fuerint eò certiorem futuram beneficii exorationem. III.

IV. Quare ut manifestum fiat id quod in argumento proposuimus, patrocinium scilicet Divi Josephi pro nobis apud Deum esse omnium certissimum, oportet ostendere hæc tria in ipso concurrere in summo. Quod factum imus.

V. Ac primò quidem quod spectat potestatem ejus, & authoritatem apud Deum summam, res hæc acta est duobus capitibus præcedentibus, ut nihil hîc supersit quod ibi dictis addamus, sufficiatque breviter repetere quod ut Pharao Josepho antiquo Ægypti Pro-Regi, sic Deus Divo Josepho Protopatrono nostro annulum suum signatorium consignavit, ut eo supplicas omnes sibi porrectas pro beneplacito obsignare possit: Ita quod cùm alii Sancti deprecando tantùm, hic solus inter omnes quasi authoritativè Clientibus suis faveat, eosque in omnibus necessitatibus juvet: Et ratio est quia ut ipse est Pater Jesu, ita Jesus respicit eum ut Patrem suum, seque ut ipsius filium, cujus faciem non potest avertere: atque adeò quando ab eo aliquid petit, tam certò petitionis suæ effectum videt, ac ille qui imperat personæ omnium totius mundi obsequentissimæ.

VI. Quod spectat secundò ejus in nos benevolentiam: certum est ejus in nos affectum esse proniſſimum, & talem, ut nullus ei similis exceptâ semper Deiparâ Virgine Mariâ. Constat hoc primò, ex eo quod nobis, ut ita loquar, debitor sit de suâ Paternitate ad Jesum quam tanti facit, ex quo ipsa sit fons omnium magnalium suorum: Vide à nobis dicta Tract. præc. cap. 8. sect. 3. num. 30. 31. & 32.

VII. Secundò, quia cum sit Pater Filii Dei, qui ex quo factus est homo factus est frater noster, ut loquitur Apostolus ad Rom. cap. 8. vers. 29. est ipse consequenter, & verè dici potest Pater noster, quo eum nomine vocitare solebat Sancta ac Seraphica Mater Theresia, ut patet ex ejus scriptis: sicut enim Beatissima Virgo, quia est Mater Christi, ob istam ejusdem Christi nobiscum fraternitatem, est etiam & dicitur Mater nostra, nosque filii ejus. Ita Divus Josephus ejus Sponsus, cum sit Pater Jesu, ob eandem rationem est & Pater noster.

VIII. Sit igitur ille Sanctus Fundator Ordinis tui, sit iste Patronus Urbis vel Patriæ tuæ, sit hic ejusdem tecum Ordinis, stirpis, familiæ, domus, quid sunt isti nexus in ordine ad benevolentiam & certitudinem Patrocinii impendendi, si conferantur cum illo Sancti Josephi qui fundatur in Christo omnium bonorum & salutis fonte? ergo ipsius apud eundem Christum Patrocinium supra omnia certissimum.

IX. Tertiò, denique cum ob istam rationem nos plus cæteris Sanctis amet, aliundè verò filium suum plus quàm omnes alii Sancti diligat, ut diximus suprà, & propterea plus omnibus illis zelet ejus honorem, qui penderet ex salute nostrâ, non potest fieri, quin duabus istis facibus accensus, amore, inquam, nostri tanto, & zelo gloriæ filii sui summo, totus ardeat in salutem nostram: Quàm certum ergo ex hoc capite ejus pro nobis futurum Patrocinium?

X. Certissimum ultimò præ cæteris Divi Josephi Patrocinium ratione mediorum fortiorum, quæ impendit ad flectendum Omnipotentem in causam Clientum suorum pro quibus intercedit: quam in rem non adduco cumulum omnium meritorum ejus, in quibus quantùm quæso superat omnes alios Sanctos? loquor tantùm de laboribus ejus, quos pro alendo Christo per triginta annos subivit, quibus eum in sua propriâ personâ juvit & ita sibi devinxit, ut quoties voluerit, eum in suam pertrahat causam. Ostendit ergo filio suo pro nobis intercedens callos, & manus aspera, ut Maria pectus & ubera, filius Patri latus & vulnera, & quomodo poterit esse repulsa ubi tot concurrunt amoris insignia?

XI. Igitur si consurgant venti tentationum, si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si æmulationis: si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis: si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, Judicis horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso.

Vade

Vade ad Divum Josephum, & bono animo esto ac certissimè confide, evasisse te naufragium, non deerit tibi in tribulatione: ostendens enim filio suo & Matri callos & manus aspera, Mater filio pectus & ubera, filius Patri latus & vulnera, quomodo poterit esse repulsa ubi tot concurrent amoris insignia?

## CAPUT IV.

### *Patrocinium Divi Josephi omnium universaliſſimum.*

I. DUPLEX est differentia inter Mariam & Iosephum hoc sacrum par Conjugum, & cæteros Sanctos quoad hanc Patrocinii circumstantiam. Prima, est quod ex his aliqui habeant sub protectione suâ particulari certas aliquas personas, alii hanc vel illam Familiam seu Ordinem, alii hanc vel illam Civitatem, alii hanc vel illam Provinciam, alii hoc vel istud Regnum, ita ut extra illa vix cognoscantur, vel saltem invocetur. At D. Josephus & sancta Deipara omnes æqualiter complectuntur homines & nationes ab omnibus æqualiter linguis invocatur, nec est qui se abscondat à calore hujus vel istius.

II. Secunda est quod ut observavit Angelicus Doctor D. Thomas in quartum Sentent. dist. 45. quæst. 3. art. 2. apud Carthagenam & Marchantium adhuc supra adductos: *Quibusdam Sanctis datum est in aliquibus præcipuè causis patrocinari, ut Sancto Antonio ad ignem, Sanctæ Apolloniæ ad dolorem dentium, Sancto Rocho ad pestem & sic de aliis. At Divo Iosepho concessum est æqualiter in omnibus omnes ad se confugientes posse juvare.* Idem docet Sancta ac Seraphica Mater Theresia, l. vitæ suæ cap. 6. vide infrà cap. 6. sect. 2. num. 10.

III. Ratio hujus disparitatis sumitur ex eo quod communiter docent Theologi & SS. Patres, quod scilicet quemadmodum Sancti omnes fuerunt limitati in meritis, & ita inter se diversi, ut non inveniantur duo qui sint in omnibus similes, sic quandoquidem gloria & potestas quâ perfruuntur in Cœlis, commensuretur eorum meritis in terris, oportet etiam esse diversitatem inter illos in gloriâ & potestate, quæ fundatur in illis: juxta istud Ecclesiastici cap. 44. *Non est inventus similis illi in gloriâ*, & ideò non est mirum si sint limitati & determinati ad certas personas, & ad certa negotia: sed quoad Divum Josephum & Sanctam Deiparam, sicut ipsi habuerunt existentes in terris plenitudinem gratiæ illorum Sanctorum, ita etiam regnantes in Cœlis, sunt à Deo constituti in plenitudine potestatis & virtutis omnium: ut possint quidquid hic, quidquid iste, quidquid ille, & adhuc amplius, quia possunt quiquid omnes & singuli.

IV. Igitur Patrocinium Divi Josephi tertiò & ultimò in hoc iterùm superat Patrocinium aliorum Sanctorum, quod sit universalius quocumque Patrocinio illorum: idque duobus modis: Primò, quia extendit se ad plures personas: Secundò, quia ad plures causas, ad plura negotia,

V. Quoad primum patet, quia alii Sancti aliquorum tantùm, hic omnium in se causam suscipit: Hinc ipse non Imperio tantùm aut in Europâ nostrâ super omnes etiam celebriores celebris, sed omnes quotquot sub utroque Polo degunt Fideles, ut Sponsæ ejus, ita illius Clientelam zelosissimè hodie affectant. Hinc Apostoli novæ Franciæ Missionum suarum fructum & successum illi se debere fatentur, patratis ibi innumeris ipsius nomine invocato miraculis. Hinc in Oriente nomen ejus ubique adeò celebre. Hinc in Americâ Urbes & Regiones integræ relictis antiquis suis nominibus, ab ipso appellationem novam, cum novâ Religione novisque moribus, sortitæ: ut scribunt illi qui ex istis plagis ad nos remeavêre.

VI. Quoad secundum, quod scilicet Patrocinium Divi Josephi universalius sit quocumque Patrocinio aliorũ Sanctorum quoad causas & negotia ad quæ se extendit, patet etiam evidentissimè: quia hi in hâc, isti in istâ, illi in illâ materiâ præcipuè suis suffragantur Clientibus, Divus Josephus verò in omnibus æqualiter sine exceptione aut limitatione. Res hæc clarissima est in

effectibus & miraculis, quæ Deus ad illius invocationem ubique gentium in favorem Clientum suorum ad eum piè & fiducialiter recurrentium operatus est, & passim leguntur apud probatæ fidei Authores: quæ proinde hîc coacervare esset supervacaneum, si tamen fieri posset, quod non crediderim, quis enim eorum numerus? & quis omnes libros habet? aut omnia quæ in dies ubique gentium fiunt & facta sunt novisse potest? quot denique facta sunt quæ non sunt scripta? aut quæ etiam tacita sunt à malè verecundis? vel silentio obruta ab ingratis?

VII. Itaque hîc non singula generum referam, sed solum genera singulorum delibabo, ex quibus Lector Cordatus, sentiet sibi satisfactum & se fatebitur de hâc veritate abundè convictum. Et primò quidem cum anima potior sit quàm corpus, & in favoribus corporalibus Sancti principaliter respiciant ad bonum animæ, ideò primò de favoribus qui respiciunt animam, & deinde de illis qui respiciunt corpus.

VIII. Pro animâ, primò de ipsius auxilio pro spiritualibus & signanter pro conversione eorum qui erant in statu peccati: Secundò, de auxilio per ipsum præstito contra tentationes & pericula cadendi in peccatum. Tertiò, de ipsius auxilio pro acquirendis virtutibus & perfectione. Pro corpore, de miraculis exterioribus & corporalibus ex omni genere aliqua ordinatè per Classes.

## CAPUT V.

### *Patrocinium Divi Iosephi in spiritualibus & signanter in conversione eorum qui erant in statu peccati.*

I. PECCATUM mortale ideò dicitur mortale, quia est mors spiritualis animæ: privat enim ipsam Deo seu gratiâ ejus, quæ est vita illius spiritualis: peccata verò venialia imperfectiones mali habitus, passiones indomitæ, vocantur à nobis, & revera sunt tantùm infirmitates, seu morbi spirituales animæ, quia stare possunt, & stant de facto cum gratiâ Dei: periculosi sunt tamen, quia ut morbi corporales aliàs curabiles, si negligantur, fiunt sæpè mortales, ita & peccata venialia, & mali habitus, & passiones neglectæ, mortem animæ adducunt: contra utrumque efficacissimum esse Divi Josephi patrocinium, licet constet ex rationibus in præcedentibus tactis, idipsum tamen probemus adhuc exemplis, seu ab effectibus.

## SECTIO PRIMA.

### *Patrocinium Divi Josephi in conversione eorum qui erant in peccato mortali.*

II. LIberari à peccato mortali quantus sit favor, quis benè æstimare aut explicare poterit? impossibile est nisi ab eo qui benè expenderit, quàm sit ille miser qui est in peccato mortali invisus Deo.

III. Porrò ut hoc benè percipiatur tria potissimum expendenda sunt: Primùm, quid sit peccatum mortale? Secundùm, quæ pœna ei debita? scilicet æterna, & quàm illa justa? Tertiùm, quam lubrica vita à quâ pendet ista Æternitas?

IV. Pro primo: Notandum Deum habere in hominem duplex dominium, proprietatis unum, jurisdictionis alterum: Primùm ei competit ex hoc quod eum sicut cætera creavit: quid enim magis propriũ alicui quàm opus suum opifici, si ab illo ut ars, ita sit & materies? ac deinde ex hoc quod illum indesinenter influendo conservet, *In ipso enim vivimus, movemur & sumus*, inquiebat Athenis Apostolus, Act. cap. 17. vers. 28. *Neque enim sicut structuram Ædium cum fabricaverit quis abscedit, atque illo cessante & abscedente stat opus ejus, ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si Deus ei regimen sui substraxerit*, inquit D. Augustinus lib.

lib. de Geneſ. ad litt. cap. 12.

V. Ex hoc primo Dominio connexione omninò neceſſariâ ſequitur ſecundum reſpectu hominis ut & Angelorum, cujus illi ſoli ſunt capaces, quod eſt Dominium Jurisdictionis. Ex hoc enim quod fecerit illos Deus compotes rationis, ſequitur quod poſſit eis præcipere, vel vetare quæcumque voluerit, & quod illi teneantur ei obedire; ac ſi abnuant ſupplicia, vel ſi annuant præmia irrogare.

VI. Quæ cum ita ſint, quæ ergo pervicacia, ei cujus es totus, cui quidquid es debes, & qui ſibi jus facere poteſt in promptu, obedientiam denegare? Sed quæ injuria? quæ contumelia, illum qui ſummum bonum eſt, cujus poſſeſſio tibi ſi obedieris repromiſſa eſt: *Ero merces tua magna nimis*, Geneſ. cap. 15. verſ. 1. ita contemnere, ut quaſi bonitas vilis creaturæ plus eſſet & valeret, hanc illi præferas? & hoc in ipſius oculis, in ejus ſinu, & brachiis, cum ſit ubique præſens? quin ita proculcatâ Dei reverentiâ, proh facinus! ut facultates tuas, membra, ſenſus omnes ab ipſo tibi donatos, in illum armes, illorum miniſterio in ipſum pugnes, & invitam, ut ita loquar, Dei manum inexplicabili inſolentiâ trahas in ſcelus tuum, & applices actionibus quibus peccatum implicatum eſt, ac ſanctitati infinitæ, quantùm in te eſt, irroges ſocietatem culpæ, inſigni illius ludibrio? quid atrocius tali ſcelere? quid ſceleratius tali attentato? & interim ludis, jocaris, rides, dormis, ac ſi vel Deus nihil in te auderet, vel nihil poſſet, vel nihil mali egiſſes: ubi eſt mens tua?

VII. Si quiſpiam modo Regiam ingrederetur, Regemque ipſum diſtricto gladio impeteret cum interfecturus, ſed Rex de manibus ejus ereptus eſſet ne quidquam mali paſſus, quid diceres ſi poſt tantùm facimus nihil hic homo curaret, non fugeret, non ſe abſconderet, ſed per mediam Regiam ſecurus obambularet? nonne hunc inſanum crederes? audi ergo & cognoſce peccator inſane inſaniam tuam, qui tamen ſapiens es in oculis tuis, quid te egiſſe putas quando peccaſti? nihil te putas feciſſe? Deum conatus es occidere, & in te occidiſti, & quantum eſt in te interemiſti. Quomodò hoc? audi, creaturam plus dilexiſti quam Deum, eam ipſi prætuliſti, eam tibi reputaſti majus bonum quàm Deum, quem pro ipsâ ſpreviſti ei dediſti in corde tuo locum primum, eam feciſti Deum tuum: & cùm duo Dii eſſe non poſſint, quantùm in te fuit eam Deum tuum conſtituens, Deo abſtuliſti divinitatem & vitam: Deus tamen adhuc vivus perſeverat, non ei nocuiſti: & nihil times? & ſecurus es? ô ſtultè! ô inſane!

VIII. Quæ verò ſit futura pœna talis attentati (quod eſt ſecundùm expendendum) nonne, ex tuâ ipſiusmet ratione, ſumma? ſed ſumma tripliciter: ſumma pœna damni, ſumma pœna ſenſus, ſumma utriuſque duratio: omni bono privatur juſtè qui Deum ſummum bonum ita inſolenter contempſit: Sub omni malo gemit, & in eum omnis creatura juſtè armatur qui ita in communem creatorem protervus eſſe auſus eſt. Sed quid horribilius in iis, quam ipſorum interminata Æternitas toties Scripturæ Sanctæ verbis, miraculis, Angelorum, dæmonum, animarum apparitionibus inculcata?

IX. Finge ergo tibi quantasvis ſæculorum revolutiones, extende intellectum quam longiſſimè potes, numeros complica, replica, multiplica, & quidquid Arithmetica concipere poteſt congere: poſtquam numeros omnes ſæculorum conſumpſeris, adhuc ſupererit dimetienda tota Æternitas, & etiam poſtquam iſta toties complicata, replicata, multiplicata ter centies millies triplicaveris. O Æternitas nunquam, nunquam conſumenda!

X. Quàm horribilis eſt iſta pœna, ſed quàm juſta! Audi Divum Auguſtinum Epiſt. 49. ad quæſtion 4. ubi hæc habet: *Quia æternum voluit habere peccati perfruitionem, æternam inveniat vindictæ ſeveritatem.* Quomodò hoc inquies? voluit peccator ſi non expreſsè & explicitè, inquiunt Theologi, ſaltem implicitè & interpretativè; ſeu ſic egit, ac ſi vellet æternùm peccare: nam qui momentaneâ libidine oculorum

lorum aut carnis, aut vindictæ, aut famæ & honoris, usque ad patrandum crimen se tradidit, multò magis ejusmodi libidinem desideraturus erat si æterna fuisset: meritò igitur æternùm punitur qui æternùm peccare voluit: Ita ferè D. Thomas 3. contra Gentes cap. 144. cui Doctrinæ consonant verba D. Gregorii Magni lib. 34. Moral. cap. 16. *Voluissent utique peccatores*, inquit, *sine fine vivere, ut potuissent sine fine in iniquitatibus permanere. Ad districti ergo Judicis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hâc vita nunquam voluit carere peccato, & nullus debetur iniquo terminus ultionis, qui quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis.*

XI. Rectissimè igitur ad eam cogitationem intendens Beatus Francus Senensis Ordinis nostri Laïcus pronunciabat tam horribilem esse damnationem, ut quamvis ex tantâ hominum omnium temporum, omniumque locorum multitudine, unicus tantùm esset damnandus, omnes tamen meritò sibi deberent metuere, ne fortè ipse esset miser & infortunatus ille: quid ergo nunc quando audivimus de ore Dei? *Multi sunt vocati pauci verò electi.*

XII. Jam verò quàm lubrica est vita à quâ pendet ista Æternitas! quod est tertiùm expendendum, ut quam miser sit ille qui est in peccato mortali perspiciatur. Consideremus hominem per asperrimum quendam clivum præcipitari, in cujus imo sit fovea Leonibus plena famelicis & ad hanc escam anhelis: in ipso tamen præcipitio herbulam quandam arripuisse, à quâ retinetur quasi suspensus, quam mus arrodit, & quâ fractâ miser ille ruet devorandus: quam miser ille! & quænam quæso illius hîc angustiæ? Sed ô quam status peccatoris est horribilius præcipitium! cujus exitus est Inferni pelagus, igne plenum terribili, utpote cui datum est urere, & negatum absumere; quem dæmones avidi ore hiante expectant ad prædam, nec quidquam impedit quin absorbeatur nisi modicum vitæ hujus cui adhæret. Sed qualis vitæ? vitreæ, aut fragili herbæ similis. Testantur tam multi, quos tam frequenter, & tot modis vidimus, & viderunt alii subitò & ferè in ictu oculi mori.

XIII. Quam multis contigit quod Soli: Sol in suo circulo pergens, spatiũ illud peragit longissimo tempore nimirùm trecentis sexaginta quinque diebus & sex horis. Sed ille idem cursum suum ab Oriente in Occidentem motu raptus, quo à primo mobili rapitur, uno die absolvit: nos cœci metimur vitam nostram juxta cursum quasi naturalem qui est septuaginta vel circiter annorum juxta Prophetam psalm. 89. versu 10. & 11. *Dies vitæ nostræ septuaginta anni, si autem in potentatibus octoginta & amplius eorum labor & dolor.* Nec attendimus ad motum raptus, quò sæpè violenter & in momento abripimur: Juvenes cogitant se diu posse vivere, & non cogitant se posse citò mori: attendunt ad proprium & naturalem Solis cursum, qui facit annum, non ad violentum qui facit diem tantùm.

XIV. Ex his aliquo modo colligere licet, quàm sit miser ille qui est in statu peccati mortalis: quare cum peccator eo nunquam emergere possit, nisi Deus det, cum eum sibi exosum fecerit per peccatum, collige quanti faciendum sit Patrocinium Divi Josephi, quod tantæ efficaciæ est maximè in hoc genere, ob jus illud particulare, quod habet in salutem à Christo filio suo operatam. De quo supra cap. 2. Exempla nunc istius Patrocinii proferamus.

XV. Viro cuidam perquam honesto filius erat valdè dissimilis, cujus dissoluti mores nihil mitius parentibus, quàm ingentes molestias: Familiæ, quam dedecus pollicebantur. Mater autem videns filium suum à suis cupiditatibus per devia vitiorum abreptum, nullis cujusquam admonitionibus ad rectum callem posse reduci, tandem ad Sancti Josephi recurrit auxilium, quod & invenit. Novemdialem assumit devotionem in ejus celebri Antuerpiæ Sacello Facontino obeundam: quâ expletâ continuò cœpit ille perditus in alium hominem mutari, & inolitas pessimæ vitæ consuetudines, in pios castosque mores convertere: Et ut cœpit ita continuavit,

ac

ac deinceps defuncto Patre, Matri magno fuit solatio, professi uterque nullas satis magnas à se posse Divo Josepho referri gratias. Ita Omazurinus in libello Teutonico de Sancto Josepho, ejusque Antwerpiæ cultu ibidem edito anno 1662. & alii.

XVI. Reverendus Pater Barri è Societate Jesu in Tractatu seu libello Gallico, de Devotione erga S. Josephum vulgato primum anno 1639. ac deinde sæpius recuso: Animabus, inquit, quas peccata à divinâ amicitiâ alienas, & æternæ damnationi obnoxias reddunt, auxiliatricem manum amat S. Josephus invocatus porrigere: Novi enim, inquit, quemdam Societatis nostræ Religiosum, qui aliquos amicos suos rogavit, secum ut novenam instituerent Sacrificiorum & Communionum ad honorem Sancti Josephi, eo fine ut Deus ob merita ejus propinquum suum Cognatum Sacris Ecclesiæ mysteriis addictum, ab inordinatâ vitæ revocaret licentiâ, in quâ quartum jam quintumve annum volutabatur, nullis cujusquam monitis ad sui status decorem revocabilis, ita dæmoni mancipatus erat: valuit pia Cognati sollicitudo perdito illi ad salutem: dum enim Sacrificia, Communiones, preces obeunt conjunctim rogati, ita ut noster optaverat, rogaverat, & speraverat; accidit: gravissimâ infirmitate lecto affixus est, qui vitiis suis immersus eatenùs assurgere noluerat: ut verò mortem sibi instantem vidit, extremis muniendus Sacramentis, concepit melioris vitæ desiderium; & ut propositum seriâ protestatione firmavit, convaluit sine morâ; atque decrevit deinceps se & sua omninò addicere uni divinæ gloriæ promovendæ, in negotio quodam quod tum temporis Parisiis maximi momenti agebatur, in quo etiam nunc ad finem optatum illud urgendo strenuè perseverat, intra modestiæ extremæ, suoque characteri congruæ terminos. Hæc mirabilis conversio, inquit P. Barri citatus, contigit Parisiis: accipe aliam quæ Lugduni.

XVII. Juvenis quidam honestæ conditionis, usque adeò deditus erat pietati, ut divino servitio se usque ad mortem mancipare per ingressum in aliquam Religionem constituerit: sed cùm in hoc à parentibus aliud spectantibus præpeditum se vidit, ita paulatim à primo fervore, mox etiam à Dei timore deflexit, ut demùm in pudendæ barathrum libertatis præceps sit devolutus, assumens cum militari baltheo quidvis audendi patrandive fiduciam: afflixit ea res: uti debuit, parentes; non usque adeò Dei immemores, ut nullum de filii sui salute periclitante curam gererent: multiplicant epistolas quibus illum ad se revocent, allegant amicos, tentant omnia, sed in cassum, surdo enim canebatur fabula: Consilium ergo capiunt invocandi in auxilium S. Josephum omnium auxiliatorem, & vix cœperant, cùm ecce intra triduum redit ad Patrem perditus ille, ut prodigus delictorum pœnitens, petitâque humillimè & obtentâ à parentibus suis ante actæ vitæ veniâ, morum emendationem magnâ illorum consolatione exhibet.

XVIII. Idem Pater Barri ibidem Lugduni, inquit, in Ecclesiâ nostrâ Sanctissimi Domini nostri Nutricio dicatâ, Tabella cernitur ex piæ mulieris voto appensa, quæ moderandis viri sui excessibus, aliud nullum remedium inveniens, pluribus frustra tentatis, Sancto Josepho maritorum omnium moderatissimo advolvitur: eique se voto obstrinxit, nec inutiliter: hic enim viri ejus animum tam potenter immutavit, ut suæ deinceps uxori fidelis, nunquam amplius ad impudicæ vitæ consuetudinem redierit, notus antea publicus adulter.

XIX. Idem quoque Pater ibidem: Quædam persona, inquit, cum intellexisset me hunc librum (ideſt de devotione ad Sanctum Josephum) meditari, pro eâ quam in me habet fiduciâ, ingenuè per litteras fassa est, quod cum in materiâ gravi, & votum suum concernente, haud leviter deliquisset, inducere animum non potuerit ut peccatum confessione expiaret. Igitur ut hanc mali pudoris rebellionem vinceret, proposuisse ad dies novem hymnum cum oratione de Sancto Josepho recitare, quo facto expeditam se sensit ad peragendam debitâ cum integritate om-

omnium peccatorum suorum exomologesim: Ex indeque proposuit jugiter penes se habere aliquam ejus imaginem, etiam noctu adversus impura somnia quibus vexabatur, quod sibi mirabiliter profuisse profitetur.

## SECTIO II.

### *Patrocinium Divi Josephi in morte.*

XX. CUm in hoc præcipuè momento periclitentur homines, in agone certantes, tum quia tunc non est *nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principatus & potestates, adversus mundi Rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*: tum quia tunc agitur de summâ rerum omnium, ita quod in quamcumque partẽ ceciderit homo in eâ manebit in æternum: Favor in hoc momento pro fœlici morte obtinendâ præstitus, non tam affinis est præcedenti, quam illius finis, perfectio, & complementum: Quid enim nobis profuisset in vitâ à statu peccati aliquando Divi Josephi ope ad gratiam resurrexisse, si in fine contingeret vel à morte repentinâ in peccato præoccupari, vel in ipsâ morte tentatione fractos in peccatum proruere? ergo hic favor fuit ex congruentiâ præcedenti assuendus.

XXI. Communis est omnium Orthodoxorum sensus Sanctos cum Deo in Cœlis regnantes, qui non tantùm in charitate fundati & radicati, sed etiam consummati sunt, particulariter ferri, ut nobis à Deo earum gratiarum communicationem procurent, quibus à Deo specialissimè in terris gratificati sunt: Atqui inter potiores gratias quas Divus à Deo recepit Josephus, una è majoribus hæc fuit, quod ei morienti adstitit JESUS, quod inter ejus brachia expiravit, quod longè verius & proprius quàm Moyses in osculo Domini mortuus sit. Hinc de eo sic Ecclesiastici in Hymno ad Laudes.

*O nimis felix, nimis ô Beatus,*
*Cujus extremam, vigiles, ad horam*
*Christus, & Virgo simul adstiterunt*
*Ore Sereno.*

ideoque non potest aliter fieri quin salutaris nobis futurus sit frequentissimus ad eum recursus pro impetrandâ per ipsius efficacissimam intercessionem aliquâ istius gratiæ participatione.

Quare cum scire nequeamus quis dies futurus sit vitæ nostræ supremus, XXII.
& eum nobis optemus absdubiè fœlicem, nullus nobis prætereat, in quo non ei preces aliquas, officiũ ejus parvum, Litanias, vel Rosarium, vel saltem hanc oratiunculam. *Sancte Joseph Pater JESV ora pro nobis peccatoribus nunc & in horâ mortis nostræ, Amen.* cum devotione & fiduciâ offeramus, ut ejus interventu præcipuum & ultimum istum divinæ misericordiæ effectum obtineamus, ut, inquam, morte moriamur justorum in gratiâ & amicitiâ Dei.

Quàm hoc utile sit & efficax experti XXIII.
sunt quamplurimi, inter quos Eques quidam Venetus, de quo Isidorus Isolanus part. 4. cap 10. & alii scribunt solitum ante Divi Josephi imaginem preces exsolvere quotidianas: cùm tamen aliundè vitam satis dissolutam ageret: ægritudine lethali hic corripitur: ac dum medicina corpori magnâ sollicitudine præparatur, animi ægritudo longè periculosior negligitur: Morbo ingravescente, hortantur assistentes ut conscientiam suam confessione diluat, frustra tamen ob habitualis sceleris pertinaciam: sed desperato adest oportunè Divus Josephus qui miserum istum jam jam expiraturum, & ab inferno absorbendum ad saniorem mentem revocat, ei enim se visibilem reddens, corripit duritiam cordis, & pœnæ æternæ capiti ejus imminentis objectu percellit ad pœnitudinem: horret ad statum suum miserum ille Eques, confortat illum Divus Josephus: cui ille benè monenti obtemperans, Sacerdoti crimina cum dolore acerrimo aperit, lachrymis abluit: Quo facto mox animam Divo Josepho Sospitatori suo tradit ad superos deferendam.

Aliud refert exemplum hujus XXIV.
Classis P. Joannes Jacquinot Jesuita in libello

libello Gallico, cui titulus : *La Gloire de Saint Ioseph* ch. 7. consid. 7. de quodam sene Divo Josepho in paucis devoto. Hic ferè per biennium integrum acutissimos calculi dolores perpessus, cum ex his finem suum instare persentiscceret, Confessarium suum acciri voluit : cui animum suum aperiens; Pater, inquit, jam pridem in diem Festum Sancti Josephi mentis oculos conjeci, & per ejus intercessionem (in quâ omninò confido) à Deo peto, utinam exorem, ut vel isto die moriar, vel convalescam, nisi tamen ei aliud placeat : ac quidem si eo die moriturus sum, ut possim in eo pro ultimâ vice Sacro Corporis Domini N. Jesu Christi pabulo recreari, atque tam oportunè mori, ut possint adhuc isto die aliquot Missæ pro animæ meæ refrigerio celebrari. Nulla erat apparentia hoc humanitus posse contingere, quia ipsius dolores ita de die in diem ingravescebant, ut omninò desperaretur ipsum posse adhuc vivere totos novem dies qui restabant ante diem Festum Sancti Josephi. Contigit nihilominùs præter omnium spem medicorum, ut optavit senex, vixitque totos illos dies: Quare pridie festi illius omnibus domesticis convocatis, eis benedixit, ipso verò die, secundâ post mediam noctem, Sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis pientissimè petitis & receptis, sibi semper eousque præsentissimus, in agoniam incidit medii horæ quadrantis spatio, postquam expiravit tam placidè, ut omnium circumstantium opinione mors ipsius somnus videretur, & imago illius requiei cujus possessionem in Cœlo si necdum cœperat saltem brevi capturus erat, cum tot fuerint inventi Sacerdotes, quot fuere desiderati, qui pro eo ipsomet die celebrarunt : sicque pientissimi desideria viri ex benignâ Divi Josephi dispositione fuêre ad amussim completa.

XXV. Aliud refert Doctor Matthias Naveus & librorum Censor Duacenus lib. cui titulus : *Sponsus Virginis Orat. seu tit. 5. sub finem.* Sub his ipsissimis verbis. Certè recens est inter cætera, quod Vir Nobilis de Henin, Dominus de Miny Audomaropoli sub initium Maii anni 1629. moribundus aperuit Patri Capucino aliisque ei assistenti bus, conspectos sibi in morbi gravitate fuisse Beatam Virginem & Divum Iosephum cum Sancto Francisco, quibus dudum devotus fuerat : atque ex Sancto Francisco diem horamque mortis suæ ad tres dies sibi cum salutis indicio præinnotuisse, eamque Cœlestem dici & horæ mortis ejus præmonitionem ita comprobatam à se fuisse dictus Pater & alii testati sunt, cujus etiam testimonii certam copiam ipse excepi : ubi quidem eam præmonitionem ex adnutu Beatissimæ Virginis & Sponsi ejus factam fuisse res ipsa indicare videtur; sicut & superiores Angeli, etiamsi compræsentes, per Angelos inferiores quædam revelare solent, ut in Danielis Prophetiâ videri potest.

Hùc quoque pertinet quod de Venerabili Sorore Yolantâ de Sylvâ Ordinis Sancti Dominici Moniali Religiosissimâ narrant ejusdem Annales Ordinis. Hæc cum Divo Josepho totâ vitâ suâ devotissima fuisset, ei in extremo morbo adfuit, visibiliter ei apparens, nec deserens usque ad mortem. Hucque etiam revocari posset quod de mercatore Hispano Valentino ex S. Vincentio Ferrerio retulimus supra hâc 3. Part. Tract. 2. c. 7. sect. 4. n. 40. Sunt & alia hujus generis infinita, sed hæc mihi sufficere videntur. XXVI.

## SECTIO III.

### *Patrocinium Divi Iosephi contra morbos seu infirmitates spirituales & tentationes.*

INitio capitis diximus peccata venialia, habitus malos, infrænatas passiones, esse infirmitates, seu morbos animæ spirituales : quia ut morbus stat cum vitâ, ita stant illa cum gratiâ : Periculosa sunt tamen : quia ut morbi corporales, qui ex se sunt curabiles, si negligantur, fiunt persæpè mortales, ita & morbi illi seu infirmitates spirituales, si non emendentur, si negligantur, sæpè in fine trahunt animâ in interitum. Qui enim spernit XXVII.

modica paulatim decidet. Ecclesiastici cap. 19. vers. 1. Patrocinium ergo Divi Josephi in his favor est duobus præcedentibus proximus.

XXVIII. Duobus ex capitibus vehementer difficilè est, ne dicam impossibile, exempla hujus oportuni subsidii ad mitigandam peccatorum venialium pruriginem, ad vincendos pravos habitus, edomandas animi perturbationes, & passionum insolentiam refrænandam, à Sanctissimę Virginis Sponso cum invocantibus præstiti colligere: tum quia sunt plurimi & maximè varii favores istiusmodi: tum quia ab illis qui eos percipere meruerunt ex humilitate servantur occulti.

XXIX. Pauca igitur (verba do Patris Barri citati cap. 11.) ex multis proferam ab iis cognita qui meâ in Spiritu directione usi, fecerunt ut ipsorum fide & experientiâ scirem, vix ullum esse præsidium efficacius ad nobilem aliquam de se ipso victoriam referendam, quam Sancti Josephi Patrocinium, cui nunc Deus omnia concedere videtur: crescitque experientium numerus, dum alter alteri spirituales suas necessitates subinde revelans, simul intelligit quid suis, quos consulit amicis, hoc in genere evenerit.

XXX. Prosequens igitur loco citato dictus P. Barri: Novi, inquit, ego quibus impossibile videbatur refrænare linguam ut à mordacibus dicteriis, à contentionibus, aut cavillis, abstinerent: Novi quos concepta à personis quibusdam alienatio ita exasperaverat, ut nec earum præsentiam, nec affatum æquis oculis vel auribus, aut sustinere, aut admittere possent: Novi alios quos inordinati amoris affectus necessariâ ad officii & orationis exercitium mentis attentione privabat, non absque excessibus animæ corporisque periculosis & perniciosis, quibus omnibus remedio fuit Sanctum Josephum in vota advocasse.

XXXI. Fuit cui triennio integro impura isthæc flamma intra cordis penetralia succensa, restingui nequiverit ulla devotione: sed cum dierum novem silentium sibi indixisset in honorem Sancti Josephi, & memoriam silentii quod totâ vitâ suâ coluit (non enim vel verbum ab eo prolatum legimus nisi Sanctissimum nomē Jesu Christi in Circumcisione, in maximis tamen loquendi occasionibus: eâ mortificatione vix exactâ se liberatam sensit: quapropter gratitudinis ergo Litanias ejusdem quotidie recitare proposuit.

Alio eodem affectu agitata, jam XXII. penè nec somnum capiebat oculis, nec spem habebat reliquam perseverandi in suscepto Religionis habitu, quod vehementer illam angebat: tantopere afflictæ suasum ut novemdialem ad Sanctum Josephum devotionem institueret, ad quam aliæ quoque Moniales se socias offerebant, instituit; & eâ finitâ & corpore & animo rectius habere cœpit, & libera omninò ab istiusmodi tentatione extitit. Hæc omnia ex P. Barri libello Gallico citato cap. 11.

His adjicio quod de Sanctâ ac Seraphicâ Matre nostrâ Theresiâ legimus apud P. Ribera lib. 1. Vitæ ejus cap. 33. Huic Sanctissimæ Matri die Assumptionis Glorioſissimæ Virginis peccata vitæ ante actæ serius recogitanti, objectum est cœleste visum, illudque gratissimum: Itaque in extasim rapta videbatur ei se veste seu tunicâ candidissimâ & mirabiliter lucenti vestiri. In principio visionis non videbat eos à quibus hâc veste tegebatur, sed deinceps cognovit hoc sibi factum à Beatissimâ Deiparâ & Sanctissimo Josepho, & intellexit hoc sibi contigisse in signum liberationis suæ ab istis peccatis, & puritatis animæ sibi concessæ, idque per merita Sancti Josephi, cum tunc manus ejus apprehenderit Beata Virgo, eique testata sit gratissimam sibi esse ejus erga Sponsum suum devotionem, & summoperè placere zelum quo ejus cultum inter homines promovere satagebat. Ex quo intelligimus quomodò Divus Josephus à suis Clientibus morbos animæ spirituales depellat, & in animabus à peccando purificandis sollicitus sit. XXXIII.

In tentationibus non segnius opitulatur Divus Josephus, maximè verò castitati periclitanti: Patet hoc in exemplis allatis hîc num. 31. & 32. & tribus quæ hic adjicio. Primò namque puellæ cuidam honestæ, cui Magorum XXXIV.

carminibus

carminibus adacti dæmones importunius instabant, quies est reddita statim ut ipsa se Sancto Josepho commendans magnâ cum fiduciâ ex eâ chartâ quæ sacram Laudunensem unctionem (de quâ infrà cap. 8.) attigerat sumpsit aliquid. Ita Pater Barri libello citato cap. 13.

XXXV. Alteri similiter quæ similibus tentationibus valdè obnoxia, vovit per novem dies ipsius gestare imaginem, & mox ab iis liberata, opem D. Iosephi in illis, ut præsentissimam, ita præstantissimam experta, testata est eidem authori ibidem.

XXXVI. Tertium refert R. P. Maximilianus Lenglez, PP. Ord. Min. Recollectorum, Provinciæ Flandriæ Provincialis in libro Gallicè conscripto, cui titulus: *L'Escole de Marie, Alphabet 2. lettre D.* §. 4. quod anno 1618. contigit Virgini honestissimę Ditionis & Diœcesis nostræ Leodiensis inter Mosam & Sambrin, hæc cùm inter agens inter avia occurrisset nebuloni cuidam petulanti, passura erat haud dubiè vim, quam hic propudiosus flammis cupidinis incensus voluntati suæ consentire abnuenti, & pro posse resistenti, inferre parabat: Sed adfuit illi in his angustiis Divus Josephus ab eâ ex intimis invocatus. Ille enim violentus derepentè voce puellæ Divum Josephum inclamante, quasi fulmine perculsus, omnibus viribus exhaustus obriguit, ita ut amplius se movere non potuerit; sicque illa innocens columbâ ope Divi Iosephi intacta, ex unguibus istius profani accipitris evasit, non sine illius stupore & hujus confusione.

XXXVII. Neque hoc his temporibus, quando ejus merita tam magnificè à Deo extolli videmus, tam mirum; cùm & de quâdam Religiosissimâ Virgine cui nomen Hildegundis hæc suo tempore referat Cæsarius lib. 1. Mirac. cap. 40. Adolescentem se simulans Hildegundis nomen Sancti Josephi sibi imposuerat, ut eum quem validas vicisse tentationes noverat contra duplicem hostem pugnatura, carnem scilicet & Diabolum suæ memoriæ arctius imprimeret & per auxilium plenius sentiret.

Denique eo usque progreditur hæc Divi Josephi erga suos devotos, protectio, ut statim atque ab eis electus est in Patronum & Tutelarem, ejusque Clientelæ se commiserunt, incunctanter eos etiam antequam rogatus præveniendo adjuvet, ac si illi satis scit scire quod sint ex suis Clientibus & Devotis, ut feratur affectu proniissimo ad eis benefaciendum, & avertenda ab eis mala & pericula quibus inquietari possent. XXXIII

Immò si contra hos morbos spirituales que defectus omnes, aquam expetis divinarum curationum, recurrendumque tibi videatur ad Piscinam probaticam spiritualem, Beatissimam dico Virginem Dei Matrem, quæ ad Angeli ad eam cum Divinâ salutatione descensum turbata, omnium in se supernarum curationum virtutem suscepit: Cogita quod cum nobis nimiâ infirmitate pressis, alieno ut ad eam perveniamus adjutorio opus sit; juxta illam proximè ei D. Josephum: assistere & quis illo ei proximior? sed quis eo in nos propensior? XXXIX.

## CAPUT VI.

### *Patrocinium Divi Josephi in conversione infidelium & perfectione omnium.*

POSTQUAM vidimus per effectus, virtutem Patrocinii Divi Josephi ut liberemur à malo, sequitur ut videamus quomodò juvet in bono: Ratio enim vitæ Christianæ, quam profitemur, non in eo tantùm sita est ut mala non agamus, sed insuper exigit ut etiam bona faciamus, dicente Scripturâ psal. 33. vers. 14. *Diverte à malo, & fac bonum.* Neque enim segvis tantùm, iniquis, sed etiam inutilibus merces negatur: Cùm etiam magnũ malum sit nihil boni facere, vel talẽtum ad negotiandum concessum in terram fodisse: & judex vivorum & mortuorum non iis tantùm qui occiderunt vel furtum fecerunt vel mœchati sunt dicturus sit, *Ite maledicti in ignem æternũ, qui paratus est diabolo & Angelis ejus,* sed illis etiam I.

qui cum nudus esset eum non cooperuerunt, cum esuriret non dederunt ei manducare, &c. Matth. cap. 25. Ac primò quidem cum conversio infidelium utrumque complectatur, relinquunt enim idololatriam quæ est summum malum, & amplectuntur veram unius & solius veri Dei Religionem quæ est primum bonum. Primò, in eorum conversione videamus Patrocinii Divi Iosephi efficaciam, visuri postmodum illam in perfectione omnium.

## SECTIO PRIMA.

### *Patrocinium Divi Iosephi in conversione infidelium.*

II. PAtriarcham Josephum Ægypti Pro-Regem legimus in tempore fertilitatis & abundantiæ ferè solùm in Curiâ Pharaonis Regis cognitum, sed in annis sterilitatis & penuriæ ab eo constitutum super omnes Regni Provincias & gazas, omnibusque providentem, quin etiam ipsis extraneis: hoc figura fuit, accipe veritatem.

III. Prima Ecclesiæ sæcula, anni fuêre fertilitatis, abundantiæ, virtutis, totiusque sanctitatis: in illis Divus Josephus ferè solùm à cœlitibus in pretio & honore habitus est; sed in postremis, quando refrigescente charitate, tanta est sterilitas, penuria tanta virtutis, constitutus à Deo cernitur manifestè ut ex ejus abundantiâ tori Ecclesiæ esset provisum: neque huic solùm, sed etiam extraneis ab illâ, idest infidelibus, quorum conversio, & ad Ecclesiam aggregatio, illius meritis, intercessioni, & precibus maximâ ex parte deberi dignoscitur.

IV. Apostoli Franciæ novæ (in quibus non postremùm Patres nostri Provinciæ Armoricæ seu Turoniæ à quâ Reformatio nostri Ordinis initium sumpsit obtinent locum) tantum ibi fructum & tam brevi tempore fecêre, ut prodigium sit maximum, tantam & adeò subitam gentium & hominum tam efferatorum videre conversionem, qui fœlicitatem suam post Deum unico Divo Josepho referunt, eumque susciuut ut istius mundi Plagæ, primum apud Deum Protectorem & Tutelarem, ob patrata ad nominis ipsius invocationem mira prorsus ac stupenda, quorum gaudium nova in dies accipit incrementa per incredibilem aliorum qui in dies convertuntur ad ipsos accessionem.

V. In Oriente quàm ubique Divi Josephi nomen sit super alios Sanctos celebre, quis explicet? Nec ob aliam certè causam, nisi ob mirabilia quæ ibi Deus in dies operatur ad Divi Josephi invocationem pro solatio miserorum, quibus potenter alliciuntur & illi & cæteri, ut Evangelio credant & obediant, Deo ubique propter sui in terris amantissimi Patris interccssionem cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.

VI. Relationes Canadaienses anni 1638. Patrum Societatis Jesu asserunt prædictos Patres ibi Missionarios, Divum Josephum istius Missionis elegisse Patronum, ac propterea. Primò, Iroquensi converso, in baptismo nomen Josephi imposuisse, primum ei fructum asserentes cui totam messem consecrarant, commendarant, & adscribunt: quæ cum ab inde tam fœliciter cesserit & in dies augeatur ut vix aliquid amplius desiderari possit, quis dubitet ipsâ illius favori, & intercessioni deberi sub cujus auspiciis fieri cœpit?

VII. Legendæ sunt etiam Relationes Missionum Paraquaiæ in Americâ Meridionali, ubi Missiones illæ sunt quoque Divo Josepho dicatæ & commendatæ tam fœlici & admirabili successu ut brevi illa Provincia, ac aliæ plures ei finitimæ illam secutæ, Evangelio nomen dederint, & quidem tali modo, ut non tantum ritus & mores, sed etiam nomen mutarint: cùm ibi, ut iterum in Superioribus diximus, & urbes & Provinciæ integræ, Urbes Sancti Josephi, Provinciæ Sancti Josephi, nuncupentur, agnoscentes planè se illius Sanctissimi & castissimi Virginis Sponsi intercessionibus debere suam conversionem & fœlicitatem, pro ut etiam profitentur illi quorum operâ Deus uti voluit ad illam promovendam.

Ut

VIII. Ut verè dicere posit Sanctus Josephus, *Postulavi filium meum, dedit mihi gentes in hæreditatem*, & mihi firmissimè persuasum sit Divum Josephum his postremis temporibus, quibus ipsius cultus (quod toties repetii) à Divinâ providentiâ expresè reservatus est, à filio suo petiisse & ab eodem obtinuisse illarum gentium salutem, quam propterea reciprocè filius ejus sedulæ sollicitudini & tutelæ consignavit, qui proinde strenuos illos Operarios ab eodem Filio suo obtentos, & cœlesti fortitudine ac constantiâ armatos, adjuvando prosecutus est: atque ita; licet Gentes illæ decem millia Pedagogorum, seu Prædicatorum, habuerint, sed non multos Patres; ipse enim Divus Josephus per merita sua illos Christo genuit.

## SECTIO II.

### *Patrocinium Divi Josephi pro virtutibus & perfectione omnium.*

IX. HOc Privilegium magnificient verè devoti clientes Sancti Josephi; verè utique magnificiendum: Cùm enim hi probè sciant nihil esse desiderabilius virtute & perfectione, nihil autem molestius quàm difficultates, quæ in illarum acquisitione occurrunt superare, nihil consequenter optabilius judicabunt, quam in hâc prosequutione potenter juvari.

X. Atqui Sanctus Iosephus has molestias ita sublevat, & manum tam propitiam & efficacem præbet volentibus & benè affectis ut nonnisi ludicra puerorum terriculamenta fuisse inveniantur prorsusq; evanescant manum eo invocato operi admoventibus: unde non vereor dicere quod sentio Deum ipsius sollicitudini & pietati potius quam ullius alterius Sancti præcipuè has causas commisisse? & id quidem quantùm arbitror meritò, in compensationem, scilicet vitæ illius tam Sanctæ, tam absconditæ, tam interioris, tamque perfectæ, quam per triginta annos totos duxit in domo suâ Nazarethanâ cum sanctâ familiâ suâ.

Juvat hâc in re Seraphicam matrem nostram Theresiam omnium Divi Josephi devotorum Coripheam potius audire quàm me, vel quemcumque alium. Hæc ergo libro vitæ suæ de Superiorum suorum speciali mandato à se Hispanicè conscripto cap. 6. *Accepi*, inquit, *pro Advocato & Magistro glorioſum Sanctum Iosephum, & precibus ejus valdè me commendavi, clarèque cognovi, quod Sanctus iste Pater & Dominus meus extraxerit me tum ex necessitate istâ, tum ex aliis majoribus circa honorem, & jacturam animæ periculis, idque majori meo bono quàm eum rogare scivissem. Non memini me rem ullam usque modo eum rogasse, quam non adimpleverit, mirum est quam magnis gratiis per Sanctũ hunc me Deus dignatus sit & è quantis tum corporis, tum animæ periculis eripuerit: videtur Deus sanctis aliis ad succurrendum in particularibus aliquibus necessitatibus gratiam donasse, sed glorioso huic sancto, sicut ipsa experta sum, ut opituletur & auxilium ferat in omnibus, quodque nobis notum facere Salvator voluerit, se sicut in terris ei subditus fuit, & Pater ejus nominabatur, Nutricius & gubernator ejus existens, eique mandare potens, ita nunc in Cælis indulgere omne quod petit: Quod etiam experti sunt alii à me quibus ut ei se commendarent consului. Et de novo veritatem hanc probavi ..... vellem libenter devotionem erga glorioſum hunc Sanctum omnibus suadere ob magnam experientiam quam habeo bonorum quæ obtinet à Deo. Neminem novi verâ devotione ei affectum, & qui particulare aliquod servitium ei faciat, quem in virtute magis promotum non videam; quia animabus ei se commendantibus multum progressum affert: Ab annis aliquot videtur mihi quod rem unam ab eo petam, quam semper video completam. Et si petitio non omninò recta est, eam ipse ad majus bonum meum rectificat ac dirigit; si persona essem quæ scribendi haberet potestatem, libentissimè ad gratias quibus Sanctus hic me, aliasq; personas affecit particulatim referendum me dilatarem. Sed ne mandatum mihi factum prætergrediar, brevior ero in multis quam voluissem, & in aliis quam oporteat prolixior, tanquam quæ in bonis rebus omnibus parum discretionis habeam:*

XI.

*solum pro Dei amore oro, ut is qui mihi non credit, probare velit, & experientiâ discet quam sit utile glorioso huic Patriarchæ se commendare, eique devotum esse: præsertim verò eis qui se orationi addicunt..... Qui Magistrum à quo benè orare discat nancisci nequit, in Magistrum accipiat gloriosum hunc Sanctum, & benè orandi viam sine dubio inveniet.* Hæc Sancta Mater, quibus similia passim habet alibi.

XII. Exemplum suavitate & admiratione plenum in hunc rem refert Omazurinus citatus, de quodam juvene deploratæ vitæ ex domo cujusdam Episcopi, cujus Ephæbus erat, ob depravatos mores ejecti: hic post ejectionem militiæ nomen dedit: cui adscriptus, post aliquantùm tempus vitæ suæ pertæsus signa deseruit: quare fugientem insequuti Tribunus & Commilitones, ab eis tandem apprehensus, damnatus fuit more militum desertorum ad viram per arma miserè finiendam: alligatus ergo palo seu arbori, & jam jam Sclopetis appetendus, cœpit ille ex toto corde converti ad Divum Josephum, promittens ei si ab hâc extremitate liberaretur, se reliquum vitæ suæ in ipsius obsequio, & statu Religioso traducturum. Et ecce; ô rem mirabilem & amabilem! dum hæc ille animo versat, & hôc propositum ingeminat, Deus subitò virginis opulentæ, tunc ibi præsentis, cor ad istius miseri commiserationem fecit, quæ statim Tribuno adgeniculans supplicat sibi miserum istum donari in maritum: quod Tribunus admirabundus annuit, & liberatus est, ipsique ibidem desponsati: sed Juvenis ille memor promissi sui, antequam adveperasceret, monuit novellam sponsam suam de promissione à se in istis angustiis factâ: Cujus obtento consensu suscepit habitum Patrum nostrorum Discalceatorum à Sanctâ Matre Theresiâ nostrâ Divo Josepho specialiter dicatorum, quem non diu post Sponsa in eodem vitæ genere secuta est.

XIII. Aliis particularibus exemplis in hujus veritatis fidem recensendis non diutius immorabor, plura qui desideraverit inveniet apud eandê Sanctam Matrem Theresiam in libris ab ipsâ conscriptis: apud P. Barri Jesuitam libro citato cap. 10. & alios: transeamus ad majora & notabiliora quæ scilicet respiciunt Congregationes Religiosas & Familias integras, quibus evidentissimè benedixit.

Ac primò quidem ab eâdem Sanctâ XIV.
Matre Theresiâ nostrâ exordiamur, quæ, quod cœlitus edocta scriptis suis tradidit, hoc ipsa proprio experimento comperit: Reformationem enim suam nostrorum Excalceatorum & Excalceatarum, omnium totius Ecclesiæ undequàque celebertimam, quam eidem Divo Josepho Patri suo in principio (monente Deiparâ totius Ordinis Matre & Patronâ singulariss imâ) dicavit; & cujus ipsum Patronum & Tutelarem esse voluit (propter quod ei primum Monasterium quod ædificavit, nuncupavit) ita sub ejus auspiciis crescere vidit, benedicente propter amantissimum Patrem suum ejus conatibus Domino; ut brevi ex modico surculo excreverit in magnam arborem, quæ ramos suos extendit à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos Orbis terrarum, in quibus infinitæ Cœli aves, ideſt utriusque sexus homines, à terrenis abstracti requiescunt, itaut Congregatio illa talibus incrementis sub tanto Patrono aucta, majoribus nunc Ordinibus in numero Conventuum, Personarum, virtute, litteris, sanctitate, & laboribus pro Ecclesiæ augmento gloriosè susceptis, & exantlatis, æquiparari possit: Atque ita quidem ut omnes illius Conventus nullo dempto (quod observatione dignissimum est, atque ad cultum hujus Sanctissimi Proto-Patriarchæ universum orbem Christianum animare valet) totidem sint velut probaticæ Piscinæ ad infirmitates corporum curandas, totidem propitiatoria ad obtinenda quæcumque animarum beneficia, in perpetuum spiritus Theresiæ heredum patrimonium, à Clementissimo Deo hominibus assignata, quot apud eos sunt Ecclesiæ aut erectæ in istius sancti Protectoris & Tutelaris honorem Aræ, ut inquit Doctor Matthias Nayeus citatus.

Exem-

XV. Exemplum tantæ sororis non impigrè secuti sunt etiam fratres ejus. Patres, dico, & primi Authores Reformationis totius Ordinis, Venerandi PP. *Matthæus Pinault*, & *Philippus Thibault* Provinciæ Turoniæ seu etiam Armoricæ sub Regno Regis Christianissimi: Hanc siquidem ut testatur noster Matthias à Sancto Joanne ejusdem Provinciæ Provincialis dignissimus Tomo 2. Histor. Panegyr. Ord. Carm. part. 4. cap. 30. sub ejusdem Sanctissimi totius Ordinis Protectoris auspiciis inceperunt, hanc ejus Tutelæ specialissimè cõmiserunt, ejus nomini primum Conventum quem ab auspicatâ Reformatione ædificare potuerunt, solemniter consecrarunt; in aliis Aram unam, quantum licuit, in omnibus, ejus Festum quàm solemnissimè fieri potest celebrari constituerunt, quod etiam in aliis Provinciis ubicumque viget reformatio Religiosissimè servatur, ab omnibus denique quotidie in precibus vespertinis post Beatissimam Virginem, & ante Sanctum Patrem nostrum Eliam, communiter invocari sanxerunt, non sine manifestissimâ etiam Dei benedictione. Hæc quippe reformatio tales sub ejus potentissimis auspiciis fecit progressus, ut jam ferè totum Ordinem quâcumque extenditur pervaserit: Opus ut norunt experti non minoris, imò longè majoris difficultatis quàm Ordinem de novo fundare.

XVI. Eodem tempore quo Carmelitis reformandis Sancta Theresia incumbebat, cœperunt quoque reformandis in Hispania Ordinis Sancti Francisci Conventibus, arctioriqué observantiæ inducendæ operam dare S. Petrus de Alcantara à Clemente IX. unà cum S. Mariâ Magdalenâ de Pazzi nostræ Observantiæ anno 1669. Sanctorum Fastis adscriptus, & R. Pater Joannes Paschalis, qui primæ atque aliarum reformatarum Matri Provinciæ Castellanæ Sanctum Iosephum ascivêre Patronum, cujus favore & Patrocinio eam ad illum provexerunt statum, in quo illam cernere est.

XVII. Societas Iesu nobilissima eidem Sanctissimo Patriarchæ commendat domos tertiæ probationi destinatas, quæ fit post absoluta studia, ubi interioris hominis culturæ, & humilitatis latêre cupientis, exercitiis & acquisitioni potissimum intenditur, quoniam sciunt Patres isti religiosissimi quod eâ in parte præcipuè se admirabilem reddit iste Sanctissimus Pater Iesu, & hi etiam experti cum quanto fructu.

XVIII. Congregatio Patrum Oratorii Iesu in Galliâ, qui ei etiam specialissimè devoti sunt, ejusque festum maximâ quâ possunt solemnitate celebrant in domibus suis, in quibus etiam ut minimùm unum Altare habent ei dicatum, in omnibus crescit ad oculum, & hoc quidem, sensu & opinione illorum, auxiliis potentissimis Divi Iosephi protectoris, in quo filialiter confidunt: nam ab anno 1611. in quo hæc devotissima & eruditissima Congregatio initium sumpsit Parisiis in suburbio Sancti Iacobi, usque ad annum 1619. idest spatio octo annorum vel circiter, ita crevit, ut eo tam brevi intervallo triginta duas domos in primariis istius Regni Civitatibus obtinuerit, ut Rothomagi, Tholosæ, Lugduni, Aurelii, Turoniæ, &c.

XIX. Patres Carthusiani anno 1567. ad Capitulum Generale Ordinis Congregati cum vacua ubique Novitiis Monasteria sua considerarent, atque adeò institutum suũm vehementer periclitari, si veteranis magno numero decedentibus Tyrones non succederent, decreverunt ad Sancti Iosephi patrocinium recurrere, ejusque festum quotannis solemne habere, ut patet ex Decreto istius Capituli. Et ex eo tempore non defuerunt idonei qui vel ipsis in locis se offerrent, vel aliunde submitterentur postulantes admitti. P. Barri lib. cit. cap. 13.

XX. Ursulinæ Virgines cùm in Lambesci Provinciâ sedem statuere sperarent allectæ piorum quorumdam speciosis promissis, adeò isthic immatura omnia, & præter earum opinionem imparata invenêre, ut nec domum in quam diverterent pretio locandam aliquis exhibere vellet: Quare redeundum sibi Aquas Sextias, unde venerant, vix ulla dubitabat. Prius tamen quam frustratæ remearent, ad eum

quem

quem expeditioni suæ patronum elegerant Sanctum Iosephum, novemdiali devotione statuerunt confugere, & Litanias ejus post Missam pariter recitare. Necdum nonus illuxerat dies, cum honestus Presbyter, qui nuper Ecclesiam Virginibus Theresianis prope ipsam urbem condi curaverat, Superiorissam Ursulinarum advenarum accedit, Ecclesiam & domum suam ei annexam offert cum certis possessionibus eo quoque spectantibus: Ita invocati patrocinii apparuit efficacia, cùm bonæ istæ Virgines in ejus domum se receptas viderunt, quæ inter Divo Iosepho devotas singulariter meruit ejus filia dici.

XXI. Et hæc nunc sufficiant ad institutum nostrum: ut non tantùm particulares omnes, sed etiam Communitates aliæ ad prædictorum exemplum & imitationem alliciantur, ut tam præpotentem adjutorem sibi etiam adsciscant in Patronum: quemadmodum anno 1676. fecit præeunte Serenissimo Principe & Episcopo, cum Per-Illustri Capitulo suo Cathedrali Civitas, Patria & Diœcesis nostra Leodiensis, pro ut fecerat paulò ante totũ Imperium, annuente & approbante ad postulationem piissimi Imperatoris Summo Pontifice.

XXII. Ad calcem hujus capitis, addendum primò, innumeram illam sobolem spiritualem Divo Iosepho à Deo concessam, non posse illi à nobis negari, postquam vidimus Deum sic eum dilexisse, ut ei filium suum unigenitum daret. Addendum secundò, fuisse etiam meritum ex multis causis, quarum una nec parva aut exigua hæc est quod eundem Dei filium & suum, ab impii Herodis & Satellitum ejus crudeli manu eripuerit.


XXIII. Huic asserto prolusum video Exodi cap. 1. vers. 17. & seqq. in obstetricibus Ægyptiis, quæ licet Ægyptiæ essent & à Dei veri Religione valdè alienæ, à Deo tamen ob servatos Hebræorum pueros larga mercede cumulatæ sunt: sic enim ibi habet Scriptura: *Timuerunt autem obstetrices Deum & non fecerunt juxta præceptum Regis Ægypti, sed conservabant mares, quibus ad se accersitis, Rex ait: Quidnam est hoc quod facere voluistis, ut pueros servaretis? Quæ responderunt, non sunt Hebreæ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas pariunt: benè ergo fecit Deus obstetricibus: & quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.* Non voluit Deus illas esse irremuneratas quæ pueros populi sui contra Regis Edictum servaverant.

Sed attende earum remuneratio- XXIV.
nem. *Ædificavit*, inquit Scriptura *eis domos*. Quid autem hoc est? Idest, inquit Oleaster, Primò, dedit illis posteritatem, dedit eis progeniem seu filiorum multitudinem; eo quod Hebraismus, *à Banach*, quod est ædificare, deduxit *Ben* quod est filius, quasi filius sit ædificium Patris: ex quo sequitur quod dare alicui filios est idem quod ædificare illi domum.

Secundò, *Ædificavit eis domos*, ideſt, XXV.
inquit idem Oleaster, rem familiarem dedit & auxit: Immensam ergo Divi Josephi mercedem, numerum filiorum spiritualium innumerum, Cœlestium divitiarum copiam, hinc colli-ge: hi enim mulieres Ægyptiæ à Deo promeruerunt rei familiaris augmentum & progeniem multam, seu filiorum multitudinem carnalium ob substractos neci pueros Hebræorum Scripturâ Sacrâ attestante, quid non meruit D. Josephus à Deo, qui filium ejus ab Herodis truculentâ manu, ac deinde ab Archelai furore eripuit?

## CAPUT VII.

### *Patrocinium Divi Josephi contra corporales dæmonum infestationes.*



Beneficiis spiritualibus, illis I.
scilicet quæ tangunt animam, Divi Josephi interventu fieri solitis, de quibus in præcedentibus, ad corporalia quæ tangunt corpus gradum facturus, hoc loco ut congruum ordinem sequamur patrocinium ejusdem Sanctissimi Patriarchæ potentissimum contra corporales dæmonum infestationes collocandum censui, quia cum infestatio hujus-

hujusmodi quæ est materia circa quam versatur hoc genus beneficii sit à dæmone, & purè respiciat corpus; potest aliquo modo dici ab authore, dæmone scilicet infestante, spiritualis, ab effectu verò corporalis, ac mediare inter purè spiritualia illa beneficia, quæ præcesserunt, & purè corporalia, de quibus in sequentibus, & ideò hîc est hujusmodi beneficii verus & proprius locus.

II. Porrò duobus modis dæmon homines corporaliter infestare solet, per se scilicet, & per suos, idest per maleficos.

III. Per se id præstat duobus modis: quorumdam enim corpora intrat, & inhabitat malus hospes (& vocatur possessio) in quibus mira, prodigiosa, & stupenda loquitur, & agit, quæ constat evidenter non posse esse ab homine ex solis viribus & facultatibus suis agente: quæ tamen non possunt dici supernaturalia, quia licet excedant vires naturales & capacitatem hominis, non tamen totius naturæ creatæ, quia fiunt in illo naturaliter à dæmone: aliorum verò corpora tantùm obsidere permittitur malus vicinus (& vocatur obsessio) & hos etiam mirè torquet ad extra, terret apparitionibus, occultorum manifestationibus ludificat, &c.

IV. Per suos secundò corporaliter infestat homines Cacodæmon, qui utique ad hoc utuntur maleficiis. Est enim ut definiunt nostri Theologi Maleficium, *Ars nocendi aliis mediante Dæmonis potestate*, & hoc etiam dupliciter, amatorio scilicet maleficio, & venefico.

V. Per amatorium maleficium solet procurari ut aliquis afficiatur amore carnali impotenti erga hunc vel istum in particulari, quod certissimè fit operâ dæmonis: quia licet sint quædam in rebus naturalibus, ut in herbis, lapidibus, &c. vires & facultates, quæ amoris & concupiscentiæ flammam possunt præpotenter accendere, nulla tamē est in illis facultas ingenita quæ suâptè excitet ad amandum hunc vel illum in particulari, sed quod quis ita certam & determinatam personam depereat, fit à dæmone, qui hominem ad amandum excitatum & accensum, allicit & determinat ad amorem hujus vel illius in particulari.

VI. Per maleficium autem veneficum solet à maleficis procurari nocumentum homini, vel in suâ personâ, causando ei dolores, infirmitates insolitas, impotentiam coëundi, &c vel in suis rebus, puta arboribus, vineis, agris, per sterilitatem, pecoribus ea interficiendo, vel ædibus eas subvertendo. Dæmon enim qui exactè rerum omnium naturalium vires tenet, clam applicat venena, aërem inficit, excitat tempestates, &c. quibus nocumenta præfata infert.

VII. Contra hæc omnia quid possent efficere purè naturalia, quorum omnium actionem dæmon facilè potest elidere & eludere? Alia itaque, supernaturalia scilicet adhibenda. Optima sunt ad hoc & efficacia; magna fides, susceptio Baptismi, Confessio peccatorum suorum, sumptio Sacrosanctæ Eucharistiæ, exorcismi Ecclesiæ, aqua benedicta, Reliquiæ Sanctorum, signum Crucis, nomen Jesu & Mariæ devotè prolatum, invocatio Sanctorum.

VIII. Inter hos, ut in aliis, ita in hâc materiâ constat Divum Josephum singulariter eminère: Ac quidem primò in obsessione & possessione patet glorioſissimè & supra omnem evidentiam in famosâ illâ Monialium Ursulinarum Conventus Juliodunensis in Galliâ obsessione, & possessione ab infami illo hospite post mille exorcismos & adjurationes, tandem interventu Divi Josephi liberatarum: inter quas stupendissima fuit ob mirabiles circumstantias obsessio & possessio per annos fermè tres, & liberatio à septem dæmonibus Venerabilis Matris *Ioannæ ab Angelis*, ex Illustri Familiâ de *Cose*, Superioſissæ istius Cōventus ab illis malis seu vicinis seu hospitibus toto illo tempore afflicti, nequitiâ horrendâ scelerati ſissimi Sacerdotis *Vrbani Grandier* Magici, qui tertio vel quarto post perpetratum tantum scelus mense agnitus & comprehensus, dignâ pro meritis pœnâ, vivus cōbustus est: pro quibus videndus Tractatus expressus cui *Gloria Divi Iosephi*

& alii, inter quos P. Barri libro toties in hoc Opere citato: pluribus in locis maximè cap. 9. & cap. 13. circa finem, in quarum Monialium liberatione cùm plures è Patribus nostræ Reformationis, & nostri in eâdem Urbe Juliodunensi Conventus, uti earum inter alios Exorcistæ, operam suam non impigrè contulerint, quod negare non poterunt illi, qui cum dicendum esset, silere voluerunt, non dubium est quod ab ipsis potissimum hic Sanctus Sospitator invocatus sit, & horum suasione ab aliis co-Exorcistis propter illa quæ diximus supra hâc part. 3. Tract. 2. cap. 6. num. 11. 12. & 13.

IX. Secundò, elucet etiam efficacia Patrocinii Divi Josephi in infestatione dæmonum per suos, idest per maleficos, quanquam & illa quæ superius num. præced. per unum ex illis eumque insignem, fuerit.

X. Ac primò quidem contra maleficium amatorium: Cujusdam enim Virginis Castæ quietem cum importunè valdè suis vexarent artibus Magici nonnulli, indeque illa non parum angeretur remedium quæsitura oportunum, rem tandem aperit Confessario suo, cui hîc in hâc versatus Palestrâ, opem, inquit, Divi Josephi implora: tùm jubet ut deferat particulam chartæ quæ sacram & miraculosam unctionem Juliodunensem, de quâ infra cap. sequenti, attigerat, & illicò ab his importunis tentationibus liberatam se gavisa, liberatori suo gratias egit, P. Barri lib. cit. cap. 13. circa finem & alii. Vide etiam hîc suprà cap. 5.

XI. Secundò, ejusdem quoque patrocinii mirabilis energia patet contra maleficium veneficum; pro quo adduco in testem eundem P. Barri ibid. cap. 9. circa medium cujus accipe verba è Gallico translata. Magici ipsi fatentur sua fortilegia infirma contra parvulos illos quibus nomen Josephi impositum est: & accepi ex testimonio fide digno honestum quemdam virum cujus omnes proles statim à nativitate fortilegiis extinguebantur, aliquas tandem ab hâc funestâ nece salvasse, postquam primæ ex his nomen Josephi imposuisset ex consilio unius ex amicis suis, qui cùm aliàs Magiæ deditus fuisset, eum certum fecit se certò scire, & expertum fuisse D. Josephum verè omnia posse contra ejusmodi maleficia. Ita P. Batri citatus.

## CAPUT VIII.

### *Patrocinium Divi Josephi in sanatione Pleuritidis, quæ fuit fons perennis aliarum.*

I. SOROR Joanna de Angelis Ursulinarum Juliodunensium Superiorissa mortali Pleuritide in præsens vitæ periculum adducta, desperantibus de eâ Medicis & Pharmacopeis, sanitati tamen ope Divi Josephi, cui devotissima semper fuerat, evidentissimo miraculo est restituta. Quod quia ritè ab Illustrissimo Episcopo Pictavensi approbatum est, & relatione impressa anno 1637. vulgatum, plenius per omnes circumstantias, describere supersedeo: modum dumtaxat ipsius sanationis ex ipsius relatu visum est hoc loco breviter attexere, eo quod scaturigo extiterit aliarum sine numero.

II. Cœpit igitur læthales hæc Sanctimonialis spasmos velut mox expiratura pati, sensuum quidem externorum omnium usu destituta, plenè tamen compos rationis. Hoc in statu agenti oblata est visio magnæ cujusdam & candidæ nubis, intra quam ex unâ parte sedebat Angelus ejus Custos speciem referens formosi octodecim annorum Adolescentis, flavo longoque capillitio ornati, & cereum ardentem manu gestantis: ex alterâ gloriosus Patronus ejus Sanctus Josephus vultu lucèti instar Solis, & majestate plusquam humanâ conspicuus; cœtera similis viro mediæ intra quadragesimum & quadragesimum-quintum ætatis. Cui capillitium castanei coloris prolixum, sed mirè decorum & pellucidum, qui quemdam ex circumstantibus lectulo infirmæ, per

per quàm blandè & amanter intuitus, ad Joannam deindè converti visus est, dextramque manum afflicto lateri imponere, atque illud inungere oleo seu liquore quodam, ex quo & latus ejus humidum, etiam post visionem repertum est, & ipsa eodem momento reddita sanitati.

III. Quæ nihil morata, surrexit è lecto in quo jam decimum-quartum diem pleuritis detinuerat continuâ febri ad mortem impulsam inter punctiones acutissimas affecti lateris, nonâque venæ sectione omnibus sic exhaustam viribus, ut nec ipsa se movere posset. Admirati sunt ad tam subitam mutationem omnes, sed nemo magis quam Heterodoxus ex Calvinianâ Scholâ Medicus nomine *Fanton*, ubi scilicet cubiculum ingressus lectum vidit vacuum, & omnes circum in genua prostratas Moniales; ipsam verò quam moribundam reliquerat Superioriſſam conspexit ex angulo sibi occurrentē in habitu suo Religioso, hilari vultu subridentem, sanam ac vegetam, quam cernens sic valentem, hæsit primùm aliquamdiu attonitus, tandemque protestus nihil esse quod Deo sit impossibile, confusus recessit. Ita Pater Barri libro Gallicè conscripto citato cap. 12.

IV. Ex hoc stupendissimo miraculo secutum est aliud æquè & plus mirandū, quod scilicet fuerit aliorum fons innumerorum: ipsius enim miraculosè sanatæ interula linea, quæ cœlestem ex affecto & illito latere combiberat unctionem, non solùm constanter servat fragantiam admirabilem, sed etiam curandorum in aliis morborum virtutem, ipsamque etiam communicat Rosariis, Numismatibus, Imaginibus, cum invocatione Sancti Josephi sibi applicatis.

V. Ita paucis, octo scilicet post patratū prēmemoratum istud cœleste prodigiū diebus, cùm *Dominam de Laubardemont* quartum mensem gravidam invasisset pleuritis Turoniæ, nec auderent amplius frustra adhibita per aliquot tempus remedia iterare quatuor qui eam curabant Medici, nè Matri simul & fœtui mortem accelerarent, inspiravit Infirmæ morienti ejusque Marito Deus, ut allatæ nuper à Sanctissimo Josepho de Cœlo Medicinæ virtutem jam circumquaque vulgatam, vellent cum fide experiri. Mittunt itaque Juliodunum qui linteum prædictum ab Ursulinis poscant concedi, isto periculo constitutæ ægrotanti applicandum. Affertur Infirmæ linteum cœlesti illo Balsamo perfusum, ad cujus odorem primò cor illius ingens incessit gaudium: deindè illud excipiens cum maximâ devotione, atque affecto lateri fidenter admovens, perfectam illicò sanitatem obtinuit. Tandem intra paucas horas enixa est fœtum, quæ salutari tincta lavacro brevi post Angelicis agminibus inseri meruit.

VI. Puer nomine *Claudius Munier* Labergementi, quod Brescię Castellum est, commorans, gravem prorsus & insolitam coxæ unius patiebatur inflationem, quæ ad ipsos usque renes pertingens, ardentem infirmo febrem, expertis metum generabat, ne vel Claudius claudus remaneret per reliquam vitam, vel dissiliens enormis ille tumor, ut minabatur, propter humorum abundantiā gravius aliquod adferret incommodum: omnes qui visebant infirmum, non aliter nisi prono in ventrem corpore decumbere valentem, ingens illius tenebat commiseratio, sed maximè ejus Avunculum Societatis Jesu Religiosum, qui cùm didicisset nihil profectum esse per medicamina à Matisconensibus Medicis & Pharmacopeis adhibita, statuit omnem conservandi nepotis fiduciam in Sanctum Josephum transferre. Quare oblato mox in ejus honorem Sacro-Sancto Missæ Sacrificio, infirmum de suis peccatis confessum Dominico corpore reficit. Dein particulas duas chartæ quæ prædictam attigerat unctionem Juliodunensem carpens, alteram puero deglutiendam dedit, alteram parti afflictæ applicuit, relevatumque mox puerum eodem die febris reliquit, inflatis partibus ita sensim detumescentibus, ut intra tres dies promptus fuerit & expeditus ad septem leucarum iter equo emetiendum: in quâ mirabili curatione illud etiam consideratione dignissimum,

quod illa pars lateris afflicti, cui per modum cataplasmatis ista mitificæ chartæ particula applicata fuerat, ante omnes etiam & omninò detumuerit, ac quasi adusta remanserit, istaque humorum congeries dissipata sit nescitur ubi. Hæc P. Barri capite citato.

VII. Mulier Trevaucensis prægnans, per tres dies totos dolores partus acutissimos perpessa, & ad extremum vitæ adducta, mox ubi facto proposito suscipiendi in honorem Divi Josephi Sacramenta modicum chartæ quæ sacram illam Juliodunensem Unctionem attigerat deglutivit, fœliciter enititur. Bollandus & Socii in Actis Sanctorum mensis Martii tomo 3. ad 19. Martii in S. Josepho.

VIII. Aliàs, nec in exiguo numero prætereo febrium & aliorum morborum curationes similis chartæ, indusio cælesti, quo supra liquore delibuto applicatæ, contactu Julioduni, Lugduni, Trevauci, quæ est Dombensium Metropolis, & alibi factas, ut testatur Pater Barri citatus, tum quia nimiæ sunt & fiunt quotidie novæ, tum nè amplius excurrendo, sponsionem prætergrediar, quâ me initio obstrinxi. Nõnisi unum aut alterum de quolibet genere exemplum adferre. Cùm & illa quæ attuli sint in diverso genere, ideòque neutiquam contra sponsionem, argumentumque à me propositum id à me exegerit, ut constaret aliquo modo ex illis id quod dixi, Miraculum scilicet à me primo loco relatum, esse fontem perennem aliarum curationum mirabilium. Itaque ad alia transeamus.

## CAPUT IX.

### *Patrocinium Divi Iosephi pro Doloribus capitis.*

I. SOROR Margareta Rigauld Lugduni in Monasterio Sanctæ Elizabethæ professa, ex altiori cœnaculo in infimum domus pavimentum decidit, non absque præsenti vitæ discrimine, propter gravem capitis contusionem, quam indicabat sanguinis copiosa effusio etiam per aures, & omnium exteriorum sensuum usus ademptus. Huic quamvis mors dilata sit adhibitis congruis malo remediis, ipsa tamen ita debilis remansit capite, cunctisque in eo residentibus facultatibus, ut nec requiescere posset, nec caput cervicali admovere per plures ab indè menses, intellectu autem nihil operari nisi maximâ cum difficultate. Itaque Chirurgi Medicique ad consultandum accersiti, concordi in hoc omnes inière sententiâ brevi morituram, nisi ultimũ maturè adhiberetur remediũ, per ipsius cranii apertionem: verùm cùm infirma vehementi formidine occupata averseretur ejusmodi sectionem, illa dilata est ad aliquot dies: Interim Monasterii Superiorissæ consilium incidit longè mitius securiusque: Jubet ut omnes domus Sorores novem diebus ad Sacram Communionem accedant pro infirmæ sanitate per Sanctum Josephum obtinendâ. Pluribus nihilominus diebus eodem in gradu perstitêre dolores, adeò ut nonæ Communionis die appropinquante, Sororum aliquæ de Sancti Josephi desperantes auxilio, mentionem Sancti Anthelmi injecerint, *cui ejusmodi casus solent haud inutiliter commendari.* Non tulit id altera Sancti Josephi Amantior, ad ipsumque majori cum fervore accedens, *rogavit ne alio* trãsferri sineret honorem sibi debitum & ut infirmæ succurreret, per quidquid in cœlis magnum earumque possideret deprecata est: addens novemdialem alterum certarum devotionum ac mortificationum pensum eidem se persoluturam, si convalesceret ægra Soror Magareta. Mira res! dum planctus & amicas querelas dicta multiplicat Religiosa apud Sanctum Josephum, & jam postremæ Communionis dies advenit, subitò persanata ægra continere se non potuit quin dissiliens è lecto per domum quasi mentis impos discurreret atque clamaret: Miraculum, miraculum, sana sum per Divum Josephum, quod res ipsa comprobavit, quandoquidem ab illâ die Choro cum cœteris cœperit interesse, *non* solùm corporis sanitatem acceptam

Divo

Divo Josepho referens, sed alios etiam singulares favores quibus ad profectum suum spiritualem ejus disponitur animus, quosque præ illa meritò quivis prudens debet æstimare. P. Bollandus & Socii in actis Sanctorum Mensis Martii tomo 3. in Sancto Josepho.

II. In eodem Monasterio circa annum 1630. Religiosa recens professa tanto capitis dolore fuit oppressa, ut ipsam quietem gravibus semper cruciatibus haberet interpolatam, orationi autem intendere nullatenus posset. Huic Superiorissa consilium dedit ut feriâ tertiâ per novem vices recursum ad Divum Josephum haberet, in ejus honorem Eucharistico pane se reficeret, ab eoque posceret à tanto incommodo liberari. Paruit illa benè monenti, sed cùm quartâ vice recurrens jam dicta feria tertia ipsum quoque Sancti Josephi Festum annuâ revolutione adduxisset, & de laudibus ejus Sacer Orator verba in ipsarum Oratorio faceret, priores omnes dolores duplicari sensit tanto cum excessu, ut neque ipsa se in loco continere posset nisi cum maximâ difficultate, neque plenè ubinam esset discernere. Perstitit tamen etiam Concione dimissâ ad communes cum aliis preces, aliud nihil vel dicere vel cogitare valens præter duo hæc verba: *Sancte Joseph.* Quæ cùm identidem volveret revolveretque, incredibili paulatim perfusa est lætitiâ, quod tantus esset Sanctus Josephus: abieruntque exinde omnes dolores nunquam deinceps redituri. P. Barri cap. 12.

## CAPUT X.

### *Divi Josephi interventu à præsentissimâ morte liberati.*

I. DUm in Civitate Antuerpiensi, nobilissimo totius Belgii Emporio, ædificaretur Patrum nostrorum Excalceatorum Ecclesia Divo Josepho dicata, Joannes Westrepius Architectus seu Latomus, dum ibi laboraret, ex eâ ab altitudine sexaginta sex pedum subitò dilapsus, miraculosè servatus est sanus & incolumis per intercessionem Divi Josephi, pro quo tunc laborabat, in ipso lapsu ab eo & circumstantibus intimè invocati: Extat eâ de re Authenticum Diploma Reverendissimi & Illustrissimi Domini Joannis Malderi Antuerpiensis Episcopi datum 28. Maii Anni Dominicæ Incarnationis 1631. à plurimis Authoribus relatum.

Anno 1638. Mensis Septembris II. die octavo Natali Beatæ Virginis sacro, qui anno illo incidebat in feriam quartam, Dominus Petrus Enialvinus honestus Mercator Lugdunensis, concepto ad colloquium Amici sui de gratiis ad invocationem Divi Josephi fieri soliti, proposito cum deinceps habendi Advocatum specialem, ipsiusque Ecclesiam sæpè frequentandi, & in executionem istius pii propositi, auditâ inibi feriis quintâ & sextâ sequentibus Missâ, contigit Dominicâ proximè sequente, quæ erat intra octavam, & dies quintus istius propositi, ut rus pergens animi relaxandi gratiâ, occurreret duobus Viatoribus sibi incognitis, à quorum altero petulantiore nullâ licet ej datâ occasione, sclopeti triginta tragematibus plumbeis crassioribus fœti laxatâ rotâ cominus impetitus, & percussus, omnibusque tragematibus in corpus profundè adactis, tribus solùm demptis, quorum unum ad frontem complanatum, duo alia pectori adhæserant; tàtùm undequaque emiserit sanguinem, ut creditus sit à famulo, uxore, quæ occurrit, & illàc tunc transeuntibus, mortuus: sed vano timore, Enialvinus enim post tantillum temporis ad se reversus, in illo statu in quo non nisi mors, illaque brevi expectanda videbatur, ex imis præcordiis ad Divum Josephum Patronum suum recentem ingemuit, eique se devotissimè commendavit, adjecto etiam per uxorem suam voto si incolumis evaderet, quod eis tam fœliciter cessit, ut illicò, dictu mirabile! perfectè sanatus rectâ ad Ecclesiam, in quâ eum in Patronum adlegerat Lugduni, quæ est Patrum Societatis Jesu, venerit; & tabulam votivam ibidem appendi

curaverit repræsentantem casum istum mirabilem, & opem sibi ab eo allatam, quem à quinque tantùm diebus ibi Patronum & Protectorem elegerat. Ita Pater Barri libro Gallico citato cap. 14.

III. Istis duobus exemplis sufficientibus ad propositum nostrum, unicum tantùm addo ex Omazurino lib de Sancto Iosepho ejusque Antuerpiæ cultu Teutonicè conscripto, ac per illud caput hoc finio. Nobilis cujusdam Viri filius læthali ægritudine omnia remedia superante afflictus, urgebat ad extrema, non Medicorum solùm, sed sed & omnium judicio : sed pristinæ sanitati subitò fuit restitutus, postquam firmâ fide Pater pro filio unicè dilecto ad probatam multoties Sancti Josephi in Sacello suo Facontino Antuerpiæ pietatem respexit, & confugit. Quare beneficii memor relati Pater lætus, in monumentum perpetuum ibidem tabellam appendit argenteam die 18. Aprilis anni 1651.

## CAPUT XI.

### *Divus Josephus salus naufragantium & iter agentium.*

I. HÆc gratia, quam devotis suis clientibus exhibet Divus Josephus, debebatur ei non tantùm ratione generalitatis patrocinii ejus, quam ei asserimus propter transcendentalia ejus merita, quorum ratione nihil est quod possit ullus Sanctus in ullo genere, & non possit Divus Josephus, idque longè excellentiori modo, sed etiam quia etsi illa ei deesset, debuisset tamen hæc inter alias ei concedi, quia ipse ut puerum & Matrem salvaret, profectus est peregrè in Ægyptum, noctu, tempore hyemali, per viam desertam, in viam & inaquosam.

II. Neque hoc tantùm, sed etiam quia cum potuisset in portu Gazę navem conscendere, unde sine suo incommodo deportatus fuisset in Ægyptum cum sacris suis pignoribus Puero & Matre: Advertens tamen & Matris valdè delicatæ, & pueri tenelluli incommodum à mari, & subveritus fortè periculum ab insequentibus Satellitibus Herodianis, vel Insidiatoribus, si viam Gazæ & maris carpsisset, maluit utrumque liberare ab hoc incommodo & periculo, eorumque incolumitati, & securitati proprium suum commodum postponendo, meliori quo potuit modo prospicere, igitur de hâc utrâque gratiâ hîc sigillatim.

## SECTIO PRIMA.

### *Divus Josephus salus naufragantium.*

PRodigiosissimum est in hoc genere quod refert noster Hieronymus Gratianus lib. 5. de S. Josepho cap. 5. ex Patre Joanne de Fano in historiâ Ordinis sui Patris Seraphici Sancti Francisci, de duobus Religiosis ex eodem Ordine Sancto Iosepho in paucis devotis, quod adhuc tetigimus Tract. præced. cap. 7. Sect. 4. num. 38. III. Hi cum se mari commisissent Flandriam versus navigaturi, ortâ subito fœdissimâ tempestate, navique ab undis exhaustâ, periêre omnes quotquot erant in eâ, periissentque etiam illi duo Religiosi, nisi devotio eorum ad Sanctum Josephum in tam horribili casu oportunè subvenisset: arreptâ siquidem ab illis quâdam ex naufragâ Rate tabellâ, cum in eâ tresdies totos & noctes ab undis & ventis jactati, Sanctum Josephum ferventius implorantes, in ultimo vitæ discrimine fluctuassent, tandem ecce super eâdem tabellâ in medio eorum juvenem eleganti formâ aspectuque decorum, qui & eos comiter blandèque salutat, & jam quasi viribus deficientes ob inediam bono animo esse jubet, se eis adesse ut illos à præsenti periculo liberet: qui postquam eos in portum asseruisset, cordialissimis ab iis gratiarum actionibus receptis, interrogatus quis esset? placido vultu se esse Sanctum Josephum, quem ipsi in auxilium suum invocaverant, respondit; & ex eorum oculis evanuit.

In

IV. In quo miraculo illud obſervandum, quod Divus Joſephus non tantùm piis iſtis Religioſis adfuit quando in medio eorum apparuit, ſed etiam ab initio naufragii, quomodò enim illi in tam horribili tempeſtate, ſuper tam fragili tabellâ per totum triduum non periiſſent, qui in ipsâ Rate naufragaverant? Sed noluit ſe citius viſibilem reddere, & eorum liberationem maturare, tum ut duplicaret miraculum, tum ut doceret nos conſtantiam & perſeverantiam in fiduciâ & ſpe, partem eſſe quæ meretur à Deo per Sanctos auxilium.

V. Omazutinus in libello Teutonico citato aliud refert in hoc genere in hunc ſenſum: hâc in urbe Antuerpienſi, inquit, mercatores nonnulli Societate initâ navem inſtruxerant mercibus in Hiſpaniam traducendis onuſtam, de cujus interitu cum multi non vanis argumentis metuerent, votum pro eâ fecêre Domini, & preces communiter in Dominici nutricii Sacello Facontino effudêre, ſi fortè Deus miſertus eorum, per hujus Sancti merita navim in portum deſtinatum ſalvam vellet adducere. Adduxit autem, ſed non ſine manifeſtiſſimo miraculo: uti enim proximis litteris teſtabatur navarchus, horrendâ tempeſtate jactata navis, longo æquoris ſpatio averſa fuerat ab eo quem inſtituerat curſu: non aliâ autem quam divinâ virtute credebat ſe, navemque ſuam periculo tam manifeſto ſubductam, & ad ſuum tramitem reductam: ideoque mercatores beneficium retulêre Divo Joſepho acceptum, & gratitudinis teſtimonium reliquêre anathema hunc in finem ibidem oblatum.

VI. Poſt vortices iſtos aqueos, igneos conſideremus, & in his iterùm Divi Joſephi auxiliatricem manum. Julius Cæſar Recupitus de Incendio Veſuviano paginâ mihi 25. cum duarum urbium & incolarum repentino flammarum vortice abſumptionem enarraſſet, omnem dolorem leniendum putavit fauſtâ commemoratione potentis tutelæ Divi Joſephi, quæ in pueri cujuſdam incolumitate inter tot clades eluxit. Rem iſtam ſubjicio ipſius Recupiti verbis, & ut ipſi ſpectatiſsimæ fidei Sacerdos narravit ex eorum familiâ, qui piè ſe ægrotorum ſervitio devoverunt; ab oculatis teſtibus veritatem diligentiſſimè perſcrutatus.

VII. Herculani Urbe amplâ & opulentâ, mulier quædam Camilla nomine, cùm inter fugam adventantes flammas vidiſſet, atque effugia intercluſa, conſilium abeâ cœpit quæ rebus extremis ſpem facit deſperatione: ſaltu è rupe ſe projicit ad littus, & Nepotem quinquennem Joſephum nomine in ipſis plane mortis faucibus coacta relinquere, elatis ad cœlum oculis. *Sancte* inquit *Joſeph Joſephum tuum tibi commendo*, nec plura.

VIII. Mox tota in fugam incubuit quàm celerrimè littus legens timore pedibus alas addente, atque arenis vix hærente veſtigio: ut periculum evaſit, ſubiit jam ſui ſecuram prima cura puerulus, quem, quoniam rebatur jam mortuum, flebat primo ætatis flore demeſſum, & uſurâ lucis defunctum quam vix libaverat. Inter ejulatus ac fletus cùm deveniſſet ad pontem, ſub quo inter ingentes fornices tenui Sebethus amne delabitur, compellari ſe audit; eoque converſa, unde notæ ſonum vocis acceperat, Joſephum videt ſuum, cumque ſoſpitem ac ſubridentem: Hæſit primò propè ſaxea mulier præ ſtupore: tum recepto ſpiritu, percunctatur quis eò tam multis ereptum periculis perduxiſſet? Reſpondit alacriter puerulus, Sanctus Joſeph manu præhenſum, per flammas medias hùc ociſſimè me duxit incolumem, ubi jam diu te moror. Mulier puerulum amplexata & deoſculata ſuum, mœrorem vertit in gaudium, ejulatus in divinas laudes, & gratiarum actiones Divo Joſepho Adjutori. Huc uſque Julius Cæſar Recupitus.

SECTIO

## SECTIO II.

### *Divus Iosephus salus iter agentium.*

IX. REverendissimus & Illustrissimus Didacus de Yepez Episcopus Tarraconensis lib. 2. vitæ Sanctæ Matris Theresiæ nostræ cap. 27. narrat eam unà cum Monialibus Sociabus ab evidentissimo mortis periculo, Divo succurrente Josepho, liberatam fuisse: Nam cùm ad fundationem in Oppido *de Veas* in Hispaniâ in honorem Sancti Josephi inchoandam Sancta Mater cum aliquot Monialibus curru veheretur, & Auriga viâ regiâ penitùs amissâ, per ardua & ac inaccessa præcipitia iter arripuisset, metuq; gravissimo percellerentur Sociæ: sic eas ipsa allocuta est. Eia filiæ & amantissimæ sorores, hoc solùm habemus residui ut oculos nostros ad Dominum humiliter convertamus, Sanctissimiique Josephi cujus causa in hoc discrimen devenimus, patrocinium deprecemur, atque in hoc tanto periculo illius auxilium imploremus. Ut dictum, ita factum. Nec morà è profundissimâ voragine vox audita est humana hunc in modum exclamans, sistite, neque ulterius progrediamini, alioquin in præcipitiũ omnes simul perituræ abitis. Cùmque ille cujus vox percipiebatur, ab illis ultra quid faciendum esset rogaretur, jussit omnes versus partem unam quæ quidem non minus periculosa videbatur pedetentim iter arripere. Cum ergò jam se periculo ereptas cernerent atque hominem inquirerent, ut debitas ei pro consilio gratias agerent, Sancta Mater divinitus agnoscens beneficium, & lachrymis perfusa, Sanctimonialibus suis asserebit frustra ab Aurigis illũ quæri: fuit enim inquit (Sanctissimus Pater meus Joseph, qui nos his periculis liberavit.) Quod & ipse postea probavit rei eventus. Nam etsi ad voraginis usque profundum descenderint ut Consiliarium detegerent, neque hominem, neque hominis vestigium invenerunt. Hæc Episcopus Tarraconensis.

X. Aliud habet Didacus de Aranda de quodam pio Monasterii Montis-Serrati Religioso. Hic præ cæteris religiosius venerabatur Divum Josephum, maximè verò afficiebatur ei ex consideratione itineris ipsius & laborum ab eo exhaustorum, dum cum Puero & Matre secederet in Ægyptum: quod sanè ipsi utile, Sancto Josepho gratum fuisse, sequens declaravit eventus. Peregrè cùm rediret ex longiori itinere ad Monasterium suum ingruente vesperâ, atque à rectâ viâ deflectens per asperas illas cautes Monasterio vicinas, aberrare inciperet, ut jam noctem sibi subdio agendam non absque metu ferarum illic frequentium crederet: Ecce subitò virum conspicit, qui Nobilem Matronam Filium in ulnis gestantem, asinoque insidentem ducere videbatur. Hoc occursu recreatus pius ille Religiosus, plus etiam consolationis accepit, cùm de viâ vir ille interrogatus, sequi jussit, ductarum se ad locum requisitum. Ita inter mirificæ suavitatis colloquia ad vicum pervenit, quò intenderat, ubi gaudium ejus citò in stuporem versum est, non comparentibus uspiam iis quos viæ duces comitesque habuerat. Neque aliud subiit animum cogitare, quàm Sanctum suum Patronum Josephum cum fuisse, qui hoc ei schemate & comitatu apparens, declarasset haud vano indicio gratum se habere ejus obsequium & devotionem.

XI. Similem opem expertus est etiam ex Ordine PP. Capucinorum eidem Sanctissimo Patriarchæ maximoperè affectus R. P. Hieronymus de Pistorio, qui cum semel iter agens à viâ declinasset, & per sylvas ac deserta nocte interceptus aberraret, in genua provolutus ei se intimè commendavit: Necdum orationem absolverat, cùm eminus lumen deprehendit ad quod tendere decrevit cum socio suo: cumque eò pervenissent, Tugurium invenerunt & in eo virum cum muliere & infantulo, qui ipsos perhumaniter excipientes introduxerunt, eisque potum & cibum, ac deinde stratum exhibuerunt: sed mane facto evigilantes mirabiliter obstupuerunt, dum hospitium & hospites disparuisse, seque in medio

medio Prati amœnissimi constitutos esse adverterunt. Ita Flores Seraphici in Apparit. B. V. pag. 8.

## CAPUT XII.

### *Patrocinium Divi Iosephi in doloribus calculi.*

I. IN hoc morbo satis frequenti maximè se Divus Josephus invocatus reddit propitium, sine dubio propterea quod ad illum sæpius deficiunt remedia humana: Quamvis autem in hoc genere creberrima sint ubique ejus auxilia, sola tamen illa referre mihi sufficiet quæ in Æde ejus miraculosâ Facontina Antuerpiæ, quæ est Ordinis Canonissarum Regularium Sancti Augustini patrata sunt, ex Omazurino in libello Teutonico de Sancto Josepho ejusque Antuerpiæ cultu. Igitur ad rem.

II. *Henricus vande Sanden* octodecim annorum adolescens filius *Ioannis vande Sanden* & *Margaretæ Vasseur*, calculi doloribus acutissimis biennio toto excruciatus, præcipuè autem anno 1639. à Festo Sancti Joannis Baptistæ usque ad 16. Augusti, ita ut nec quiescere, nec dormire posset, & *Lazarus Marquis*, expertissimus Medicus nullam ei ab humanâ virtute amplius sperandam sanitatem judicaret; materno admonitu commendavit se Divo Josepho; atque ad ejus Sacellum Facontinum accessit, ubi cum pias preces & vota ad Sanctum fundit, subitò magnâ cor suum premi angustiâ sentiens, egredi festinavit, atque ad reddendam urinam secedens unà cum illâ duos quadrangularis formæ lapides emisit, cà magnitudine, ut digiti auricularis articulum unum adæquarent, neque ab eo tempore quidquam amplius istius molestiæ sensit, sed in hodiernam diem sanus persistit.

III. *Elizabeth Sillevorts* 16. ætatis suæ anno Facontinarum associata cœtui, jam quadragesimum secundum attigerat, extremis tribus, totidemque mensibus, usque adeò gravata concreto intra vesicam calculo, ut urinam, eo præpediente, emittere nunquam nisi per cruciatus extremos posset, toto corpore tremens ac sudans dum se exonerare nitebatur, sæpè etiã febres è tormento tali tantoque patiens. Quare deputandæ duæ ad ejus obsequium sorores fuêre, quæ corporis agitationem nimiam in eo articulo prohiberent, misellam hinc inde sustinendo: Interim læsis tam insolitâ violentiâ meatibus, jam toto sesqui anno retentivam amiserat facultatem, & quidquid ei defluebat postremis tribus, quibus sic afflicta fuit septimanis, purè fœtentissimo turbidum, vitium exulceratæ indicabat vesicæ. Ita cum ad extremum febres accrescerent, & exhaustis viribus prorsus debilem reddidissent, conclamatum de vitâ ejus pronuntiarunt Medici, quandoquidem neque Chirurgica sufficere poterant instrumenta ad exemptionem lapidis tam enormiter grandis, quantum esse monstrabant indicia, neque Medicinæ ad ejus dissolutionem per sesquiannum adhibitæ, neque aliæ solis doloribus mitigandis altero sesquianno præparatæ, quidquam proficerent: Omni igitur humanâ spe destitutam se videns, meliorem sibi in cœlo medicum quæsivit, totamque spem suam in Sancti Josephi meritis apud Deum reposuit, pridem erga eundem non modicè affecta: ut autem auxilium ejus mereri posset, diù noctuque gestare constituit cingulum sub illius invocatione benedictum, cùmque vehementissimus urgeret dolor laboranti parti applicare, addens de Superiorum consensu quidquid vel per se facere ipsa, vel curare per alios poterat piorum operum, sacrificiorum, mortificationum, atque votorum, tantâ cum fiduciâ, ut cum preces precibus, novenas novenis, vota votis, etiam per omnem vitam obligaturis adderet, non vereretur matri Priorissæ dicere, certa esto mater, quod auxiliante S. Josepho meo ipsum tibi lapidem vivens ac sana in manus sim traditura.

IV. Ergo cum intendisset quantum poterat devotionis affectum, & decimo die Junii anni 1649. suis & sororum perfusa lachrymis, inter cruciatus intolerabiles, & sustentantium sociarum

manus, genuflexa coram imagine Divi Josephi persisteret, per consuetos urinæ meatus ultro descendit tantus lapis, quantum maximum ovum Gallinæ, quem ipsamet manu suâ extrahens, in manum tradidit Matris Priorissæ, ut multoties ei tam asseveranter promiserat se facturam: & exinde sana & incolumis si quæ alia toto tempore vitæ suæ mansit, lapide in Sacello præfato Divi Adjutoris Facontino appenso ad perpetuam miraculi tam memorabilis memoriam, ubi cum stupore ab omnibus cernitur.

V. Anno 1654. matronæ cuidam filiolus erat quadrimus, & ipse ab arenosâ concretione extremè afflictus, cui præmissâ exploratione consuetâ, sectionem meditabatur chirurgus tentandam intra dies perpaucos: verùm cùm interea intellexisset Mater quam miraculosum sese Sanctus Josephus ostendisset in ejiciendo illo, quem mox diximus, lapide, plena fiduciæ ad ejus properavit Sacellum, precibusque ibidem pro sanitate filii sui ardenter effusis, domum rediens, puerum, quem inter cruciatus reliquerat, vitæ mortisque vel sperandæ vel metuendæ ambiguum, prorsus sanum reperit.

VI. Anno 1660. vir perquam honestus sextam hebdomadem lecto affixus decumbebat, & nihil proficientibus medicinis, inter mortuos, penè jam numerabatur propter impotentiam solvendæ urinæ: qui demùm postquam ad Sanctum Josephum in valle Facontinâ mirificum, spem animumque erexit, calculum egessit, & quod animo proposuerat, opere executus, plenam habuit sanitatem.

VII. Eodem anno 1660. mulier quædam gravissimos è calculo dolores patiens, animi sui propositum de implorando in Valle Facontinâ Divi Josephi Patrocinio ad medelam, Confessario suo aperuit: Et hic quidem ad id se confessione prævia præparantem, conatus est devotionem illius avertere ad aliquem alium Sanctum, cujus & eidem Reliquias eodem tempore tradidit: verùm illa, citra contemptum cujusquam, scrupulo sibi ducens alium præ Sancto Josepho habere quantumvis magni nominis ac virtutis Sanctum, perseveravit in eo solo, ut proposuerat, invocando, & intra breve tempus, emissis duobus calculis, omni dolore se liberam sensit.

Plura non addo quæ ab illo tempore quo hæc Omazurinus citatus recensuit ibidem contigerunt, alia quoque innumera sileo, quæ ab aliis etiam in hoc genere referuntur alibi facta: Cùm enim hæc sufficiant ad propositum nostrum, nolo excedendo sponsionem meam initio factam, onerare Lectorem. VIII.

## CAPUT XIII.

### *Patrocinium D. Josephi contra Pestem singularissimum.*

CERTUM est mala corporalia, quocumque vocentur nomine, quæ particularibus eveniunt personis, esse sæpissimè signa peccati & propter illud effectus iræ Dei: patet in illo languido Joan. c. 5. cui restitutâ sanitate dixit Dominus JESUS. *Vade & noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Non tamen semper: unde Christus scisitantibus de cœco nato Apostolis, *Quis peccavit hic an parentes ejus ut cœcus nasceretur?* Respondit neque hic, *neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* I.

Et patet in Abele justo, ab impio fratre Cain in ipsis mundi cunis interfecto: in Josepho Ægypti pro-Rege Glorioſissimo, à scelestis fratribus per invidiam in servitutem vendito, per Heram impudicam in carcere posito, & per plures annos detento: In Jobo patientissimo, ex Principe usque ad sterquilinium prostrato: In Daniele Prophetâ illuminatissimo, in lacum leonum misso: In Joanne Baptistâ Prophetarum maximo, ab Herode capite diminuto: In Sanctorum Innocentium grege, ab altero Herode loco Christi enecato. II.

Sed quoad mala communia qualia sunt bellum, fames & pestis. Certum est illa nunquam evenire nisi ob peccata populorum, quamvis illis etiam boni involvantur ob rationes Deo no- III.

tas.

tas. Probant hoc sexcenta Sacræ Scripturæ loca, ex quibus duo tantùm produco. Primum ex Isaiæ cap. 42. v. 24. & 25. *Quis dedit in direptionem Iacob & Israel vastantibus? Nonne Dominus ipse cui peccavimus? & noluerunt in viis ejus ambulare, & non audierunt legem ejus: & effudit super eum indignationem furoris sui, & fortè bellum, &c.* Secundum ex Danielis cap. 9. vers. 11. *Omnis Israel prævaricati sunt legem tuam, & stillavit super nos maledictio.*

IV. In his flagellis multùm possunt Sancti & Amici Dei. Hinc Deus Exod. cap. 32. vers. 10. Moysi ait: *Dimitte me ut irascatur furor meus.* Quasi iste Vir Dei Deum teneret ligatum, ne percutere posset gentem istam peccatricem. Abraham similiter: Nam paratus Deus incendio perdere Pentapolim Ditionem ita dictam à quinque Urbibus, quarum præcipuæ Sodoma & Gomorrha, dixit Dominus Genes. cap. 18. *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? dixit itaque Dominus clamor Sodomæ & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis, &c.* Tunc Abraham causam eorum agens, locutus est pro eis apud Dominum dicens: *Numquid perdes justum cum impio? Si fuerint quinquaginta justi in Civitate, peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta justos si fuerint in eo?* Cùmque Abraham in eorum defensione apud Deum progrediendo, à quinquaginta istis descendisset paulatim usque ad decem, respondisseteque Dominus ad hanc propositionem, ut ad præcedentes, quod non deleret, si in eâ tot inveniri possent: subdit Scriptura, *Abiit Dominus postquam cessavit loqui verba ista*, ad ultimam scilicet istam Abrahæ propositionem. Ubi observat Cardinalis Cajetanus ideò hoc dici & notari à Scripturâ, ut innuat, quod si tardasset Dominus abire post verba ista, salvæ fuissent Sodoma & Gomorrha, & aliæ tres Urbes, quia Abraham descendisset usque ad quinque, qui inventi fuissent, scilicet Abraham, Loth, Uxor, & duæ Filiæ ejus, & Patrocinante ulterius Abrahamo, non potuisset, ut ita loquar, illi recusare Deus.

Ex quibus quàm prudenter *illi* faciant qui in causis illis ad Sanctum Josephum omnium Patronorum potentissimum apud Deum recurrunt pater. Hoc pro peste, de quâ nobis hîc sermo, experta est Civitas Avenionensis Papalis amplissima, opulentissima, & populosissima, in illâ ultimâ peste quam passa est, quæ in ultimum ejus exterminium desævire videbatur, cùm omnia quæ ad ejus remedium excogitari poterant, diligentissimè exquisita & allata, non illam extinguere, sed magis ac magis ut oleum flammas accendere conspicerentur. V.

Cùm ergò nullus amplius dubitare posset pestem hanc ita grassantem, & tot in singulos dies ad exterminium tantæ Civitatis capita demetentem, flagellum esse irati Dei, omnes omnium Ordinum convenientes cogitarunt converti ad aliquem Sanctorum, qui pro ipsis indignis apud Deum iratum intercessor accederet, veniamque pro eis deprecaretur & misericordiam: Et vota cecidérunt in Sanctum Josephum fœlici omine, quem omnes uno corde elegerunt Civitatis afflictissimæ Protectorem & Sospitatorem: Consequenter ab omnibus publicum & solemne factum est votum de observando impostetum illius Festo: in quo Avenionenses, & Præceptum Urbani VIII. & omnes alias Civitates saltem Europæ nostræ præcesserunt, & eodem momento dirus ille carbo deferbuit, cessavitque horrenda illa lues summâ & inexplicabili Civitatis istius adgratulatione. Ita P. Barri lib. Gallico citato cap. 12. VI.

Civitas Lugdunensis non diu post, anno scilicet 1638. eâdem læthali lue infecta, Avenionensium recordata nuperam liberationem, eorum exemplum sequi expediens sibi judicavit. Ad Sanctum ergò Iosephum in eâ quoque necessitate unicè recurrerunt Lugdunenses, nec dissimili effectu, nisi ex eâ parte quâ malum apud hos non ita invaluerat ut apud Avenionenses, quia scilicet citiùs illi ad Sospitatorem cucurrerunt. VII.

Libeat hac super re unius ex ejus Civibus testis fide dignissimi ipsissima VIII.

verba proferre, conversa tamen è Gallico idiomate in Latinum: Hic est R. P. Paulus Barri è Societate IESU notissimæ pietatis Vir in Libello suo toties à me hoc Tractatu citato, quem librum quantùm quidem arbitror hujus occasione incolumitatis suæ Civitatis, aut saltem maximâ ex parte vulgavit, cùm illum vulgarit anno immediatè hanc liberationem sequenti. Sic itaque ille ibi cap. 12.

IX. Si cætera admirandarum curationum genera quorum ego conscius sum, & testes in Templo nostro (Societatis IESU) videntur tabellæ, hîc recensere vellem, longius me provehi necesse foret quàm instituerim: novi enim complures quos Sanctus Iosephus invocatus cruciatibus magnis, periculosis febribus, fluxu sanguinis molesto, atque aliis incommodis voto facto exauditos liberavit: Nequeo tamen præterire ipsius in hâc postremâ Civitatis Lugdunensis pestilentiâ auxilium.

X. Nempè quia Avenionensis Civitas ante decennium ab extremâ, quam contagio minabatur, desolatione liberatam se gavisa est, postquam de observando Divi Iosephi Festo factum esset publicum votum, valuit apud Lugdunenses exemplum, ut simili in necessitate ad ipsum recurrerent, & apud ipsum Sanctum valuêre piæ supplicantium preces. Non enim tantùm ex tunc innumeri sanati sunt, sed insuper fœda illa lues cessavit, & ipsi, inquit idem P. Barri, qui publicâ electione creati sunt sanitatis Præfecti, qui se omnes etiam in particulari voto adstrinxerant Divo Iosepho, singularem quoque ejus opem experti sunt: quamvis enim ratione sui muneris, & expositæ horis singulis charitatis, in quotidiano versarentur discrimine, nemo tamen eorum, ne vel unus quidem tactus est. Ideòque pariter omnes ad Templum Sancti Iosephi venêre, ubi post Sacras Exomologesim & Synaxim cereos suos D. Iosepho Sospitatori obtulêre, ei devotissimè gratias agentes de conservatâ sibi, redditâ Civitati, sanitate.

## CAPUT ULTIMUM.

### *Anacleta seu Micæ aliorum Divi Josephi miraculorum ex omni genere.*

I. ENITUIT adhuc efficacitas Patrocinii Divi Iosephi in conciliandis honestis matrimoniis. Nam primò quidam in Civitate Antuerpiensi ingenuus juvenis, cùm Domicellam depetiret honestam, videns omnem sibi spem illius obtinendæ præcisam, eoquod Parentes Puellæ illam ab eis petenti absolutè recusarant: consternatus ad Divum Josephum se convertit, Ecclesiamque nostrorum Excalceatorũ ejusdem Civitatis adiit, ubi quàm devotissimè potuit illi se commendavit, eum enixissimè orans, ut suo interventu Dominus Deus corda Parentum Amasiæ suæ tangere dignaretur & mutare.

II. Dum hæc ille ferventius oraret (quod fuit in festo Sancti Iosephi) parentes puellæ qui ibi fortè cum frequentia aderant, juvenem istum tam devotè precantem conspicati, compuncti sunt, subiitque amborum animum isthæc cogitatio, verè hic bonus juvenis tam devotè precatur, ut certissimè melius facturi simus, ei tradendo filiam nostram, quàm alteri quem ei præferimus, licet hic non ita locuples sit ut ille: sicque domum reversi, quod seorsim quisque apud se de illo cogitaverat communicat, seque invicem confirmantes, proponunt si redeat iterùm iste juvenis illi filiam suam tradere. Implorato ergò Divi Iosephi patrocinio, & devotione absolutâ, reversus est juvenis ille non multò post ad Parentes puellæ iterùm tentaturus fortunam, & experimentum facturus quid sibi profuisset suus ad Divum Iosephum recursus: & invenit omnia mutata, obtinuitque quam primùm eam quam tantùm concupierat, fœlixque fuit per omnia ut parentes puellæ præsagierant istud matrimonium. Ita Author Anonymus è Societate IESU, libro cui titulus Gallicè

*Saint*

*Saint Ioseph Fidele Advocat en la vie & la mort.*

Secundò, mercatori quoque cuidam urbis Lugdunensis in Galliâ post eleemosynam aureorum centum in honorem Divi Josephi promissam & erogatam, amorem conciliavit desideratæ puellæ, quæ ante nec mentionem quidem ejusmodi nuptiarum coram se fieri patiebatur. Ita P. Bollandus cum sociis in actis Sanctorum mensis Martii tom. 3. in Sancto Josepho §. 12. ad finem.

III. In zelotipiâ, quæ conjuges pessimè urit, & conjugem in tortorem vertit, singulare esse D. Josephi Patrocinium experti sunt quam plurimi, hos inter quædã ex illustrissimâ familiâ domina, quæ maritum habebat usque adeo hâc passione laborantem, ut nec patientiâ suâ, nec quibusvis etiam fortioribus fidelitatis suę argumentis & demonstrationibus ipsum sibi devincire, eâq; tam indignâ passione liberare posset, ut domesticâ pace frueretur. Cùm ergo eum eo usque abripuisset phrenesis ista, ut toti civitati irrisui esset, nec ullâ ratione ejus animus sanari posset, ad Sanctum tandem Josephum recurrit mulier afflictissima, qui ejus miseratus ita subitò mariti mentem immutavit, ut evanescentibus omnibus suspicionibus ab inde in summâ pace, unione, & concordiâ cum uxore suâ vixerit. Ita Augeri lib. Gallico cui titulus, *L'Epiphanie de S. Ioseph.*

IV. Eandem quoque polliceor opem omnibus aliis in simili occasione, si, ut illa, ad purissimum illum Virginis Sponsum devotè recurrant: in hoc enim puncto adhuc præcipuè opitulari posse meruit, propter illam turbationem, & animi angustiam, quam passus est, dum post aliquot menses à desponsatione, videns uxorem suam gravidam, quam non tetigerat, voluit occultè dimittere eam, ut propterea hæc eâ cogitante meruerit à Deo relevari per Angelum sibi apparentem, & dicentem, *Ioseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in eâ natum est de Spiritu sancto est.*

V. Conjugibus quoque sterilibus, & prolem desiderantibus sępissimè adfuit D. Josephus: in quibus mulieri cuidam, quæ post duodecimum annum sterilitatis, Bruxellis ubi habitabat Antuerpiam venit, ubi S. Josephi Sacellum in valle Facontinâ piè visitans, ut sibi proposuerat, cum ex intimo cordis affectu per illius intercessionem prolem à Deo poscit, insolito modo sensit commoveri viscera sua: indeque domum bono animo reversa, ad primum viri sui congressum concepto semine gravida, legitimo tempore enixa est filium, quem rursus Antuerpiam regressa Divo Josepho stitit ut Patrono suo. Ita Bollandus cum sociis suis loco citato ex Omazurino cui aliud simile refert P. Barri lib. cit. cap. 13. ad finem.

Contra morbum Cancri etiam efficaciter invocatur: puella namque pau- VI.
percula quædam à Medicis judicata incurabilem in Mammillâ alere qui cruciatus ei pariebat intolerabiles, lachrymas cum precibus Sancto Josepho in præfato ejus Sacello Facontino cùm fudisset, vovisseteque eum quotidiano internæ externæque pietatis cultu recognoscere, si ejus interventu ab istâ infirmitate liberaretur, ex eo momento nullum amplius sensit ibi dolorem, quod ipsa sanctè affirmavit atque etiam testimonium suum 25. Maii anni 1661. iteravit: ita Omazurinus citatus.

Apoplectici quoque eum experiun- VII.
tur sospitatorem. Nam vir quidam illustris omnibus corporis membris apoplecticus, ad Sacellum Facontinum deportatus, eorum expeditum usum in eodem recepit: quod & inspectores testati sunt & ipse, ex hoc quod redditus sanitati se effusè liberalem erga pium istum locum ostenderit. Ita iterum Omazurinus.

In necessitatę constitutis & ad pe- VIII.
nuriam redactis subvenit: Nam primò, pia quædam Virgo diuturnis forensium tricarum difficultatibus implexa, & litibus præter jus æquumque pressa, post insigne gratitudinis monumentum Sancto Josepho promissum, rationibus prorsus admirandis fuit expedita, & suis adversariis absoluta. Ita idem Omazurinus ibidem.

Secundò, alia quædam persona in virtute satis exercitata, non multis ab

hinc annis cum ratione extremæ necessitatis esset valdè perplexa, postquam se commendasset omnium auxiliatori Divo Josepho, mane facto evigilans invenit in lecto suo catenam auream quam vendidit, & ex ejus pretio plenè subvenit necessitati suæ. Ita Author è Societ. Jesu Anonymus lib. Gallico, cui titulus: *Saint Ioseph fidele Avocat en la vie & en la mort*, ex Hebdomad. sacrâ S. Joseph. feriâ 5.

XI. Monialium Congregationis Verbi Incarnati Præfecta, gravi oculorum infirmitate annis pluribus affecta, infirmitate ita crescente, ut iisdem obtenebratis, legere nihil jam amplius posset, cum malum incurabile judicarent experti, votum potentiori fecit Medico D. Josepho, se quotidie per anni circulum parvum ipsius recitaturam Officium si sanitati restitueretur, & subito voti compos facta est. Ita P. Barri cit. cap. 12.

XII. Anno 1662. puella quædam miserabiliter affixa lecto propter colicæ calculiique commixtos dolores, rogavit matrem ut in Sacello Divi Josephi Missæ Sacrificium pro se celebrari curaret ad ejusdem Sancti honorem, ipsaque ei assistens eundem Sanctum pro se oraret: Quod dum fit in suavem ægra lapsa soporem placidissimè requievit, deinde experrecta maximam arenarum vim egessit, nullum prorsus persentiscens dolorem: & revertenti à Missâ Matri hilariter narrat depulsam suorum causam dolorum, Deo ejusque Sanctissimo in terris Nutricio, cujus meritis se sanatam læta profitebatur, debitas reddens gratiarum actiones, vegetaque ab inde citra ullum tormenti præteriti vestigium perseveverans. Ita Omazurinus citatus.

XIII. Cuidam mulieri filius erat duodecim annorum, qui cùm ab annis quatuor factus esset mutus, nec ullum huic malo remedium invenire potuisset apud homines, invenit apud Sanctum pia Mater; vix enim cum invocaverat pro filio, cum solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè magnificans Deum. Ita Augeri citatus.

XIV. Puellula etiam in Civitate Antuerpiensi quæ septem annos nata, nec dum verbum proferre potuerat, donum loquendi recepit per interceſſionem Divi Josephi à parentibus exorari in ejus ibidem Sacello Facontino anno 1653. in Festo ejusdem. Ita Omazurinus.

XV. Anno 1664. in eodem Facontino Sacello claudus ab utero Matris puella, & quæ nonnisi fulcris subalaribus sustentata per sex annos incesserat, similiter & parvulus anno 1666. natus claudus, gradiendi perfectam obtinuerunt facultatem Divi Josephi interventu, fusis inibi ad eum devotis precibus. Ita Omazurinus citatus.

XVI. Mercator quidam qui materiam pro vestimentis Ursulinarum Monasterii Divionensis suppeditabat, cujus Priorissa erat tunc Venerabilis Mater Margareta à Sancto Xaverio honoris Divi Josephi zelantissima, ex longâ molestâque febri ad mortem vergens, & Extremæ-Unctionis Sacramento munitus, statim ut in manibus suis accepit Divi Josephi imaginem sibi ex parte istius Venerabilis Matris, in se ipsa pluries expertæ opem Divi Josephi præsentatam, eamque perdevotè exosculatus est, sensit illicò se melius habere, & intra paucos dies continuatâ ad Divum Josephum devotione perfectè sanatus est. Ita P. Coret è Societate Jesu Ecclesiastes insignis in suo Tract. Gallico de S. Josepho part. 2. praxi 2.

XVII. Similiter Parens unius Monialis ejusdem Monasterii Ursulinarum Divionensium septuaginta duos annos & amplius natus lecto affixus erat ex febre continuâ, cum iis symptomatibus ex quibus judicabant Medici fuisse toxico infectum. Cùmque nihil proficerent omnia quæ potuerunt excogitari remedia, eadem Venerabilis Mater Margareta à Sancto Xaverio novemdialem pro eo instituit cum suis Monialibus ad Sanctum Josephum devotionem, missâ similiter ad ægrum ejusdem Sancti Imagine, qui statim convaluit, publicans ubique se favore Divi Josephi vivere. Idem P. Coret ibidem.

XVIII. Sed quid opus est tam multis? quid tam variis in diversos homines collatis beneficiis ad probandam incomparabilem Patrocinii Divi Iosephi universalitatem

versalitatem in unicâ Sanctâ ac Seraphicâ Matre Theresiâ nostrâ omnium penè quæ desiderari possent, in quovis genere habemus exempla: Hæc enim in lib. vitæ suæ cap. 6. refert se miraculosè sanatam à vehementissimis & periculosissimis morbis quibus annis tribus cum dimidio divexata, atque à Medicis desperata jacuerat: erant hi non tantùm gravissimi, sed etiam plurimi, ut potè quorum novem aut decem per se singuli sufficerent ad inferendam ei mortem, à quibus tamen Mediatore Patre suo amantissimo Divo Josepho perfectissimè fuit liberata. Vide adhuc eandem S. Theresiam ibidem cap. 32.

XIX. Eadem Seraphica Mater ibidem cap. 23. Cùm semel, inquit, in magnâ essem necessitate constituta, nesciremque prorsus quid deberem agere, vel undenam operariis mercedem persolvere, Sanctus Josephus verus Pater ac Dominus meus mihi apparuit, bonoque animo esse jussit, spondens pecuniam nequaquam mihi defuturam, ac proindè cum operariis meis incunctanter de stipendio diurno convenirem: quod & feci, ne obolum quidem in promptu habens: Porrò Dominus meus iis mihi modis de omni pecuniâ necessariâ providit, ut quicumque intelligerent non possent non summopere obstupescere.

XX. Reverendus P. Franciscus Ribera è Societate Iesu Doctor Theologus lib. 3. vitæ ejusdem Sanctæ ac Seraphicæ Matris cap. 9. scribit ipsam interventu Divi Josephi ab ictu rotæ cujusdam in terram violentissimè prostratam non sine miraculo illæsam evasisse.

XXI. Idem Author cap. 14. testatur mirabili quâdam ratione eandem Sanctam Matrem ipso Divi Josephi Festo Burgensem Conventum obtinuisse tametsi diu frustra eâ in re esset allaboratum, & perexigua spes affulgeret illius obtinendi: Verbo una ipsamet Sancta Mater lib. vitæ suæ cap. 6. *Non memini*, inquit, *me rem ullam usque modo eum rogasse, quam non adimpleverit: Mirumq; est quam magnas gratias per hunc Sanctum à Deo acceperim, & è quantis tum corporis, tum animæ periculis erepta sim.*

His mihi videtur addendum quod XXII. sequitur recentis datæ. Obsessa fuit derepente anno 1683. quo hoc Opus finio Mensis Julii die 13. ab exercitu Turcico formidabili militum totius Imperii Ottomanici selectorum Vienna Austriæ & Imperii Capitalis, Residentia Cæsaris, oppugnata fuit vi & arte maximâ septimanis novem totis, & pari modo, ideòque cautè & fortiter propugnata, doli dolis, vis vi repulsa ab Excellentissimo & Generosissimo Comite de Starembergh ejusdem Gubernio & Defensioni tunc à Cæsare submisso. In hac occasione, INNOCENTIVS ODESCALCVS PONTIFEX, LEOPOLDI AVGVSTI FORTVNÆ PERICLITANTI QVA VOTIS, QVA OPIBVS, VT OPORTVNE, ITA PIE AFFVIT. Pontificem exhortantem reverituſ IOANNES TERTIVS SOBIESCVS REX POLONVS TVRCICI FASTVS VICTOR INVICTVS LACERATI IMPERII RESTITVTOR AVGVSTVS cum Celsissimis Principibus Bavariæ & Saxoniæ Electoribus tulit Cæsari suppetias. Sed quid hæ Copiæ ad Turcicas? erant Turcæ ad Imperiales & Auxiliares in numero facilè tres contra unum: Liberata tamen est Vienna 12. Septembris sequente ab hâc tam impari manu, cæsis sine numero Turcis, reliquis in turpem fugam omni apparatu Victoribus relicto fusis, victoriâ tali quâ nulla similis. Quis dubitavit hanc victoriam fuisse plus quam humanam? nullus quod sciam: *à Domino* ergò, qui potest salvare & salvat quando vult in paucis ut in multis, *factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Psal. 117. vers. 23. Sed ad cujus interventionem, aut à quo placatus Deus? Scio Orbem Christianum ad ipsum in hac tam urgente anxietate recurrisse, & supplices ei manus tetendisse, sed est ne propterea ad meliores mores conversus? notum est eidem Orbi, cui loquor. Quid ergò movit Deum qui non placatur motu labiorũ, sed mutatione cordium, ut hanc nobis victoriam tam mirandam concederet? Dicat unus quisque quod voluerit, existimo ego hanc nobis à Deo datam

IVVANTE

IVVANTE IMPERII TVTELARI NOVO CASTÆ DEI PARENTIS VIRO. Quid ni? an Religiosus sim & non existimem Divum Josephum afflictionem Devotissimi Imperatoris nostri Leopoldi respexisse, quem nuper, hoc est anno 1675. de nutu Sanctissimi Domini nostri D. Clementis Papæ X. Imperii singularem Patronum adlegerat & Protectorem, cum tanto zelo ut alios etiam Germaniæ Principes ad idem impensissimè exhortatus sit, & inter alios Serenissimum Electorem Colonienſem, Episcopum & Principem nostrum Leodiensem ad suas partes pertraxerit juxta dicta superius Part. 1. Tract. 1. Prolud. 2. pag. 4. Quis enim non credat in hâc primâ, quæ à tradito per Cæsarem in ejus Clientelam Imperio se obtulit ejusdem Imperii angustia, in qua de summâ rerum agebatur, cum oculos suæ pietatis conjecisse in hos suos novos Clientes, eum pro hâc causâ communi enixè rogantes? aut Deum, quo inspirante illum Patronum elegerant, respexisse faciem Divi Josephi, & hoc orante, illo operante, victoriâ tam admirabili Imperium jugo adeò horribili liberatum? non dubito ego, faciant alii ut voluerint.

XXIII. Nec mihi videtur fuisse necessarium ut Deus aliquo visibili ostento indicaret particulariter hanc victoriam ei tanquam interventori adscribendam, cum res esset tam clara, attentis iis quę jam jam diximus de ejus in patronum electione, quemadmodum nec fuit necessarium, attentâ virium utriusque partis inæqualitate etiam hîc expositâ, simile ostentum, ut Deus se illius manifestaret speciali modo Authorem. Quare nunc justissimè symbolo Ottomanico, quod est Luna Bicornis, cum hac superba nimis epigraphe, crescet *Donec totum impleat Orbem*; appendere possumus ad majorem Dei & D. Josephi, illius ut victoriæ tantæ Authoris, hujus ut interventoris gloriam, hæc duo Chronographica anni ejusdem victoriæ.

VAH qVassata est LVna non
VenIet aD pLenILVnIVM,
aVthore Deo, InterVenIente
preCIbVs Iosepho IMperII
tVtelarI noVo.

Huic materiæ de Divi Josephi miraculis immensæ finem imponat R. P. Antonius à Matre Dei nostrorum Excalceatorum Provinciæ Belgicæ Provincialis Tract. Gallico cui titulus: *Thresor ineſtimable, &c.* part. 1. cap. 11. ubi hæc ille: Licet nonnisi unam eorum partem describere vellem quæ oculis ipse meis hausi mirabilium ad Divi Josephi invocationem patratorum, vel illorum quæ ex ore eorum-met ipsorum, qui beneficiis ejus mirificis recreati sunt, audivi, eorum alterum mihi sufficeret ad ingentis compilationem voluminis. Quare illud solùm dicam generatim noviſſe me plurimos morbis, qui ab ipsis Medicis censebantur incurabiles, affectos, in quibus majorem suæ substantiæ partem inutiliter consumpserant, qui illis relictis, voto Divo Josepho facto, vel aliquâ particulari devotione in ejus honorem susceptâ, statim sanitati restituti sunt: vidisse me plures mutos qui loquelam receperant: alios Epilepticos, alios dementatos (quo tamen in genere rarissima inveniuntur miracula) alios malis afflictos aliis, quibus nullum supererat remedium humanum, qui statim ut vel ipsi, vel si non poterant ipsi; eorum parentes aut propinqui, vel toto se Divo Josepho obstrinxerunt, vel aliquam in ejus honorem exercuerunt devotionem, fuerunt perfectæ redditi sanitati: sed super omnia vidi miraculum miraculorum, ideſt vitam per ejusdem Sancti intercessionem mortuis redditam oblato in unâ Ecclesiâ ejus nomini dicatâ ad ipsius honorem Missæ Sacrificio. Hactenus P. Antonius à Matre Dei. XXIV.

XXV. Itaque concludendum quod quemadmodum arbor uberrimis magnisq; onusta fructibus ramos curvat & dejicit, quasi illos offerens carpendos iis qui volent: ita Sanctissimus noster Josephus, qui ex nominis sui etimologiâ, ut diximus, est *filius accrescens*, hoc est juxta phrasim Hebræam *Arbor*, omnibus offert colligendos suorum fructus meritorum.

XXVI. Quare quod Plinius secundus de Imperatore Traiano, hoc ego jure longè meliori de Sanctissimo hoc Viro dixerim, *Qui ita magnus est ut ad ejus fastii.*

*fastigium nihil addi possit, hic adhuc uno modo crescere potest*, quomodò? *si se submittat*, ideſt ſi non ſit auſterus, ſed ſe affabilem reddat, tractabilem, facilem beneficum. Ita ô Sanctiſſime Chriſti Pater, Virginis Immaculatæ Sponſe caſtiſſime, tu ita magnus es, ut ad tuam gloriam nihil addi poſſit: verumtamen ecce adhuc uno modo creſcere potes, & creſces, ſi te ad miſerias noſtras, ad preces noſtras, ad vota noſtra ſubmittas, & porrò pluſquam ullus cœlitum ſubmittis, ut præter iam allata probant infinita alia beneficia in omni genere.

XXVII. Atque in his finem dicendi faciens ad te me converto ô Joſeph! Fili Davidis Regis nobiliſſime, Virginis intactæ Sponſe puriſſime, Pater Jesu veriſſime, omnium in vitâ & in morte, eorum maximè qui te colunt, Patrone potentiſsime: dixi de te & de ſummis magnalibus tuis huc uſque ut potui, hucque ab aliis dicta congeſsi, ſit benignitatis tuæ conſuetæ ſuſcipere hoc officium ſervitutis meæ.

Quod ſi (verbis utor Sancti Gregorii Nyſſeni vitam Sancti Ephrem Syri concludentis,) *Tuâ dignitate ô Vir clariſſime multo inferiores ſunt noſtræ laudationes, te quoque (licet forte audacius hoc dictum videatur) in causâ fuiſſe dicemus, qui vivens & defunctus, modeſtiâ, humilitatisq; ſtudio te collaudare cupientes impedis: verùm quodcumque illud ſit, quantum tulerunt vires, pietatis & amoris officio ſatisfecimus, teque tam hoc ipſum, quam tui amantiſſimos, non modò non averſurum, verùm certò ſperamus & confidimus admiſſurum.* Amen. XXVIII.

FINIS.

# INDEX
## RERUM MAGIS NOTABILIUM,

Quæ in hoc Volumine ( præter illa tamen quæ D. Josephum singulariter tangunt, in Indice Tractatuum, Capitum, & Sectionum Synopsim præeunte, ibi ne actum agamus requirenda ) continentur: In quo Indice primus numerus paginam, secundus numerum marginalem, sivè hic numerus absolvatur in eâdem paginâ sive non.

### A



Abraham & alii Patriarchæ olim in divitiis Sancti fuerunt, cur ergò Christiani divites vix salvari possunt? pag. 435. n. 36. & 37.

Abrahæ fides quo usque probata. p. 449. num. 39.

Abstinere aliquando ab usu conjugii ex virtute quàm magnum? p. 224. n. 1. 2. & 3.

An Achaz Rex habuerit tantùm filium unum, quem Idolo Moloch sacrificarit, ut proindè Ezechias ei in regno non successerit, nisi titulo propinquitatis. p. 60. n. 25. & seq.

Adoptio an habuerit locum apud Judæos. pag. 50. n. 16.

Adoptivi filii naturalibus meliores. p. 315. num. 8.

Ætatis hominum divisiones, p. 260. n. 39. 40. & 41.

Æternitatis idæa, p. 573. num. 8.

Affectus nostri decipiunt nos, p. 434. n. 32. 33. & 34.

Afflictio veniens Justo dum aliquid boni peragit est probatio perfectorum. p. 420. n. 19.

Africani antiquissimi sententia de duobus D. Josephi Patribus, uno apud Matthæum, altero apud Lucam, omnibus aliis præferenda, liberatur à falsitate apparente, p. 67. n. 1. & seqq.

S. Agabus magicis artibus dum ad nuptias B. Virginis adspirat, prodigiosè deluditur, factique pœnitens Carmelicolis aggregatur. p. 250. n. 12.

Agens perfectum sine morâ operatur. pag. 467. num. 13.

S. Agnetis virginitas laudatur. pag 204. num. 4.

S. Albertus Ord. Carm. necdum tumulatus canonizatus. p. 510. num. 3.

Alexandri magni probrum ex uno scelere majus omnibus ejus præclaris facinoribus, tam atrum est nigri alicujus sceleris atramentum. p. 159. n. 25. Eundem se filium Jovis facientê carpit Mater. p. 274. n. 22. Apparitio in somnis mirabilis, non tamen divina. pag. 471. num. 36.

Alma & Bethula quid in Scripturâ Sacrâ? p. 190. n. 23. & seq.

Amoris naturalis divisio. p. 407. n. 6.

Amoris amicitiæ quinque effectus. p. 292. n. 68. Inter amores amicitiæ primus est conjugalis. p. 287. n. 27. & seq. Qualis ille in Adamo respectu Ævæ. p. 288. num. & seqq. Illius mirabile exemplum in Rustico. p. 290. n. 44. Aliud etiam post fata durantis. p. 290. n. 39. Aliud ibidem num. 40.

Amores duo in D. Josepho respectu Christi unum fecerunt intensissimum. p. 474. n 10. 34. 35. & p. 472. n.

In Americâ Provinciæ & Urbes vocantur Provinciæ & Urbes D. Josephi. p. 580. n. 7.

S. Andreæ Corsini Ord. Carm. à 300. annis & amplius mortui corpus integrum & incorruptum perseverat. p. 496. n. 6.

Animalia plura quæ sine coitu generant. p. 187. n. 8.

S. Anna non habuit nisi unum virum. pag. 117. n. 42. & seq.

Annulum digito statuæ B. Virginis ex occasione inserens juvenis fit mirabiliter illius Sponsus. p. 179. n. 14. & seq.

Annuli Sponsalitii B. Virginis multiplices. p. 409. n. 2. & seqq. & p. 493. n. 15. 16. 17. 18. Solus ille qui Perusii servatur verus. p. 490. num. 2. & seq. Quibus adde p. 493. n. 19. 20. & 21. & p. 494. num. 22 & 24. Hunc Waldrada Regii Sanguinis mulier temerè digito suo inserens punitur. p. 491. num. 1. Aliisque miraculis quàm plurimis claret. ibid. & in seqq.

Antonius Hacquius Pastor seu Curatus in Diœcesi Leodiensi nostrâ ætate, vixit 125. annis, Pastor centum annis. p. 73. n. 7.

Apparitiones Angeli D. Josepho an fuerint in corpore assumpto, an verò per species ab eo

eo D. Josepho impressas, quæ eum præsentem & loquentem repræsentabant? p. 469. n. 22. & 23. Cur illæ in somnis? & an tales Majestate Dei indignæ? ibid. n. 24. & seqq. Mirabiles factæ Alexandro Magno, Hannibali, & Cyro Regi, quæ tamen non fuerunt Divinæ. p. 471. num. 36. Ex quibus dignoscendæ quæ sunt Divinæ? p. 470. n. 30. & seqq.

Archelaus non fuit Regno Judaico ejectus nisi circa annum 17. Christi. pag. 401. num. 9.

Aristoteles dictus Stagyrita ab urbeculâ Stagyra undè oriundus, non quod ipsa illi, sed quod ille ipsi splendorem contulerit. p. 110. num. 4.

Artis lignariæ in quâ D. Josephus se exercuit commendatio. p. 105. n. 19.

Aseneth castitatis amantissima, Josepho Patriarchæ nubere consentit, licet statuisset nonnisi Deorum alicui nubere. p. 249. n. 10.

Aspera mundi per Christum in Cruce levigata & portatu facilia. p. 456. n. 22. & 23.

Athenais postea dicta Eudoxia ex obscuris parentibus per Matrimonium Imperatrix. p. 304. n. 22.

Athiensium judicium de prole in uno thoro conceptâ, & sub altero nascente, cujus è duobus viris proles esset. p. 407. n. 5.

Augustus Christo nascente mundum universum describi jubet, & tamen Dominus vocari renuit de se tumidus, de Deo timidus. p. 468. n. 13.

Aureola quid? p. 506. n. 1. Quot? ibidem. Unde illa distinctio? ibid. n. 2. & seqq. Cur Aureola Virginibus & non Viduis? ibidem. Quibus Virginibus? p. 507. num. 10. Quibus Doctoribus? n. 12. Martyres qui? & quibus debetur? ibidem. n. 11. Aureola Martyrum major. ibid. n. 13. Parvum fundamentum illas asserendi, vel ad istum numerum ternarium limitandi. p. 508. n. 17.

## B

Balthazar Alvarez è Soc. Jesu Laureti à Deiparâ monetur ut sit D. Josepho devotus. p. 555. n. 9.

Baptista Mantuanus vulgò Virgilius Christianus, Ord. Carm. anno 1516. mortuus, usque nunc incorruptus & palpabilis: quanti ejus Poëmata super omnia aliorum quorumcumque Poëtarum facienda; vide Observationes ad ejus Versus ante Synopsim.

S. Basilius Cappadox inexcusabiles reddit cæteros Cappadoces. p. 110. n. 5.

Benedictio uberum & vulvæ quomodo D. Josepho competit? p. 370. n. 12. & 13.

Bigami cur ab Ecclesiâ arcentur à Sacerdotio. p. 183. n. 17.

Bona alia quæ ut plurimùm nocent, alia quę ut plurimùm prosunt, alia quæ obesse & prodesse solent. p. 278. num. 41.

Booz & Ruth non ex libidine, sed ex observantiâ legis castè coëuntes. p. 21. n. 5. & 6. Generant Obed, idest subditum hujus pulchra explicatio. ibidem n. 7. & 8.

Booz an fuerint tres, quorum duo omissi in Genealogiâ Christi? p. 72. n. 3. & seq.

Brevitas cum perspicuitatè non in rerum prætermissione, sed in verborum inutilium rejectione consistit. p. 409. n. 1.

## C

Carmelitæ omnium primi in Europâ D. Josephum Ecclesiastico Officio prosecuti sunt. p. 521. n. 6. & 7. Reformationem suam quæ à Conventu Rhedonensi in Armoricâ cœpit anno 1604. ejus patrocinio & protectioni subjecerunt. p. 528. num. 11. & p. 529. n. 12. Primum Monasterium ab Illustri Familiâ ipsis oblatum ejus nomini dicarunt, ibid.

Carolus VIII. Rex Galliarum Virginem è manibus protervi militis elapsam ad se pro pudoris conservatione confugientem, eam ipse oppressurus dimittit intactam, obtestatus ab illa per virginem Dei parentem. p. 186. num. 30.

Carolomanni Imperatoris sapientia ut detegat inter patrem & filium uter eorum sit homicidii ab uno ex illis certò perpetrati reus. p. 390 n. 5.

Castitas D. Josephi & Beatæ Virginis in conjugio præfigurata in Davide cum Abisag Sunamitide. p. 208. n. 10. & seqq. & in Rubo Moysis, p. 210. n. 18. & seqq.

Castitas in conjugio non est contra ordinationem Dei dicentis, *quod Deus conjunxit homo non separet.* p. 2. 14 n. 10.

In Castitate B. Virgo, & D. Josephus licet non omnium primâ tempore, præterquam in Conjugali, illius tamen vexilliferi, & in eâ absolutè loquendo omnium primi, multoque excellentius quam si fuissent primi tempore. p. 227. & seqq usque ad pag 231.

Castum non faciunt anni, & nulla ætas ab igne libidinis tuta. p. 257. & seqq

De Catonis singulari virtute paradoxum Senecæ. p. 443. n. 12.

Cebis Philosophi de Fortunâ, sententia seu descriptio. p. 107. n. 31.

Christus ut homo habuit Regiam potestatem in omnes homines & Reges terræ, & dominium directum in res eorum temporales. p. 87. n. 7. & seq. Non ita summus Pontifex quantumvis illius in terris vices gerat. p. 90. n. 24. Naturaliter est etiam ut homo & sine ullâ aliâ Dei concessione caput omnium hominum. p. 89. n. 16. & seqq. An habuerit jus hæreditarium ad Regnum Judæorum ut descendens ex Davide? pag. 91. num. 26. & seqq. an per Mariam? an verò per D. Josephum? p. 97. n. 58. Cur voluit esse D. Josepho subditus? p. 375. n. 22 & seqq. Cur fugiturus Herodem non in Persidem cum Magis abierit? p 422. n. 27 & seq. A Matre

nobilitatem traxit carnis, à D. Joſepho ut Patre jura, actiones, credita, titulos, hæreditatem, Regnum. p. 96. n. 56.

Chriſtiani à Gentilibus vocati Sybilliſtæ, quare? p. 187. n. 5.

Circumciſio cœpit ab Abrahamo, p. 379. n. 17. Illius Miniſter ordinarius Pater ſeu caput familiæ, ibid. & nn. ſeqq. Quo die fiebat, eodem fiebat nominis impoſitio. p. 376. n. 1, & ſeqq.

Clarani corpore deformis, ſed ingenii præclari laus. p. 126. n. 1.

Cleophas pater S. Simeonis, frater D. Joſephi, p. 117. n. 38.

Cognatio in linea deſcendentium & aſcendentium protenditur in infinitum. pag. 27. n. 11. & ſeqq.

Comes Matiſconenſis ut Chore, Dathan & Abiron corpore & anima ab inferno abſorptus. p. 499. n. 16.

Confirmatio in gratia quomodo differt à perſeverantiâ in illâ. pag. 155, cap. 9. ſect. 1. & 2.

Conrardi in Romanorum Regem electi virtus. p. 216. num. 20.

Conrardi Germanici perditæ vitæ Principis mira pœnitentia, & expiatorum ſcelerum aſſecuratio rara. p. 217. n. 26.

Conſanguinei in lineis collateralibus conſtituti inæqualiter à communi ſtipite diſtantes eo gradu diſtant inter ſe, quo diſtat à communi ſtipite ille qui ab hoc remotior eſt. p. 46. n. 16.

Conſanguineus Mariæ conſequenter Chriſti D. Joſephus. p. 115. n. 23. & ſeqq. ex hoc quid D. Joſepho? p. 116. n. 26.

Conſanguinei D. Joſephi ipſius intuitu à Deo ampliori gratiâ donati. p. 119. n. 40. & ſeqq.

Conſtantia Divi Joſephi in paupertate. p. 108 n. 35.

Conſules Romani antiqui quales erga Remp. & quam ab auro alieni. p. 428. n. 6.

Contemplatio quid? p. 466. n. 4. & p. 472. n. 2. & 3. Ejus à cogitatione & meditatione, & harum inter ſe differentia. p. 472. n. 1.

Continentiam Divi Joſephi in quo omnes imitari poſſunt. p. 227. n. 14.

Continentia fundamentum ſeu ſuſtentaculum omnium virtutum. p. 435. n. 1. 2 & 3.

Converſatio noſtra debet eſſe cauta, ne fortè ſi vita non ſit mala per culpam, mala ſit fama per negligentiam. p. 273. n. 18. & 19.

Cordi S. Claræ de Monte Falco Symbolum Sanctiſſimæ Trinitatis cui ſuavè afficiebatur appreſſum: Cordi S. Ignatii Martyris nomen Jesu, S. Petri Thomæ Ord. Carm nomen Mariæ, cordi B. Margaretæ de Caſtro Ord. S. Dominici Jesus, Maria, Joſeph. Nemini ullius alterius Sancti, quid hoc? p. 556. n. 19 & ſeqq.

Corinthii nomen & jura concivis ſui duobus tantum extraneis honoris causâ deferunt Deo Herculi & Alexandro Magno. p. 313. num. 17.

Cornelia poſt 62. vitæ annum concipit & parit Voluſium Saturninum virum *illuſtrem*. p. 74. n. 13.

Credulitas in credente & credibilitas in eo cui creditur duplex. p. 458. n. 7.

Cultus Religioſi tres ſpecies juxta tres ſpecies excellentiæ. p. 543. num. 1. & 2.

Cybelis omnium deorum Matris Idolum ex Decreto Senatus Romani Scipioni in cuſtodiam traditum, quia omnium probiſſimus. p. 171. in proëm. Tractat.

## D

Dæmon eadem perſuaſione nos inducit ad peccandum quâ primos parentes, quibus dixit *nequaquam moriemini*, quomodo hoc? p. 484. n. 34 Infeſtat corporaliter duobus modis; per ſe, & per ſuos, ideſt maleficos: per ſe obſeſſione & poſſeſſione; per maleficos maleficio amatorio & veneficio. p. 585. n. 2. & ſeqq.

Damnatorum pœna graviſſima ex tribus. p. 573. n. 8.

Dardanenſes Illyrici ter ſolùm per totam vitam ſolemniter lavari conſueverunt, ſcilicet, in ortu, nuptiis & obitu, quare? p. 282. n. 4.

Dauſquius quidam frigidus erga D Joſephum ſcripſit contra ejus in utero ſanctificationem p. 133. n. 14. Refutatur fusè. p. 144. uſque ad pag. 152. Ridiculæ ejus interrogationi quando ibi ſanctificatus ſit ſeriò reſpondetur. p. 153. n. 1. & ſeqq.

Delineatio pulchra Viri Sancti. p. 30. n. 22. Divi Thomæ Aquinatis ex Clemente Papâ VI. p. 129. n. 14.

Deſponſatio Divi Joſephi cum Virgine probabiliſſimè contigit ineunte Decembre. p. 269. n. 36.

Devotionis ſeu cultus particularis erga aliquem Sanctorum ſupra alium excellentia & majoritas ex tribus. p. 539. n. 28. & ſeqq.

Devotio ad S. Joſephum fuit ſemper ab initio naſcentis Eccleſiæ in aliquibus Sanctis inſignioribus. p. 540. n. 31. & ſeqq.

Devotio ſeptem dierum, vel ſeptem Mercuriorum ad S. Joſephum regulatur à ſeptem ejus privilegiis, & ſic iſte numerus in ea devotione non eſt arbitrarius ut evenire ſolet in ſuperſtitioſis. p. 551. n. 56.

Deus ut & natura & Ars in parvis magnus. p. 8. n. 10. & 11. & p. 9. n. 16.

Deus quia unicus non indiget nomine. p. 120. n. 6. & 7. cur in Scripturâ Sacrâ vocatur in particulari Deus Abrahâ, Deus Iſaac, Deus Jacob, cum ſit Deus totus creaturæ? p. 375. n. 23. Quanti facit honorem & æſtimationem D. Joſephi? p. 318. num. 11.

Dido in ſinu geſtans Cupidinem, Emblema intenſi amoris. p. 474. n. 10.

Diogenes Philoſophus accenſâ lucernâ in meridie

meridie quærit hominem, & in foro magnæ civitatis. p. 169. n. 10.

Dives aut iniquus, aut hæres iniqui. p. 428. num. 2. & 3. cur nunc difficilius quam primis mundi sæculis salvatur? p. 435. num. 36. & 37.

Dives epulo sepultus in inferno, cur potius linguæ refrigerium petit quàm aliorum membrorum. p. 65. n. 17.

Drahomiram S. Venceslai primi Bohemiæ Regis matrem vivam terra dehiscens absorpsit. p. 499. n. 16.

E

EMBLEMA honesti amoris ligantis cupidinem. p. 475. num. 15.

Evangelium verbis strictum rebus amplum. p. 9. n. 15. maximè in referendis rebus Deiparæ & Divi Josephi. p. 7. n. 10. & seqq.

Evangelium & Religio in eo fundata potestatem politicam stabilit. p. 426. n. 45.

Eucharistiæ institutioni B. Virgo adfuit, tuncque communicavit. p. 300. n. 4.

S. Euphrasiæ Nicomediensis generosum facinus ad conservandam periclitantem integritatem. p. 439. n. 25.

Ezechias Rex verè filius Regis Achaz contra PP. Possinum & Papebrochium. p. 59. à n. 25. usque ad 39. inclusivè.

F

FIDES Abrahæ Patriarchæ quo usque probata? p. 449. num. 39. & seqq.

Fidei præstantia ex tribus capitibus. p. 457. num. 2. & seqq. mirabilis admodum Francisci Regis Bungensis in Japoniâ noviter conversi. p. 458. num. 9. quàm magna Susannæ, Jonæ Prophetæ & Abrahæ. p. 460. n. 18. 19. & 20.

De Figurâ dictum excellentiori modo debet impleri in figurato dupliciter. p. 168. n. 6. & 7.

Filii frequenter matrizant, ideſt referunt matrem, non tantum in specie vultus, & totâ corporis habitudine externâ, sed maximè in indole, moribus, & complexione ex quintuplici capite. p. 116. n. 37.

Fomes peccati in homine quid? p. 162. n. 2. & 5. Dicitur modò extingui, modò ligari, an bene, p. 162. n. 4. Quomodo ligetur? ibid. n. 6. Ejus ligatio vel extinctio duplex. p. 164. num. 12.

Forma corporis quænam laudabilis? p. 127. n. 7. In formoso hoc laudabili modo corpore virtus melius habitat. p. 126. n. 2. & seqq.

Fortuna depingitur suis coloribus. p. 107. n. 30. & seqq

B. Franci Senensis Ordin. Carmelit. sapiens pronunciatum super horrore damnationis æternæ. p. 574. n. 11.

B. Franciſca d'Amboise cum conjuge Petro II. Britanniæ Duce, servatâ in conjugio continentiâ, mortuo viro sit Carmelitissa, & Carmelitissarum fundatrix in ditione suâ. p. 229. n. 34.

Frater alicujus dicitur aliquis quadruplicitèr. p. 181. num. 8. quomodo Jacobus & Joseph, Simon & Judas fratres JESU apud Matthæum & Marcum. p. 182. n. 9. & seqq.

G

GALILÆA, in quâ Nazareth, Provincia ferè in meditullio Asiæ. p. 114. A bonitate soli laudabilis, à moribus verò contemptibilis ibid. n. 24. est duplex vel si una tantum dividitur in duas partes. p. 114. n. 25.

B. Gasparus Bon Ord. Minimorum Sancti Francisci de Paulâ quam devotus Divo Josepho. p. 541. n. 27.

Genealogiarum tractationem ab Apostolo absolutè damnatam vult Lutherus. p. 30. n. 1. sed contrarium probatur. p. 33. n. 17. & seqq. & explicatur Apostolus. pag. 35. num. 23. & seqq.

In Genealogiâ Christi tres Tessaradecades esse integras vindicatur. p. 79. num. 26. & seqq.

Pro Genealogiâ JESU Christi per D. Josephum, ex quo non est, à Matthæo ductâ, nova sententia R. P. Possini, Bessoni & Papebrochii. p. 39. n. 17. & seqq. & pag. 54. sect. 1. per totam, refutatur. p. 40. n. 22. & seqq. & p. 57. Sect. 2. per totam.

Genealogiæ alterius à Luca per Patrem Divi Josephi & Progenitores legales gravissima ratio. p. 58. n. 28.

Generatio viventium à quo principaliter, quatuor sententiæ. p. 537. n. 2. & seqq. vera. p. 339. n. 10. & seqq.

Generatio viventium triplex. p. 365. n. 4. Arboris vel Bruti B productio licet sit generatio, non tamen hæc arbor vel hoc Brutum B filius arboris vel Bruti A producentis, & quare? p. 365. n. 5. & seqq.

Generationes tantum quatuor decurrisse spatio 366. annorum justificatur. p. 72. n. 1. usque ad finem cap.

Gentiles lapidibus comparati, cur? p. 342. num. 5.

S. Gertrudi Germanæ ostensa in visu gloria D. Josephi. p. 523. n. 7.

Gloria externa Sanctorum quam habent apud nos, & quæ pr. supponit internam quam habent in se apud Deum, consistit in duobus. p. 477. n. 1. 2. & 3.

P. Godefridus Loë Colonienſis Carmelita unus ex tribus Theologis à Summo Pontifice & Philippo bono Burgundiæ & Brabantiæ Duce delectis, qui jecerunt fundamenta Academiæ Lovanienſis. p. 544. n. 7.

Gratia quando idem producit quod natura, id quod producit perfectius est quàm id quod producit natura. p. 408. n. 8.

## H

HAmus quo Dæmon captus est fuit Divinitas in Christo, sed hamus quadruplici involucro tectus. p. 566. n. 3. 4.

Heli Pater legalis Divi Josephi, & cujus D. Josephus hæres, non potuit esse ita pauper, ut ab illo nihil potuerit Divus Josephus hæreditasse. p. 111. n. 11.

Heliopolis Civitas Ægypti illa est in quâ D. Josephus fugiens cum Puero & Matre Herodem, moram fecit. p. 422. n. 30.

S. Hermannus Candidi Ord. Præmonstrat. Divi Josephi Sponsam & nomen ex speciali Dei privilegio accipit. p. 178. n. 11.

S. Hildegundis sexum mentita sub nomine Josephi cucullum Monasticum induit, p. 579. n. 37.

S. Hilsuvindis cum S. Ausberto Comite Huensi, post susceptam prolem unam, servant deinceps castitatem. p. 223. n. 57. Mirabiliter illa à suspicione in quam hunc nonnullus sycophanta conjecerat liberata. ibid.

Hispano Mercatori Valentino annuè in die Natali Christi senem cum muliere pusionem gestante recipere consueto, apparent in morte Jesus, Maria, Joseph, qui eum in domum suam recipiunt. p. 524. n. 10.

Homines explorandi non unde sint, sed quales. p. 31. n. 3. 4. 5. 6. Sæpè etiam qui viles sunt in oculis nostris, iis prævalent qui in eisdem oculis lucent. pag. 277. n. 36. Homines Deo lucrifacti per uxores. p. 306. n. 30. Etiam Reges. n. 31. Triplicem personam homo gerit in mundo secundùm tres status ad quos pertinet. p. 417. n. 2.

Honores publici Sanctis canonizatis decreti, & deferri soliti qui? p. 534. n. 4.

Hugonis à S. Victore gravis ratiocinatio contra eos qui dicunt B. Virginem nubendo, in copulam consensisse, vel ad eam dispositam fuisse. p. 203. n. 4.

Humilitatis quinque gradus, p. 411. n. 9.

*Huret* Sculptor omnium melius D. Josephum ad eam formam quâ Joannæ de Angelis Ursulinæ apparuit, efformavit. p. 128. n. 11.

## I

JAcob benedixit Ephraim & Manassen cancellatis in formam Crucis manibus, quid ibi mysterii? p. 513. n. 5. 6.

Jechonias qui in Genealogiâ Matthæi est in initio tertiæ Tessaradecadis, alius est ab eo qui est in fine secundæ, & per hoc solvitur difficultas non exigua. p. 75. num. 18. usque ad num. 37.

*Iehovah* Dei nomen ita venerabile Judæis, ut nomina hominum ex pluribus litteris istius nominis constata, in alia ex reverentiâ commutarent. p. 44. n. 6. An hoc verum? p. 45. n. 11. & 12.

Jerusalem locus Nativitatis B. Virginis. pag. 112. num. 14. & seqq.

Jesum esse Filium Davidis probant etiam Archivia Romana. p. 26. n. 3. Quomodò fuerit etiam ex tribu Levi. p. 54. n. 10.

Infestatio per maleficia, erga parvulos quibus nomen Joseph infirma est. p. 586. n. 11.

SS. Joachim & Anna parentes B. Virginis habebant bona mobilia & immobilia, nec exigua, quorum ipsa hæres fuit, p. 430. n. 11. & seq.

Joannæ de Angelis Ursulinæ apparet Divus Josephus. p. 128. n. 11. Formam sub quâ ei apparuit juxta ejusdem Joannæ relationem *Huret* Sculptor Parisiensis inter omnes proximè assecutus est. ibid.

B. Joannæ de Cruce ad Sorores dictum de silentio præclarum. p. 464. n. 15.

S. Joannes Baptista & Jeremias Propheta in utero sanctificati. pag. 136. n. 30. & seqq.

S. Joanni Baptistæ usus rationis acceleratus. p. 166. n. 3. Non surrexit nec ascendit in cœlos cum Christo in corpore, *ut alii multi* Sancti, cur? p. 505. n. 22.

S. Job in omnibus membris sævissimè percussus à Dæmone, linguâ tamen intactâ quare? p. 462. n. 2.

S. Josephus Ord. Carm. singularissimus Patronus, etiam sepositâ electione quam idem Ordo de eo fecit. p. 3. n. 1. Est etiam totius Imperii. p. 4. n. 3. Est etiam Diœcesis Leodiensis, ibid. n. 4. Solemnitas electionis ejus de mandato Principis & Episcopi fuit celebrata in Ecclesiâ Carmelitarum Leodii. p. 4. n. 5. Sic est Pater Jesu, ut B. Virgo ne momento quidem ante fuerit Mater illius, & quid indè? p. 13. n. 6. Cur permissus cadere in anxietatem ob gravedinem uxoris. p. 29. n. 18. Cur cùm vocatur ab Angelo Filius David, non additur Regis ut de Salomone. p. 33. n. 16. Quanta ejus sanctitas? pag. 170. n. 16. & 17. Quàm similis Mariæ. p. 285 n. 10. & seq.

Josephus Antiquus quantum honoratus à Pharaone. p. 505. n. 23. Dupliciter auctus supra fratres suos, in se, & in progenie. p. 123. n. 24. Quomodò dicitur quod nemo natus sit ei similis in terris quia natus est homo? p. 168. n. 9. & seq. Pater & Filius Jacob, sive Israel Patris sui. p. 398. n. 31.

Josue Dux populi Israelitici post Moysen, vitam duxit perpetuò cœlibem p. 22. n. 13. Ut Caput universale populi Capita familiarum circumcidit in deserto. p. 380. num. 25. & 26.

Isaac Comnenus Imperator susceptâ unâ prole ab usu Matrimonii deinceps abstinuit. pag. 222. num. 49.

Justus semper in bono proficit. pag. 24. num. 17.

## L

LAuretanum Sacrarium D. Josephi domus in quâ Deipara Dei filium concepit. p. 113. n. 76.

S. Leonides Martyr Pater Magni Origenis, pectus filii in cunis jacentis solebat reverenter deosculari. p. 408. n. 9.

Lex Deuteronomii de suscitando fratri semine à fratre, ad quos extendebatur? pag. 71. n. 8. & seq.

Leges non vincula, sed redimicula. p. 427. num. 53.

Lilium quomodo generatur? p. 391. n. 15.

Lingua fragilis cautè custodienda. p. 462. num. 2. & 3. ejus vitia exhauriunt totum Alphabetum. p. 465. n. 16. In illâ cur præcipuè torquetur Dives Epulo in inferno? ibidem. num. 17.

Lutheri nominis etymologia & significatio. pag. 119. n. 3.

M

Machabæi quomodo Judæorum Rempublicam administrarunt. p. 94. n. 50.

Magna & rara latent. p. 414. n. 19.

Maledictio legis contra steriles, pro eis intelligenda, qui in conjugio generationi vacabant. p. 204. n. 7. non pro eis qui continentiam servabant ex proposito. p. 205. n. 8. & 9.

Maleficium amatorium quid? p. 585. n. 5.

Manichæi etimologia nominis, p. 119. n. 2.

V. Margaretæ Bealnensi Ord. Carm. multa de S. Josepho revelata. p. 141. n. 4.

B. Margaretæ de Castro Ord. S. Dominici cordi post mortem inventæ effigies Jesus Mariæ Josephi in tribus gemmis. p. 541. n. 38.

S. Mariæ Magd. de Pazzi Ord. Carm. revelatione utuntur PP. Societatis Jesu in processu apud S. Sedem pro B. Aloysii sui sanctitate publico cultui exponendâ, p. 141. n. 3.

S. Maria Deipara nata est Jerosolymis. p. 112. n. 14. & seqq. nihil officeret D. Josephi magnitudini, si ipse vixisset, dum illa à Christo in Cruce commendata fuit D. Joanni. p. 482. n. 19. & si possit apud Deum quod omnes simul sancti & plus, non tamen inde sequitur quod omnia per ipsum à Deo impetraturi simus, p. 560. n. 39. & seqq.

S. Mariæ Doignies licet per pœnitentiam macerare, vir aliàs spiritualis manum tangens, inde carnis motum sensit. p. 436. n. 8.

S. Martini pallium olim Reges Galliarum in castris ferri præcipiebant, maximè cum bellum erat arduum. p. 195. n. 27.

Matrimonii contrahendi est impedimentum perpetuum inter ascendentes & descendentes, & contractum est nefarium & nullum. p. 28. n. 11. Duo dicit unum explicitè, scilicet conjunctionem viri & fœminæ ad procreationem, alterum explicitè, scilicet conjunctionem determinatam hujus cum tali, pag. 172. num. 1. Melius est homines per matrimonium & generationem multiplicari. quam per creationem. p. 172. num. 2. & seqq. Ut benè succedat alia debent illud præcedere, alia comitari, alia subsequi. p. 296. n. 66. & seq. Quare dicitur conjugium, & maritati conjuges? p. 282. n. 4. 5. Matrimonii concordis descriptio, p. 295. num. 43. Cum inter D. Josephum & S. Deiparam verum intercesserit matrimonium, ante annuntiationem, cur Evangelista Deiparam tunc vocat desponsatam, non verò nuptam vel conjugem? p. 285. n. 13.

Menæi Græci de S. Gregorio Nazianzeno sententia. p. 411. n. 8.

Modestia uxoris Phocionis in Conventu aliarum suæ conditionis, cum sapienti responsione ad earum sannas. p. 478. n. 1.

Mors non finit vitam justi, sed ejus mortalitatem. p. 479. n. 2. Comparatur in Scripturâ sacra somno ob tres præcipuè causas, ibid. n. 4. & 5. Moriendum docet scriptura, ratio, experientia. p. 478. n. 1.

Mortis cum amore divino conjunctæ tria genera. p. 485. n. 3. & seqq.

Mortui qui surrexerunt cum Christo non sunt iterum mortui, sed cum Christo ascendente in cœlis ascenderunt. pag. 497. num. 8. & seqq.

Motiva conglobata quibus allici possint omnes ad honorandum D. Josephum. p. 6. n. 8.

Mulier fucis utens contra seipsam pronuntiat se deformem. p. 3. n. 11.

N

Nazareth Civitas D. Josephi est in tribu Zabulon & in Galilæâ inferiori. p. 114. n. 25. Gloria illi à D. Josephi nativitate in illâ, non è contra, p. 110. num. 7. Ab hac fugit cum pignoribus sibi commissis Jesu & Maria in Ægyptum. p. 423. n. 31. Distantia illius ab Heliopoli ad quam fugit, & in quâ sedem fixit. ibidem. n. 32.

Necessaria homini ad vitam vel superflua duplici modo. p. 433. n. 25.

Neronis prodigalitas in funere Poppeæ, p. 487. n. 3.

Nili origo incognita, p. 516. n. 9.

Nobilitatis tres fontes. p. 31. n. 7. & 8. Sed undecumque illa sit, si sine virtute, nulla. p. 32. num. 10. & seq. A Nobilitate tamen sanguinis tria bona. p. 33. n. 18. Divi Josephi præcipua, non quod ex Patriarchis, Regibus, Ducibus in Genealogiâ recensitis, sed quod inde acceperit ut posset esse Sponsus Deiparæ, & Pater Domini. p. 34. n. 20. & 21.

Nomen impon[illegible]re filiis pertinet ad patrem de jure naturali & divino. p. 385. n. 50. & seq. Præclarum Filiis suis ligunt duplici de causâ. p. 119. n. 11. Damnandi Christiani qui filiis suis alia quàm Sanctorum imponunt, & Pastores seu Curati qui connivent. pag. 120. num. 4. Nominum imponendorum causa. Ibidem. Deus nomine non eget. ibid. num. 6. & 7. Nominum fontes tres. ibid. num. 7. seq. Nomen D. Josephi ex illo triplici fonte. p. 121. n. 12. & seq.

Numerus septenarius inter omnes nume-

ros maximè mysticus, & plus omnibus Religioni & Mysteriis Divinis aptatus. pag. 551. n. 54. & 55.

B. Nunnius ex quo moderni Lusitaniæ Reges Ord. Carm. è numero Fratrum. pag. 106. num. 22.

Nuptiæ fuissent si status innocentiæ perseveraſſet, p. 281. n. 1. Quales illæ ? ibid. n. 2. Inter nupturos sit paritas & proportio. p. 284. n. 2. Quæ ? ibid. n. 3. & p. 285. n. 8.

O

OBEDIENS perfectus quis ? p. 416. n. 1.

Obedientia homini debita circumscripta, Deo sine limite ullo. p. 417. n. 5.

Obligatio in conjugibus ad reddendum debitum duplex, quarum prima potest abesse & interim stare matrimonium. p. 339. n. 34.

Obstetricibus Ægyptiis Deus ædificavit domos, ob servatos contra præceptum Regis nefarium filios Hebræorum, & quid hoc ? p. 584. n. 23. 24. 25.

Og Rex Basan ex Rabbinorum commentis tam enormiter procerus, ut magnitudine suâ aquas diluvii superaverit & evaserit. p. 132. num. 11.

Opera non tantùm mala fugienda homini ut salvari possit, sed etiam bona facienda. pag. 579. num. 1.

Ordo in libris & artefactis est quod forma in naturalibus. p. 2. n. 3.

Ordinem inter Sanctos ab aliis distinctum constituunt Jesus Maria Joseph, & ideò nulla Divi Josephi cum cæteris Sanctis aliorum ordinum comparatio. p. 14, n. 7.

Ordo Carmelitarum antiquorum & duæ Congregationis Excalceatorum unicus Ordo. p. 528. n. 8. Ob istam identitatem gratiæ, Indulgentiæ privilegia his aut illis concessa, fiunt etiam aliis reciprocè propria, ibid.

P

PALMARUM aliæ mares, aliæ fœminæ, ut in animalibus ; & ut in his ita in illis fœminæ solæ feraces. p. 353. n. 2. Cùmque ut in animalibus, ita in palmis utriusque combinatio requiratur, ut fœmina fructum ferat, non tamen ut coëant radicibus, vel ramis implicentur. ibid. num. 3.

Pammachius Senatorius ? cum cucullo Monastico permutans. p. 413. n. 15.

Panegyris inter omnes orationis species difficilis, p. 6. n. 12. Sanctorum maximè. p. 7. n. 4. & 5. Magis adhuc D. Josephi, & quare ? ibid. n. 6.

Pater aliquis dicitur ex communi hominum usu quatuor modis. p. 48. n. 1. Pater ejusdem prolis generatione duo esse nō possunt. p. 48. n. 2. Nec contra facit quod si duo eandem cognoverint, nec possit determinatè dici ex cujus facto proles sit, uterque jure ad eam alendam cogi possit. Ibid. num. 3.

Patris nomen honorificentissimum. p. 312. In proëm. tract. Ejusdem derivatio ex mente Latinorum. p. 390. n. 11. & seq.

Pater Æternus cur non ante Christi Baptismum, cum esse Filium suum contestatus sit ? p. 373. n. 11. & 12.

Patria nihil aut ferè nihil homini confert nobilitatis, homo verò multum Patriæ conferre potest. p. 109. n. 2. & seq.

Patrocinium ex tribus est alio certius p. 569 n. 1. 2. & 3. Est universalius duobus modis. p. 571. n. 4.

Paupertas duplex, p. 427. n. 1. Paupertas virtutis divitiis præferenda. ibid. Hujus quatuor gradus. p. 432. n. 23. Perfecta excludit dominium ordinarium, non extraordinarium & altioris ordinis. p. 90. n. 20. Christi, quanta ? p. 89. num. 19.

Peccatum originale omnes homines contrahunt in suâ conceptione, & cum illo veniunt in mundum in suâ nativitate. pag. 132. n. 1. 2. & 3.

Peccati mortalis formidabilitas ex tribus, p. 572. n. 3. & seq. Quàm justè puniatur pœnâ æternâ. p. 573. n. 10.

Perfectio cujusque rei duplex. p. 169. n. 11 & p. 244. n. 1. Perfectio Dei summa est in unitate seu simplicitate, hominis verò in multiplicitate. p. 451 n. 1. & 2.

Perseverantia in gratia differt à confirmatione in illa, & quomodò ? p. 155. cap. 19. sect 1. per tot.

S. Philippus Nerius Congreg. Orat. Institutor Sanctissimus ex amore mortuus. p. 485. num. 6.

Philippus Dux Burgundus hospes Ludovici XI. Galliarum Regis pro subditis hujus supplicabundus, veniam eis obtinet. pag. 565. num. 16.

Phœnix moriens renascitur. p. 487. n. 15.

Picturæ D. Josephum senioulum repræsentantes corrigendæ. p. 258. n. 29. & seq. P. Papebrochius cum istis picturis sentiens. p. 41. n. 21. Refuratur. p. 42. n. 30. & 31. & pag. 258. num. 29.

Pigmenti genus Gallis *Ambregris*, non ita pridem inventum. p. 511. n. 7.

Pœna damni acerbior pœnâ sensus. p. 451. num. 6.

Pœnitentiæ vis magna quæ non tantùm hominem Deo reconciliat, sed etiam fractam coronam redintegrat. p. 210. n. 16.

Potestas in Regna duplex, directa & indirecta. p. 86. n. 3. Directa adhuc duplex. ibid. num. 4.

Potestatem directam extraordinariam in omnia regna mundi licet habuerit Christus, non tamen Pontifex Summus. pag. 90. numer. 24.

Prædestinatio communis hominum quid ? p. 9. n. 2. Alia fuit D. Josephi à cæteris. ibid. n. 3. In quo sita ? pag. 10 n. 4. Intimè inclusa in prædestinatione Christi, pag. 13. num. 1. & seqq.

Principes

Principes suos nascentes quomodo excipiebant olim Parthi, Scythæ, Græci, Turcæ, Athenienses, Romani? p. 141. num. 1.

Promissiones factæ Abrahæ pro filiis debebant impleri in veris, idest ex ejus semine descendentibus, quamvis ab illarum præcipuis non excluderentur spitituales seu morum ejus imitatores. p. 345. num. 17.

Prophetizari seu prænunciari argumentum est futuræ magnitudinis, p. 17. n. 2. 3. & 4. Præfigurari etiam. p. 19. n. 13. & seqq.

Prosperitas timenda. p. 455. n. 18. & 20.

Ptolemeus Rex maluit esse & dici Pater Regis quam Rex. p. 312. in proœmio Tractat.

## Q

QUÆSTIONES tres à Philosopho Gentili Theodoro S. Pachomii Discipulo propositæ & solutæ. p. 496. n. 2. & seqq.

## R

RAAB octogenaria & amplius concepit & peperit. p. 74. n. 13. & 14.

Rabbinorum figmentum de materiis ex quibus corpora & animæ hominum à Deo producta. p. 30. n. 24. Symbolicè applicatum D. Josepho. ibid. n. 26. & 27.

Rachelis sepulchrum quale? p. 490. n. 17.

Reges ex Servis, & Servi ex Regibus. p. 31. num. 5.

Reges facti per uxores suas. p. 305. n. 22.

*Reghim* & *Roghim* voces hebreæ quid significent? & quid ex inde? p. 398. n. 32.

Reginaldus Polus Cardinalis quam imperterritus ad mortem quam Henricus Angliæ Rex ei inferre volebat. p. 479. n. 3.

Regum corda in manu Dei esse, patet in Augusto Cæsare nascente Christo, cui nesciens quid faceret, nomen Domini dimittit. p. 90. n. 25.

Reliquiæ Sanctorum venerantur in Ecclesia Catholica, p. 490. n. 1. Duplicis generis, ibid.

Revelationibus personis sanctitate conspicuis factis utitur Ecclesia pro Canonizatione Sanctorum. p. 141. n. 3.

S. Robertus primus Abbas Cistercienſis Sponsus B. Virginis, quomodo? p. 178. n. 10.

B. Rosaliæ Virginis Panormitanę Reliquias circa annum 1625. post latebras 500. annorum Deus patefecit ad salutem Italiæ peste tunc afflictæ. p. 510. n. 4.

## S

SACERDOTES quam decet esse Sanctos. p. 184. n. 18. 19.

Salomonicam stirpem non exaruisse probatur contra P. Bollandum seu Papebrochium. p. 100. n. 72.

Salomonis prudentia in judicio inter mulieres disceptantes explicata. p. 389. n. 2. & seq.

Sanctificatio in utero duplex, p. 130. n. 3. Nonnullos in utero sanctificatos colligunt aliqui ex tribus, p. 134. n. 19. An benè? n. 20. & seqq. Joannes Baptista & Jeremias Propheta fuerunt ex illis, p. 136. n. 30. & seq. Potentior est gratia sanctificationis in utero gratiâ originali. p. 159. n. 30.

Sanctis cum Deo regnantibus debemus honorem & imitationem. p. 548. n. 1. 2. & 3. Sanctorum cultus duplex, p. 514. n. 1. Eos honorandi tria motiva, p. 553. n. 1. Olim canonizabantur voce populi, p. 517. n. 18.

S. Swibertus primus solemni ritu canonizatus à Leone III. ibid.

Sanctorum canonizatio Papæ reservata à quo tempore, ibid.

Scriptura sacra verbis succincta sensu amplissima in Præfat. ad Lect. & p. 8. n. 14. & 15.

Sententia aliqua dicitur probabilior alterâ dupliciter, p. 153. n. 3.

Sententia P. Bollandi seu Papebrochii, dicentis D. Josephum fuisse senem quando duxit Deiparam, p. 40. n. 21. Refutatur, p. 258. n. 9. & seqq.

Sepultura Corporum, nec negligenda, nec curanda nimis, p. 487. n. 1. & seq. Judæorum prodigalitas in illa, ibid n. 3 Eam in terrâ Promissâ, in sepulchro Patrum habere vel apud corpora Sanctorum magni faciebant Judæi, p. 488. n 5.

Sepulchra Sanctorum Joachim & Annæ sunt in Valle Josaphat ad scalas, in eâdem Ecclesiâ, in quâ ad earundem scalarum imum est sepulchrum B. Virginis, ubi & sepulchrum D. Josephi, p. 489. n 14. & 15

A Silentio Festus & Simmachus laudati, p. 464. num. 12. B. Joannę de Cruce pro silentio præclarum ad sorores monitũ, ibid. n 15. aliud Zenonis & aliud alterius Philosophi, ibid. n. 14.

Socrates se non Athenienſem, non Græcum sed mundanum dicebat, ita omnes Viri Magni, p. 115. n. 29. & seqq.

Somnia duplicis generis, divina & naturalia. p. 470. n. 24. Signa divinorum; ibid. n. 29. & seqq. Somnia Cyri majoris, Alexandri Magni, & Hannibalis mirabilia, quæ tamen aliam habuerunt causam quàm Deum, p. 471. n 36. Quare alia duo signa addenda præcedentibus ut divina sint, p. 472. n. 27.

Somnii scalæ Jacob Interpretatio, pag. 396. num. 23.

Sponsus & Sponsa quid ex acceptione nominis? p. 179. n. 1. Quid in re? ibid. n. 2. Quid ex usu etiam apud Jurisperitos? ibid. n. 3.

Spiritus Sanctus Sponsus Deiparę, & quando? p. 177. n. 4. & 5. Ipsum & D. Josephum habuit hæc Sponsos veros & propriè dictos, ibid. & n. 7. plures alios per aliquam similitudinem, p. 178. n. 9. & seqq.

B. Stanislai Bidigostia Poloni Ord. Carm. Martytis nefarius interfector, seu à Dæmone subfatus, seu à terrâ imperceptibiliter dehiscẽte absorp-

absorptus, nunquam amplius apparuit. p. 498. num. 16.

Suspicionis malæ tollendæ ansæ ei qui se à peccato immunem dicit, p. 272. n. 19. & 20.

Superiores & Judices severiores instruuntur, p. 447. n. 29.

T

TEMPLUM magnificum Constantinopoli impensis divitum extructum, dum dedicatur, apparet subitò in ejus eminentiori & evidentiori loco hæc inscriptio *Sophia me fecit*, p. 567. n. 6.

Tessaradecades tres in Genealogia Christi à Matthæo assertæ novâ ratione justificantur, p. 78. n. 29. & seq.

Thamar in coitu cum Juda dicitur justior illo, fuit tamen nequior, pag. 328. n. 9. & 10. Non fuit ille coitus ex Dei inspiratione, sed scortatio & incestus, p. 327. n. 8. Non potuit esse figura efformationis Christi in utero Virginis, p. 328. n. 10.

Theophylus Imperator sceleratissimus piæ uxoris suæ precibus ab æterna damnatione ereptus, mirabile exemplum. pag. 307. n. 34. & 35.

S. Theresia Ord. Carm. devotionem S. Josephi in Ordine vigentem suxit. Vide observat. ad vers. Bapt. Mantuani ante Synopsim, & p. 526. n. 3. Illius deinde propagatrix præcipua, ibid. à n. 1. & seqq. Ad hoc electa cum suis, p. 527. n. 4. Quinam illi sui? ibid. n. 5. & seqq. Torques aurea quâ cœlitus ornata non tantùm argumentum quod hæc devotio Deo placeret, sed etiam insigne sui oneris & electionis specialis ut eam promoveret, p. 555. n. 11.

Tribulatione Deus nos probans, quomodo illas ponderet ad vires nostra pulchra doctrina ex Imperfecto nostro in Matth. pag. 452. n. 8. In tribulatione justorum maximè verò JESUS, Mariæ & Josephi judicia Dei abyssus multa, p. 454. n. 14. & seqq. Nulla est intolerabilis. p. 456. n. 20.

Triplex ereptio à malo secundùm quam tripliciter aliquis salvator seu liberator, salvatus seu liberatus dici potest, pag. 154. num. 3. & 4.

V

VALLIS Iosaphat dicta Vallis judicii, ejus situs, in eâ Deipara, Sponsus, & Parentes ejus sepulti. p. 489. n. 15.

Waldrada temerè inf rens digito suo annulum sponsalitium Deiparæ punitur. p. 491. n. 6. Cujus exemplo Contulus de Contulis eruditur. ibid.

Velle aliquid directè vel indirectè quid? p. 330. n. 1. Differentia. p. 331. n. 6. Inter esse volitum in se & volitum in alio, vel inter esse volitum propter se, & volitum propter aliud differentia. p. 332. n. 9.

Venetia Civitas ædificat id quod est sub aquis, Civis autem id quod superminet, applicatum D. Iosepho, p. 325. n. 1.

Vienna Austriæ ab innumerabili Turcarum exercitu anno 1683. obsessa, mirabiliter liberata. p. 599. n. 22. & 23.

Virginitas duplex physica una, altera Theologica, p. 436. n. 4. & 5.

Virginitatis Deiparæ in partu argumenta, p. 187. & seqq. usque ad 193. Post partum, p. 193. à n. 31. usque ad 58. Qualis ejus ad illam affectus, p. 196. n. 46. & 47. Illius votum, p. 199. n. 2. Non emissum ab illâ ante annos pubertatis, p. 206. n. 13. Idem votum fecit Divus Iosephus, p. 202. n. 16.

B. Virgo Ordinis Carmelitarum Patrona singularissima etiam ex declaratione Sacræ Congregationis, p. 3. num. 1. Ejus aspectus extinguebat in aliis libidinem, p. 251. n. 13. Non habuit mēstrua ut cœteræ sui sexus, p. 255. n. 17. & seq. Quare verè nupta non dicitur nupta, sed desponsata? p. 265. n. 13. Eam cur ne momento quidem ante ejus desponsationem voluit Deus fœcundari & concipere? p. 266. n. 20. Nupsit D. Iosepho circa initium Decembris, p. 269. n. 36. & 37. Cur non manifestavit Divo Iosepho se de Deo concepisse, p. 444. n. 18. & 19. Ubera præbens Filio quid cogitabat? p. 567. n. 8.

Virginitas in matrimonio perpetuo servata ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, pag. 215. sect. 1. per tot. A Nobilibus. p. 219. sect. 2. per tot. plebeis, p. 221. sect. 3. per tot.

Viri magni quomodò probati ante quam à Deo extollerentur, p. 10. n. 6. & 7.

Vitex Græcè *agnos* conciliat castitatem, p. 435. n. 1.

Unio animæ ad Deum quomodò fiat per contemplationem & amorem, *explicatur*, p. 465. n. 1. & seq.

Urbanus VIII. anno 1642. Idibus Septembris sanxit Festum S. Iosephi à populo celebrari, p. 538. n. 21.

Urbanus Grandier Sacerdos, cujus magicis artibus Ursulinæ Juliodunenses possessæ à dæmone, vivus flammis traditus, p. 585. n. 8.

Ursinus Presbyter senio confectus, & jam jam expiraturus à se repellit mulierem, p. 257. num. 26.

Uxoris potestas ut virum sanctificet. pag. 306. n. 30. & 31.

Wintherius ex Ord. Min. annulum sponsalitium Deiparæ Clusio Perusium defert furtim ablatum, p. 491. n. 7.

X

XENOPHON Colophonius negat somnia divina, pag. 470. n. 24.

# MAGIS NOTABILIUM.


Z

ZACHARIAS filio suo D. Joanni Baptistæ nomen imposuit. p. 385. n. 53. & 54.

Zorobabeles tres ut sit alius qui in Genealogia Matthæi, & alius qui in Genealogia Lucæ, præter hos duos tertius alius. p. n. 46. 47. & 48.

Zenonis Athenienſis taciturnitas, ejuſque in menſa ad legatos reſponſum. pag. 464. num. 14.


# FINIS.

## MENDA IN IMPRESSIONE.

*Moneo te mi Lector candide cùm abfuerim à typis, non mirum quod in eis nonnulla irrepserint in hoc Opere errata, quorum leviora & faciliora omitto, contentus graviora annotare. Itaque quoties incidet in locum aliquem cujus sensus videbitur durus vel obscurus, illius hic emendationem accipe, ni mavelis ante lecturam Operis omnia menda simul in locis designatis emendare, ut sic inoffenso pede totum percurras. In qua annotatione litt. P. paginam, N. numerum marginalem, L. lineam istius numeri quotam, nisi numerus incipiat in pag. præcedenti, tunc enim solùm computabis lineas istius numeri extantes intra paginam citatam: Tandem littera C. designat in quid corrigi debet error.*

Pag. 10. n. 5. l. 11. qui *corrige* quæ. p. 12. n. 2. l. 16. consideratione *c.* ordine, ibid. n. 4. l. 1. *dele* Respondeo, p. 14. n. 2. l. 7. effigendum *c.* effingendus. p. 17. n. 13. l. 2. credidissent *c.* concessissent. p. 21. n. 4. l. 22. fuissent *c.* sunt. p. 23. n. 16. l. 8. sempiterræ *c.* sempiternæ. p. 28. n. 11. l. 27. contrariæ *c.* contractæ cum verbis seqq. charactere Italico. p. 31. n. 2. l. 10. evicere *c.* edicere. p. 32. n. 10. l. 22. post enim *pone* unam p. 36. n. 4. post verum *pone* cum. p. 38. n. 10. l. 12. debere *c.* nubere. p. 39. n. 15. l. 7. ex Joseph *c.* & Joseph. p. 40. n. 17. l. 1. & 2. quemcumdum *c.* quemcumque. p. 42. n. 31. l. 14. post censuram *pone* sequitur. p. 42. n. 2. l. 9. ostendere *c.* ostende. p. 44. n. 4. col. 2. l. 7. affirmãdo *c.* affirmat. p. 49. n. 7. l. 10. ex *c.* &. ibid. n. 8. l. 10. quidem *c.* quæso. p. 53. col. 2. l. 31. vel *c.* nec. p. 57. n. 11. l. 1. est *c.* &. p. 60. n. 25. l. ult. propinquum *c.* propinquus. ibid. n. 26. l. 12. & Hebræi ex lege *c.* exleges. p. 73. n. 4. l. 1. *dele* tum ibid. n. 6. l. 12. tanta *c.* cauta. p. 74. n. 7. l. 12. copulari *c.* capulari. ibid. n. 11. l. 7. sit *transpone* post senioris. p. 78. n. 29. l. 15. unum *c.* unus. ibid. n. 31. l. 5. *ante* mox *pone* quia. ibid. n. 32. l. 4. *dele* filii. p. 81. n. 45. l. 8. alii *c.* alius. p. 125. n. 31. l. 7. Deo *c.* eo. p. 138. n. 38. l. 11. ea *c.* &. p. 145. n. 6. l. 7. quibus *c.* qua. ibid. n. 11. l. 8. *dele* secundum. p. 146. col. 2. l. 14. quia *c.* qui. p. 152. n. 2. l. 1. & *c.* est p. 176. n. 21. l. 3. contendunt *c.* contendo. p. 183. n. 14. sollicitus *c.* solitus. p. 194. n. 38. l. 1. & *c.* est. p. 200. col. 1. l. *post* hoc *pone* est. p. 207. n. 2. l. 10. ut *c.* &. ibid. l. 19. Deo *c.* eo. p. 216. n. 22. l. 4. Araglia *c.* Anglia. p. 225. n. 4. l. 4. voluntatem *c.* voluptatem. p. 230. n. 13. l. 13. servatâ *c.* servandâ. ibid. n. 15. l. 7. *dele* non. p. 234. n. 10. l. 2. videbitur *c.* videtur. p. 237. l. 7. hoc *c.* hic. p. 243. col. 1. l. 1. potuissent *c.* potuisset. p. 245. n. 6. l. 1. sed *c.* nec. p. 249. n. 10. l. 19. reputant *c.* reputans. p. 258. c. 2. l. 1. dixerit non *c.* dixerit ex. ibid. n. 31. l. 7. non *c.* nec. p. 265. n. 16. l. 1. post quam *pone* levis. p. 287. n. 21. l. 7. illum *c.* illum. ibid. n. 26. l. 1. de *c.* ut. p. 288. l. 5. *pro* & *pone* uti. ibid. n. 32. l. 6. utrimque *c.* utriusque. p. 296. n. 1. l. 10. inter *c.* instar. p. 297. n. 68. l. 13. præstitum *c.* præstitutum. ibid. n. 70. l. 6. & *c.* ex. p. 306. n. 26. l. 6. dum *c.* cum. p. 311. n. 55. l. 1. dictorum *c.* doctorum. p. 333. n. 20. l. 2. quandoquidem *c.* quando. p. 342. n. 1. l. 26. quod *c.* quo. p. 355. n. 7. l. 3 dum *c.* eum. p. 363. col. 1. l. 3. *nota diligenter quæ sequuntur* c. nota diligenter quæ sequuntur, p. 373. n. 23 l. 17. est *c.* fuerit. p. 379. n. 17. l. 17. *post* intellexit *adde* Abraham, p. 386. n. 39. l. 14. respondet *c.* respondeo. p. 393. n. 6. 13. sed *c.* seu p. 394. n. 13 l. 7. significat *c.* significet. p. 397. n. 24. l. 13. *proprium patris quod* c. proprium est patris quodque. p. 398. n. 28. l. 6. conjuges *c.* conjugis, ibid. n. 29. l. 7. ut *c.* ita ut. p. 417. n. 2. l. 3. *post* personam *adde* secundum. ibid. n. 3. l. 10. *post* membris *adde* viget. ibid. l. 14. istâ *c.* ita. p. 418. n. 7. l. 14. illius *c.* illis. p. 427. n. 51. l. 11. *c.* de majestatis. p. 429. n. 6. l. 8. *post* ipsos *adde* quibus & l. 24. modicum *c.* madidum. p. 437. col. 2. l. 3. 20. *c.* 23. p. 439. n. 25 l. 5. deprehensa *c.* comprehens. ap. 443. n. 10. l. 5. absolvere *c.* absolutè. p. 455. n. 15. l. 4. quis *c.* quid ibid. n. 16. l. 2. ut *c.* &. p. 463. n. 8. l. 16. in *c.* qui p. 467. n. 10. l. 1. his *c.* hic. p. 470. n. 28. l. 5. accusantem *c.* auscultantem. p. 473. n. 6. l. 4. *post* Iosepho *adde* quod. p. 478. n. 5. l. 8. emersa *c.* mensa. p. 486. n. 9 l. 10 ligato *c.* liquato ibid n. 4. l. 1 *post* qui *adde* cùm. p. 495. n. 26. l. 2. *dele* quàm. p. 501. n. 4. l. 8. *dele* sibi similes. ibid. n. 7. l. 4. significatissimum *c.* figuantissimum. p. 501. n. 16. l. 14. *post* ctum *c.* distinctivum, p. 512. col. 1. l. 27. veri *c.* verò. ibid. n. 1. l. 7. & *c.* ut p. 519. n. 20. l. 1. videtur *c.* videar. p. 521. col. 2 l. 1. nostri *pone post* occidentis p. 523 n. 9. l. 16. peregrinandum *c.* peregrinabundum. p. 536. n. 9. & 10 ab aliqua Ecclesia *c.* ad aliquas Ecclesias. p. 537. n. 16. l. 38. quem *c.* quam. ibid. col. 2. l. 5. Martyrum *c.* Martyrologia. p. 550, n. 4. l. 2. licet *c.* scilicet sponsi. p. 563. n. 4. l. 9. servavit *c.* servarit p. 576. n. 21. l. 16. Ecclesiasticis *c.* Ecclesia. p. 578. n. 22. l. 1. alio *c.* alia. p. 582. n. 12. l. 25. fecit *c.* fecit. p. 584. n. 25. l. 7. hi *c.* si.




LEODII,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA
GUILIELMI HENRICI STREEL,
Ad Insigne Paradisi Terrestris.

Collegii Soc. Jesu Paderborn
1694

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Synopsis

Propria
D.
Adolphi
Sy


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Synopsis



Synopsis
Augustini
D. Hofmeist

Th
883a


Synopsis
Magnalia
D.
Josephi